MISSALE

APPAMIENSE

1342



MISSALE

APPAMIENSE,

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS,

D. D. HENRICI-GASTONIS

DE LEVIS,

APPAMIENSIS EPISCOPI,

AUCTORITATE,

NECNON VENERABILIS EJUSDEM CAPITULI CONSENSU,

EDITUM.



PARISIIS,

Typis CL. SIMON, Illuſtriſſimi D. D. Archiepiſcopi Pariſienſis Typographi, viâ San-Jacobæâ.

M. DCC. LXXXII.

HENRICUS GASTO
DE LEVIS,

PROVIDENTIÂ DIVINÂ ET SANCTÆ SEDIS Apoſtolicæ Auctoritate, Epiſcopus & Dominus Appamiarum, Regi ab Omnibus Conſiliis, necnon Comitiorum Fuxenſium Præſes natus ac perpetuus.

CLERO APPAMIENSI

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU.

QUOD olim per os Malachiæ promiſerat orbi Deus, magnum apud gentes ſuum futurum eſſe nomen, & (*a*) *ab ortu ſolis uſque ad occaſum* mundam & acceptabilem majeſtati ſuæ litandam fore victimam; ecce quotidiè, Fratres dilectiſſimi, in Templis noſtris adimpleri conſpicimus. Jam non, ut in lege quæ (*b*) *nihil ad perfectum adduxit*, & cujus mandatorum à ſeptemdecim pluſquam ſeculis, (*c*) *propter infirmitatem & inutilitatem reprobatio facta eſt*, (*d*) *munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodò in cibis, & in potibus, & variis baptiſmatibus, & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis;* ſed idem ille Agnus, quem (*e*) *ſtantem & occiſum in medio throni* viderat Joannes, qui & ipſe *dignus eſt accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, manibus noſtris immolatur. Jam non Sacerdotem habemus qui neceſſitatem habeat, quemadmodùm Aaronis ſucceſſores, (*f*) *priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deindè pro populi;* ſed *ſanctum, innocentem, impollutum, ſegregatum à peccatoribus, & excelſiorem cœlis factum....*

(*a*) Malach. 1.
(*b*) Hebr. 7.
(*c*) Ibid.
(*d*) Ibid. 9.
(*e*) Apoc. 5.
(*f*) Hebr. 7.

(*g*) qui *Pontifex assistens futurorum bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis : neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum ; sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ.* Jam non omnipotentis Dei Altaribus vilis pecudum effunditur cruor ; sed idem ille sanguis, qui pro nostrâ & omnium hominum salute fluxit in Cruce, consecratur, & sancti Spiritûs operante virtute, sacrificium nunc nostrum corpus est & sanguis ipsius Sacerdotis.

Christus nimirùm, (*h*) *cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Cujus quidem æternæ quâ nos prosequitur caritatis signum luculentum & æternum ut daret, (*i*) *in Cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in Cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus, in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit ; ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit ; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit.* Sicque *novum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitûs sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit.*

Et hoc est augustissimum quo jure gloriatur Ecclesia Catholica sacrificium. Spiritale totum illud est, & fœdere novo omninò dignum ; non alio quippe quàm mystico verborum gladio separantur in Altari Corpus & Sanguis, nec aliter quàm repræsentatione, mors videtur ibidem intercedere : at plenum & verum simul hoc est ; licet enim soli fidei Christum victimam in eo detegere & intueri detur, præsens nihilominùs verè sistitur, & Patri Deo sub hac mortis imagine jugiter exhibetur.

Quidquid autem varia seorsim prænuntiabant Mosaicæ legis sacrificia, id omne complectitur in se, & præstat abundè novum novæ Legis sacrificium. Debitum Deo cultum, & eum quem à creaturis Creator exigit honorem persolvere volumus? Ecce pro nobis in Altari Patrem Christus adorat, nec [illegible]remo Numine jam sunt indignæ quas unâ cum illo laudes & preces

(*g*) Ibid. 9. (*h*) Joan. 13. (*i*) Concil. Trid. *Sess.* 22. *c.* 1.

effundimus.

effundimus. Cœleſtem exarmare cupimus iram, &, quæ commaculaverunt animam, delictorum veniam obtinere? (*k*) *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ; ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno....* (*l*) *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?* Pro jam acceptis beneficiis grates dignas rependere, aut divinis è theſauris nova in nos derivari exoptamus? Ecce nomine & loco noſtro gratias agit, & quidquid oramus, nobiſcum orat homo Deus, qui bonorum omnium & datorum auctor eſt munificentiſſimus, quique non minùs nunc (*m*) *pro ſua reverentia* exaudiri poteſt & debet, quàm cùm *in diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationeſque ad eum, qui* poterat *illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis* offerebat.

Neque ſolùm pro iis, qui mortalem hanc vitam degunt, ritè peragitur Miſſæ Sacrificium, ſed & pro illis etiam (*n*) *qui* jam *nos præceſſerunt cum ſigno fidei*, (*o*) *& ita vixerunt ante mortem, ut poſſint* divina *hæc* ſubſidia *eis utilia eſſe poſt mortem*, efficaciter celebratur. Quamvis etenim in inferni ergaſtula deſcendere nequeat Sanguis Chriſti, tamen, ad piacularem (*p*) *ſpirituum anxiorum* cuſtodiam pervadere ſacrificii noſtri virtutem potentiſſimam, & eâ vel extingui, vel temperari ſaltem luſtralis ignis ardorem, & Scriptura, & ſancti Patres, & Concilia teſtantur.

Tantæ porrò dignitatis eſt & excellentiæ ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacrificium, ut ſoli omnium Creatori Deo poſſit & debeat offerri. (*q*) *Quamvis* enim *in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit; indè nec Sacerdos dicere ſolet, offero tibi ſacrificium Petre vel Paule, ſed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

Cùm igitur auguſtius nihil ineffabili hocce Sacrificio habeat Eccleſia Catholica, nihil eſt pariter in quod diligentiam, ſtudium & operam majorem, quibus hac in parte præſertim vices ſuas commiſit, intendere debeant Epiſcopi, quàm ut eo ritu, eo ordine, & modo qui, tum ad decorem illi

(*k*) Hebr. 4. (*l*) Ibid. 9. (*m*) Hebr. 5. (*n*) Canon Miſſ. (*o*) S. Aug. *Serm.* 127. *aliàs* 31. *De Verb. Apoſt.* (*p*) Baruch. 3. (*q*) Conc. Trid. *Seſſ.* 22. *c.* 3.

conciliandum, tum ad dignitatem commendandam, tum ad pietatis & religionis in aſtantium fidelium mentibus ſenſus imprimendos, fovendos, nutriendos, maximè ſit idoneus, celebretur. Atque hæc cauſa fuit cur, à Concilio præſertim Tridentino, librorum qui tremendi illius Myſterii peragendi rationem & ordinem, ſimul & in eo recitandas preces continent, emendandis & adornandis paſſim allaboraverint Eccleſiæ Gallicanæ Præſules.

Hinc eſt etiam quod & nos, edito novo Breviario, ad novum item excudendum Miſſale quod ipſius Breviarii officiis perfectè conſonaret, accingere nos decreverimus.

Quod enixè exoptabamus, ac ſollicitè poſtulabant communia Cleri noſtri vota, jam, Deo juvante, & Sacerdotum, quos ſelegimus ſacrarum Scripturarum, Rituumque Eccleſiaſticorum peritos, ſtudio & induſtriâ, tandem feliciter abſolutum eſt.

Nunc verò operæ pretium eſt admonere vos, quam tenuerimus, in apparanda Miſſalis noſtri forma, rationem ac methodum. Ac primò quidem diligenter & religiosè cavimus, ne qua, vel in ordine, vel in Canone Miſſæ mutatio fieret; adeò intactam atque illibatam duximus eſſe oportere, quam Eccleſia Romana faciendi ſacri normam obſervat. Cui ſapienti propoſito non officit unius aut alterius loci, (ſcilicet in Commemoratione pro Vivis & in Oratione quæ fractionem Hoſtiæ ſubſequitur,) ex antiquis Sacramentariis, ipſiſque hujus Provinciæ Eccleſiarum veteribus Miſſalibus, elucidationis causâ, redintegrata lectio.

Ut in Breviario recens edito id nobis propoſuimus imprimis, ut Antiphonas, Verſiculos, Reſponſoria è ſacris Litteris mutuaremur, ſic & in Miſſali ex eodem fonte hauriri voluimus Introitum, Graduale, Tractum, Offertorium & Communionem; rati nihil eſſe convenientius, quàm ut divina res, in qua Sacerdotes agunt perſonam Chriſti, qui verbum Dei eſt, non alio, quàm quo Deus ipſe uſus eſt, verbo tractaretur.

Orationes penè omnes, Collectas ſcilicet, Secretas & Poſtcommuniones, ex antiquis Sacramentorum libris excerpſimus, pietatis unctionem ſpirantes; quas novas inſeruimus, eas ad vetuſtarum exemplar, quantùm fieri potuit, elaboravimus, & ad Gregorianum, Gelaſianumque ſtylum accommodavimus.

Præfationibus antiquis plures addidimus, tum pro diverſis Temporibus ac Solemnitatibus, tum etiam pro ſingulis Sanctorum Communibus; ſic ad priſcum Eccleſiæ Romanæ morem, quâ licuit, accedentes, apud quam, ut

& nunc in iis Eccleſiis quæ ritu Ambroſiano utuntur, ſingulis propè Miſſis ſingulæ Præfationes attributæ ſunt.

Proſas aliquot operi placuit adjungere, quoniam illæ habere viſæ ſunt undè vel explicandis Myſteriis, vel alendæ pietati, non mediocriter inſervirent.

Unum ſupereſt, Fratres cariſſimi, hortari vos in Domino, ut quotquot ad Sacrum Altaris miniſterium vocati eſtis, eâ quæ Sanctos decet reverentiâ, pietate ac modeſtiâ, tremendum illud miniſterium perficiatis. Ad quale gloriæ & honoris faſtigium provecti fueritis, diù noctùque recogitate. Vita veſtra ſit jugis & indefeſſa commentatio Sacrificii celebrandi; ad ſancta Myſteria novi ſemper accedite; novum ignem ſacris Altaribus ſemper inferte. Satis vobis non fuerit Deo Patri Chriſtum Hoſtiam ſanctam & immaculatam offerre, niſi ſimul cum ipſo & per ipſum exhibeatis voſmetipſos *Hoſtiam viventem, ſanctam & Deo placentem.*

Ut autem omnes uno ore, eodemque Ritu, in hujuſce venerandi Sacrificii celebratione Deum glorificemus, de venerabilis Eccleſiæ noſtræ Capituli conſenſu ac concilio, mandamus omnibus noſtræ Diœceſeos Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, necnon omnibus Presbyteris, ut hocce noſtro Miſſali in poſterùm utantur, ejuſque Ordinem, Regulas & Ritus omnes ad amuſſim obſervent; diſtrictè inhibentes, ne ullo quolibet alio, ſive in ſolemnibus, ſive in privatis Miſſis uti præſumant.

Datum Appamiis in Palatio noſtro Epiſcopali, die prima Junii anni milleſimi ſeptengenteſimi octogeſimi primi.

✠ HENRICUS GASTO, Epiſc. Appam.

De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi
D. D. Epiſcopi Appamienſis.
MERCADIER.

TABULA TEMPORARIA
FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	Lit. Dominic.	Aur. Numer.	Epactæ.	Dom. post Epiphaniam.	Septuagesima.	Dies Cinerum.	Pascha.	Ascensio.	Pentecoste.	Corpus Christi.	Indictio.	Dom. post Pent.	I. Dominica Adventus.
1783	e	17	xxvj	5 †	16 Febr.	5 Mart.	20 April.	29 Maii	8 Junii	19 Junii	1	24	30 Novemb.
1784	d c	18	vij	4 †	8 Febr.	25 Febr.	11 April.	20 Maii	30 Maii	10 Junii	2	25	28 Novemb.
1785	b	19	xviij	2 †	23 Jan.	9 Febr.	27 Mart.	5 Maii	15 Maii	26 Maii	3	27	27 Novemb.
1786	A	1	*	5	12 Febr.	1 Mart.	16 April.	25 Maii	4 Junii	15 Junii	4	25	3 Decemb.
1787	g	2	xj	4	4 Febr.	21 Febr.	8 April.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	5	26	2 Decemb.
1788	f e	3	xxij	1 †	20 Jan.	6 Febr.	23 Mart.	1 Maii	11 Maii	22 Maii	6	28	30 Novemb.
1789	d	4	iij	4 †	8 Febr.	25 Febr.	12 April.	21 Maii	31 Maii	11 Junii	7	25	29 Novemb.
1790	c	5	xiv	3 †	31 Jan.	17 Febr.	4 April.	13 Maii	23 Maii	3 Junii	8	26	28 Novemb.
1791	b	6	xxv	6	20 Febr.	9 Mart.	24 April.	2 Junii	12 Junii	23 Junii	9	23†	27 Novemb.
1792	A g	7	vj	4	5 Febr.	22 Febr.	8 April.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	10	26	2 Decemb.
1793	f	8	xvij	2 †	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.	9 Maii	19 Maii	30 Maii	11	27	1 Decemb.
1794	e	9	xxviij	5 †	16 Febr.	5 Mart.	20 April.	29 Maii	8 Junii	19 Junii	12	24	30 Novemb.
1795	d	10	ix	3 †	1 Febr.	18 Febr.	5 April.	14 Maii	24 Maii	4 Junii	13	26	29 Novemb.
1796	c b	11	xx	2 †	24 Jan.	10 Febr.	27 Mart.	5 Maii	15 Maii	26 Maii	14	27	27 Novemb.
1797	A	12	j	5	12 Febr.	1 Mart.	16 April.	25 Maii	4 Junii	15 Junii	15	25	3 Decemb.
1798	g	13	xij	4	4 Febr.	21 Febr.	8 April.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	1	26	2 Decemb.
1799	f	14	xxiij	1 †	20 Jan.	6 Febr.	24 Mart.	2 Maii	12 Maii	23 Maii	2	28	1 Decemb.
1800	e	15	iv	4 †	9 Febr.	26 Febr.	13 April.	22 Maii	1 Junii	12 Junii	3	25	30 Novemb.
1801	d	16	xv	3 †	1 Febr.	18 Febr.	5 April.	14 Maii	24 Maii	4 Junii	4	26	29 Novemb.
1802	c	17	xxvj	5 †	14 Febr.	3 Mart.	18 April.	27 Maii	6 Junii	17 Junii	5	24	28 Novemb.
1803	b	18	vij	4 †	6 Febr.	23 Febr.	10 April.	19 Maii	29 Maii	9 Junii	6	25	27 Novemb.
1804	A g	19	xviij	3	29 Jan.	15 Febr.	1 April.	10 Maii	20 Maii	31 Maii	7	27	2 Decemb.
1805	f	1	*	4 †	10 Febr.	27 Febr.	14 April.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	8	25	1 Decemb.
1806	e	2	xj	3 †	2 Febr.	19 Febr.	6 April.	15 Maii	25 Maii	5 Junii	9	26	30 Novemb.
1807	d	3	xxij	2 †	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.	7 Maii	17 Maii	28 Maii	10	27	29 Novemb.
1808	c b	4	iij	5 †	14 Febr.	2 Mart.	17 April.	26 Maii	5 Junii	16 Junii	11	24	27 Novemb.
1809	A	5	xiv	3	29 Jan.	15 Febr.	2 April.	11 Maii	21 Maii	1 Junii	12	27	3 Decemb.
1810	g	6	xxv	6	18 Febr.	7 Mart.	22 April.	31 Maii	10 Junii	21 Junii	13	24	2 Decemb.
1811	f	7	vj	4 †	10 Febr.	27 Febr.	14 April.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	14	25	1 Decemb.
1812	e d	8	xvij	2 †	26 Jan.	12 Febr.	29 Mart.	7 Maii	17 Maii	28 Maii	15	27	29 Novemb.
1813	c	9	xxviij	5 †	14 Febr.	3 Mart.	18 April.	27 Maii	6 Junii	17 Junii	1	24	28 Novemb.
1814	b	10	ix	4 †	6 Febr.	23 Febr.	10 April.	19 Maii	29 Maii	9 Junii	2	25	27 Novemb.
1815	A	11	xx	2	22 Jan.	8 Febr.	26 Mart.	4 Maii	14 Maii	25 Maii	3	28	3 Decemb.
1816	g f	12	j	5	11 Febr.	28 Febr.	14 April.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	4	25	1 Decemb.
1817	e	13	xij	3 †	2 Febr.	19 Febr.	6 April.	15 Maii	25 Maii	5 Junii	5	26	30 Novemb.
1818	d	14	xxiij	1 †	18 Jan.	4 Febr.	22 Mart.	30 April.	10 Maii	21 Maii	6	28	29 Novemb.
1819	c	15	iv	4 †	7 Febr.	24 Febr.	11 April.	20 Maii	30 Maii	10 Junii	7	25	28 Novemb.
1820	b A	16	xv	3	30 Jan.	16 Febr.	2 April.	11 Maii	21 Maii	1 Junii	8	27	3 Decemb.
1821	g	17	xxvj	6	18 Febr.	7 Mart.	22 April.	31 Maii	10 Junii	21 Junii	9	24	2 Decemb.
1822	f	18	vij	3 †	3 Febr.	20 Febr.	7 April.	16 Maii	26 Maii	6 Junii	10	26	1 Decemb.
1823	e	19	xviij	2 †	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.	8 Maii	18 Maii	29 Maii	11	27	30 Novemb.
1824	d c	1	*	5 †	15 Febr.	3 Mart.	18 April.	27 Maii	6 Junii	17 Junii	12	24	28 Novemb.
1825	b	2	xj	3 †	30 Jan.	16 Febr.	3 April.	12 Maii	22 Maii	2 Junii	13	26	27 Novemb.
1826	A	3	xxij	2	22 Jan.	8 Febr.	26 Mart.	4 Maii	14 Maii	25 Maii	14	28	3 Decemb.
1827	g	4	iij	5	11 Febr.	28 Febr.	15 April.	24 Maii	3 Junii	14 Junii	15	25	2 Decemb.
1828	f e	5	xiv	3 †	3 Febr.	20 Febr.	6 April.	15 Maii	25 Maii	5 Junii	1	26	30 Novemb
1829	d	6	xxv	5 †	15 Febr.	4 Mart.	19 April.	28 Maii	7 Junii	18 Junii	2	24	29 Novemb.
1830	c	7	vj	4 †	7 Febr.	24 Febr.	11 April.	20 Maii	30 Maii	10 Junii	3	25	28 Novemb.
1831	b	8	xvij	3 †	30 Jan.	16 Febr.	3 April.	12 Maii	22 Maii	2 Junii	4	26	27 Novemb.
1832	A g	9	xxviij	6	19 Febr.	7 Mart.	22 April.	31 Maii	10 Junii	21 Junii	5	24	2 Decemb.
1833	f	10	ix	3 †	3 Fevr.	20 Febr.	7 April.	16 Maii	26 Maii	6 Junii	6	26	1 Decemb.
1834	e	11	xx	2 †	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.	8 Maii	18 Maii	29 Maii	7	27	30 Novemb.
1835	d	12	j	5 †	15 Febr.	4 Mart.	19 April.	28 Maii	7 Junii	18 Junii	8	24	29 Novemb.
1836	c b	13	xij	3 †	31 Jan.	17 Febr.	3 April.	12 Maii	22 Maii	2 Junii	9	26	27 Novemb.
1837	A	14	xxiij	2	22 Jan.	8 Febr.	26 Mart.	4 Maii	14 Maii	25 Maii	10	28	3 Decemb.
1838	g	15	iv	5	11 Febr.	28 Febr.	15 April.	24 Maii	3 Junii	14 Junii	11	25	2 Decemb.

In ſequenti Calendario appoſitum eſt tempus quo quiſque Sanctus obiit: an. *ſignificat anno:* c. an. *circa annum:* ſ. *ſeculo:* c. med. ſ. *circa medium ſeculi:* c. fin. ſ. *circa finem ſeculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

Feſta quæ majoribus notantur characteribus, feriantur apud populum.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		JANUARIUS.
*	A	Cal.	1	*CIRCUMCISIO DOMINI*, & Octava Natalis ejus, *Solemne-majus.*
xxix	b	iv	2	Baſilii Magni, Cæſareæ in Cappadocia Epiſc. & Eccl. Doct. *Duplex-min. an.* 379.
xxviij	c	iij	3	Genovefæ, Virginis Pariſienſis, *Semid. an.* 512.
xxvij	d	Prid.	4	Simeonis Stylitæ, Anachoretæ prope Antiochiam, *Semidup. cir. an.* 460.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, *ſine jejunio, Simplex.*
25. xxv	f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI, *Annuale-majus.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
xx	d	iij	11	
xix	e	Prid.	12	
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ, & Baptiſmus Domini, *Duplex-majus.*
				Dominicâ II. poſt Epiph. fit ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS Eccleſiæ Cathedralis & aliarum Eccleſiarum Diœceſis, *Annuale-minus* cum Octava.
xvij	g	xix	14	Hilarii, Pictavienſis Epiſc. & Eccl. Doct. (è 13.) *Duplex-minus: c. an.* 368. cum *Commem.* S. Felicis, Presb. Nolani: *c. an.* 265.
xvj	A	xviij	15	SS. Nominis JESU, *Duplex-maj.* cum *Commem.* S. Mauri, Glannofolienſis Abbatis: *cir. fin.* VI. ſ. ac S. Boniti, Claromontenſis Epiſc. *c. an.* 710.
xv	b	xvij	16	Pauli, primi Eremitæ Thebaidis, *Semiduplex: c. an.* 341.
xiv	c	xvj	17	Antonii, Abbatis Ægyptii, *Duplex-min. an.* 356.
xiij	d	xv	18	Pontificatus, ſeu Cathedra S. Petri Apoſtoli, quâ primùm Antiochiæ, tum Romæ ſedit, *Duplex-minus.*
				Prima ſedes Septuageſimæ, 18.
xij	e	xiv	19	Voluſiani, Turonenſis Epiſc. & Mart. *Semidup. an.* 491.
xj	f	xiij	20	Fabiani, Papæ *, & Sebaſtiani, ** Romæ Mart. *Duplex-minus: *an.* 250. ** *an.* 288.
x	g	xij	21	Agnetis, Virginis & Mart. *Semiduplex: an.* 303. *vel* 304.
ix	A	xj	22	Vincentii, Cæſar-Auguſtani, Diaconi & Mart. Valentiæ in Hiſpania: *Semiduplex: an.* 303. *vel* 304.
viij	b	x	23	Sulpitii Pii, Bituricenſis Epiſc. (è 17.) *Semiduplex: an.* 644.
vij	c	ix	24	Timothei, Epheſ. Epiſcopi & Mart. *Semiduplex:* (è 22.) *an.* 97. cum *Commem.* S. Titi, Pauli diſcipuli, Cretenſis Epiſc.: (è 4.) I. ſ.
vj	d	viij	25	Converſio S. Pauli, Apoſtoli, *Duplex-majus: an. quibuſdam* 30. *vel* 31. *aliis* 34. *vel* 35. cum *Commem.* S. Præjecti, Claromontani Epiſc. & Mart. *an.* 673.
v	e	vij	26	Paulæ, Viduæ Romanæ: *Simplex. an.* 404.
iv	f	vj	27	Martyrum, qui pro libris ſacris interierunt: *Semid. an.* 303. *Commem.* S. Juliani, I. Cenomanenſis Epiſc. III. *vel* IV. ſec.
iij	g	v	28	Cyrilli, Alexandrini Epiſc. & Eccl. Doct. *Semiduplex: an.* 445.
ij	A	iv	29	Franciſci Saleſii, Genev. Epiſc. (è 28. Dec.) *Duplex-minus: an.* 1622.
j	b	iij	30	Bathildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semid. c. an.* 680.
*	c	Prid.	31	Petri Nolaſci, Ordinis B. M. de Mercede Fundatoris: *Semid. c. an.* 1256.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xxix	d	Cal.	1	Ignatii, Antiochiæ Episc. & Mart. Romæ, (è 20. Dec.) *Semid. an.* 107. *Commem.* S. Brigidæ, Virg. & Abbatissæ in Hibernia: *c. an.* 520.
xxviij	e	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI, & PURIFICATIO B. MARIÆ VIRGINIS, *Annuale-minus.*
xxvij	f	iij	3	Blasii, Sebast. in Armenia Episc. & Mart, *Simplex: c. an.* 316.
25. xxvj	g	Prid.	4	Joannæ Valesiæ, Viduæ, Reginæ Franc. & Monial. Annuntiationis Fundatricis: *Semid. an.* 1505.
				Prima sedes Cinerum, 4.
xxv. xxiv	A	Non.	5	Agathæ Catanensis, Virg. & Mart. *Semiduplex: an.* 251. (*In Quadragesima Commemoratio; & sic de sequentibus Semiduplicibus.*)
xxiij	b	viij	6	Vedasti, I. Atrebatensis Episc. *Simplex: c. an.* 539. (*In Quadragesimâ Commem. & sic de sequentibus Simplicibus.*)
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	Joannis de Matha, Presb. Paris. Ordin. SS. Trinitatis Fundat. (è 21. Dec.) *Semid. an.* 1213.
xx	e	v	9	Apolloniæ Alex. Virg. & Mart. *Simplex: an.* 249.
xix	f	iv	10	Scholasticæ, Cassinensis Virg. *Semidup. cir. an.* 543.
xviij	g	iij	11	Benedicti, Anianensis Abbat. *Semid. c. an.* 821.
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	Onesimi, apud Gentes Apostoli, *Simplex:* 1. f.
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Simeonis, Hierosolymitani Episc. & Mart. *Semiduplex: an.* 107.
x	A	xj	19	Flaviani, Constantinopol. Episc. & Mart. *Simplex: an.* 449.
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	*Ultima sedes Septuagesimæ*, 21.
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.*
v	f	vj	24	*In anno communi.* } Matthiæ, Apostoli, *Duplex-majus.* 1. f.
iv	g	v	25	*In anno Bissextili.* }
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
			28	*Anno com.* } Martyrum, qui obiêre in Caritatis Officio ergà pestilentiâ
j	c	Prid.	29	*Anno Biss.* } afflictatos Alexandriæ; *Simplex*: III. f.

In anno Bissextili Februarius est dierum 29. & Festum S. Matthiæ celebratur 25. Februarii, & bis dicitur Sexto Calendas, *id est 24. & 25. Festum verò SS. Martyrum fit die 28. & Littera Dominicalis quæ assumpta fuit in mense Januarii, mutatur in præcedentem; ut si in Januario Littera Dominicalis fuit* A, *mutatur in præcedentem quæ est* g, *& sic de aliis, Littera autem* f. *bis inservit, 24 & 25.*

Feriâ VI. post Cineres, fit Officium Quinque Plagarum Christi, *Duplex-majus.*

Feriâ VI. post Dom. I. Quadr. fit Officium SS. Christi Faciei in Passione ejus deformatæ. *Duplex-majus.*

Feriâ VI. post. Dom. II. Quadr. fit Officium sanctæ Crucis Domini. *Duplex-majus.*

Feriâ VI. post Dom. III. Quadr. fit Officium sanctæ Coronæ Spineæ. *Duplex-majus.*

Feriâ VI. post Dom. IV. Quadr. fit Officium Pretiosi Sanguinis Christi. *Duplex-majus.*

Feriâ IV. & VI. & Sabbato post Dom. I. Quadr. Quatuor-Temp.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
*	d	Cal.	1	Albini, Andegavenſis Epiſcopi, *Simplex : an.* 550.
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Perpetuæ, Felicitatis, & Socior. Carthag. Mart. *Simplex : c. an.* 204.
xxiij	d	viij	8	Joannis de Deo, Ordinis Fratrum Caritatis Inſtitut. *Simplex : an.* 1550.
				Primum Novilunium Paſchale, 8.
xxij	e	vij	9	Franciſcæ, Viduæ Romanæ, *Simplex : an.* 1440.
xxj	f	vj	10	Quadraginta Militum Sebaſtenſium, Mart. *Commem. c. an.* 320.
				Ultima ſedes Cinerum, 10.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	Patritii, Hibernorum Apoſtoli, *Commem. c. fin.* v. f.
xiij	g	xv	18	Alexandri, Epiſcopi Hieroſolymitani & Mart. *Commem. an.* 250.
xij	A	xiv	19	Cyrilli, Hieroſolymit. Epiſ. & Eccl. Doct. *Commem. c. an.* 388.
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	
ix	d	xj	22	*Prima ſedes* PASCHÆ, 22.
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO INCARNATIONIS DOMINI, AD BEATAM MARIAM VIRGINEM, *Annuale-minus.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	(De Octava Annuntiationis, quando Paſcha occurrit 22. Martii. *Semid.*)

Feriâ ſextâ poſt Dominicam Paſſionis, fit Officium de Compaſſione B. Mariæ Virginis, *Duplex-majus*, (niſi occurrat die 25. Martii.) tunc enim transfertur in diem ſequentem.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xxix	g	Cal.	1	Octava Annuntiationis, (modò Paſcha occurrat 22. *vel* 23. Martii.) *Duplex-majus.*
xxviij	A	iv	2	Franciſci de Paula, Cœnobitæ, Inſtit. Ord. Minimorum, *Semid. an.* 1507.
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	Ambroſii, Mediolanenſis Epiſcopi, & Eccleſiæ Doct. *Duplex-majus: an.* 397. (*Si hoc Feſtum occurrat in Quadrageſima, transfertur poſt Paſcha; & ſic de Duplicibus-majoribus, & ſuprà.*
xxv. xxiv	d	Non.	5	Vincentii Ferrerii, Presb. Ordin. Fratrum Prædicat. *Semidup. an.* 1419.
				Ultimum Novilunium Paſchale, 5.
xxiij	e	viij	6	Iſidori, Hiſpalenſis Epiſc. & Eccl. Doct. *Semid. an.* 636.
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	Juſtini, Romæ Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ & Mart. *Semiduplex: an.* 167. *vel* 168.
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	Joſeph, Sponſi B. M. V. (è 19. Mart.) *Solemne-minus.*: 1. ſ.
viij	f	xj	21	Anſelmi, Cantuarienſ. Epiſc. & Eccl. Doct. *Simplex: an.* 1109.
vij	g	x	22	Martyrum pro Solemnitate Paſchali occiſorum in Africa, *Simp. an.* 459.
vj	A	ix	23	Georgii, Martyris in Oriente, *Semiduplex. cir. an.* 303.
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	Marci, Evangeliſtæ, *Duplex-majus: c. an.* 68.
				Ultima ſedes PASCHÆ, 25.
iij	d	vj	26	Cleti *ſeu* Anacleti, Papæ & Mart. *Simplex: c. an.* 91.
ij	e	v	27	Polycarpi, Smyrnenſis Epiſ. & Mart. (è 26. Martii,) *Semid. c. an.* 169.
j	f	iv	28	Caii & Alexandri, Mart. *Duplex-maj.* [*In Cathedrali & in Civitate, Solemne-minus.*] *c. an.* 168.
*	g	iij	29	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis, *Semiduplex:* v. *vel* vi. ſ.
xxix	A	Prid.	30	Eutropii, primi Santonenſis Epiſc. & Mart. *Semid.* iii. ſ.
				Prima ſedes ASCENSIONIS DOMINI, 30.
				Et celebratur hoc Feſtum Feriâ V. Hebdomad. V. poſt Paſcha: Annuale-majus.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xxviij	b	Cal.	1	Philippi * & Jacobi ** (Alphæi) Apost. *Duplex-majus :* * post 81. ** 62.
xxvij	c	vj	2	Athanasii, Alex. Episc. & Eccl. Doct. *Duplex-minus : an.* 373.
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis, *Solemne-minus : an.* 326. *vel* 327.
25. xxv	e	iv	4	Monicæ, Tagastensis, Viduæ, *Semiduplex : an* 387.
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	Joannis, Apost. & Evang. ante Portam Latinam, *Duplex-minus : an.* 95.
xxij	A	Non.	7	Fulgentii, Ruspensis Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris, *Semid. an.* 533.
xxj	b	viij	8	
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Constantinop. Episc. & Eccl. Doct. *Duplex-minus : an.* 391.
xix	d	vj	10	*Prima sedes* PENTECOSTES, 10.
xviij	e	v	11	Mamerti, Viennensis Episc. *Simplex : post an.* 475.
xvij	f	iv	12	Epiphanii, Salaminæ Episc. & Eccl. Doct. *Simplex : an.* 403.
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	Pachomii, Tabennæ in Thebaide Abbat. *Semiduplex : an.* 348. *vel* 349.
xiv	b	Idib.	15	Mariæ Jacobi & Salomes, *Semid.* 1. s.
xiij	c	xvij	16	Germerii, Tolosani Episc. *Simplex : c. an.* 561.
xij	d	xvj	17	Joannis Nepomuceni, Canonici Pragensis in Bohemia, & Mart. *Simplex : an.* 1383.
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Petri Celestini V. Papæ, Institut. Cong. Celest. *Semid. an.* 1296. cum *Commem.* S. Yvonis, Trecorensis Presb. *an.* 1303.
ix	g	xiij	20	Baudilii, Nemausensis Martyris, *Simplex :* III. *vel* IV. s.
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	Joannis Francisci Regis, Presb. *Simplex : an.* 1640.
iv	e	viij	25	Urbani, Papæ & Martyris, *Simplex : an.* 330.
iij	f	vij	26	Augustini, Cantuariensis Episcopi, *Simplex : an.* 608.
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	Guillelmi, Aquitaniæ Ducis, Comitis Tolos. demùm Monachi, *Semid. an.* 812.
*	b	iv	29	Germani, Parisiensis Episc. *Simplex : an.* 576.
xxix	c	iij	30	
xxviij	d	Prid.	31	Sylvii, Tolosani Episcopi, *Simplex :* IV. s.

Feriâ iv. vj. & Sabbato Hebdomadæ Pentecostes, Quatuor-Tempora.

Dominicâ I. post Pentecost. Festum *SS.* TRINITATIS, *Solemne-majus.*

Feriâ v. post Festum SS. Trinitatis, Festum CORPORIS CHRISTI, *Annuale-majus.*

Dominica III. post Pentecosten, Festum SS. CORDIS JESU, *Solemne-majus.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xxvij	e	Cal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugdunenſis Epiſc. Blandinæ Virg. & quadtaginra ſex Martyr. *Semid. an.* 177. cum *Commem.* SS. Marcellini Presb. & Petri Exorciſtæ, Romæ Mart. *an.* 304.
xxv. xxiv	g	iij	3	Clotildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semid.* poſt *an.* 537.
				Ultima ſedes ASCENSIONIS DOMINI, 3.
xxiij	A	Prid.	4	
xxij	b	Non.	5	Claudii, Biſunt. Epiſc. *Semid. an.* 581.
xxj	c	viij	6	Norberti, Magdeburgenſis Epiſc. Inſtit. Ord. Præmonſtratenſis, *Semid. an.* 1134.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	Medardi, Noviom. Epiſc. *Simplex: c. an.* 545.
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	Barnabæ, Gentium Apoſt. *Duplex-majus : c. fin.* 1. ſ.
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	*Ultima ſedes* PENTECOSTES, 13.
xiij	d	xviij	14	Exuperii, Toloſani Epiſcopi, *Semiduplex : c. init.* v. ſ.
xij	e	xvij	15	Creſcentis, I. Viennenſis Epiſc. *Simplex :* 1. ſ.
xj	f	xvj	16	Cyrici & Julittæ matris ejus, Tarſi in Cilicia Mart. *Simplex : c. an.* 305.
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Gervaſii & Protaſii, fratrum, Mediolanenſ. Mart. *Semid.* 1. *vel* 11. ſ. cum *Commem.* S. Romualdi, Abb. Inſtitut. Ordin. Camaldulenſis: *c. an.* 1207.
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	Raymundi, Barbaſtenſis Epiſc. *Semiduplex :* XII. ſ.
v	e	x	22	Paulini, Nolani Epiſc. *Semid. an.* 431.
iv	f	ix	23	Vigilia *cum jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS-BAPTISTÆ, *Solemne-majus.*
ij	A	vij	25	Sylveſtri, Papæ, (è 31. Dec.) *Semid. an.* 335. *Commem.* Octavæ Nativitatis S. Joannis-Baptiſtæ.
j	b	vj	26	De Octava Nativitatis S. Joannis-Baptiſtæ, *Semiduplex:* cum *Commem.* SS. Joannis & Pauli, fratrum, Romæ Matt. *c. an.* 362 *vel* 363.
*	c	v	27	De Octava S. Joannis-Baptiſtæ. *Semiduplex.*
xxix	d	iv	28	Irenæi, Lugdunenſis Epiſc. & Eccl. Doct. ac Socior. Mart. *Duplex-min. c. an.* 202. cum *Commem.* Octavæ S. Joannis Baptiſtæ, ac Vigiliæ SS. Petri & Pauli, Apoſt. *cum jejunio.*
xxviij	e	iij	29	PETRI & PAULI, APOSTOLORUM, *Solemne-majus : c. an.* 66.
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli, Apoſt. *Duplex-majus*, cum *Commem.* Octavæ S. Joannis-Baptiſtæ, ac S. Petri, Apoſt.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
xxvj	g	Cal.	1	Octava Nativitatis S. Joannis-Baptistæ, & Festum Decollationis ejusdem, *Duplex-minus : an.* 32. *Commem.* Octavæ SS. Petri & Pauli.
25. xxv	A	vj	2	Visitatio B. Mariæ Virginis, *Solemne-minus :* cum *Commem.* Octavæ SS. Petri & Pauli.
xxiv	b	v	3	Martialis, I. Lemovicensis Episc. *Semid.* III. f. *Commem.* Octavæ SS. Petri & Pauli.
xxiij	c	iv	4	Ordinatio * & ** Translatio S. Martini, Turonensis Episcopi, *Semid.* * *an.* 372. ** *an.* 473. *Commem.* Oct. SS. Petri & Pauli.
xxij	d	iij	5	De Octava SS. Petri & Pauli, *Semid.*
xxj	e	Prid.	6	Octava SS. Apostolorum Petri & Pauli, & Festum Omnium SS. Pontificum in sede Romana Petri successorum, *Duplex-majus.*
xx	f	Non.	7	Thomæ, Cantuariensis Episc. & Mart. (è 29. Decemb.) *Semid. an.* 1170. *Translatio hâc die : an.* 1222.
xix	g	viij	8	Prosperi, Aquitani, Eccl. Doct. *Semid. c. an.* 456.
xviij	A	vij	9	Odonis, Urgellensis Episc. *Semiduplex. Commem.* S. Ephrem, Diaconi Edessæni, Monachi : *c. an.* 381.
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, & sanctæ Felicitatis eorum matris, Romæ Mart. *Simp. c. an.* 150.
xvj	c	v	11	Benedicti, Cassinensis Abbatis, (è 21. Mart.) *Semid. an.* 543. *Translat. hâc die. c. an* 653.
xv	d	iv	12	
xiv	e	iij	13	Silæ, Gentium Apostoli, *Semid.* I. f.
xiij	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Albanensis Episc. Card. & Eccl. Doct. *Semid. an.* 1274.
xij	g	Idib.	15	Henrici II. Imperatoris, *Simplex : an.* 1024.
xj	A	xvij	16	
x	b	xvj	17	Sperati & Sociorum, Martyrum Scillitanorum, *Simplex : an.* 200.
ix	c	xv	18	Thomæ Aquinatis, Doct. (è 7. Mart.) *Duplex-minus : an.* 1274. *Canonizatio hâc die : an.* 1333.
viij	d	xiv	19	Vincentii à Paulo, Presb. & Congregationis Missionis in Gallia Institutoris, *Duplex-minus :* (è 27. Sept.) *an.* 1660.
vij	e	xiij	20	Margaritæ, Virg. & Mart. *Semid. Commem* S. Arsenii, Romani Diaconi, Scetis Solitarii : *an.* 445
vj	f	xij	21	Victoris, Massilienſis Mart. *Semid. c. an.* 290.
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenes, *Duplex-majus :* I. f.
iv	A	x	23	Apollinaris, Ravennensis Episc. & Mart. *Simplex :* I. *vel* II. f.
iij	b	ix	24	
ij	c	viij	25	Jacobi (Zebedæi) Apost. *Duplex-majus : an.* 44. *Commem.* S. Christophori, Mart. in Lycia : III. f.
j	d	vij	26	Joachim & Annæ, Parentum B. M. Virginis, *Duplex-majus.*
*	e	vj	27	
xxix	f	v	28	
xxviij	g	iv	29	Lupi, Trecensis Episc. *Semid. c. an.* 479.
xxvij	A	iij	30	Ignatii Loyolæ, Presb. Institutoris Societatis Jesu, *Semid. an.* 1556.
25. xxvj	b	Prid.	31	Germani, Autissiodorensis Episc. *Semid. an.* 448.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xxv. xxiv	c	Cal.	1	Petri ad Vincula, (è 20. April.) *Duplex-minus : an.* 44. & 65. *Dedic. Baſilicæ ejuſd. hâc die, an.* 439. *vel* 451. cum *Commem.* SS. Septem Fratrum Machabæorum, & eorum matris, Mart. *c. an.* 167. *ante Chriſtum natum.*
xxiij	d	iv	2	Stephani I. Papæ & Mart. *Simplex : an.* 257.
xxij	e	iij	3	Revelatio *ſeu* Inventio Corporis S. Stephani, Diaconi & Protomartyris, (è 19. Decemb.) *Duplex-minus : an.* 415.
xxj	f	Prid.	4	Dominici, Presb. Inſtitut. Ordinis Prædicatorum, (è 6.) *Semid. an.* 1221.
xx	g	Non.	5	
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *Solemne-minus : an.* 28. *vel* 32.
xviij	b	vij	7	Xyſti, Papæ & Mart. *Semid. an.* 258.
xvij	c	vj	8	
xvj	d	v	9	Romani, Romæ Mart. *Simplex : an.* 258.
xv	e	iv	10	Laurentii, Romani Diaconi & Mart. *Duplex-majus : an.* 258.
xiv	f	iij	11	
xiij	g	Prid.	12	Claræ, Aſſiſii in Umbria Virginis, primæ Clariſſarum Abbatiſſæ : *Semid. an.* 1253.
xij	A	Idib.	13	Radegundis, Francorum Reginæ, Viduæ, *Semid. an.* 587.
xj	b	xix	14	Vigilia *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	*ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS*, totius Regni Patronæ, *Annuale-majus.*
ix	d	xvij	16	Rochi, Laici apud Montem Peſſulanum, *Duplex-minus : an.* 1327. *Comm.* Octavæ Aſſumptionis.
viij	e	xvj	17	De Octava, *Semiduplex.*
vij	f	xv	18	
vj	g	xiv	19	Ludovici, Toloſani Epiſcopi, *Duplex-minus : an.* 1297. *Commem.* Octavæ Aſſumptionis.
v	A	xiij	20	Bernardi, primi Claravall. Abbatis, & Eccleſiæ Doct. *Duplex-minus : an.* 1158. cum *Commem.* Octavæ.
iv	b	xij	21	De Octava, *Semiduplex. Commem.* S. Privati, Gabalitani Epiſc. & Mart. *cir. an.* 265.
iij	c	xj	22	Octava Aſſumptionis B. Mariæ, & *Commemoratio* voti Ludovici XIII. Regis Chriſtianiſſimi, *Duplex-maj. an.* 1638. *Comm.* S. Symphoriani, Auguſtodunenſis Mart. *c. an.* 179.
ij	d	x	23	Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal, Viduæ, Monialium Viſitationis S. M. Fundatricis, (è 13. Dec.) *Semid. an.* 1641.
j	e	ix	24	Bartholomæi, Apoſt. *Duplex-majus : 1. ſ.*
*	f	viij	25	Ludovici IX. Regis Franciæ, *Duplex-maj. an.* 1270.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	Cæſarii, Arelatenſis Epiſc. & Eccl. Doct. *Duplex-min. an.* 542.
xxvij	b	v	28	Auguſtini, Hipponenſis Epiſc. & Eccl. Doct. *Duplex-majus.* (In Cathedr. *Solemne-minus.*) *an.* 430. cum *Comm.* S. Juliani Brivatenſis, Mart. *an.* 304.
xxvj	c	iv	29	
25. xxv	d	iij	30	
xxiv	e	Prid.	31	Paulini, Trevirenſis Epiſc. & Confeſſoris Chriſti. *Simplex : an.* 358.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xxiij	f	Cal.	1	Ægidii, Abbatis in Occitania, *Semiduplex : c. med.* VI. ſ.
xxij	g	iv	2	*ANTONINI, ECCLELIÆ CATHEDRALIS, & TOTIUS DIŒCESIS PATRONI, AC SOCIORUM EJUS JOANNIS ET ALMACHII*, Mart. *Anuuale-majus.* III. ſ.
xxj	A	iij	3	Gregorii Magni, Papæ, & Eccl. Doct. (è 12. Mart.) *Duplex-majus : an.* 604. *Ordinatio hâc die : an.* 590. *Commem.* Octavæ.
xx	b	Prid.	4	Lazari à Chriſto ſuſcitati, & SS. Mariæ & Marthæ ſororum, Chriſti Hoſpitum, *Duplex-minus :* cum *Commem.* Octavæ.
xix	c	Non.	5	De Octava, *Semiduplex.*
xviij	d	viij	6	De Octava, *Semid.*
xvij	e	vij	7	De Octava, *Semid.* cum *Commem.* S. Clodoaldi, Presb. *Semid. an.* 568.
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS, *Solemne-majus.*
xv	g	v	9	Octava SS. Antonini, & Sociorum ejus, Mart. *Duplex-majus. Commem.* S. Gorgonii, Nicomediæ Martyris : *c. an.* 303.
xiv	A	iv	10	De Octava Nativitatis B. M. V. *Semid. Commem.* S. Nicolai Tolentin. Erem. S. Auguſt. *an.* 1309.
xiij	b	iij	11	De Octava, *Semid. Commem.* SS. Proti & Hyacinthi, Romæ Mart. III. ſ.
xij	c	Prid.	12	De Octava, *Semid. Commem.* S. Maximini, Trevirenſis Epiſc. *an.* 349.
xj	d	Idib.	13	De Octava, *Semid. Commem.* S. Euſebii, Vercellenſis Epiſc. & Confeſſoris Chriſti : *c. an.* 370.
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis, (*imperante Conſtantino : an.* 326. *vel* 327. *imperante Heraclio : an* 629.) *Solemne-minus : Commem.* Octavæ.
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis, & Feſtum Nominis B. Mariæ Virginis, *Duplex-maj.*
viij	g	xvj	16	Cornelii, Papæ *, & Cypriani, Carthaginenſis Epiſc. ** Mart. *Semid.* **an.* 252. ***an.* 258. *Commem.* S. Euphemiæ, Chalcedonenſis Virginis & Mart. *c. an.* 307.
vij	A	xv	17	Lamberti, Trajectenſis Epiſcopi, & Mart. *Simplex : c. an.* 708.
vj	b	xiv	18	Joannis Chryſoſtomi, Conſtantinop. Epiſc. & Eccl. Doct. (è 14) *Duplex-minus : an.* 407.
v	c	xiij	19	Camillæ, Virginis & Mart. *Simplex :* XII. ſ.
iv	d	xij	20	
iij	e	xj	21	Matthæi, Apoſt. & Evang. *Duplex-majus :* 1. ſ.
ij	f	x	22	Mauricii & Soc. Agauni Mart. *Semidup. an.* 286.
j	g	ix	23	Theclæ, Virg. & Protomart. apud Iconium, *Semiduplex : c. fin* 1. ſ.
*	A	viij	24	Andochii, Presbyteri, Thirſi Diaconi, Felicis, & * Andeoli, Mart. *Simp. c. an.* 178. * 208.
xxix	b	vij	25	Firmini, primi Ambian. Epiſcopi & Mart. *Simplex : c. an.* 287.
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Coſmæ & Damiani, fratrum, Mart. *Semid. c. init.* IV. ſ.
25. xxvj	e	iv	28	
xxv. xxiv	f	iij	29	Michaelis, Archangeli, & Omnium SS. Angelorum, *Solemne-minus.* § *Hoc Feſtum in Apulia ſumpſit initium an.* 493. *vel* 536.
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi, Presb. & Eccl. Doct. *Duplex-majus : an.* 420.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xxij	A	Cal.	1	Remigii, Remenſis Epiſc. Francorum Apoſtoli, (è 13. Januarii.) *Duplex-minus : c. an.* 533. *Tranſlatio prima hâc die, ante an.* 585.
xxj	b	vj	2	Angelorum Cuſtodum, *Duplex-majus.* Inſtit. Pariſ. *an.* 1680. cum *Comm.* S. Leodegarii, Auguſtod. Epiſc. & Mart. *an.* 678.
xx	c	v	3	Trophimi, I. Arelatenſis Epiſc. *Semid. aliis* I. *aliis* III. ſ. *Commem.* S. Dionyſii, Areopagitæ, primi Athenarum Epiſc. & Mart. *c. an.* 95.
xix	d	iv	4	Franciſci Aſſiſinatis in Umbria, Diaconi, & Inſtit. Ordin. Fratrum Minorum, *Semid. an.* 1226.
xviij	e	iij	5	Fidis, Aginnenſis Virginis & Mart. *Semid. c. an.* 287 *vel* 290.
xvij	f	Prid.	6	Brunonis, Monach. Inſtit. Ordin. Carthuſian. *Semid. an.* 1101.
xvj	g	Non.	7	Sergii & Bacchi, in Syria Mart. *Simplex : c. an.* 303.
xv	A	viij	8	
xiv	b	vij	9	Dionyſii, I. Pariſiorum Epiſc. & Socior. Mart. *Duplex-min :* III. ſ.
xiij	c	vj	10	
xij	d	v	11	Honorati, Toloſani Epiſcopi, *Simplex :* III. ſ.
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	Geraldi, Comitis Aureliacenſis, *Simplex : an.* 909.
ix	g	Prid.	14	Calliſti, Papæ & Martyris, *Simplex : an.* 223.
viij	A	Idib.	15	Thereſiæ, Abulenſis Virg. Inſtauratricis Ord. Carmelit. *Semid. an.* 1582.
vij	b	xvij	16	Bertrandi, Convennarum Epiſcopi, *Simplex : an.* 1220.
vj	c	xvj	17	Gauderici, Agricolæ, *Simplex :* IX. ſ.
v	d	xv	18	Lucæ, Evang. *Duplex-majus :* I. ſ.
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	Capraſii, Aginnenſis Presbyteri & Martyris, *Simplex : an.* 287. *vel* 290.
ij	g	xij	21	Urſulæ, & Soc. ejus, Virg. & Mart. *Semid. an.* 450. *Comm.* S. Hilarionis, Abbatis in Palæſtina : *an.* 371.
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	Eremberti, Toloſani Epiſc. *Simplex : c. an.* 678.
xxviij	d	viij	25	Criſpini & Criſpiniani, fratrum, apud Sueſſiones Mart. *Simp. an.* 288.
xxvij	e	vij	26	
xxvj	f	vj	27	
25. xxv	g	v	28	Simonis & Judæ, Apoſt. *Duplex-majus :* I. ſ.
xxiv	A	iv	29	Quintini, apud Viromanduenſes Mart. *Simplex : c. an.* 286.
xxiij	b	iij	30	Leonis I. Papæ & Eccl. Doct. *Duplex-minus : an.* 461.
xxij	c	Prid.	31	*Vigilia* Omnium Sanctorum, *cum jejunio.*

¶ Dominica prima hujus menſis fit Officium de SS. Roſario B. Mariæ Virginis, *Duplex-majus.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xxj	d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM, *Annuale-majus : instit. c. an.* 835.
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *Solemne-minus : instituta an.* 998.
xix	f	iij	3	}
xviij	g	Prid.	4	}
xvij	A	Non.	5	} De Octava Omnium Sanctorum, *Semiduplex.*
xvj	b	viij	6	}
xv	c	vij	7	}
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, & Veneratio SS. Reliquiarum, *Duplex-majus. Instit. an.* 1194.
xiij	e	v	9	Caroli Borromæi, Mediolanensis Episc. Cardinalis, (è 3.) *Duplex-min. an.* 1584. *Commem.* S. Theodori, Mart. *an.* 306.
xij	f	iv	10	Martini, Papæ & Martyris. *Semid.* (è 16. Sept.) *an.* 655.
xj	g	iij	11	Martini, Turonensis Episc. *Duplex-majus*, (In Cathedrali, *Solemne-minus.*) *an.* 397. *vel* 400.
x	A	Prid.	12	Natalenæ, Appamiensis Virg. & Mart, *Duplex-minus :* III *vel* IV. *s.*
ix	b	Idib	13	Amantii, Ruthenensis Episc *Semid. c. an.* 487. *Commem.* S. Brictii, Turonensis Episcopi : *an.* 444.
viij	c	xviij	14	Stremonii, I. Arvernorum Episcopi, (è 1.) *Semid.* III. *s. Commem.* S. Ursini, I. Bituricensis Episc. III. *s.*
vij	d	xvij	15	Papuli, Mart. *Semid.* III. *s.*
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocæsareæ in Ponto Episc. *Semiduplex : c. an.* 270. *Commem.* S. Gregorii, Turonensis Episc. *an.* 595.
iv	g	xiv	18	
iij	A	xiij	19	Elizabeth, Andreæ Hungar. Regis filiæ, tertii Ordin. S. Francisci, Viduæ, *Simplex : an.* 1231.
ij	b	xij	20	Felicis Valesii, Presbyteri, *Simplex : an.* 1212.
j	c	xj	21	Præsentatio B. Mariæ Virginis, *Duplex-majus. Commem.* S. Columbani, Abbatis, *an.* 615.
*	d	x	22	Cæciliæ, Virg. & Mart. *Semid.* II. *vel* III. *s.*
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. *Semid. an.* 100.
xxviij	f	viij	24	Amandi, *seu* Alani, Trajectensis Episcopi, *Semid. an.* 679. *Commem.* S. Chrysogoni, Romæ Martyris : *an.* 304.
xxvij	g	vij	25	Catharinæ, Alexandrinæ Virg. & Mart. *Semid.* IV. *s.*
25. xxvj	A	vj	26	Lini, Papæ & Mart. *Semiduplex : c. an.* 78. *Commem.* S. Petri, Alexandrini Episc. & Mart. *an.* 311.
				Prima sedes Adventûs, 27.
xxv. xxiv	b	v	27	Vitalis & Agricolæ, Bononiæ in Italia Mart. *Simplex : an.* 303.
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Saturnini, I. Tolosani Episc. & Mart. *Duplex-maj. circ. med.* III. *s.*
xxj	e	Prid.	30	Andreæ, Apostoli, *Duplex-majus :* I. *s.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xx	f	Cal.	1	Eligii, Noviom. Episc. (è 30. Novemb.) *Semid. an.* 659.
xix	g	iv	2	Francisci Xaverii, Presbyt. Indiarum Apost. *Semid. an.* 1552.
xviij	A	iij	3	Petri Chrysologi, Ravennensis Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, *Commem. c. an.* 457. *Ultima sedes Adventûs*, 3.
xvij	b	Prid.	4	Barbaræ, Virg. & Mart. *Commem.* III. *vel* IV. *f.*
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	Nicolai, Myrensis in Lycia Episc. *Semid. c. an.* 320.
xiv	e	vij	7	
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, *Solemne majus.*
xij	g	v.	9	De Octava Conceptionis, *Semiduplex.*
xj	A	iv	10	De Octavæ Conceptionis, *Semid. Commem.* S. Valeriæ, Virg. & Mart. *post med.* III. *f.*
x	b	iij	11	Damasi, Papæ, *Semid. an.* 384. *Commem.* Octavæ Conceptionis.
ix	c	Prid.	12	Pauli, I. Narbonensis Episc. *Semid.* III. *f. Commem.* Octavæ.
viij	d	Idib.	13	Luciæ, Syracusanæ Virg. & Mart. *Semiduplex : an.* 304. *Commem.* Octavæ.
vij	e	xix	14	De Octava, *Semid.* (*post nonam nihil fit amplius de Octava.*)
vj	f	xviij	15	Expectatio Partûs B. Mariæ Virginis, *Duplex-majus.*
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	Gatiani, I. Turonensis Episcopi, *Commem.* III. *f.*
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
*	e	xij	21	Thomæ, Apostoli, *Duplex-majus :* I. *f.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia *cum jejunio.*
xxvj	b	viij	25	*NATALE DOMINI, Annuale-majus.*
25. xxv	c	vij	26	STEPHANI, DIACONI ET PROTOMARTYRIS, *Solemne-minus. an.* 33. *Commem.* Octavæ Natalis Domini.
xxiv	d	vj	27	Joannis, Apostoli et Evangelistæ, *Duplex-maj. an.* 100. *vel* 104. *Commem.* Octavæ Natalis Domini,
xxiij	e	v	28	Innocentium Martyrum, *Duplex-majus : Commem.* Octavæ Natalis Domini,
xxij	f	iv	29	De Octava Natalis Domini, *Semiduplex.*
xxj	g	iij	30	
*19. xx	A	Prid.	31	

* *Hæc Epacta* 19. *numquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum aureo numero* XIX.

RUBRICÆ

RUBRICÆ.

PARS PRIMA.

DE RUBRICIS GENERALIBUS.

MIssa dicitur, ſecundùm ordinem Officii, de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Feſto, vel Octava, vel de B. Maria in Sabbato: &, extra ordinem Officii, Votiva, vel pro Defunctis.

CAPUT PRIMUM.

De Dominica.

MIſſa in Dominica dicitur ſicut propriis locis aſſignatur. In ea dicitur una tantùm Oratio, niſi aliqua Commemoratio fieri debeat: tunc enim fit ut infrà explicatur in Rubrica de Collectis. Extra Adventum & Septuageſimam dicitur *Gloria in excelſis*; & ſemper *Credo*.

2. Si Officium non fiat de Dominica, in Miſſa fit Commemoratio Dominicæ per Collectam, Secretam, Poſtcommunionem, & Evangelium ejus in fine.

CAPUT II.

De Feriis et Vigiliis.

MIſſa de Feria dicitur, quando non occurrit Feſtum, vel Octava, vel Sabbatum, in quo fit de Beata. In Feriis autem Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum & Vigiliarum, ſi fiat de Feſto, vel de die Octava, cantantur duæ Miſſæ in Eccleſia Cathedrali & aliis præcipuis, ſecundùm uſum locorum; una de Feſto aut de Octava poſt Tertiam; alia de Feria; extra Quadrageſimam poſt Sextam, in Quadrageſima poſt Nonam.

2. In Vigiliis ordinariis, & Feriis Quatuor Temporum, vel Feria ſecunda Rogationum, quæ occurrunt intra aliquam Octavam; Miſſa dicitur de Vigilia, vel Feriis ſupradictis, idque in Choro, poſt Sextam, cum Commemoratione Octavæ: præter quàm intra Octavas Annualium, in quibus (in Eccleſiis præcipuis) cantantur duæ Miſſæ, una de Octava poſt Tertiam, alia de Vigilia aut Feriis ſupradictis poſt Sextam: in aliis autem Eccleſiis unica dicitur, de Octava poſt Tertiam, cum Commemoratione Feriæ aut Vigiliæ, & Evangelio in fine.

3. In Feriis per Annum dicitur Miſſa Dominicæ præcedentis, ſine *Gloria in excelſis*, & ſine *Credo*. In Feriis tamen quartis & ſextis, loco Epiſtolæ & Evangelii Dominicæ, dicuntur Epiſtola & Evangelium iis Feriis aſſignata, eo ordine qui infrà in Rubrica de Epiſtola.

4. In Feriis Adventûs (exceptis Sabbatis, ut infrà) idem obſervatur, omiſſo tamen *Alleluia* cum ſuo Verſu.

5. In Feriis à Dominica Septuageſimæ ad Feriam quartam Cinerum, Miſſa dicitur de Dominica, omiſſo Tractu & *Credo*; quo tempore Feriis etiam ſecundis Epiſtola & Evangelium proprium aſſignatur.

6. In Feriis Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, ac Vigiliarum, habentur Miſſæ propriæ: de quibus, ſi non fiat Officium, fit Commemoratio ad Miſſam, per Orationes, & Evangelium in fine. At in Eccleſiis præcipuis, una cantatur de Feſto ſine Commemoratione Feriæ, altera de Feria ſine Commemoratione Feſti.

CAPUT III.

De Feſtis et Octavis.

MIſſa de Feſto dicitur ut habetur in Proprio Sanctorum; aliàs, de Communi.

2. In ea dicitur *Gloria in excelſis*, exceptis Feſtis ad Paſſionem Chriſti pertinentibus, quæ ſingulis Feriis ſextis in Quadrageſima celebrantur; idque extra proprias horum Titulorum Eccleſias.

3. Si ſit Feſtum Semiduplex aut ſupra, dicitur unica Oratio, niſi Commemoratio facienda occurrat, quæ fiet ut notatur infrà in propria Rubrica.

4. Si ſit Solemne-majus aut Annuale & dicatur *Alleluia*, dicitur & Proſa, quæ, ſi deſit in Miſſa Feſti, invenietur ad calcem Miſſalis.

5. Per Octavas, Miſſa dicitur ut in die, niſi aliter propriis locis notetur. In iis ſemper dicitur *Gloria in excelſis*.

CAPUT IV.

De Miſſis B. M. Virginis in Sabbato, De Votivis, ac Defunctorum.

SAbbatis in quibus fit Officium de Beata Maria, dicitur & Miſſa de ipſa, ſecundùm varietatem temporum, ut in fine Miſſalis habetur.

2. In Sabbatis Adventûs, fit de Beata Maria, cum Commemoratione Sabbati, excepto Sabbato Quatuor Temporum, in quo Miſſa dicitur de eo, cum Comm. de B. M. V.

3. Triduo ante Paſcha, in Annualibus, ac Solemnibus majoribus quibuſcumque, Miſſa votiva nunquam dicitur, ne major quidem pro Defunctis, corpore præſente & inſepulto. Si qua autem præſente corpore defuncti ſeu defunctæ dicenda Miſſa eſt, dicetur de die, abſque Commemoratione.

In Solemnibus minoribus, in duplicibus majoribus, in omnibus Dominicis, intra hebdomadas Paſchæ & Pentecoſtes, intra Octavam Natalis Domini, Epiphaniæ & Aſcenſionis, & Octavam SS. Sacramenti, in Vigiliis Feſtorum Annualium, & Feria iv. Cinerum, Miſſa votiva nulla dicitur, niſi ſolùm Miſſa major pro Defunctis, corpore

præſente & inſepulto, modò tamen, diebus Feſtivis, populus Miſſâ parochiali non privetur.

Ubi verò diebus ſupra notatis dicenda eſſet Miſſa, aut ex fundatione, aut ex devotione, etiam cujuſcumque Confraternitatis; dicetur Miſſa de die cum Commemoratione votivâ illius de quo dicenda, quæ tamen Commemoratio ommittetur in Annuali & Solemni-majori.

4. Miſſa verò votiva major de Sanctiſſimo Sacramento quâlibet Feriâ quintâ celebrari poterit; exceptis ſolemnibus & ſuprà, ac diebus feſtivatis à populo; exceptâ etiam Feriâ quintâ in Cœna Domini, Feriâ quintâ intra Octavas Natalis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis & Pentecoſtes, Feſtis Inventionis & Exaltationis Sanctæ Crucis, Viſitationis, Transfigurationis, ac Vigiliis, Natalis Domini & Epiphaniæ; in quibus diebus dicetur Miſſa de die, cum Commemoratione SS. Sacramenti, ſi Miſſa ſit de B. Maria aut de Sanctis; nulla enim fiet de eo Commemoratio in quibuſlibet Feſtis Domini, aut intrà eorum Octavas; omittetur etiam hæc Commemoratio in Annualibus & Solemnibus majoribus.

Intrà Octavam autem Natalis Domini, quando Feria quinta in ultimum triduum inciderit, dicetur tertia Miſſa de Nativitate Domini, *Parvulus*, cum Evangelio *Paſtores* ex ſecunda Miſſa. Hæ autem Miſſæ, ſi expoſitum ſit ſanctiſſimum Sacramentum, celebrabuntur Ritu in Rubricis præſcripto.

5. Aliis diebus, in quibus habetur Miſſa de Feſto, etiam ſimplici, aut propria de Feria; Votivæ, aut pro Defunctis, non dicuntur ſine verâ neceſſitate.

6. Iis autem diebus, in quibus integrè Miſſa repetenda foret, de Dominica intrà Hebdomadam, (excepto tamen Adventu) Votiva, aut pro Defunctis, ex ſola devotione dici poteſt, etiam pro Miſſa majori: quod tamen paſſim fieri non debet, nec ſine rationabili cauſa.

7. Attendant autem Præpoſiti Eccleſiarum ut, quantùm fieri poterit, Miſſæ Feriarum Quadrageſimæ, Quatuor Temporum ac Vigiliarum, in Feſtis occurrentium, cum cantu celebrentur loco Miſſarum circa eadem tempora pro Defunctis ritu ſimplici fundatarum, aut ad hunc ritum Superiorum permiſſu redactarum aut redigendarum, cum Oratione pro iis Defunctis; & id quidem iis in locis, in quibus eæ Feriarum Miſſæ aliter non celebrarentur. Quod & de Votivis pari ratione obſervandum cum Commemoratione de iis. Quæ omnia in annuo cujuſque Eccleſiæ Obituario exactè notentur. Harum regularum ratio hæc eſt, quod Miſſa cum Officio concordare debet, nec ſine graviſſimâ causâ de alio quam de eo, de quo fit Officium, celebrari.

CAPUT V.

De Commemorationibus.

COmmemoratio in Miſſa fit per Collectam, Secretam, & Poſtcommunionem.

Additur & in fine Miſſæ Evangelium ejus de quo fit memoria ſi Commemoratio ſit de Dominica, aut Vigilia, aut Feria, quæ proprium Evangelium habeat, de quo lecta fuerit homilia in Nocturno aut die Octava cujus Evangelium diverſum ſit ab Evangelio Feſti.

2. Quotieſcumque ad Laudes facta eſt Commemoratio, fit & in Miſſa.

3. In Miſſis votivis (ubi non cantatur Miſſa de die) fit Commemoratio ejus de quo fit Officium, (etiam ſi fiat de Feria per annum,) & Feſti cujus occurrit eo die fieri Commemorationem in Officio.

4. Quando fit Commemoratio Feriæ, quæ Lectionem unam aut plures ante Epiſtolam habeat, pro Commemoratione dicitur prima Oratio Feriæ, non verò ea, quæ dicitur poſt *Dominus vobiſcum*.

5. Commemorationes de Officio præcedere debent omnes Commemorationes votivas.

6. In votivis etiam Commemorationibus ſervetur ordo dignitatis; ita ut fiat de SS. Trinitate, de Spiritu ſancto, de SS. Sacramento, de Cruce, aut aliis Myſteriis Domini, ante votivas B. Mariæ; de Angelis, ac de ſancto Joanne Baptiſta, de ſancto Joſeph, ante votivas Apoſtolorum; & ſic de aliis.

7. Inter Commemorationes votivas numeratur, quæ aliquando à D. Epiſcopo præcipitur dicenda Oratio pro aliqua occurrente neceſſitate. Ea autem fit poſt Commemorationes quæ ſunt de Officio, & ante alias votivas.

8. Commemoratio pro Defunctis non fit niſi poſt Commemorationes de Officio, in Miſſis, quæ non ſunt de Defunctis.

9. In Miſſis pro Defunctis nulla unquam fit commemoratio niſi de Defunctis.

10. Commemorationes occurrentes, quæ factæ fuerunt ad Laudes, fiunt & ad Miſſam eodem ordine.

11. Cum autem ad Laudes factæ ſunt Commemorationes communes, quæ dicuntur Suffragia; tunc pro Suffragiis, extra Tempus paſchale, dicitur Oratio *A cunctis*: tempore verò paſchali, Oratio de Cruce, *Deus, qui pro nobis Filium tuum.*

12. Si quid aliud ad Commemorationes pertinere videatur, habetur in propriis Rubricis de Collecta, & de Evangelio in fine Miſſæ, infrà in Paragraphis de Partibus Miſſæ.

CAPUT VI.

De Partibus Missæ.

PArtes Miſſæ duæ ſunt:

Prima, ab initio ad finem Evangelii, ſeu Concionis, ſi habeatur; & hæc eſt Miſſa Catechumenorum.

Secunda, ab inchoatione Symboli, vel ſi non dicatur, ab initio Offertorii ad dimiſſionem aſſiſtentium; & hæc eſt Miſſa Fidelium.

Paragraphus primus.

De prima Parte Miſſæ.

PRimæ Parti Miſſæ præmittitur Pſ. *Judica*, & dicitur quotidie (exceptis diebus, qui infrà) cum Verſu *Introibo* ante & poſt, integrè.

2. Tempore Paſſionis in Miſſis de Tempore, in Miſſa de Compaſſione B. Mariæ, & in Miſſis votivis de Cruce aut de Paſſione; omni verò tempore in Miſſis pro Defunctis; Pſalmus omittitur:

& tunc dicto ſemel Verſu *Introibo*, immediatè ſequitur *Adjutorium*, &c.

3. CONFESSIO ſequitur ut in Ordinario, præmiſſo *Adjutorium*, & ſubſequente ℣. *Deus tu converſus* cum ſequentibus.

4. INTROITUS conſtat Antiphonâ, verſu de Pſalmo, cum *Gloria Patri* & *Sicut erat*, ac repetitione Antiphonæ.

5. Tempore Paſſionis, in Miſſis de Tempore, in Miſſa de Compaſſione, & in Miſſis votivis de Cruce, aut de Paſſione, omni verò tempore in Miſſis pro Defunctis, omittitur *Gloria Patri* & *Sicut erat*.

6. In Miſſis pro Defunctis, loco *Gloria Patri*, dicitur *Requiem*.

7. Tempore Paſchali, exceptis Miſſis pro Defunctis, & quibuſdam Miſſis votivis, ut notatur in propriis locis, in fine Antiphonæ ad Introitum additur bis *Alleluia*.

8. KYRIE dicitur alternatim; ter *Kyrie, eleiſon*, ter *Chriſte, eleiſon*; & iterum ter *Kyrie, eleiſon*.

9. GLORIA IN EXCELSIS dicitur in Miſſis de die quando dictum eſt *Te Deum* ad Officium; præterea, Feriâ quinta in Cœna Domini, & Sabbato ſancto.

10. Dicitur etiam in Miſſis votivis de SS. Trinitate, de Spiritu ſancto, de SS. Nomine Jeſu, de Jeſu infante, de SS. Sacramento, de SS. Corde Jeſu, de Beata Maria, de Angelis, de Sanctis, in celebratione Synodi & Calendarum; pro eligendo Prælato, in die ſeu anniverſario Ordinationis D. Epiſcopi, pro ſeipſo Sacerdote, in renovatione promiſſionum Baptiſmi, pro Rege, pro Gratiis Deo agendis, in Nuptiis, ac in exequiis Parvulorum. In Miſſis autem votivis de Cruce, aut de Plagis, ſeu de Paſſione, non dicitur niſi tempore Paſchali.

In ceteris Votivis, etiamſi *Te Deum* dictum ſit eo die, non dicitur *Gloria in excelſis*; niſi, pro re gravi, feſtivo ac ſolemni ritu celebrentur.

11. COLLECTA dicitur poſt præmiſſam Salutationem *Dominus vobiſcum*, & Monitiunculam *Oremus*, cum levi pauſa.

Si dicatur *Flectamus genua*, fit pauſa flexis genibus poſt hæc verba, ante *Levate*.

Concluditur Collecta majori clauſulâ *Per Dominum*, aut ſimili, ut propriis locis notatur.

12. Si Collectam ſequatur una, vel plures aliæ Collectæ; poſt concluſionem primæ, iterum dicitur *Oremus*, & ad ultimam duntaxat fit integra Concluſio; ad intermedias, ſi quæ ſint, nulla.

In Solemnibus minoribus & ſuprà, cùm dicendæ ſunt duæ Orationes, ſub una tantùm clauſula terminabuntur; ſi plures, ſub duabus ut ſuprà.

13. Obſervandum autem, quòd Orationum numerus in Miſſa de die, etiam in Feriis, ſequitur numerum earum, quæ dictæ ſunt ad Laudes: quo in numero non includuntur ſuffragia, quæ fiunt in Feriis & Feſtis ſimplicibus ad Laudes & ad Veſperas. Excipiuntur ſequentia:

14. In Adventu quotidie (exceptis Solemnibus minoribus & ſuprà, ac diebus intrà Octavam Conceptionis & Sabbatis in quibus fit de Beata) fit Commemoratio de Incarnatione & B. M. V. per Collectam *Deus, qui de Beatæ*.

15. A die ſecunda Januarii uſque ad Præſentationem Domini (exceptis integrâ Octavâ Epiphaniæ, Feſtis ſolemnibus & ſuprà, & Sabbatis in quibus fit Officium de Beata) ultimo loco dicitur Oratio de Virgine Deipara, *Deus, qui ſalutis*.

16. In Feriis Quadrageſimæ uſque ad Hebdomadam Paſſionis, dicitur Oratio de omnibus Sanctis, ut ſuo loco notatur; & ultimo additur Oratio pro Pœnitentibus.

17. In Feriis temporis Paſchalis, à Dominica in Albis depoſitis, uſque ad Aſcenſionem excluſivè, dicitur Oratio de Cruce.

In Quibuſlibet Feriis Quatuor Temporum ultima Oratio erit pro Ordinandis. Triduo Rogationum ad Miſſam Stationis ſecunda Oratio erit *Effunde* pro Fructibus terræ.

18. Orationibus, quæ ex præſcripto dicuntur, Sacerdos, in Duplicibus & infrà, unam addere poterit ad devotionem in Miſſis majoribus; in privatis duas, vel plures.

19. In Dominicis in quibus non fit de Dominica, fit Commemoratio Dominicæ.

20. Quando in Feria majori occurrit Semiduplex aut ſuprà, in quo fit memoria de Simplici; ubi cantantur duæ Miſſæ, in Miſſa de Feſto fit Commemoratio de Simplici; non de Feria: in Miſſa autem de Feria nulla fit Commemoratio.

21. Si in Sabbato Miſſa non dicatur de Beata, nec dicatur Oratio *A Cunctis*, fit Commemoratio de illa, exceptis Solemnibus & Annualibus.

Excipiuntur Sabbata à Dominica Paſſionis ad Dominicam in Albis, à Vigilia Pentecoſtes ad Dominicam SS. Trinitatis, item & Vigilia Natalis Domini.

22. In Miſſis votivis, niſi ſint ſolemnes pro re gravi, ſecunda Oratio dicitur de Officio diei, etiamſi ſit de Feria per annum.

23. In Commemorationibus faciendis, ſi eadem Oratio bis occurrat, alia ſumitur de Communi.

24. Si Prophetia ante Epiſtolam legenda ſit, aut plures Lectiones; Commemorationes quæ occurrunt, non fiunt poſt Orationem diei, ſed immediatè ante Epiſtolam.

25. Quando pro aliqua neceſſitate à D. Epiſcopo Oratio addenda præcipitur, ea in Duplicibus & infrà ſemper dicitur; exceptis diebus in quibus non fieret commemoratio de Simplici occurrente. At in Annualibus ac Solemnibus omittitur, niſi aliud expreſsè præceptum ſit. In iiſdem verò, ubi poſt majoris Miſſæ Communionem cantatum eſt *Domine, ſalvum*, &c. Oratio pro Rege Poſtcommunioni Miſſæ ſub una concluſione jungitur.

Quibus autem diebus ea Oratio votiva dicenda eſt, dicitur in omnibus, etiam votivis, Miſſis, præter Miſſas pro Defunctis.

26. LECTIONES quæ in aliquibus Feriis Epiſtolam præcedunt, dicuntur cum ſuis Gradualibus aut Canticis vel Tractibus, atque Collectis, ut propriis locis habentur.

27. EPISTOLA quotidie legitur cum titulo.

28. Epistolæ Feriis quartis & sextis, interdum etiam secundis, assignatæ, si suis diebus dici nequeant, dicuntur propiori die sequenti : si autem sequens sit impeditus, dicuntur propiori præcedenti; ita tamen ut Epistola Feriæ secundæ dicatur ante Epistolam Feriæ quartæ, & Epistola Feriæ quartæ ante Epistolam Feriæ sextæ, etiam extra proprium diem, posterioribus omissis (nisi suo die occurrant). Quando non omnes dici possunt : putà, si quinta & sexta Feria impeditæ sint, Epistola Feriæ quartæ dicatur Feriâ tertiâ, sextæ verò quartâ; at si omnes Feriæ impeditæ sint præter sextam, Epistola Feriæ quartæ omninò omittatur, non verò sextæ, quæ suo die tum dicitur. Idem esto de Evangelio. Cùm autem Dominica Festo occupatur, nec alia per Hebdomadam supereſt Feria præter quartam aut sextam, in ea ponitur Epistola Dominicæ, omissâ propriâ Epistolâ : si verò Feriæ quarta & quinta supersint, Epistola Dominicæ legetur Feriâ quartâ, Feriæ quartæ quintâ. Idem pariter esto de Evangelio. Quod intellige de iis solùm Ecclesiis, in quibus dictæ non fuerunt duæ Missæ; una de Dominica, altera de Festo. Namque, ubi ipsâ die Dominicæ dicta est Missa de ea, leguntur Epistola & Evangelium Feriæ, etiam in Missis privatis.

29. GRADUALE sequitur Epistolam, & constat duobus Versibus.

30. A Sabbato in Albis, ad Sabbatum Quatuor Temporum Pentecostes, pro Graduali dicitur bis *Alleluia*, deinde Versus.

31. In Missis pro Defunctis Graduale semper dicitur.

32. ALLELUIA constat hâc voce *Alleluia* bis repetita, Versu, & iterùm *Alleluia*.

Dicitur à Sabbato sancto ad Septuagesimam in omnibus Dominicis & Festis etiam Simplicibus, ac in Feriis in quibus resumitur Missa ex Dominica in qua dictum est *Gloria in excelsis*.

33. TRACTUS dicitur,

Loco *Alleluia*, in Festis à Septuagesima ad Palmas.

Post *Alleluia*, in Vigilia Paschæ & Pentecostes.

Post Graduale, in Dominicis à Septuagesima ad Palmas : & in Feriis secundis, quartis & sextis, à Feria quarta Cinerum ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ inclusivè : in aliis autem Feriis non dicitur.

Solus verò inter Epistolam & Evangelium, in Sabbatis Quatuor Temporum.

34. PROSA, quæ & Sequentia, dicitur in Annualibus & Solemnibus majoribus, ac in omnibus Missis, etiam votivis, quæ celebrantur ritu Annuali aut Solemni majori, à Paschate ad Septuagesimam; ac per Octavas eorum cùm fit de Octava. Dicitur quoque in Dominicis intrà Octavas Domini; ad Missam in exequiis Parvulorum.

Cantantur autem Prosæ loco neumatis ultimi *Alleluia* : quapropter cùm dicitur Tractus, non dicitur Prosa.

35. In die Commemorationis Fidelium Defunctorum, licèt dicatur Tractus, Prosa tamen dicitur, finito Tractu. Quod pariter ad devotionem celebrantis observari potest in omni Missa pro Defunctis.

36. EVANGELIUM legitur post præmissam salutationem *Dominus*, *vobiscum*, &c. quam sequitur titulus *Sequentia*, vel *Initium sancti*, &c.

De Evangeliis per Hebdomadam, fit ut suprà notatum est de Epistolis, articulo 28.

37. CONCIO, si ad Missam habenda sit, habetur post Evangelium.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De secunda Parte Missæ.

SYMBOLUM Nicænum, *Credo*, dicitur :

1. In omnibus Dominicis, etiam in Missa de Festo in iis occurrente in quo aliàs non diceretur; in tribus Missis de Nativitate Domini, & per totam Octavam; in Epiphania Domini & per Octavam; Feriâ quintâ in Cœna Domini; totâ Hebdomadâ Paschæ; in Ascensione Domini & per Octavam tantùm; totâ Hebdomadâ Pentecostes; in Festo Corporis Christi & per Octavam, ac ceteris omnibus Festis Domini.

2. In omnibus Festis beatæ Mariæ, etiam in Compassione; at non dicitur in Missis de Beata in Sabbato.

3. In Festis Angelorum :

4. In Festis Apostolorum, Evangelistarum, sanctæ Mariæ Magdalenæ : etiam in eorum Festis secundariis.

5. In Festis Patronorum, etiam secundariorum; Titularium; & aliorum qui quasi Patroni habentur in quibusdam Ecclesiis aut Congregationibus.

6. In Festis Sanctorum de quibus habentur Reliquiæ insignes :

7. In Festis Doctorum, nisi aliter notetur.

8. In Festo Omnium Sanctorum :

9. In Dedicatione, & Anniversario Dedicationis :

10. Ac per Octavas omnium supradictorum, cujuscumque sint gradûs :

11. In Missis votivis de SS. Sacramento, aut aliis quæ earum loco celebrantur, coram exposito eodem SS. Sacramento.

12. Denique in Celebratione Synodi, pro eligendo Prælato, in die seu Anniversario Ordinationis DD. Episcopi, pro seipso Sacerdote in Anniversario suæ Ordinationis, aut renovatione promissionum Baptismi, & in omnibus Missis votivis, quæ pro re gravi, vel jussu, vel licentiâ D. Episcopi celebrantur ritu solemni.

13. Non dicitur in aliis quibuscumque Festis suprà non designatis, nisi in propria Ecclesia, vel nisi occurrant in Dominica, aut intrà Octavam in qua *Credo* dicatur : aut etiam nisi Missa solemniter celebretur coram exposito SS. Sacramento.

14. Nunquam dicitur in Missis pro Defunctis. Semper autem, ubi Missa celebratur in exequiis Parvulorum.

15. OFFERTORIUM dicitur, prætmiſſo *Dominus vobiſcum* & *Oremus*.

16. Dicitur autem quotidie Offertorium, excepto biduo ante Paſcha.

17. Tempore Paſchali additur in fine unicum *Alleluia*, ubi non habetur.

18. SECRETÆ dicuntur eodem numero, eodemque modo, quo Collectæ in principio Miſſæ, excepto quòd non præmittitur immediatè *Dominus vobiſcum*, neque *Oremus*, nequidem ante ſecundam, ſed poſtquàm dictum eſt *Orate, fratres*, &c. & reſponſum eſt *Suſcipiat*, &c. abſolutè incipiuntur Secretæ.

19. Cùm aſſignatur aliqua Oratio ex Communi, Secreta ſumitur numero Collectæ reſpondens: putâ, ſi aſſignetur Oratio, cui in Miſſa de Communi numerus 2. apponitur; pro Secreta, ea ſumitur, quæ eodem numero prænotatur.

20. PRÆFATIO dicitur ut in Ordinario Miſſæ.

21. In omnibus Dominicis propriam non habentibus, dicitur Præfatio de SS. Trinitate.

22. In Feſtis Sanctorum dicitur Præfatio prout aſſignatur in Proprio vel in Communi. In Feſtis occurrentibus intrà Octavas Feſtorum Domini quæ habent *Communicantes* Proprium, dicitur Præfatio de Myſterio cujus fit Octava, etiamſi ſit Feſtum Patroni primarii.

23. Quando dicuntur duæ Miſſæ, alia de Feſto, alia de Feria aut Dominica, Præfatio Feſti aut Octavæ non dicitur niſi in Miſſa de Feſto; in altera verò Miſſa, dicitur Præfatio de Tempore propria, vel Communis.

24. In Miſſis votivis de Myſteriis aut de Sanctis dicitur Præfatio de eorumdem Feſtis. In aliis Miſſis votivis, ſi propriam non habeant, Præfatio dicitur de Tempore vel Communis.

25. In Exequiis Parvulorum Præfatio Miſſæ eſt de Spiritu ſancto. In omnibus Miſſis pro Defunctis, Præfatio propria.

26. CANON dicitur ut in Ordinario.

COMMUNICANTES proprium aſſignatur quinque præcipuis Domini Feſtivitatibus, videlicet, Paſchæ & Pentecoſtes à Sabbato ad Sabbatum incluſivè; Natalis autem, Aſcenſionis & Epiphaniæ Domini, in die & per Octavam, etiam in Feſtis intrà Octavam occurrentibus.

HANC IGITUR proprium habetur in Feſtis Paſchæ & Pentecoſtes, à Sabbato ad Sabbatum incluſivè.

27. In Cœna Domini Canon dicitur ut habetur proprio loco.

28. In Miſſis pro Defunctis ſemper dicuntur *Communicantes* & *Hanc igitur* ordinaria.

29. *PATER* dicto, dicitur Oratio *Libera nos*.

30. Si Miſſa ſit Pontificalis, hìc datur Benedictio ſolemnis ut habetur in Benedictionali: & tunc loco *Pax Domini*, Pontifex dicit: *Et pax ejus ſit ſemper vobiſcum*.

31. *AGNUS DEI* dicitur quotidie, excepto biduo ante Paſcha.

32. In Miſſis pro Defunctis loco *Miſerere nobis*, dicitur *Dona eis requiem*: & loco *Dona nobis pacem*, dicitur *Dona eis requiem ſempiternam*.

33. Poſt *Agnus Dei*, Sacerdos dicit tres Orationes: poſt prin.am, in Miſſa majori, imò, ubi moris eſt, in privata, ac ſemper in Miſſa in Nuptiis, dat pacem, dicens accipienti, ſeu ſignum pacis offerenti, *Pax tibi, frater*, &c. In Miſſis autem pro Defunctis, nec prima dicitur Oratio, nec Pax datur. Sabbato ſancto, prima Oratio dicitur, ſed pax non datur.

34. COMMUNIO, id eſt Antiphona ad Communionem, ſingulis diebus dicitur, excepto biduo ante Paſcha.

Sabbato ante Septuageſimam, & toto tempore Paſchali, in ejus fine additur unicum *Alleluia*, ubi non habetur.

35. POSTCOMMUNIO, eodem modo quo Collecta initio Miſſæ.

36. Cùm aſſignatur aliqua Oratio ex Communi; ea Poſtcommunio ſumitur quæ numero Collectæ appoſito reſpondet, ut ſuprà explicatur articulo 19.

37. *ITE, MISSA EST*, dicitur cùm dictum eſt *Gloria in excelſis*; aliàs, dicitur *Benedicamus Domino*. In Miſſis autem pro Defunctis dicitur *Requieſcant in pace*.

38. Poſt Miſſam, dicto *Placeat*, dicitur *Benedicat vos*: niſi data fuerit Benedictio ſolemnis ante *Agnus Dei*. In Miſſis pro Defunctis nunquam dicitur.

39. Completâ Miſsâ recitatur ultimum Evangelium, ad Altare ad cornu Evangelii.

40. Quotieſcumque in Miſſa de die, fit commemoratio Dominicæ aut Vigiliæ, aut Feriæ proprium Evangelium habentis de quo in Nocturno lecta ſit Homilia; illud Evangelium legitur in fine Miſſæ loco *In principio*: quod & obſervatur cùm fit Commemoratio diei Octavæ habentis Evangelium diverſum ab Evangelio Feſti.

CAPUT VII.

De ordinanda Missa, ex superioribus Rubricis.

SUpradictis Rubricis cognitis, ſi quis velit ordinare Miſſam diei; recurrat ad Proprium Miſſarum de Tempore, vel de Sanctis, ſecundùm qualitatem Officii. Si deſit in Proprio, recurrat ad Commune.

2. Si fit de Feria quæ propriam Miſſam non habeat, dicatur Miſſa præcedentis Dominicæ, ſine *Gloria in excelſis*, & ſine *Credo*, cum Epiſtola & Evangelio ex Hebdomada, ſi dicenda ſint; ſin minùs, ex Dominica. In Feriis tamen temporis Paſchalis, exceptâ ſecundâ Rogationum, dicitur *Gloria in excelſis*. In Feriis autem Adventûs omittitur *Alleluia* cum ſuo Verſu, & à Dominica Septuageſimæ ad Feriam quartam Cinerum, omittitur Tractus.

3. Si dicenda ſit Miſſa votiva, requiratur poſt Commune Sanctorum. Si deſit, ſumatur Miſſa de Sancto in Proprio: ſin minùs, in Communi; mutatis quæ Natalitium aut ſimile quid deſignant, in vocem Commemorationis aut ſimilem. Si fiat de Sancto aliquo, qui non poſſit facilè revocari

ad ullum ordinem Sanctorum, de quibus Missæ habentur vel in Proprio, vel in Communi; (idem dicatur de Sancta) aut etiam de pluribus Sanctis diversi ordinis: sumatur Missa ultimo loco posita inter Votivas de Sanctis.

4. Si Orationes dicendæ sint pro aliqua necessitate, aut ad devotionem, requirantur in fine Missalis.

Si pro Defunctis Missa dicenda sit, invenietur post Missas votivas. Si de Defunctis facienda sit simplex Commemoratio; Collectæ & ceteræ Orationes reperientur in fine Missalis.

CAPUT VIII.

De Hora celebrandi Missam.

Missa votiva, & ordinaria pro Defunctis, cantatur post Primam: Missa de die, etiam in Feriis ordinariis, post Tertiam: Missa de Feria in qua jejunatur aut in qua Preces dicuntur ad Laudes, extra Quadragesimam, post Sextam; in Quadrasigma post Nonam.

2. Missa privata, quâcumque Horâ dici potest ab aurora ad meridiem: dictis saltem à Sacerdote Nocturnis, si paulò post auroram celebret; aliàs, dictis etiam saltem Laudibus.

3. Votivæ pro re gravi, ac solemnes pro Defunctis, quâcumque Horâ celebrari possunt.

CAPUT IX.

De Coloribus Ornamentorum.

Ornamenta Altaris, Celebrantis & Ministrorum, sint coloris convenientis Officio ac Missæ diei, secundùm usum Ecclesiæ Appamiensis, quæ his coloribus utitur:

1. Albo: Feriâ quartâ Quatuor Temporum Adventûs, ad Missam tantùm: à Vigilia Nativitatis Domini inclusivè ad Præsentationem Domini in omni Officio de Tempore extra Septuagesimam: Sabbato sancto in Litaniis, Benedictione Cerei & Fontis, ac in Missa; & ab illo die ad Vigiliam Pentecostes in omni Officio de Tempore, exceptâ Feriâ secundâ Rogationum: in Transfiguratione Domini: in Dedicatione Ecclesiæ, & Anniversario Dedicationis, ac in Dedicatione Altaris: in Vigilia Assumptionis, ac in omni Officio de B. Maria, etiam Compassionis: *In Festis Angelorum:* in Nativitate S. Joannis Baptistæ: in principali Festo S. Joannis Evangelistæ: in Conversione S. Pauli: in Festo S. Joseph: in Festis S. Frontonis: in Festo sanctæ Mariæ Magdalenæ: in Festo SS. Lazari, Mariæ & Marthæ: in Festis sanctarum Virginum non Martyrum: in Missa de SS. Nomine Jesu, de Jesu Infante: pro seipso Sacerdote: in Renovatione Promissionum Baptismi: pro Rege: pro Sponso & Sponsa: & in administratione Baptismi, post primam unctionem: in Missa quæ post mulieris partum celebratur pro Gratiarum Actione; ac in Exequiis Parvulorum.

2. Rubeo: In Officio quinque Plagarum Domini & quatuor Feriis sextis sequentibus in Officio Festi, non autem ad Missam de Feria. *Feriâ quintâ in Cœna Domini, ad Missam tantùm:* in Vigilia Pentecostes, ad benedictionem Fontium & Missam tantùm (ad Officium enim adhibetur albus,) in Festo Pentecostes ac per Hebdomadam: etiam in Missis Quatuor Temporum: *in Festo SS. Trinitatis: in Festo Corporis Christi ac per Octavam: in Festo SS. Cordis Jesu: in omni Officio de Tempore à Præsentatione Domini ad Septuagesimam, & à Trinitate ad Adventum,* exceptis Dominicis intrà Octavas alium colorem habentes: in Festivitatibus sanctæ Crucis: *in Festo Omnium Sanctorum: in Festo sanctarum Reliquiarum:* in Decollatione S. Joannis Baptistæ: in Natalitiis SS. Petri & Pauli, ac aliorum Apostolorum & Evangelistarum, excepto S. Joannis Evangelistæ; in Festo S. Joannis ante Portam Latinam: in Festo S. Barnabæ: in Commemoratione S. Pauli: in Festo S. Petri ad Vincula: in Festo SS. Innocentium: in quibuscumque Festis Martyrum, etiam Virginum: in Absolutione, Feriâ quintâ in Cœna Domini: *in Missis de SS. Trinitate: item cùm cantatur* Te Deum *pro Gratiarum Actione:* in Missis de Spiritu sancto: in Celebratione Synodi aut Calendarum: *In Missis & Processionibus de SS. Sacramento, etiam pro Reparatione injuriarum; & in administratione sacri Viatici:* in Missis de Passione aut Cruce Domini & similibus, excepto tempore Passionis: de SS. Apostolorum discipulis ac Ecclesiarum Fundatoribus si sunt Martyres: de pluribus Sanctis diversi ordinis: *in Missa pro Gratiarum Actione:* exceptâ quæ post mulieris partum dicitur: in Missa pro Electione Prælatorum: & in administratione Sacramenti Confirmationis.

3. Viridi: In Festis Pontificum: in Pontificatu seu Cathedra sancti Petri: in Consecratione Pontificum, & in Missa Anniversarii Consecrationis eorum.

4. Violaceo: In Adventu: exceptâ Missâ Feriæ quartæ Quatuor Temporum: à Septuagesima ad Feriam quartam Cinerum: Feriâ secundâ Rogationum: in Missa Processionis diei S. Marci, ac trium dierum Rogationum: in Feriis Quatuor Temporum Septembris: in Vigiliis in quibus dicuntur Preces flexis genibus: in Festo S. Mariæ Ægyptiæ, & omnium Pœnitentium: *in Festis SS. Joachim & Annæ: in Festo sancti Ludovici: ac in Festis Presbyterorum, Abbatum, Monachorum, & Justorum, ac sanctarum Mulierum:* in Missis pro quacumque necessitate; tempore Belli; pro Ecclesiâ; ad tollendum Schisma; contra Infideles; pro Fructibus terræ; pro Pace; pro vitanda Mortalitate; *pro iter Agentibus;* pro Infirmis, ad postulandam Gratiam benè moriendi; & similibus; initio Administrationis Baptismi, ad primam usque unctionem sanctam; & in Administratione Sacramenti Extremæ-Unctionis.

5. Cinericio: A Feria quarta Cinerum, ad Missam Sabbati ante Dominicam Passionis inclusivè; ac in Missa pro remissione peccatorum. Ubi tamen non habetur color cinericius, adhibebitur violaceus.

6. Nigro: *A Vesperis Sabbati ante Dominicam Passionis ad Vigiliam Paschæ post Horas; etiam in Missis votivis de Passione aut de Cruce,*

ſi quæ dicantur : item in recitatione ſeptem Pſalmorum Feriâ quartâ in capite Jejunii, ac in Benedictione & Impoſitione Cinerum eodem die : prætereà, in omnibus Officiis ac Miſſis Defunctorum.

Qui habent ornamenta flava (*jaunes*) iis utantur in Feſtis SS. Angelorum.

Qui verò fulva (*d'aurore*) ſeu coloris aurei, ea adhibeant his diebus ac Miſſis quæ in articulo de *Rubeo*, charactere italico deſignantur :

Qui autem cærulea (*bleus*), hæc in his Feſtis adhibeant quæ in articulo de *Violaceo*, ſimili notantur charactere :

Et qui fuſca (*bruns*) ſive qui nigra cum orifrygiis rubeis, hæc apponant in Officiis italico pariter charactere in articulo de *Nigro* ſignatis.

CAPUT X.

De Qualitate Ornamentorum.

AD Benedictiones Aquæ, Cinerum, Ramorum, & Cereorum, Celebrans ornatur ut notatur propriis locis.

2. Ad Miſſam, ſuper Amictum, Albam cum Cingulo, Manipulum & Stolam, Sacerdos habet Caſulam.

Epiſcopus verò ſuper Stolam, habet Tunicellam, Dalmaticam, & Caſulam.

3. Ornatus Diaconi eſt Amictus, Alba cum Cingulo, Manipulus : Stola tranſverſa ab humero ſiniſtro infra brachium dextrum, & Dalmatica.

4. Ornatus Subdiaconi eſt Amictus, Alba cum Cingulo, Manipulus, & Tunica.

5. In Miſſis de Feria, etiam Vigiliarum, quæ celebrantur poſt Sextam aut Nonam, loco Dalmaticæ & Tunicæ, Diaconus & Subdiaconus utuntur Planetis tranſverſis, aut caſulis plicatis ante pectus : prætereà Diaconus ſuper Stolam habet Orarium, quod genus eſt Stolæ latioris.

Subdiaconus deponit Planetam ante lectionem Epiſtolæ ; & eâ lectâ reſumit.

Diaconus verò antequàm dicat *Munda*, deponit Planetam, nec reſumit niſi factâ Communione.

Ubi non habentur Planetæ, ſupradictis diebus miniſtratur ſine Dalmatica & Tunica.

A regula quæ ſupra, excipiuntur Vigiliæ Annualium, Feria quarta Quatuor Temporum Adventûs, Feria quinta in Cœna Domini, ac Feria ſexta Paraſceves ; quibus diebus miniſtratur in Tunicis.

6. Feria quinta in Cœna Domini ad Miſſam, & ad Evangelium ante *Mandatum ;* ac Sabbato ſancto ad Præconium Paſchale : Diaconus induit Dalmaticam, Subdiaconus Tunicam.

Idem fit à Diacono Dominicâ Palmarum ad Evangelium Proceſſionis.

7. Acolyti miniſtrantes, ſunt in Amictu & Alba cum Cingulo : aut Saltem in Superpellitio.

8. Lectores, qui Prophetias ſeu alias Lectiones ante Epiſtolam legunt, ſervant habitum chori ordinarium, niſi aliter notetur in propriis locis.

Idem de eo vel iis, qui Graduale vel Tractum poſt Prophetias aut Lectiones cantant.

Tractus tamen *Sicut cervus* Sabbato ſancto ac Vigilia Pentecoſtes, in Cappis cantatur, à Choriſtis.

9. In præcipuis Eccleſiis, qui Chorum regunt, in Duplicibus & ſupra, Cappis induuntur.

CAPUT XI.

De Præparatione Altaris.

ALtare, in quo Miſſa celebranda eſt, opertum ſit tribus mappis, ab Epiſcopo vel alio habente poteſtatem benedictis.

Superiori, quantùm fieri poteſt, ita oblongâ, ut ferè ad terram uſque ab utraque parte æqualiter pendeat ; duabus aliis brevioribus, vel unâ duplicatâ.

2. A parte anteriori (quin & poſteriori, ubi ſcilicet Altare medium eſt Clerum inter & populum) ornatum ſit paramento coloris Officio convenientis.

3. Tapes (quo extra Miſſarum ſolemnia, ac tempus quo expoſitum eſt SS. Sacramentum, Altare debet ſemper eſſe ita opertum, ut totus ferè ſuperiorem mappam contegat) tunc temporis debet, vel amoveri, vel verſùs remotiorem Altaris partem ita plicari, ut tota ferè ſuperior mappa appareat.

4. Super Altare collocetur Crux, ſintque Candelabra hinc inde cum cereis, ita ut ad Miſſam ardeant ſuper majus Altare cerei, vel plures, vel pauciores, juxtà Solemnitatem Officii.

At in Miſſis privatis, duo quacumque die ſufficiunt.

5. Si expoſitum ſit SS. Sacramentum, ab Altari Crux amovebitur ; & ardebunt cerei, ſex aut quatuor, aut ſaltem duo.

6. Ad Crucis pedem, vel retro, apponitur Tabella, quæ Canon dicitur.

In cornu autem Epiſtolæ, Lectorile pro Miſſali ſupponendo, vel duo hinc inde minora pulvinaria coloris diei.

Prætereà, pro Miſſa majori, præparantur ſuper Altare, in cornu Epiſtolæ, codex Epiſtolarum ; in cornu Evangelii, codex Evangeliorum cum pulvinari : & (ubi pax per oſculum non datur) Inſtrumenta Pacis, à parte Epiſtolæ.

7. Credentia, in Solemnibus minoribus & ſuprà, ac quando exponitur SS. Sacramentum, pro Miſſa majori à parte Epiſtolæ præparetur ; quæ mappâ operiatur ; ſuper quam Calix parari debet cum purificatorio, patena, hoſtia, palla, velo, & burſa in qua ſit Corporale plicatum. Ibidem ponuntur Inſtrumenta pacis, mappa ad Communionem, & urceoli cum bacili & manutergio : ubi commodè fieri poteſt, decet urceolos eſſe in cupula, in bacili autem aquaria ſeu vas aliud aquæ ad lavandas manus Sacerdotis ad Pſalmum *Lavabo*.

Prætereà duo candelabra Ceroferariorum, initio Miſſæ.

PARS SECUNDA.

RITUS IN MISSA SIVE PRIVATA SIVE MAJORI SERVANDUS.

CAPUT I.

De Præparatione Sacerdotis celebraturi.

SAcerdos Missam celebraturus, prævià confessione sacramentali, si indigeat, & saltem Officio Nocturno (ac etiam, si sol ortus sit, Laudibus) absolutis, orationi aliquantulùm vacet, & preces inferiùs positas aut alias pro temporis opportunitate recitet.

Accedit ad Vestiarium, perquirit Missam in Missàli, & signaculo ordinat ea, quæ dicturus est.

Postea lavat manus, dicens: D*a*, *Domine*, ut infrà in Præparatione ad Missam. Tum ipse, vel alius, præparat Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intùs inauratam, & simul cum Patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus): super os ejus ponit Purificatorium mundum; & super illud Patenam cum Hostia integra quam leviter extergit à fragmentis, si opus sit; & eam tegit Pallâ lineâ, tum Velo serico coloris paramentorum, & super Velo ponit Bursam ejusdem coloris, quæ Corporale plicatum includat, quod ex lino tantùm esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, & ab Episcopo vel alio habente facultatem simul cum Palla benedictum.

Quibus ita dispositis, accedit ad Ornamenta (quæ non debent esse lacera nec scissa, sed integra & decenter munda, & ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente, benedicta,) ubi calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat; induit se, supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferiùs positas.

Ac primùm accipiens Amictum per extremitates & chordulas, osculatur illum in medio ubi est Crux, & ponit super caput: & mox supra collum declinat; ejus verò chordulas ducit sub brachiis, & circumducens per dorsum ante pectus reducit & ligat.

Tum Albâ induitur, & Cingulo se cingit. Minister elevat Albam suprà Cingulum circumcircà, ut rectè pendeat & tegat vestes, ita ut ad latitudinem digiti, vel circiter, suprà terram æqualiter fluat.

Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio, & brachio sinistro imponit. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, simili modo deosculatur, & imponit medium ejus collo; ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem à sinistro humero pendentem, ad dexteram; & partem à dextro humero pendentem, ad sinistram: sicque utramque Stolæ partem extremitatibus Cinguli hinc inde ipsi Cingulo conjungit.

Si Celebrans sit Episcopus, non ducit Stolam in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere; & antequàm accipiat Stolam, accipit Crucem pectoralem quam osculatur, & collo impositam sinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam (nisi in Missis Defunctorum) sed accipit ad Altare, cùm dicit *Indulgentiam:* illumque priùs osculatur.

Postremò Sacerdos accipit Casulam.

Si sit Episcopus, & solemniter celebret, accipit Tunicellam & Dalmaticam, ante Casulam.

CAPUT II.

De Ingressu Sacerdotis ad Altare.

SAcerdos omnibus paramentis indutus, habens caput coopertum Bireto, accipit manu sinistrâ Calicem ut suprà præparatum, quem portat elevatum ante pectus, Bursam manu dextrâ super Calicem tenens (si Calix positus sit super Altare, manus jungit), & factâ inclinatione Cruci, quæ in Sacristia adesse debet, accedit ad Altare, Ministro cum Missali & aliis ad celebrandum necessariis (nisi ante fuerint præparata) præcedente. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore, secretò dicens ad devotionem, Hymnum, *Veni, Creator*, & Ps. *Miserere meî.* Si contigerit eum transire ante Altare majus, ante illud inclinat: Si ante Altare ubi expositum sit, vel ministretur SS. Sacramentum, detecto capite, transiens genuflectit; si ante Altare ubi elevetur SS. Sacramentum, genibus flexis & detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quàm Sacerdos deposuerit Calicem super Corporale.

Cùm pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, Biretum Ministro porrigit, & Altari profundè inclinat: si autem in eo repositum sit sanctissimum Sacramentum genuflectens debitam facit reverentiam.

Tum ascendit ad medium Altaris, ubi ad cornu Evangelii ponit Calicem; extrahit Corporale de Bursa, quod extendit in medio Altaris, & super illud Calicem velo coopertum collocat; Bursam autem, ad cornu Evangelii.

Si est consecraturus plures Hostias, quas ob majorem numerum Patena capere non possit, locat eas super Corporale ante Calicem, aut in aliquo vase consecrato ponit eas ponè Calicem, & cooperculo operit.

Accedit ad cornu Epistolæ, Missale aperit ad paginam Introitûs Missæ: deinde rediens ad medium Altaris, factâ Cruci inclinatione, vertit se per dexteram, & descendit infrà infimum gradum.

IN

IN MISSA MAJORI, *Missali aperto super Altare, & aliis præparatis necessariis, ut suprà in Capite de Præparatione Altaris dictum est, Sacerdos procedit ad Altare cum Ministris : thure in Solemnibus & suprà, priùs in thuribulum immisso ac benedicto.*

Hoc verò ordine proceditur ad Altare.

Præcedunt duo Ceroferarii collaterales ; sequuntur Subdiaconus, Diaconus & Celebrans ; unus post alium.

In Solemnibus, Thuriferarius manu dextrâ thuribulum cum igne, sinistrâ, naviculam cum thure gestans, præcedit Ceroferarios ; sequitur Subdiaconus, tum Diaconus, ac demum Celebrans.

Cùm ante Altare pervenerint, Thuriferarius stat à parte Epistolæ, Ceroferarii deponunt candelabra super Credentia, vel super pavimento hinc inde, si Credentia non adsit.

Sacerdos & Ministri (ubi expositum est, aut repositum servatur SS. Sacramentum, genua flectunt &) profundè inclinant.

Celebrans medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à sinistris stantes, facit cum eis Confessionem ut infrà.

CAPUT III.

De principio Missæ, et Confessione facienda.

CUm primùm descenderit Sacerdos infra gradum infimum Altaris, convertit se ad Altare ; ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, extensis & junctis pariter digitis, & pollice dextro super sinistrum posito in modum crucis (quod semper servatur quando junguntur manus, præterquam post Consecrationem) ; factâ priùs Altari profundâ inclinatione, vel si in eo sit SS. Sacramentum, factâ genibus flexis inclinatione, & producens manu dextrâ à fronte ad pectus signum Crucis, dicit altâ voce : *In nomine Patris*, &c.

Postquam dixerit, *In nomine Patris*, non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiam SS. Sacramentum elevantem, sed prosequi usque ad finem : quod item observatur in Missa majori, etiam à Ministris.

Cùm seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus : in aliis benedictionibus cùm est ad Altare, & benedicit oblata vel aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur.

Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manûs dextræ, & omnibus illius digitis junctis & extensis, à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis format.

Si alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ad eum, cui benedicit ; ac benedicendo, totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis & extensis : quod in omni benedictione observatur.

Maximè curare debet Sacerdos ut ea quæ altâ seu clarâ voce dicenda sunt, neque nimis elatâ pronuntiet, ne perturbet alios qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant ; neque tam submissâ, ut à circumstantibus audiri non possit ; sed gravi, quæ & devotionem moveat, & audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant.

Quæ verò secretò seu submissâ voce dicenda sunt, ita pronuntiet, ut & se ipsum audiat, & à circumstantibus non audiatur. Omnia autem verba distinctè & appositè proferat ; non admodum festinanter, ut advertere possit quæ dicit ; nec nimis morosè, ne adstantes tædio afficiat.

Facto signo Crucis ut suprà ; Sacerdos iterum jungens manus ante pectus, dicit altâ voce Antiphonam : *Introibo ad Altare Dei :* Minister retrò post eum ad sinistram genuflexus prosequitur eâdem voce : *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

Deinde Sacerdos incipit & prosequitur altâ voce & alternatim cum Ministro, vel Ministris, Psalmum *Judica me Deus*, si dicendus sit. Cùm dicit *Gloria Patri*, &c. caput inclinat.

Repetitâ Antiphonâ, *Introibo*, (vel, si non dicatur Psalmus, Antiphonâ semel dictâ) dextrâ producens signum Crucis à fronte ad pectus, dicit : *Adjutorium nostrum.*

Deinde junctis manibus, & profundè inclinatus dicit altâ voce : *Confiteor Deo :* ut in Ordine Missæ. Cùm dicit *meâ culpâ :* ter pectus dextrâ manu percutit, sinistrâ infra pectus posita : nec erigit se, nisi cùm à Ministro vel Ministris incipitur *Confiteor.*

Factâ à circumstantibus Confessione, Sacerdos dicit altâ voce *Misereatur vestrî*, &c. Deinde signans se signo Crucis, dicit : *Indulgentiam*, &c. (si sit Episcopus, accipit Manipulum, osculando illum in medio.)

Inclinatus, junctis manibus prosequitur, *Deus, tu conversus*, & quæ sequuntur in Ordine Missæ, altâ voce usque ad Orationem *Aufer à nobis*, exclusivè : & cùm antè eam dicit, *Oremus*, extendit & jungit manus.

IN MISSA MAJORI, *mediocri voce pronuntiat Celebrans quæcumque altâ voce in Missâ privatâ dici debent, iis exceptis quæ ab ipso cantantur.*

Celebrans, facto signo Crucis cum Ministris, facit Confessionem ut suprà : ad hæc autem verba, vobis fratres, *&* vos fratres, *aliquantulùm se convertit, primò ad Diaconum, deinde ad Subdiaconum.*

Diaconus & Subdiaconus, Sacerdote se signante ad hæc verba, In nomine Patris, *&c.* Adjutorium, *&c. vel inclinante ad* Gloria Patri ; *ipsi pariter se signant, vel inclinant.*

Stant dum Sacerdos facit Confessionem, & ad hæc verba, Misereatur tuî ; *inclinati aliquantulùm se convertunt ad Sacerdotem.*

Profunde inclinati faciunt Confessionem, nec erigunt se, nisi post Misereatur. *Ad hæc verba,* tibi Pater, *&* te Pater, *aliquantulùm se convertunt ad Sacerdotem : & dicentes* meâ culpâ, *ter pectus percutiunt.*

Ad Indulgentiam, *stantes, se signant ; & cùm Sacerdos dicit* Deus, tu conversus, *inclinant se mediocriter cum ipso ; & ad* Oremus, *non disjungunt manus.*

Deinde ascendit Celebrans ad medium Altaris, & dicit Oramus te, Domine, *&c. more solito.*

CAPUT IV.

De Introitu, Kyrie, eleison, *et* Gloria in excelsis.

Dicto secretò *Aufer à nobis*, Sacerdos junctis manibus ascendit ad medium Altaris, & ibi inclinatus, manibusque item junctis super eo positis, (ita ut digiti parvi duntaxat medium anterioris partis mensæ Altaris tangant, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito : quod semper observatur cùm manus junctæ super Altare ponuntur;) secretò dicit, *Oramus te, Domine*, &c. cùm dicit, *quorum Reliquiæ hìc sunt*, osculatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis : (quod semper servatur quando osculatur Altare; sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur.)

In omni deosculatione, sive Altaris, sive libri, sive alterius rei, Sacerdos non producit signum Crucis, pollice vel manu, super id quod osculari debet.

Postquam osculatus est Altare, accedit ad cornu Epistolæ : ubi stans versùs Altare, & producens à fronte ad pectus signum Crucis, incipit altâ voce Introitum, & prosequitur junctis manibus. Cùm dicit, *Gloria Patri*, caput inclinat versùs Crucem.

Cùm repetit Introitum non signat se : quo repetito, accedit ad medium Altaris, ubi versùs illud dicit eodem vocis tono *Kyrie, eleison*, alternatim cum Ministro.

Dicto ultimo, *Kyrie*, Sacerdos manus extendens, elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur) dicit altâ voce, si dicendum sit, *Gloria in excelsis;* cùm dicit, *Deo*, jungens manus, caput Cruci inclinat : quo erecto, junctis manibus prosequitur altâ voce usque ad finem. Cùm dicit, *Adoramus te : Gratias agimus tibi :* &, *Jesu Christe : Suscipe deprecationem nostram :* & iterùm, *Jesu Christe :* caput inclinat. Cùm dicit, *Cum sancto Spiritu*, &c. seipsum à fronte ad pectus signat.

IN MISSA MAJORI, *in Solemnibus minoribus & suprà, ascendit Celebrans cum Diacono ad medium Altaris; ubi dicto* Oramus te, Domine, &c. *osculatus Altare, ponit thus in thuribulo, ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum.*

Diaconus parùm inclinatus versùs Celebrantem, dicit mediocri voce : Benedic, Pater reverende *& osculatur cochlear vacuum, ac manum Celebrantis ante & post porrectionem cochlearis. Celebrans ter ponit thus in thuribulo : & depositò cochleari, producens manu dextrâ signum Crucis super thuribulum, thus benedicit, dicens :* Ab illo benedicaris in cujus honore cremaberis : Amen. *Posteà Diaconus dimissâ naviculâ, accipit thuribulum, & postquam osculatus fuerit catenularum summitatem & manum dextram Celebrantis, ipsi dat thuribulum.*

Cùm Missa celebratur ad Altare ubi asservatur SS. Eucharistia, eam Celebrans in infimo gradu genuflexus triplici ductu incensat. Ubi verò SS. Eucharistia non asservatur, Crux à Celebrante stante ter incensatur, & ante ac post incensationem profundâ inclinatione salutatur. Hoc autem ritu post incensatam SS. Eucharistiam aut Crucem, Celebrans incensat Altare. Ter incensat versùs candelabra à medio Altaris ad cornu Epistolæ; ubi demissâ manu thurificat Altaris latus ab infima parte ad superiorem, bis ducto thuribulo : & regrediens versùs medium Altaris, elevans manum incensat ejus superficiem, ter ducens thuribulum usque ad medium : ubi factâ Cruci inclinatione, ter incensat versùs candelabra usque ad cornu Evangelii; ubi demissâ pariter manu thurificat Altaris latus ab infima parte ad superiorem, bis ducto thuribulo : & regrediens versùs medium Altaris, incensat ejus superficiem usque ad medium : deinde manu aliquantùm demissâ thurificat anteriorem ejus partem, seu frontem, ter ducens thuribulum à cornu Evangelii usque ad medium Altaris : & factâ Cruci inclinatione, thurificat reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ; ibi Celebrans reddit thuribulum Diacono, qui manum Celebrantis & catenulas thuribuli osculatur : tum Diaconus, ad cornu Evangelii stans in plano, ter incensat Celebrantem; & solus Celebrans incensatur.

Si verò in Altari fuerint Reliquiæ Sanctorum, incensatâ Cruce, & factâ ei reverentiâ, antequam discedat à medio Altaris, primùm incensat eas quæ à dextris sunt, id est, à parte Evangelii propè Crucem, bis ducens thuribulum, & iterum factâ Cruci reverentiâ, similiter incensat bis alias quæ sunt à sinistris, hoc est, à parte Epistolæ : deindè prosequitur incensationem Altaris, ut suprà, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ, seu etiam plura, vel pauciora Candelabra.

Diaconus & Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti dum incensat, Casulæ partem quæ est circa humeros & brachia aliquantulùm elevantes manu; & cùm transeunt ante medium Altaris, semper profundè inclinant.

Deinde Celebrans, Diacono à aextris ejus, Subdiacono à dextris Diaconi in modum hemicycli stantibus in cornu Epistolæ, legit Introitum, & alternatim cum Ministris dicit, Kyrie, eleison.

Intonat Gloria in excelsis Deo, *in medio Altaris, & interim Diaconus & Subdiaconus, unus post alium, stant à tergo Celebrantis : posteà ascendunt ad Altare, & hinc inde Diaconus à dextris, Subdiaconus à sinistris, cum Celebrante Hymnum mediocri voce prosequuntur usque ad finem. Quod etiam servatur cùm Sacerdos recitat Symbolum,* Credo in unum Deum.

CAPUT V.

De Collecta, ac de Prophetiis.

Dicto *Gloria in excelsis;* vel, si non dicatur, dicto *Kyrie, eleison;* Sacerdos osculatur Altare in medio, manibus super eo positis : tum illis ante pectus junctis, & oculis demissis ad terram, vertit se per dextram ad populum; (si Altare medium sit inter Sacerdotem & populum, non vertit se) & extendens ac jungens manus ante pectus, dicit altâ voce, *Dominus vobiscum :* (si sit Episcopus; dicit hoc loco, *Pax vobis*, in Mis-

ſis in quibus dicitur *Gloria in excelſis :* in iis autem in quibus non dicitur, etiam Epiſcopus dicit, *Dominus vobiſcum*) Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Junctis manibus revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens, ac deinde jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit altâ voce, *Oremus :* tum interpoſitâ morulâ, extendit manus ante pectus (ita ut palma unius manus reſpiciat alteram, & digitis ſimul junctis, quorum ſummitas humerorum altitudinem diſtantiamque non excedat : quod in omni extenſione manuum ſervatur.)

Extenſis manibus dicit Collectam : cùm dicit, *Per Dominum*, &c. convertit ſe ad Crucem, & cùm dicit, *in unitate*, jungit manus. Si plures ſint Collectæ, idem ſervatur ritus.

Quoties profert nomen *Jeſu*, caput versùs Crucem inclinat : cum verò illud ptofert in lectione Evangelii, ad librum, non ad Crucem inclinat.

Cum pronuntiatur nomen beatæ Mariæ, vel Sanctorum de quibus dicitur Miſſa, vel fit commemoratio, caput inclinat versùs librum.

In Quatuor Temporibus, vel aliàs quando dicuntur plures Collectæ cum Prophetiis, dicto *Kyrie*, Sacerdos ſtans ad cornu Epiſtolæ, dicit altâ voce, *Oremus ; Flectamus genua*, & genuflectit : & poſt moram, ſurgens dicit altâ voce : *Levate*, deinde Collectam.

Dum legit Prophetias, tenet manus ſuper Altare, vel ſuper oram libri, ut mox dicetur de Epiſtola.

IN MISSA MAJORI, *cùm cantantur* Dominus vobiſcum, *& Collectæ ; Diaconus & Subdiaconus ſtant retrò poſt Celebrantem.*

Flectamus genua *cantatur à Diacono, & omnes genuflectunt excepto Celebrante : facto autem ſilentio per aliquam morulam, idem cantat* Levate ; *& ſurgunt omnes.*

Quando leguntur Prophetiæ : ſingulæ à ſingulis Lectoribus, in habitu chori ordinario, cantantur ad Aquilam Chori.

CAPUT VI.

De Epistola, Graduali, et aliis usque ad Offertorium.

FInitis Collectis, Sacerdos legit Epiſtolam altâ voce, poſitis ſuper oram libri, vel ſuper Altare, manibus ; quâ finitâ Miniſter reſpondet, *Deo gratias*, quod etiam reſpondetur in fine lectionum niſi aliter notetur. Proſequitur altâ voce Graduale, Tractum vel *Alleluia*, ac Sequentiam ſi dicenda ſint.

Quibus dictis, Miniſter portat Miſſale ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii ; & dum tranſit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat : Miſſale autem ſic locat, ut infima libri ora medium Altaris reſpiciat.

Interim Sacerdos vadit ad medium Altaris, & junctis manibus, elevatis oculis & ſtatim demiſſis, tum profundè inclinatus dicit ſecretò ; *Munda cor meum*, &c. *Dominus ſit in corde meo*, &c. ut in Ordinario.

Deinde vadit ad cornu Evangelii, ubi junctis manibus dicit altâ voce, *Dominus vobiſcum ;* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* Tum pollice dextræ manus ſigno Crucis ſignat initium textûs Evangelii quod eſt lecturus, poſteà ſeipſum in fronte, ore & pectore, dicens altâ voce : *Sequentia*, vel *Initium ſancti Evangelii*, &c. ℟. *Gloria tibi, Domine.*

Junctis manibus legit altâ voce Evangelium ; quo finito, Miniſter reſpondet : *Laus tibi, Chriſte :* & Sacerdos oſculatur textum Evangelii, dicens ſecretò, *Per Evangelica dicta deleantur noſtra delicta.*

Dicto Evangelio, Sacerdos in medio Altaris versùs Crucem, elevans & extendens manus, dicit altâ voce *Credo*, ſi dicendum ſit.

Cùm dicit, *in unum Deum*, jungit manus, & caput inclinat ; quo erecto junctis manibus proſequitur altâ voce uſque ad finem.

Cùm dicit *Jeſum Chriſtum*, caput inclinat.

Cùm dicit, *Et incarnatus eſt*, uſque ad *homo factus eſt*, incluſivè, genuflectit.

Cùm dicit, *ſimul adoratur*, caput inclinat.

Cùm dicit, *& vitam venturi ſeculi*, *Amen :* ſignat ſe à fronte ad pectus.

IN MISSA MAJORI, *Subdiaconus, cantato* Suſcipe deprecationem noſtram ; *vel* (*ſi* Gloria in excelſis *non dicatur*) *inchoato* Kyrie ; *accipit librum Epiſtolarum, defert illum clauſum contra pectus, & factâ Altari inclinatione, vel ſi ibi aſſervetur SS. Sacramentum, genuflexione, vadit ad locum conſuetum.*

Cùm autem, Amen, *ad ultimam Collectam dictum eſt, Subdiaconus, versâ facie ad Altare, manibus ſuper infimam libri oram poſitis, diſtinctâ voce cantat Epiſtolam, ſedentibus omnibus.*

Si nullus ſit Subdiaconus, Epiſtola cantatur à lectore Albâ induto ſine manipulo, vel ſaltem ſuperpellicio. Interim Celebrans legit Epiſtolam & quæ ſequuntur uſque ad Munda cor meum *excluſivè, ut in Miſſa privata, Diacono à dextris ſtante & reſpondente in fine Epiſtolæ,* Deo gratias.

Lectâ Epiſtolâ Subdiaconus redit ad Altare. Cùm pervenerit ad infimum Altaris gradum, genuflectit, deindè factâ inclinatione Celebranti ; aſcendit, & librum ad cornu Epiſtolæ reponit. At in Solemnibus minoribus & ſuprà, poſt factam Altari inclinationem, vadit ad Celebrantem, & genuflexus ante illum, manum, quam Celebrans (coopertus ſi ſedeat) ſuper ſummitatem libri ponit, oſculatur ; & ab eo ſigno Crucis benedicitur.

Tum Subdiaconus, depoſito Epiſtolarum libro ſuper Altare ad cornu Epiſtolæ, librum Miſſalem transfert ad cornu Evangelii, ſi nondum fuerit à Diacono tranſlatus : & Celebrans dicto in medio Altaris ; Munda cor meum, *&c. legit ut in Miſſa privata Evangelium, (quod non oſculatur in fine,) ipſi miniſtrante Subdiacono, & Diacono ponè Celebrantem ſtante.*

Dicto Evangelio, Celebrans redit ad medium Altaris, & Diaconus atque Subdiaconus ſtant ponè ipſum.

Prope finem Gradualis : vel, cùm cantatur Proſa, prope finem Alleluia *: Diaconus, codice Evangelii in medio Altaris collocato (Celebrante interim ſedente, vel ſi ſit ad Altare paululùm à medio*

versùs cornu Evangelii ſecedente,) *genuflexus in ora ſupremi gradûs, dicit ſecretò* Munda cor meum: *tum, accepto libro, accedit ad Celebrantem, & genuflexus petit ab eo benedictionem dicendo mediocri voce*, Jube, &c. *Celebrans ſtans versùs eum dicit*, Dominus ſit, &c. *& manum ſuper librum poſitam exteriùs porrigit Diacono ut eam oſculetur : continuò Thuriferarius, pariter genuflexus à dextris Diaconi, thus in navicula aperta benedicendum præſentat Celebranti, dicens mediocri voce :* Benedic, Pater : *Celebrans illud benedicit, dicens :* Ab illo benedicaris, &c.

[*Si D. Epiſcopus, celebret, Diaconus, poſito libro ſuper Altari, antequam dicat* Munda, *vadit ad D. Epiſcopum viâ breviori, & coram eo genuflexus*, (*Thuriferario cum thuribulo pariter à dextris Diaconi genuflexo*,) *miniſtrat ei cochlear cum thure de navicula, dicens*, Benedic, Pater reverende : *tum D. Epiſcopus ter mittit thus in thuribulum, & repoſito cochleari in navicula, faciens ſignum Crucis ſuper thuribulum, dicit*, Ab illo benedicaris, &c. *Diaconus autem longiori viâ regreditur ante Altare, ubi dicto* Munda, *rurſus vadit ad D. Epiſcopum petiturus benedictionem ad Evangelium, & regreditur ad planum ante medium Altaris.*]

Quo facto, proceditur ad Evangelium hoc ordine.

Præcedit Thuriferarius : ſequuntur duo Ceroferarii : poſt quos, præcedente in Duplicibus & ſuprà Crucigero, graditur Subdiaconus tenens ambabus manibus ante pectus pulvinar coloris diei : poſtremò Diaconus codicem Evangelii geſtans in manibus, tranſverſim elevatum, dorſo libri deorſùm verſo.

Hi omnes præter Crucigerum & Acolythos factâ Altari, genuflexione, tum Celebranti ſi extra Altare ſit, inclinatione, progrediuntur per dextram Chori partem, ita tamen ut qui bini procedunt, Ceroferarii ſcilicet per utramque partem progrediantur.

Diaconus cantat Evangelium, facie ad Septentrionem ſeu lævam Eccleſiæ partem conversâ, in loco ad id aſſignato pro more Eccleſiarum.

Dum Diaconus dicit Initium *vel* Sequentia, *&c. Thuriferarius ponit thus in thuribulo, & Choro cantante* Gloria tibi, Domine, *Diaconus trino ductu incenſat librum.*

Omnes converſi ad Diaconum, ſtantes Evangelium audiunt : Celebrans autem, ſtat in cornu Epiſtolæ, facie ad Diaconum versâ.

Diaconus lecto Evangelio, redit ad Altare, Subdiacono præcedente & codicem Evangelii clauſum ſuper pulvinar ante pectus deferente.

Ubi pervenerunt omnes ad Altare, Diaconus ei inclinat vel genuflectit, Ceroferarii deponunt candelabra, Acolytus deponit Crucem ad cornu Epiſtolæ, Subdiaconus porrigit Celebranti codicem apertum, & indicat ei textum Evangelii, dicens mediocri voce : Hæc ſunt verba ſancta; *Celebrans oſculatur Evangelium, dicens :* Credo & Confiteor : *& in Solemnibus minoribus ac ſupra, ter incenſatur à Diacono ut initio Miſſæ : interim Subdiaconus librum refert ad cornu Evangelii cum debitis inclinationibus.*

Cantato Evangelio, ſtatim habetur Concio, ſi habenda ſit.

Poſt Concionem, vel ſi non habeatur, ſtatim poſt Evangelium, Sacerdos incipit Credo, *ſi dicendum eſt.*

Cùm cantatur Et incarnatus eſt, *&c. Celebrans, ſi ſedeat, depoſito bireto, inclinat cum Miniſtris ; ſi non ſedeat, cum Miniſtris genua flectit in infimo Altaris gradu. In tribus verò Miſſis Nativitatis Domini, & in Feſto Annuntiationis, genua flectit prope ſedem, cum Miniſtris.*

Ad hæc verba ſimul adoratur (*depoſito bireto*) *caput inclinat cum Miniſtris.*

In Solemnibus minoribus & ſupra, Diaconus immediatè poſt hæc verba, Et homo factus eſt, *acceptâ Burſâ de Credentiâ, eam paulò elevatam ambabus manibus defert ad Altare viâ longiori ; inclinat Celebranti, & cum ad Altare infra infimum gradum pervenerit, profundiùs Altari inclinat vel genuflectit, tum aſcendit, extrahit Corporale, illud in medio Altaris expandit, Burſam ad cornu Evangelii deponit, & viâ breviori revertitur ad locum ſuum.*

In Solemnibus majoribus & Annualibus, cantato Et homo factus eſt, *Subdiaconus, Thuriferario præcedente defert codicem Evangelii clauſum ad oſculum Choriſtis & aliis de Choro, primum à parte dextrâ, tam in ſuperioribus quàm inferioribus ſtallis ; tum à parte ſiniſtra, ſimiliter ; nulli inclinans antè, ſed ſolum poſt ; cuilibet dicit mediocri voce ;* Hæc ſunt verba ſancta : *& ei quiſque reſpondet :* Credo & Confiteor ; *interim Thuriferarius Subdiaconum ubique præcedens, Choriſtas & Chorum incenſat.*

CAPUT VII.

De Offertorio, et aliis usque ad Canonem exclusive.

Dicto Symbolo, vel, ſi non dicatur, poſt Evangelium Sacerdos oſculatur Altare in medio, & junctis manibus, vertit ſe per dextram ad populum ; & extendens ac jungens manus, dicit altâ voce, *Dominus vobiſcum :* & per eamdem viam convertit ſe ad medium Altaris, ubi extendens ac jungens manus caputque inclinans, dicit altâ voce, *Oremus :* tum junctis manibus, paulò poſt dicit altâ voce Offertorium.

Dicto Offertorio, diſcooperit Calicem, eumque ad cornu Epiſtolæ ſiſtit, & manu dextrâ amovet pallam : accipit Patenam cum Hoſtia, & ambabus manibus elevatam tenens, oculis ſursùm elevatis, & ſtatim demiſſis, dicit ſecretò, *Suſcipe ſancte Pater*, &c.

Si in vaſe fuerint Hoſtiæ conſecrandæ, antequam Patenam accipiat, vas dextrâ diſcooperit.

Dicto *Suſcipe*, Patenam utrâque manu tenens, cum ea facit ſignum Crucis ſuper Corporale, & ponit Hoſtiam in medio anterioris partis Corporalis, & Patenam ad manum dextram, aliquantùm ſub Corporali.

Deinde in cornu Epiſtolæ accipit Calicem, Purificatorio extergit, & ſiniſtrâ tenens illius nodum ac Purificatorium, accipit urceolum vini de manu Miniſtri, & infundit vinum in Calicem : eodem

modo tenens Calicem, facit ſignum Crucis ſuper aquam, dicens ſecretò, *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ*, &c. & infundens parùm aquæ in Calicem, proſequitur, *Da nobis, per hujus aquæ & vini myſterium*, &c.

Tum poſito Calice extra Corporale, Patenam Purificatorio operit.

Stans in medio Altaris accipit manu dextrâ Calicem, & ambabus manibus elevatum tenens, videlicet ſiniſtrâ pedem, dextrâ nodum infrà cuppam; dicit ſecretò, *Offerimus tibi, Domine*, &c. quo dicto, facit ſignum Crucis cum Calice ſuper Corporale, & in medio ponè Hoſtiam collocat & pallâ cooperit.

Junctis manibus ſuper Altare poſitis, aliquantulùm inclinatus dicit ſecretò: *In ſpiritu humilitatis*, &c. Poſtea erectus, elevans oculos, manuſque expandens & ſtatim jungens (quod ſemper facit quando aliquid eſt benedicturus) dicit ſecretò, *Veni ſanctificator*, &c. cùm dicit *& benedic*, ſignat manu dextrâ unico ſigno ſimul ſuper Hoſtiam & Calicem, ſiniſtrâ poſitâ ſuper Altare extra Corporale.

Junctis manibus accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi Miniſtro aquam fundente lavat manus dicens ſecretò *Lavabo*, &c. & linteo eas tergit.

Poſtea manibus junctis revertitur ad medium Altaris, ubi oculos elevans & ſtatim demittens, manibus junctis ſuper Altare, aliquantulùm inclinatus dicit ſecretò *Suſcipe, ſancta Trinitas*, &c. quo dicto, manibus hinc inde extenſis, & ſuper Altare poſitis, oſculatur illud in medio.

Tum junctis manibus, per dextram vertit ſe ad populum, & extendens ac jungens manus dicit voce paululùm elatâ, *Orate fratres*, &c. & perficit circulum.

Ubi reſponſum eſt *Suſcipiat*, &c. Sacerdos dicit ſecretò *Amen:* & manibus extenſis dicit ſecretò ſine *Oremus*, Secretam. Cùm dicit *in unitate* jungit manus.

In concluſione ultimæ Secretæ ad illa verba, *Per omnia ſecula ſeculorum*, depoſitis ſuper Altare manibus hinc inde extenſis, altâ voce dicit Præfationem incipiendo ad hæc eadem verba, *Per omnia*, &c. uſque ad Canonem.

Cùm dicit *Surſum corda*, extendit & elevat manus: cùm dicit *Gratias agamus*, jungit manus; cùm dicit *Domino Deo noſtro*, oculos elevat, & ſtatim caput inclinat. Poſtquam reſponſum fuit, *Dignum & juſtum eſt*, elevatis & extenſis manibus proſequitur Præfationem.

Cùm dicit *Sanctus*, jungit manus & inclinatur paululùm; Miniſtro interim campanulam pulſante: cùm dicit *Benedictus qui venit in nomine Domini*, &c. erigit ſe, & ſignat ſe ſigno Crucis.

IN MISSA MAJORI, *dicto* Oremus, *& dum Celebrans legit privatim Offertorium, Diaconus & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epiſtolæ, Diaconus amovet Calicem ſi eſt in Altari; vel, ſi eſt in Credentia, accipit eum de manibus Subdiaconi, qui illum velo coopertum, manu ſiniſtrâ tenens, & alteram manum ſuperponens velo, ne quid decidat, de Credentia defert viâ breviori.*

Caveat imprimis Sacerdos, ne quocumque prætextu oblationem anticipet, antequam Chorus cantet Offertorium: neve offerat panem & vinum ante ſuſceptas Cleri vel populi oblationes, quando ſuſcipiendæ erunt.

Cùm igitur fit oblatio Cleri aut populi, Celebrans, dum cantatur Offertorium à Choro, factâ priùs Altari inclinatione, deſcendit cum Diacono, Subdiacono & aliis miniſtris quibus opus eſt; & ſtans in medio infimi gradûs Altaris, aut ad cancellos ſi adſint, medius inter Diaconum & Subdiaconum, ſuſcipit Oblationes, & Patenam accedentibus porrigit ad oſculum; Sacerdotibus quidem, Diaconis & Subdiaconis, à parte concava; cæteris à convexa. Qui accedunt, inclinant ſe ante & poſt oſculum. Si Celebrans ſit Epiſcopus, ſedet, & qui accedunt, factâ ante & poſt inclinatione, annulum pontificalem flexis genibus oſculantur.

Cùm offertur panis benedicendus, Celebrans eum benedicit ut habetur in Ordinario Miſſæ, & accepto aſpergillo à Diacono, ter panem aſpergit aquâ benedictâ.

Poſt ſuſceptas oblationes, Celebrans redit cum Miniſtris ad Altare. Diaconus, qui Calicem detexit, dat Celebranti Patenam cum Hoſtia, priùs oſculando Patenam & manum Celebrantis: Subdiaconus extergit Calicem Purificatorio: Diaconus, accepto urceolo vini de manu Subdiaconi, infundit vinum in Calicem; Subdiaconus interim urceolum aquæ exhibet Celebranti, dicens mediocri voce: Benedic, Pater reverende; *& infundit parùm aquæ: Celebrans verò, facto ſuper Calicem, dum aqua infunditur, ſigno Crucis, dicit Orationem:* Deus, qui humanæ, &c. *Diaconus, oſculando pedem Calicis, & Celebrantis manum, porrigit Celebranti Calicem, ejuſque pedem dextrâ manu ſuſtentans, cum eo dicit* Offerimus tibi, Domine, &c. *quem poſtea ſuper Altare poſitum Diaconus Pallâ cooperit.*

Dicto Veni ſanctificator, *Celebrans, poſito thure in thuribulo & benedicto; incenſat oblata ut mox dicetur, deindè genuflexus in ora infimi gradûs Altaris, (ubi ſcilicet ſacra aſſervatur Euchariſtia,) medius inter Diaconum & Subdiaconum pariter genuflexos ter incenſat versùs medium Altaris: poſtea ipſe ſtans inter medium Altaris & cornu Epiſtolæ, incenſatur à Diacono.*

At in Solemnibus minoribus, & ſuprà, Celebrans ponit thus in thuribulo; miniſtrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum. Diaconus parùm inclinatus versùs Celebrantem, dicit mediocri voce, Benedic, Pater reverende: *& oſculatur cochlear ac manum Celebrantis ante & poſt. Celebrans ter ponit thus in thuribulo: & depoſito cochleari, producens manu dextrâ ſignum Crucis ſuper thuribulum, incenſum benedicit; dicens ſecretò* Per interceſſionem ſancti Archangeli, &c. *Poſtea Diaconus, demiſsâ naviculâ, accipit thuribulum, & poſtquàm oſculatus fuerit catenularum ſummitatem, & manum dextram Celebrantis, ipſi dat thuribulum. Celebrans, nullam tunc faciens Cruci inclinationem incenſat oblata, ter ducens thuribulum ſuper Calicem & Hoſtiam ſimul in modum Crucis; & ter circum Calicem & Hoſtiam, ſcilicet bis à dextra ad ſiniſtram, (ducens priùs thuribulum versùs Crucem Altaris) & ſemel à ſiniſtra ad dextram; Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextrâ; Cele-*

brans autem dicit interim ſecretò, Incenſum iſtud, *&c. Tum Celebrans SS. Euchariſtiam aut Crucem ter incenſat & Altare, ut dictum eſt ſuprà initio Miſſæ*, (*aſſiſtentibus Diacono & Subdiacono*) *interim dicens ſecretò :* Dirigatur, Domine, oratio mea, *&c. & cùm incenſatur Crux, Diaconus, ſi opus ſit, amovet Calicem, quem incenſatâ Cruce reponit. Cùm reddit thuribulum Diacono, dicit ſecretò*, Accendat in nobis, *&c. & incenſatur Celebrans à Diacono genuflexo triplici ductu, Subdiacono interim à ſiniſtris Celebrantis versùs Diaconum ſtante.*

Celebrans, (*dicto* Veni ſanctificator, *& factâ incenſatione ſi fieri debeat,*) *lavat manus in cornu Epiſtolæ, dicens*, Lavabo, *&c. Subdiacono dextrâ aquam fundente, & bacile ſiniſtrâ ſuſtinente, cum manutergio ſuper brachium ſiniſtrum.*

Dicto Orate, fratres, *&c. circumſtantes cum Miniſtris dicunt* Suſcipiat, *&c. Interim Diaconus Secretam indicat Celebranti ; & ſimiliter in fine, ipſi Præfationem indicat.*

In Solemnibus minoribus & infrà, poſtquam cantatum fuerit à Choro Dignum & juſtum eſt, *Turiferarius, incenſat Choriſtas, & Clerum, ab utraque Chori parte. At in Solemnibus majoribus & in Annualibus, ubi codex Evangeliorum ad oſculum delatus eſt, Chorus non incenſatur ad Præfationem.*

Cùm dicitur Præfatio, Diaconus in medio gradu, Subdiaconus in plano, ſtant retrò poſt Celebrantem : & paulò antequam dicatur Sanctus, *accedunt ad Altare, ubi hinc inde cum Celebrante dicunt* Sanctus, *&c. uſque ad Canonem ; & ſignant ſe cum dicunt* Benedictus.

Deinde Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ipſi aſſiſtens dum dicit Canonem : Subdiaconus verò tranſit ad dextram Celebrantis ubi Patenam accipit de Altari, deinde deſcendit infrà infimum gradum retrò poſt Celebrantem.

Subdiaconus autem Patenam dat Acolyto qui, Cappâ indutus ſuper Albam, expectat ante medium Altaris prope infimum gradum, tenens diſcum cum velo plicato & tenſo, parato ad recipiendam Patenam, quam Subdiaconus à parte convexa offert Acolyto ut oſculetur ; mox Subdiaconus Patenam in partis concavæ ora oſculatus, reponit in medio veli, parte concavâ ad pectus Acolyti versâ.

Tum Acolytus extrà planum Sanctuarii deſcendens uno gradu, ibi in medio ſtans manet uſque dum, in Oratione Dominica, in ſignum inſtantis Communionis, populo oſtendatur : ad elevationem tamen genua flectit.

CAPUT VIII.

De Canone Missæ, usque ad consecrationem.

SAcerdos, dicto *Sanctus*, extendit & aliquantùm elevat manus, oculiſque ad cœlum elevatis & ſine mora demiſſis, ac manibus junctis & ſuper Altare poſitis, profundè inclinatus incipit Canonem, dicens ſecretò : *Te igitur*, &c. ut in ordine Miſſæ.

Oſculatur Altare in medio priuſquàm dicat, *Uti accepta habeas ;* deinde erigit ſe, & jungit manus. Cum dicit, *Hæc* ✠ *dona, hæc* ✠ *munera, hæc ſancta* ✠ *ſacrificia*, dextrâ manu ſignat ter ſuper Hoſtiam & Calicem ſimul.

Extenſis manibus proſequitur ſecretò, *In primis quæ tibi offerimus*, &c.

Ubi dicit, *famulo tuo Papa noſtro N.* exprimit nomen Papæ : Sede autem vacante, verba prædicta omittuntur.

Ubi dicit, *Antiſtite noſtro N.* exprimit nomen D. Epiſcopi : Sede autem vacante, hæc verba omittuntur.

[D. Epiſcopus dicit, *Et me indigno ſervo tuo, quem gregi tuo præeſſe voluiſti.*]

Ubi dicit, *& Rege Noſtro N.* exprimit nomen Regis.

Cùm dicit *Memento*, elevans & jungens manus, capite parùm demiſſo, aliquantulùm Deo commendat vivos pro quibus orare intendit.

Commemoratione vivorum factâ, extenſis manibus proſequitur, *& omnium circumſtantium*, &c.

Similiter proſequitur *Communicantes*, & cùm dicit *Jeſu Chriſti*, caput inclinat : cùm in Canone nominat Sanctum die ejus feſto, etiam ſi de eo fiat tantùm memoria, caput inclinat : in concluſione quando dicit *Per eumdem*, jungit manus.

Cùm dicit *Hanc igitur oblationem*, expandit manus ſimul ſuper Hoſtiam & Calicem, uſque ad hæc verba *per Chriſtum*, tunc enim jungit manus, & ſic proſequitur *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæſumus.* Cùm dicit *bene-*✠*dictam, adſcri-*✠*ptam, ra-*✠*tam*, ſignat ter ſuper Hoſtiam & Calicem ſimul.

Cùm dicit *ut nobis Corpus*, ſeparatim ſignat ſemel ſuper Hoſtiam tantùm ; & cùm dicit *& Sanguis*, ſemel ſuper Calicem : deinde elevans & jungens manus, proſequitur *fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & inclinans caput, extergit pollices & indices ſuper Corporale & dicit *Qui pridie quàm pateretur*, & accipiens Hoſtiam pollice & indice utriuſque manûs, dicit *accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas ;* elevanſque ad cœlum oculos, & ſtatim demittens dicit *& elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem*, caputque inclinans dicit, *tibi gratias agens ;* & tenens Hoſtiam inter pollicem & indicem ſiniſtræ manûs, dextrâ facit ſignum Crucis ſuper eam dicens, *benedixit*, &c.

Cubitis ſuper Altare poſitis, capite demiſſo, attentè, diſtinctè, reverenter, & ſecretò, profert verba conſecrationis ſuper Hoſtiam (quam indicibus & pollicibus tenet, reliquis digitis junctis & extenſis,) & ſimul ſuper omnes, ſi plures ſint conſecrandæ, dicendo, *Hoc eſt enim Corpus meum*, quibus prolatis, genuflexus Hoſtiam adorat.

Tum ſe erigens, elevat in altum Hoſtiam, & intentis in eam oculis (quod & in elevatione Calicis facit) populo reverenter oſtendit adorandam : & mox ſolâ manu dextrâ ipſam reverenter reponit ſuper Corporale ; & deinceps pollices & indices non disjungit, niſi quando Hoſtiam conſecratam tangit, uſque ad ablutionem digitorum poſt Communionem.

Repoſitâ Hoſtiâ, genuflexus ipſam veneratur.

Dum Sacerdos elevat Hoſtiam, miniſter manu ſiniſtrâ elevat infimam oram poſterioris partis Caſulæ : ne Caſula Sacerdotem impediat in ele-

vatione brachiorum (quod & facit in elevatione Calicis) & manu dextrâ pulsat campanulam ad elevationem, continuatè, quousque Sacerdos incipiat deponere Hostiam super Corporale, & similiter postmodùm ad elevationem Calicis.

Sacerdos, adoratâ Hostiâ, surgit & discooperit Calicem, in quem, si opus sit, excutit digitos, ne particulæ Hostiæ digitis adhæreant (quod toties facit, quoties eam tetigerit) & stans dicit secretò *Simili modo*, & ambabus manibus accipiens Calicem juxta nodum, infrà cuppam, & aliquantulùm illum elevans ac statim deponens, dicit *accipiens & hunc præclarum Calicem*, &c. cùm dicit, *item tibi gratias agens*, caput inclinat; cùm dicit *benedixit*, siniſtrâ Calicem infrà cuppam tenens, dextrâ signat super eum, & prosequens *deditque discipulis*, &c. & ambabus manibus tenens Calicem parùm elevatum, videlicet siniſtrâ pedem, dextrâ nodum infrà cuppam, cubitis super Altare positis, & capite demisso, profert attentè, distinctè, reverenter, & secretò, verba consecrationis Sanguinis, *Hic est enim Calix*, &c.

Quibus dictis reponit Calicem super Corporale, & prosequens secretò, *Hæc quotiescumque feceritis*, &c. genuflexus Sanguinem adorat. Tum se erigit, & accipiens Calicem cum Sanguine ambabus manibus ut priùs, elevat eum & ostendit populo adorandum : mox ipsum reverenter reponit super Corporale, & manu dextrâ pallâ cooperit, ac genuflexus veneratur.

IN MISSA MAJORI, *initio Canonis afferuntur duæ faces (in Solemnibus-minoribus & supra, quatuor) à totidem Acolytis, iique, tenentes faces, genuflexi manent usque post eam elevationem quæ Orationem Dominicam immediatè præcedit.*

Cùm Celebrans dicit, Quam oblationem, *Diaconus accedit ad dextram Celebrantis, Subdiaconus autem ad siniſtram, & ibi in ora supremi gradûs genibus flexis, cùm sacra Hostia elevatur, infimam oram posterioris partis Casulæ paulò elevant.*

Repositâ sacrâ Hostiâ, & factâ à Celebrante genuflexione, Diaconus simul cum eo se erigit, detegit Calicem, statimque iterum genuflectit; tum redit ad oram supremi gradûs, ubi flexis genibus, elevat iterùm cum Subdiacono posteriorem Casulæ partem. Statim ac Calix fuerit elevatus, Diaconus ac Subdiaconus se erigunt; Diaconus Calicem pallâ cooperit : tum factâ simul cum Celebrante genuflexione, Diaconus redit ad librum, Subdiaconus verò in planum retrò post Celebrantem; & faciunt genuflexionem accedendo & recedendo à lateribus Celebrantis, usque post factam Communionem.

Cùm elevatur sacra Hostia, Thuriferarius in cornu Epistolæ genuflexus, continuò incensat : similiter cùm Calix elevatur.

CAPUT IX.

De reliquo Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam.

REpositò Calice, Sacerdos stans extensis manibus dicit secretò, *Unde & memores*, &c.

Jungit manus ante pectus cùm dicit *de tuis donis ac datis :* & cùm dicit *Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam*, manu siniſtrâ positâ super Corporale, dexterâ signat ter super Hostiam & Calicem simul; tum semel super Hostiam, & super Calicem, dicens, *Panem ✠ sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ salutis perpetuæ.*

Extensis manibus prosequitur secretò, *Suprà quæ propitio*, &c.

Cùm dicit, *Supplices te rogamus*, inclinat se ante medium Altaris, manibus junctis super illo positis : osculatur Altare in medio dicens, *ex hac altaris participatione*, manibus hinc inde super Corporale positis. Cùm dicit *sacrosanctum Filii tui*, erigit se, jungit manus, & dextrâ signans semel super Hostiam & semel super Calicem, siniſtrâ super Corporale positâ, dicit *Corpus ✠ & Sanguinem ✠ sumpserimus :* & cùm dicit *omni benedictione ✠ cœlesti*, seipsum signat à fronte ad pectus signo Crucis, siniſtrâ infrà pectus positâ.

Cùm dicit *Per eumdem*, jungit manus.

Cùm dicit *Memento*, &c. elevans & jungens manus, capite parùm demisso, aliquantulùm Deo commendat defunctos pro quibus orare intendit.

Quâ commemoratione factâ, extensis ante pectus manibus prosequitur, *Ipsis, Domine*, &c. & in fine ad *Per eumdem*, jungit manus & caput inclinat.

Voce paulùm elatâ dicit, *Nobis quoque peccatoribus*, & dextrâ manu pectus percutit, siniſtrâ positâ super Corporale. Manibus extensis prosequitur secretò, *famulis tuis*, &c.

Jungens manus ante pectus, dicit secretò, *Per Christum Dominum nostrum, Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas :* deindè manu dextrâ ter signans super Hostiam & Calicem simul, dicit, *sancti- ✠ ficas, vivi- ✠ ficas, bene- ✠ dicis, & præstas nobis.*

Discooperit manu dextrâ Calicem, & genuflectit : tum se erigit, & reverenter accipit Hostiam inter pollicem & indicem dextræ manûs, & cum ea super Calicem, quem manu siniſtrâ tenet circà nodum infrà cuppam, signat ter à labro ad labrum dicens secretò, *Per ip- ✠ sum, & cum ip- ✠ so, & in ip- ✠ so :* & similiter cum Hostia signat bis inter Calicem & pectus, incipiens à labro Calicis, & dicit, *est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti in unitate Spiritûs ✠ sancti.*

Deindè tenens manu dextrâ Hostiam super Calicem, siniſtrâ Calicem, elevat eum aliquantulùm simul cum Hostia, dicens secretò, *Omnis honor*, &c. cujus elevationis signum datur pulsatione campanulæ, dicto, *Per omnia secula seculorum.* Statim utrumque deponens, Hostiam collocat super Corporale; & si opus sit, digitos excutit in Calicem, ac pollices & indices ut priùs jungens, Calicem pallâ cooperit, & genuflectit.

IN MISSA MAJORI, *ad hæc verba*, Omni benedictione, *Diaconus se signat cum Celebrante; cum quo & pectus percutit ad* Nobis quoque peccatoribus : *quod & reliqui ministri similiter observant.*

Paulo antè Per quem hæc omnia, *Diaconus factâ genuflexione, transit ad partem Epistolæ, Subdiaconus verò ascendit ad partem Evangelii;*

accedentes ad Celebrantem, genuflectunt; & poſtquàm Celebrans tertiò ſignaverit, Diaconus Calicem detegit, & genuflectunt cum Celebrante: atque, ipſo Corpus & Sanguinem Chriſti ſimul elevante, caput profundè inclinant. Per Diaconum retecto Calice, rursùs cum Celebrante genuflectunt, & unus poſt alium ſtant poſt Celebrantem.

CAPUT X.

De Oratione Dominica, et aliis usque ad factam Communionem.

SAcerdos, cooperto Calice, adoratoque SS. Sacramento, erigit ſe; & dicit altâ voce, *Oremus*, jungens manus, & caput inclinans.

Cùm incipit, *Pater noſter*, expandit manus, & proſequitur uſque ad finem: reſpondet miniſniſter, *Sed libera nos à malo;* & Sacerdos ſecretò dicit, *Amen.*

Manu dextrâ (pollice & indice non disjunctis) Patenam aliquantulùm Purificatorio extergens, eam accipit inter indicem & medium digitos; quam tenens ſuper Altare erectam, ſiniſtrâ ſuper Corporale poſitâ, dicit ſecretò, *Libera nos*, &c.

Cùm dicit, *Petro & Paulo*, ſeipſum Patenâ ſignat à fronte ad pectus, manu ſiniſtrâ infrà pectus poſitâ: deindè Patenam oſculatur dicens, *Da propitius pacem;* & proſequens, *ut ope miſericordiæ tuæ*, &c. ſubmittit Patenam Hoſtiæ.

Diſcooperit Calicem, & genuflexus SS. Sacramentum adorat: tum ſe erigens, accipit Hoſtiam inter pollicem & indicem dextræ manûs, & adjunctis pollice & indice ſiniſtræ manûs, eam ſuper Calicem tenens, reverenter frangit per medium, dicens ſecretò, *Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*, & mediam partem, quam inter pollicem & indicem dextræ manûs tenet ponit ſuper Patenam: de alia media, quam ſiniſtrâ manu tenet, frangit cum pollice & indice dextræ manûs particulam, proſequens, *Qui tecum vivit & regnat*, &c, & eam inter ipſos dextræ manûs pollicem & indicem retinens, partem majorem quam ſiniſtrâ tenet, adjungit mediæ ſuper Patenam poſitæ, dicens, *In unitate Spiritûs ſancti Deus;* & particulam, quam in dextra retinuit, tenens ſuper Calicem (quem ſiniſtrâ per nodum infrà cuppam tenet) altâ voce dicit, *Per omnia ſecula ſeculorum.*

Poſtquàm reſponſum eſt, *Amen*, cum ipſa particula ſignans ter à labro ad labrum Calicis, dicit altâ voce, *Pax ✠ Domini ſit ✠ ſemper vobiſ- ✠ cum:* reſpondetur, *Et cum Spiritu tuo;* tum particulam immittit in Calicem, dicens ſecretò, *Hæc Sacroſancta commixtio*, &c.

Deindè pollices & indices ſuper Calicem aliquantulùm excutit, tum jungit.

Calicem pallâ cooperit, & genuflexus SS. Sacramentum adorat.

Surgit, & junctis manibus ante pectus, capite inclinato SS. Sacramento, dicit altâ voce, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, & dextrâ percutiens pectus, ſiniſtrâ ſuper Corporale poſitâ, dicit, *Miſerere nobis:* & deindè non jungit manus, ſed iterùm percutit pectus, cùm dicit ſecundò, *Miſerere nobis:* quod & tertiò facit, cùm dicit, *Dona nobis pacem.*

Manibus junctis ſuper Altare poſitis, oculiſque ad SS. Sacramentum intentis, & inclinatus dicit ſecretò, *Domine, Jeſu Chriſte*, &c.

Quâ Oratione finitâ, ſi eſt daturus pacem, oſculatur Altare in medio; & ei ſtatim inſtrumentum pacis porrigitur ad oſculandum à miniſtro ad ipſius dextram genuflexo, & dixit mediocri voce, *Pax tibi, frater, & Eccleſiæ ſanctæ Dei.* Miniſter reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo.*

In Miſſis pro Defunctis, non percutit pectus ad *Agnus Dei;* nec dicit primam Orationem, *Domine, Jeſu Chriſte;* nec dat pacem.

Dictis ſecretò Orationibus, *Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi;* & *Perceptio Corporis tui*, genuflectens ſanctiſſimum Sacramentum adorat, & ſe erigens dicit ſecretò, *Panem cœleſtem*, &c.

Quo dicto, dextrâ manu accipit reverenter de Patena ambas partes Hoſtiæ, & collocat inter pollicem & indicem ſiniſtræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem & medium digitos ſupponit, & eâdem manu ſiniſtrâ tenens partes Hoſtiæ ſuper Patenam, parùm inclinatus, dexterâ tribus vicibus percutit pectus, interim dicens ter voce paulùm elatâ & devotè, *Domine, non ſum dignus*, ſecretò proſequitur dicens, *ut intres*, &c.

Tum ex ſiniſtra accipit ambas partes Hoſtiæ inter pollicem & indicem dextræ manûs, & cum illa ſuprà Patenam ſignat ſeipſum ſigno Crucis, (ita tamen ut Hoſtia non egrediatur limites Patenæ) dicens ſecretò, *Corpus Domini noſtri Jeſu*, &c.

Et ſe inclinans, cubitis ſuper Altare poſitis, reverenter eaſdem ambas partes ſumit: quibus ſumptis, deponit Patenam ſuper Corporale, & erigens ſe, junctis indicibus & pollicibus, manus quoque jungit, & aliquantulùm moratur in meditatione ſanctiſſimi Sacramenti.

Deindè disjunctis manibus, dicit ſecretò, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Interim diſcooperit Calicem, genuflectit, ſurgit, & cum Patena colligit fragmenta, ſi quæ ſint: Patenam quoque diligenter cum pollice & indice dextræ manûs ſuper Calicem, & ipſos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat, extergit.

Si verò ſuper Corporale ſint Hoſtiæ conſecratæ reſervandæ, factâ priùs genuflectione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter advertit ne vel minimum fragmentum remaneat ſuper Corporale: ſi quod reliquum fuerit, reponit in Calicem.

Poſt exterſionem Patenæ, junctis pollicibus & indicibus, Calicem dextrâ manu infrà nodum cuppæ accipit, ſiniſtrâ Patenam, dicens ſecretò, *Calicem ſalutaris*, &c, & ſignans ſe ſigno Crucis cum Calice, dicit ſecretò, *Sanguis Domini noſtri ✠ Jeſu Chriſti*, &c, & manu ſiniſtrâ ſupponens Patenam Calici, reverenter ſumit totum Sanguinem cum particula in Calice poſita.

Tum dicens ſecretò, *Quod ore ſumpſimus*, &c, ſuper Altare porrigit Calicem Miniſtro in cornu Epiſtolæ; &, vino per eum in calicem infuſo, ſe purificat.

Deindè vino & aquâ abluit pollices & indices

ſuper Calicem, quos abſtergit Purificatorio, interim dicens ſecretò, *Corpus tuum, Domine*, &c. Ablutionem ſumit, & extergit, os & Calicem Purificatorio.

Quo facto, Purificatorium extendit ſuper Calicem; & deſuper ponit Patenam; ac ſuper Patenam, Pallam; & plicato Corporali quod reponit in Burſa, cooperit Calicem velo, & collocat in medio Altaris.

Si qui ſint ſacram Communionem accepturi, Sacerdos non eos differat poſt Miſſæ finem ſine neceſſitate. Ordo enim poſtulat, ut Communio populi fiat intra Miſſam, & immediatè ſequatur Communionem Sacerdotis. Statim igitur poſt ſumptionem Sanguinis, antequàm vinum infundatur in Calicem ad purificationem, tecto pallâ Calice, & factâ genuflexione, ponat particulas conſecratas ſuper Patenam (niſi anteà poſitæ fuerint in pyxide) ad Communionem adminiſtrandam.

Interim Miniſter mappam porrigit communicaturis, & facit altâ voce Confeſſionem.

Tum Sacerdos iterùm genuflectit, & manibus junctis, vertens ſe ad populum in cornu Evangelii, dicit altâ voce, *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, &c. & manu dextrâ facit ſignum Crucis ſuper eos.

Poſtea genuflectens, accipit manu ſiniſtrâ pyxidem ſeu Patenam cum SS. Sacramento, dextrâ verò ſumit unam Hoſtiam, vel unam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantulùm elevatam ſuper pyxidem ſeu Patenam, & converſus ad communicaturos dicit altâ voce in medio Altaris, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Deinde dicit altâ voce, *Domine, non ſum dignus*, &c.

Quibus verbis tertiò repetitis, accedit, ad eorum dextram, hoc eſt ad partem Epiſtolæ, & unicuique porrigit SS. Sacramentum, faciens cum eo ſignum Crucis ſuper pyxidem vel Patenam, & ſimul dicens altâ voce, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti*, qui accepturus eſt reſpondet *Amen*, & Sacerdos proſequitur, *cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.*

Si non ſit ſufficiens Hoſtiarum numerus, dividantur à Sacerdote.

Poſtquàm omnes communicaverint, revertitur ad Altare, nihil dicens: & non dat eis benedictionem.

Si particulæ poſitæ erant ſuper Corporale, colligit fragmenta cum Patena, ſi quæ ſint, & in Calicem mittit.

Deinde dicit ſecretò *Quod ore ſumpſimus*, &c. & infuſo in Calicem vino, ſe purificat; & alia facit ut ſuprà.

Secundùm conſuetudinem locorum, Miniſter dextrâ manu tenens vas cum vino & aqua, ſiniſtrâ verò mappulam, porrigit illud iis qui communicaverint, & mappulam ut os abſtergant.

Si in Altari remaneant particulæ in pyxide uſque ad finem Miſſæ, Sacerdos genuflectit quotieſcumque accedit vel recedit à medio Altaris, vel tranſit ante SS. Sacramentum, & cùm dicturus eſt *Dominus vobiſcum*, non vertit ſe ad populum in medio Altaris, ne terga vertat SS. Sacramento, ſed à parte Evangelii; & ibidem dat benedictionem, circulum non perficiendo.

[Si pro verâ neceſſitate Communio fiet ante vel poſt Miſſam, Sacerdos indutus, ut in Miſsâ, (vel ſi fiet alio tempore, indutus ſuperpelliceo & ſtolâ, nec niſi accenſo cereo) jubebit eos qui communicaturi ſunt, vel Miniſtrum, dicere *Confiteor*. Et ipſe dicet *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, ceteraque fient ut ſuprà, niſi quod rediens ad altare dicit Antiph. *O ſacrum*, &c. cum ℣. & Oratione de SS. Sacramento, ut habentur in Rituali; particulas de fragmentis quæ ſupererunt, non ſumet, ſed reponet eas cum Hoſtiis ſacris in Sacrario; admovebitque digitos ad labia vaſis, ne illis particulæ adhæreant; & poſtea digitos eoſdem abluet, quos abſterget Purificatorio; ablutio verò in piſcinam abjiciatur. Deindè ſtans extenſâ manu dexterâ, benedicet iis qui communicarunt dicens altâ voce: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris & Filii* ✠ *& Spiritûs ſancti, deſcendat ſuper vos & maneat ſemper.* Idem ritus ſervetur poſt Miſſam Majorem, præter ea quæ infrà ſunt obſervanda quoad Miniſtros.]

IN MISSA MAJORI, *cùm incipitur* Pater noſter, *Subdiaconus recipit Patenam cum velo ab Acolyto, eamque tenet elevatam & diſcoopertam, manu ſuâ dextrâ coopertâ & involutâ dicto velo, ita ut pars interior Patenæ ad partem Evangelii vertatur.*

Cùm dicitur Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, *eam Diacono porrigit, velum verò tradit Acolyto.*

Diaconus verò eam nudam inter pollicem & indicem manûs dextræ, uſque ad finem Dominicæ Orationis elevatam tenet.

Cùm cantatur, Et ne nos, *aſcendit ad dexteram Celebrantis, ubi factâ cum Subdiacono genuflexione, Patenam Purificatorio exterſam oſculatur, & genuflexus dat Celebranti.*

Dum Celebrans ſubmittit Patenam Hoſtiæ, Diaconus detegit Calicem; & immiſsâ in eum à Celebrante particulâ, iterùm illum tegit, cum Celebrante genuflectens ac ſurgens.

Diaconus & Subdiaconus inclinati versùs SS. Sacramentum ter dicunt cum Celebrante, Agnus Dei, *manu dextrâ, junctis digitis, ter pectus percutientes, ſiniſtrâ interim infrà pectus poſitâ.*

Dum Celebrans dicit primam orationem, Domine Jeſu Chriſte, *Diaconus accipit unum aut duo pacis inſtrumenta, & cùm Celebrans oſculaturus eſt Altare, ſimul cum eo oſculatur illud extra Corporale, & flexis genibus offert ei inſtrumentum pacis ad oſculum, & mox ab eodem, dicente mediocri voce*, Pax tibi frater, & Eccleſiæ ſanctæ Dei, *accipit pacem, reſpondens*, Et cum ſpiritu tuo.

Surgit Diaconus, & Subdiacono à ſiniſtris Celebrantis ſtanti dat pacem porrigendo ei inſtrumentum, dicens mediocri voce, Pax tecum; *non antè, ſed poſt inclinans.*

Deinde accepto de Altari alio pacis inſtrumento, præbet ambo inſtrumenta duobus Acolytis ad oſculandum, dicens cuilibet mediocri voce, Pax tecum, *& quilibet reſpondet*, Et cum ſpiritu tuo: *tum inverſa tradit ipſis per anſam, & ab eis ſibi ſtatim oblata*

oſculatur, priùs quod ad lævam, deinde, quod ad dextram, cuilibet dicenti, Pax tecum, *reſpondet,* Et cum ſpiritu tuo.

Inde tranſit ad ſiniſtram Celebrantis ubi genuflexione factâ ei miniſtrat ad librum.

Subdiaconus autem, cùm oſculatus fuerit, inſtrumentum, genuflectit: & dum Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ipſe tranſit ad dexteram, ubi iterum genuflectit.

Acolyti acceptâ pace, eam deferunt ad Chorum, duobus Thuriferariis ipſos ſequentibus, qui incenſant Choriſtas & Clerum ab utraque parte: inſtrumentum pacis porrigunt eodem tempore Choriſtis & ſingulis de Clero, dicentes ſingulis, Pax tecum; *nec inclinantes, niſi poſt oblatam pacem: quilibet de Clero omni tempore nudo capite pacem recipit, & dicit,* Et cum ſpiritu tuo.

Acolytus qui priùs abſolvit, alterum expectat in plano Chori, ſtans in extrema parte ſedis puerorum Chori versâ facie ad alteram Chori partem; ut deinde ſimul redeant ad Altare.

Diaconus & Subdiaconus ad hæc verba, Domine, non ſum dignus, *&c. ſe inclinant versùs SS. Sacramentum, uſque dum Sacerdos Hoſtiam ſumpſerit.*

Cùm Celebrans dicit, Quid retribuam Domino, *Subdiaconus detegit Calicem, & ipſe ac Diaconus genuflectunt cum Celebrante: tum inclinant uſque poſt ſumptionem Sanguinis.*

Si ſacra Communio adminiſtranda ſit, Subdiaconus tecto pallâ Calice tranſit ad lævam Celebrantis, Diaconus ad dextram; ibique factâ genuflexione, (ſi Hoſtiæ ſint in pyxide, Diaconus eam in medio Corporalis collocat; genuflectit &) recedit ad partem Epiſtolæ, Subdiaconus verò ad partem Evangelii, ubi inclinati versùs Celebrantem, junctis manibus, Diaconus dicit mediocri voce, Confiteor, *& Subdiaconus ſimiliter, ſed ſecretò.*

Celebrans dicit, Miſereatur & Indulgentiam, *& cetera ut ſuprà pro Miſſis ſine cantu notatur.*

Interim duo Acolyti mappam præbent communicaturis, qui flexis genibus, tenentes mappam utrâque manu, recipiunt ſacram Communionem, & mox ſurgunt.

Si quis Sacerdos ſit communicaturus, ipſe accedat ſtolâ ornatus.

Poſteà Diaconus, ſecundùm conſuetudinem locorum accepto de Credentia Calice vel alio vaſe cum vino modicâ aquâ mixto, & acceptâ mappulâ manu ſiniſtrâ, accedit ad ſiniſtram Celebrantis, factâque genuflexione, illud præbet omnibus qui communicaverunt, etiam laïcis; & mappulam miniſtrat cuilibet ad tergendum os: & identidem alterâ linteoli parte labia vaſis extergit. Subdiaconus verò acceptâ de altari Patenâ accedit ad dexteram Celebrantis; factâque genuflexione, aſſiſtit ei ſacram Communionem præbenti ſubmittens Patenam ori Communionem accipientium.

Ubi moris non eſt vas à Diacono porrigi eis qui communicaverunt; Subdiaconus à ſiniſtris Celebrantis aſſiſtit ei Communionem præbenti; ipſe autem Diaconus ad dextram Celebrantis ſubmittit Patenam ori Communionem accipientium. Caveant verò Miniſtri ne terga vertant SS. Sacramento.

Dum autem Communio adminiſtratur, interim in Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur Communio.

Factâ Communione, Celebrans redit ad Altare cum Miniſtris, deponit pyxidem ſuper Altare, Diaconus ſimiliter Calicem ſeu vas ſuper Credentiam, & Subdiaconus Patenam ſuper Corporale. Diaconus cooperit pyxidem, & tranſit ad librum.

Subdiaconus tranſit ad dextram Celebrantis, ubi diſcooperit Calicem, & Celebrans immittit particulas ſeu fragmenta in Calicem, ſi quæ ſint.

Deinde porrigit Calicem Subdiacono, qui accepto urceolo ab Acolyto, vinum infundit; mox urceolum aquæ accipiens, vinum & aquam infundit ſuper pollices & indices Celebrantis, & reddit urceolos Acolyto.

CAPUT XI.

De Communione, et Orationibus post Communionem.

DUm Sacerdos, ſumptâ ablutione, Calicem in Altari collocat; Miſſale defertur per miniſtrum ad cornu Epiſtolæ.

Deindè Sacerdos, junctis manibus, legit altâ voce Antiphonam quæ dicitur Communio.

Tum vadit ad medium Altaris, & illud oſculatus, vertit ſe ad populum per dextram, & dicit altâ voce, *Dominus vobiſcum:* & per eamdem viam redit ad librum, dicit altâ voce Orationes poſt Communionem, eiſdem modo, numero & ordine, quibus dictæ ſunt Collectæ.

Quibus finitis claudit librum, & jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, ubi illud oſculatus, vertit ſe ad populum, & dicit altâ voce, *Dominus vobiſcum.*

Et junctis manibus versùs populum, dicit altâ voce (ſi dicendum eſt) *Ite, Miſſa eſt:* & per eamdem viam revertitur ad Altare.

Si non dicatur *Ite, Miſſa eſt,* convertitur ad Altare, & junctis manibus dicit altâ voce, *Benedicamus Domino.*

In Miſſis pro Defunctis, eodem modo ſtans versùs Altare dicit altâ voce, *Requieſcant in pace.* Numquam autem *Requieſcat,* in ſingulari.

In Quadrageſima, in Miſſis de Feria, poſtquam Sacerdos dixit Orationes, quæ ſunt poſt Communionem, cum ſolitis concluſionibus; antequàm dicat, *Dominus vobiſcum,* eodem loco ante librum dicit altâ voce, *Oremus. Humiliate capita veſtra Deo,* caput inclinans; & extenſis manibus, ſubjungit Orationem ſuper populum: quâ finitâ oſculatur Altare, & vertens ſe ad populum dicit altâ voce, *Dominus vobiſcum,* & alia ut ſuprà.

IN MISSA MAJORI, *Diaconus tranſfert librum cum pulvinari ad cornu Epiſtolæ; Subdiaconus verò velum cum palla, ad cornu Evangelii: & uterque inclinat ante medium Altaris tranſeundo.*

Celebrans dictâ Communione, oſculatur Altare in medio, & versùs populum cantat, Dominus vobiſcum: *redit ad librum ubi cantat Orationes competentes.*

Quibus finitis oſculatur Altare, in medio, & cantat, Dominus vobiſcum; *& mediocri voce in-*

dicit Diacono, Ite Miſſa eſt, *vel* Benedicamus, *vel* Requieſcant.

Diaconus ſtat retrò poſt Celebrantem cùm cantat Orationes; & accedit, ac recedit de medio Altaris ſimul cum Celebrante.

Subdiaconus autem ſtatim poſt ablutionem extergit Calicem Purificatorio, eique Patenam & pallam ſuperimponit; & plicato Corporali quod reponit in Burſa, velo cooperit Calicem, & Burſam deſuper aptat; & illud defert ad Credentiam.

Tum redit ad Altare in plano retrò poſt Diaconum.

Diaconus, ante medium Altaris, in ſecundo gradu ſtans, poſtquàm Celebrans cantavit ultimum, Dominus vobiſcum, *& ipſi indixit*, Ite, Miſſa eſt; *inclinat, & converſus ad populum cantat nudo capite & junctis manibus*, Ite, Miſſa eſt.

Si cantet Benedicamus, *aut* Requieſcant in pace, *non ſe vertit.*

CAPUT XII.

De Benedictione in fine Missæ, et Evangelio sancti Joannis.

DIcto, *Ite, Miſſa eſt*, vel *Benedicamus*, ut ſuprà, Sacerdos ante medium Altaris, junctis manibus ſuper eo, inclinatus dicit ſecretò, *Placeat tibi ſancta Trinitas*, &c.

Deinde extenſis manibus ſuper Altare poſitis, ipſum in medio oſculatur: tum erigens ſe, ſtans adhuc versùs illud, elevat oculos & manus, quas extendit, & jungit, caputque Cruci inclinans dicit altâ voce, *Benedicat vos omnipotens Deus.*

Et junctis manibus, ac demiſſis oculis, vertens ſe per dextram ad populum, extensâ manu dextrâ, junctiſque digitis, & manu ſiniſtrâ ad pectus poſitâ; benedicit populo dicens, *Pater & Fi* ✠*lius, & Spiritûs ſanctus.* ℟. *Amen.*

Circulum perficiens vadit ad cornu Evangelii, ubi dicto altâ voce, *Dominus vobiſcum*, pollice dextro ſignans primùm ſigno crucis Altare ſeu textum, deinde frontem, os & pectus dicit *Initium ſancti Evangelii*, &c. vel *Sequentia*; ut dictum eſt in Rubricis generalibus: deinde junctis manibus legit altâ voce Evangelium, *In principio erat Verbum*, vel aliud ut convenit.

Cùm dicit, *& Verbum caro factum eſt*, genuflectit versùs cornu Evangelii; & ſurgens proſequitur ut priùs: quo finito, miniſter reſpondet *Deo gratias.* His finitis Sacerdos accepto Calice deſcendit ante infimum gradum, ubi factâ Altari debitâ reverentiâ, ut ante Miſſam & in æſtate accepto biretro à miniſtro, revertitur ad Veſtiarium eodem modo quo venerat ad Altare, interim dicens ſecretò, ad devotionem, Hymnum *Te Deum*, cui in Miſſis pro Defunctis, præmittit Pſalmum *De profundis.*

IN MISSA MAJORI, *Celebrans benedicit populo ut ſuprà notatum eſt, vel altâ voce vel cantando, ſecundùm conſuetudinem locorum; at D. Epiſcopus non benedicit, ſi ante Agnus Dei benedixerit.*

Diaconus interim versùs Celebrantem paulò ad cornu Epiſtolæ, & Subdiaconus ad cornu Evangelii, ſtantes, mediocriter inclinant.

Datâ Benedictione; Celebrans legit Evangelium, In principio; *mox deſcendit in planum cum Miniſtris, ubi genuflectentes debitam faciunt reverentiam.*

Mox ſurgunt, ac in Veſtiarium redeunt eodem modo & ordine quo acceſſerunt ad Altare.

Cùm in Veſtiarium Celebrans & Miniſtri pervenerint, inclinant Cruci, quæ eſt in ſacrario, deinde ſacras Veſtes exuunt.

CAPUT XIII.

De Missa pro Defunctis.

IN Miſſa de Defunctis, Sacerdos non ſignat ſe ad Introitum, ſed manu dextrâ extensâ producit ſignum Crucis ſuper librum, ſiniſtrâ interim ſuper librum poſitâ.

Non oſculatur librum in fine Evangelii, nec dicit, *Per evangelica dicta.*

Non benedicitur aqua in Calicem fundenda.

Ad *Agnus Dei*, non percutitur pectus: nec pax datur.

Non datur Benedictio; ſed dicto, *Placeat*, Sacerdos oſculatus Altare dicit, *In principio.*

IN MISSA MAJORI, *Subdiaconus non porrigit Celebranti codicem Evangelii ad oſculandum.*

Celebrans non incenſat Altare ante Introitum.

Finitâ Epiſtolâ non dat manum ad oſculandum; nec benedicit Subdiaconum.

Diaconus ante Evangelium dicit Munda cor meum, *de more, ſed non dicit* Jube; *nec petit benedictionem, nec manum Celebrantis oſculatur.*

Ad Evangelium, thus non defertur.

Ad verſum, Pie Jeſu, Domine, *Celebrans genuflectit ad oram ſupremi gradûs.*

In fine Evangelii, Celebrans non oſculatur codicem Evangelii.

Subdiaconus antequàm infundat aquam in Calicem, non dicit, Benedic Pater; *nec offert Celebranti ad benedicendum.*

Miniſtri, cùm aliquid porrigunt Celebranti, aut accipiunt ab eo, rem tradendam aut acceptam non oſculantur, nec manum Celebrantis.

Si Miſſa celebretur ritu ſolemni, Celebrans incenſat oblata & Altare, & ipſe ſolus incenſatur à Diacono.

Si fiat Oblatio Cleri & Populi, Celebrans dum porrigit Patenam ad oſculum, dicit accedentibus, Requieſcant in pace; *ſinguli reſpondent*, Amen.

CAPUT XIV.

De Missa Coram SS. Sacramento exposito.

SAcerdos in Miſſa privata coram SS. Sacramento obſervat quæ ſequuntur.

Caput detegit cùm ad cancellos Altaris pervenerit.

In infimo gradu Altaris utrumque genuflectit, caput inclinans.

Depoſito Calice in cornu Evangelii, genuflectit.

Aptato Corporali & Calice, genuflectit, & accedit ad Miſſale in cornu Epiſtolæ.

Rediens ad medium, genuflectit; & aliquantulùm à medio recedens, verſo ad cornu Evangelii dorſo, deſcendit in planum : ibique factâ genuflexione, erectus Miſſam incipit.

Cùm aſcendit ad Altare, genuflectit ante & poſt *Oramus te, Domine.*

Genuflectit.

Ante *Kyrie, eleiſon.*

Quoties vertit ſe ad populum, poſtquàm oſculatus eſt altare; tum dorſo ad cornu Evangelii verſo, ſtans facie ſemiversâ ad populum, dicit *Dominus vobiſcum.*

Iterum genuflectit in medio, & redit ad librum.

Genuflectit,

Ante & poſt *Munda cor meum :*

Ante *Credo :*

Poſt oblationem Hoſtiæ, antequàm accedat ad cornu Epiſtolæ, & vinum & aquam infundat in Calicem :

In medium reverſus, ante oblationem Calicis :

Ante & poſt lotionem manuum, quas lavat extra cornu Epiſtolæ, faciem ita convertens ad populum, ut dorſum non vertat SS. Sacramento :

Ante *Orate fratres;* quod quidem Sacerdos dicit eodem ritu & loco, quo, *Dominus vobiſcum :* deinde non perficiens circulum redit ad medium ubi iterùm genuflectit.

Genuflectit,

Poſt ſumptam Purificationem, & accepto Calice, digitos abluit more ſolito; tum repoſito Calice, & terſis digitis, redit ad medium, ubi iterùm genuflexione factâ, ablutionem ſumit.

Aptato Calice antequam è medio recedat lecturus communionem.

Quâ lectâ redit ad medium Altaris, quod oſculatur, deinde genuflectit, ac dicit, *Dominus vobiſcum.*

Iterum genuflectit, & in cornu Epiſtolæ dicit Orationes poſt Communionem.

Redit ad medium Altaris, quod oſculatur & dicit, *Dominus vobiſcum*, & continuò, *Ite, Miſſa eſt*, factâ ante & poſt genuflexione.

Si dicendum ſit, *Benedicamus Domino*, genuflectit poſt *Dominus vobiſcum.*

Daturus Benedictionem oſculatur Altare, & dicto *Benedicat vos omnipotens Deus*, genuflectit; & à parte Evangelii ſtans ſemiverſus, benedicit populo : nec perficit circulum; neque iterùm accedit ad medium aut genuflectit, ſed converſus ad Altare incipit Evangelium.

Cùm dicit, *Et Verbum caro factum eſt*, genuflectit aliquantulùm versùs SS. Sacramentum.

Antequàm Calicem accipiat, genuflectit; & accepto Calice recedens ad cornu Evangelii, deſcendit nudo capite, & genuflexione in infimo gradu factâ utroque genu, ut ante Miſſam, caput extra cancellos operit.

IN MISSA MAJORI, *Celebrans,*

Dicto, Oramus te, Domine; *& poſtquàm oſculatus eſt Altare, ſine alia genuflexione benedicit thus ut in aliis Miſſis, ſed ſine oſculo cochlearis manûſve aut catenarum thuribuli.*

Deinde cum Diacono à dextris & Subdiacono à ſiniſtris ad oram ſupremi gradûs Altaris genuflexus, accepto de manibus Diaconi thuribulo, ſine oſculis, SS. Sacramentum triplici ductu thurificat, ante & poſt profundè inclinans, omnibus circumſtantibus Miniſtris interim genuflexis : tum ſurgens, & factâ genuflexione Altare thurificat de more, ſemper genuflectens dum tranſit ante ſanctiſſimum Sacramentum.

Cùm incenſandus eſt Celebrans, reddit thuribulum Diacono, deſcendit aliquantulùm extra Altare in cornu Epiſtolæ in ſecundum gradum ubi ſtans versâ facie ad populum, cavens ne terga vertat SS. Sacramento, à Diacono incenſatur de more : poſtea rediens ad Altare per eamdem viam, nullâ genuflexione factâ, Introitum legit.

Eodem modo incenſatur poſt Oblatorum & Altaris thurificationem : quæ Oblata incenſat de more ſine genuflexione; quibus incenſatis, incenſat SS. Sacramentum flexis genibus, & Altare ut ſuprà.

Ubi incenſatur, ibi lavat manus facie ad populum versâ.

Diaconus & Subdiaconus eodem modo ſe gerunt ac Celebrans in genuflexionibus & ceteris. Abſtinent ſe ab oſculis rei tradendæ & acceptæ, ac manûs Celebrantis.

Quoties Celebrans accedit ad medium Altaris vel recedit à medio, etiam ut ſe convertat ad populum, vel quando tranſit ante medium, Diaconus & Subdiaconus cum eo genuflectunt; manent tamen in medio etiam dum Celebrans paululùm recedit versùs cornu Evangelii ut ſe convertat ad populum.

Deinde ſi redeat ad cornu Epiſtolæ, eum ſequuntur, factâ in medio genuflexione. Sed cùm aſcendunt ad Altare dicturi cum eo, Gloria in excelſis *vel* Credo, *aut quid aliud acturi; genuflectunt tantùm in acceſſu prope Altare.*

Diaconus, cùm cantat, Ite, Miſſa eſt, *ſtat paululùm versùs cornu Evangelii; & genuflectit ante & poſt.*

Ceterùm ad Altare ubi expoſitum eſt SS. Sacramentum, etſi, præter Miſſam pro Defunctis, celebrari poſſit Miſſa quæcumque, etiam ferialis, graviori tamen menſurâ & lento cantu : tamen unica ſeu præcipua major ſemper celebrabitur ſub cantu (niſi Dominica ſit) ſaltem Duplicis majoris, ac ritu ſolemni; iiſdem propter ſolemnitatem ac reverentiam SS. Sacramenti obſervatis quæ obſervanda eſſent in Miſſa diei Dominicæ. Sic Feriâ ij. & iij. poſt Quinquageſimam, ſi Miſſa unica major ſeu præcipua ſit de Feria, cantabitur in eâ Tractus & Credo.

Si habeatur Concio, veletur SS. Sacramentum.

CAPUT XV.

De Missa quæ celebratur coram DD. Episcopo.

OMnia fiunt ut in Miſſa ordinaria, præter ea quæ ſequuntur.

Sacerdos procedens ad Altare, & tranſiens ante D. Epiſcopum, mediocriter ei inclinat cooperto capite, ſi deferat Calicem : ſi non deferat, nudo capite profundè inclinat.

Aptato Calice in Altari, & Miſſali aperto, deſcendit; & ſtans infrà infimum gradum, converſus ad D. Epiſcopum, ei profundè inclinat.

Verſus ad Altare, exhibitâ priùs debitâ reverentiâ, Miſſam incipit.

In Confeſſione ubi dicitur *& vobis fratres vos fratres;* dicit *tibi Pater, te Pater,* D. Epiſcopo profundè inclinans.

Lecto Evangelio, liber defertur à miniſtro ad Dominum Epiſcopum ut ipſum oſculetur, quem & Sacerdos poſteà oſculatur.

Ad Benedictionem aquæ Miniſter urceolum exhibet D. Epiſcopo, dicens, genuflexus antè eum; *Benedic, Pater reverendiſſime.*

Dicto *Placeat,* Sacerdos dicit, *Benedicat, vos omnipotens Deus;* & inclinatione factâ D. Epiſcopo, ad aliam partem paululùm converſus, proſequitur *Pater, & Filius* ✠, *& Spiritûs ſanctus.*

Antequàm diſcedat ab infimo gradu, profundè inclinat D. Epiſcopo.

IN MISSA MAJORI, *D. Epiſcopus indutus rochetto & moſettâ vel cappâ Pontificali, ante medium Altaris facit confeſſionem, habens Celebrantem, Diaconum & Subdiaconum ad ſiniſtram, aſſiſtentes verò Canonicos ad dexteram. Poſteà vadit ad ſedem ſuam, factis ſemper ab omnibus Altari & D. Epiſcopo reverentiis, & ibi ſedens incenſum benedicit, ſi benedicendum ſit. Interim Celebrans aſcendit ad Altare; incenſato Altari & Celebrante, incenſatur D. Epiſcopus à Diacono.*

Cantatâ Epiſtolâ Subdiaconus accedit ad D. Epiſcopum, non ad Celebrantem, ad manum ejus deoſculandam. Diaconus proceſſurus ad Evangelium, non petit benedictionem à Celebrante, nec Thurifer arius: ſed ambo accedunt ad D. Epiſcopum, à quo flexis genibus ſolitam benedictionem petunt.

Cantato Evangelio, Subdiaconus Codicem Evangelii apertum porrigit D. Epiſcopo ad oſculum, cui poſtea inclinat: Diaconus autem ſtans triplici ductu eum incenſat, factâ ante & poſt inclinatione; deindè Subdiaconus porrigit Celebranti Codicem ad oſculandum.

Ad benedictionem aquæ in Calicem fundendæ, Subdiaconus urceolum exhibet D. Epiſcopo, dicens Benedic, *&c. ut ſuprà.*

Incenſatis Oblatis, Altari & Celebrante, incenſatur D. Epiſcopus, ut ſuprà.

Cùm Celebrans oſculatus fuerit inſtrumentum pacis; Diaconus, præcedentibus duobus pueris ſeu clericulis, ac duobus Thuriferariis, illud defert ad D. Epiſcopum ut oſculetur; & poſt oſculum, ei inclinat: tum duo Thuriferarii D. Epiſcopum triplici ductu ſimul incenſant.

Eodem in loco Diaconus porrigit unum è pacis inſtrumentis uni è pueris ad oſculum, tum inverſum ei præbet per anſam; alterum alteri ſimiliter: ii verò, unus poſt alterum, utrumque inſtrumentum Diacono ad oſculum porrigunt; & ſtatim, Diacono ad Altare redeunte, ipſi ad Chorum deferunt.

Dicto Ite, Miſſa eſt, *vel* Benedicamus: *Celebrans non dicit,* Benedicat vos; *ſed convertit ſe ad D. Epiſcopum, qui dat Benedictionem.*

Idem ritus obſervatur, ſi adſit Epiſcopus alterius Diœceſis indutus Epomide, præter Benedictionem in fine Miſſæ, quæ tunc datur à Celebrante more ſolito.

Si plures adſint Epiſcopi induti rochetto & moſetta, antiquior ex eis ſolus benedicit Diaconum & incenſum ad Evangelium. Singulis verò ſuo ordine porrigitur Codex Evangeliorum ac inſtrumentum pacis ad oſculum: & incenſantur ſinguli triplici ductu.

DE OBSERVANDIS IN ECCLESIIS, IN QUIBUS MISSÆ CELEBRANTUR DE FESTIS ILLARUM PROPRIIS.

SI in quibuſdam Eccleſiis, præter Feſta Patronorum ac Titularium, & Anniverſarium Dedicationis, celebretur Feſtum alicujus Sancti vel Sanctæ, ſub cujus invocatione Altare ſeu Capella Deo dicata eſt, aut Confraternitas erecta D. Epiſcopi auctoritate; ſerventur ſequentes regulæ.

1. *Feſta Sanctorum, ſeu Sanctarum, ſub quorum invocatione Capellæ dicatæ ſunt in aliqua Eccleſia, celebrari in ea debent eo ritûs gradu, qui immediatè præcedit eorumdem feſtorum in univerſa diœceſi gradum: ita ut, v. g. feſtum juxta Breviarium ac Miſſale Semiduplex, ſit in illa Eccleſia Duplex-minus, ac ſic de ceteris. Non immutabitur tamen ritus eorumdem feſtorum, ſi Annualis aut Solemnis major ſit in Breviario ac Miſſali. Quòd ſi Sancti, aut Sanctæ illius mentio non fiat in Breviario ac Miſſali Pariſienſi: feſtum ejus in Eccleſia ubi Capellam habet, celebrabitur ritu ſimplici eo die, quo nominatur in Martyrologio; transferetur tamen ad alium diem, ſi ſingulis annis occurrat eodem die cum feſto quod commemorationem non admittat. Ceterùm eo die, quo prædictum feſtum celebrabitur, Miſſa ritu Dupl. maj. de Sancto, ſeu Sancta dici poterit in Capella dumtaxat ejus nomine inſignita.*

2. *Feſta Patronorum primariorum, aut Titularium Confraternitatis alicujus erectæ auctoritate D. Epiſcopi, celebrari poterunt ritu Solemni-majori in Capella ejuſdem Confraternitatis, aut etiam in Choro Eccleſiæ pro eâdem Confraternitate. At ſi ſint Patroni ejuſdem Confraternitatis ſecundarii, eorum feſta non celebrabuntur niſi ritu Duplici-majori.*

3. *In ſupraſcriptis Miſſis ritu Solemni-majori celebrandis dicetur Proſa &* Credo. *At cùm Miſſæ celebrandæ erunt alio ritu, nec Proſa dicetur, nec* Credo; *niſi aliundè feſtum ejus generis ſit, in quo* Credo *dici debeat juxta Rubricas.*

4. *In his omnibus feſtis, imò & in feſtis Patronorum, ſeu Titularium ipſius Eccleſiæ, Miſſa eadem planè dicetur, quæ in hoc Miſſali reperitur inter Miſſas de Tempore, ſeu Proprii aut Communis Sanctorum, aut inter Votivas: additâ, ubi feſtum Annuale eſt, aut Solemne-majus, Proſâ ex iis ſumendâ, quæ extant ad calcem hujus Miſſalis.*

5. *Ubi tamen feſtorum eorumdem, præſertim ſolemniorum, Officia ac Miſſæ in Breviario ac Miſſali Pariſienſi petuntur ex Communi Sanctorum, aut non ſunt propria feſtorum illorum, decantari poterunt in Eccleſiis Officia propria ac Miſſæ propriæ à D. Epiſcopo approbata, ac iiſdem Eccleſiis tradita: ita tamen ut ſi Breviarium vel Miſſale habeat de iiſdem feſtis aliquid proprium, v. g. Ora-*

tiones, Epiſtolam, Evangelium, &c. id omninò ſervetur, nec immutari liceat in Officiis, aut Miſſis propriis.

6. Ceterum ne prætextu prædictarum Confraternitatum aut alterius devotionis, ſubſtituatur paſſim Miſſa votiva Miſſæ diei ac Officii, declarat D. Epiſcopus his devotionibus, etiam fundatione ſtabilitis, ſatisfieri per Miſſam de Officio diei; & ita fieri ſatius eſſe, & Eccleſiæ menti magis conſonum; niſi Miſſa votiva ſolemni ritu celebranda ſit eo die, qui Miſſam votivam recipiat juxta Rubricam ſuprà Cap. IV. In hac tamen Miſſa de die, Orationibus addere plerumque decet Orationes Miſſæ votivæ cui ſatisfit.

PARS TERTIA.

DE DEFECTIBUS CIRCA MISSAM OCCURRENTIBUS.

SAcerdos celebraturus omnem adhibeat diligentiam, ne aliquid ex requiſitis ad Sacramentum Euchariſtiæ conficiendum deſit.

Poteſt autem defectus contingere ex parte materiæ conſecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte Miniſtri conficientis. Quidquid enim horum deficit, ſcilicet materia debita, forma cum intentione, & Ordo ſacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his exiſtentibus, quibuſcumque aliis deficientibus, veritas adeſt Sacramenti.

Alii verò ſunt defectus, qui in Miſſæ celebratione occurrentes, etſi veritatem Sacramenti non impediant, poſſunt tamen aut cum peccato, aut cum ſcandalo contingere.

CAPUT I.

De Defectibus Materiæ.

DEfectus ex parte materiæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis, quæ ad ipſam requiruntur. Requiritur autem ut ſit panis triticeus, & vinum de vite, & ut hujusmodi materia conſecranda, in actu conſecrationis ſit coram Sacerdote.

Articulus I.

De Defectu Panis.

SI panis non ſit triticeus; vel ſi triticeus, admixtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus; vel ſit alioqui corruptus: non conficitur ſacramentum.

Si ſit confectus de aquâ roſaceâ, vel alterius diſtillationis, dubium eſt an conficiatur.

Si cœperit corrumpi, ſed non ſit corruptus; ſimiliter ſi non ſit azymus, ſecundùm morem Eccleſiæ Latinæ, conficitur; ſed conficiens graviter peccat.

Si Celebrans ante conſecrationem adverterit Hoſtiam eſſe corruptam; aut non eſſe triticeam; remotâ illâ Hoſtiâ, aliam ponat, & factâ oblatione, ſaltem mente conceptâ, proſequatur ab eo loco ubi deſivit.

Si id adverterit poſt conſecrationem, etiam poſt illius Hoſtiæ ſumptionem, poſitâ aliâ faciat oblationem ut ſuprà, & à conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis, *Qui pridie quàm pateretur.* Factâ conſecratione, ſtatim reſumens ubi deſivit, proſequatur: illam autem priorem ſi non ſumpſit, ſumat poſt ſumptionem Sanguinis. Si autem ſumpſerit, nihilominus ſumat eam quam conſecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti præponderat præcepto, ut à jejunis ſumatur.

Quòd ſi hoc contingat poſt ſumptionem Sanguinis, apponi debet rursùs novus panis, & vinum cum aqua: & factâ priùs oblatione ut ſuprà, Sacerdos conſecret incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie:* ac ſtatim ſumat utrumque, & proſequatur Miſſam.

Si Hoſtia conſecrata à vento auferatur, aut alio caſu diſpareat, nec reperiatur; tunc altera conſecretur, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie quàm pateretur*, factâ ejus priùs oblatione, ut ſuprà.

Articulus II.

De Defectu Vini.

SI vinum ſit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, ſeu non maturis expreſſum; vel admixtum tantùm aquæ ut vinum ſit corruptum: non conficitur Sacramentum.

Si vinum cœperit aceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantùm acre, vel muſtum de uvis tunc expreſſum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua roſacea ſeu alterius diſtillationis: conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.

Si Sacerdos ante conſecrationem Sanguinis, quamvis poſt conſecrationem Corporis, advertat aut vinum aut aquam, aut utrumque non eſſe in Calice; debet ſtatim apponere vinum cum aqua, & factâ oblatione ut ſuprà, conſecrare, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo.*

Si poſt verba conſecrationis, ſed ante commixtionem particulæ, advertat vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam; depoſitâ aquâ in aliquod vas, iterùm vinum cum aqua ponat in Calice, & conſecret, reſumendo ab his verbis, *Simili modo.*

Si poſt commixtionem id advertat, aquam non effundat, ſed vinum apponat in majori quantitate, offerat, conſecret ut ſuprà, & proſequatur. Si poſt ſumptionem Corporis, ſimiliter faciat. Si in ſumptione hujuſmodi aquæ, ſorbeat quod in ore habet, ab ulteriori ſumptione ceſſet, vinum ſuperimponat in Calice, offerat, conſecret & ſumat, ut ſuprà.

Si quis percipiat ante conſecrationem, vel poſt conſecrationem, totum vinum eſſe acetum, vel aliàs corruptum, idem ſervetur quod ſuprà, ac ſi deprehenderet non eſſe poſitum vinum in Calice.

Si Celebrans ante conſecrationem Calicis advertat non fuiſſe appoſitam aquam, ſtatim ponat eam, & proferat verba conſecrationis. Si id advertat poſt conſecrationem Calicis, non apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti.

Si materia quæ eſſet apponenda, ratione defectûs vel panis, vel vini, non poſſet ullo modo haberi, ſi id fit ante conſecrationem Corporis, ulteriùs procedi non debet: ſi poſt conſecrationem Corporis, aut etiam Sanguinis deprehenditur defectus alterius ſpeciei, alterâ jam conſecratâ; tunc ſi nullo modo habere poſſit, procedendum erit, & Miſſa abſolvenda; ita tamen ut prætermittantur verba, & ſigna, quæ pertinent ad ſpeciem deficientem. Quòd ſi exſpectando aliquandiù haberi poſſit, expectandum erit, ne ſacrificium remaneat imperfectum.

CAPUT II.

De Defectibus Formæ.

DEfectus ex parte formæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipſa conſecratione requiruntur. Verba autem conſecrationis, quæ ſunt forma hujus Sacramenti, ſunt hæc; *Hoc eſt enim Corpus meum.* Et *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei*, &c. Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma conſecrationis Corporis & Sanguinis, & in ipſa verborum immutatione verba idem non ſignificarent, non conficeret Sacramentum. Si verò aliquid adderet, quod ſignificationem non mutaret: conficeret quidem, ſed graviſſimè peccaret.

Si Celebrans non recordetur ſe dixiſſe ea, quæ in conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei conſtet ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, id eſt, formam conſecrationis ſeu partem: reſumat iſtam formam, & cetera proſequatur per ordinem. Si verò valdè probabiliter dubitat ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſaltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulteriùs.

CAPUT III.

De Defectibus Miniſtri.

DEfectus ex parte Miniſtri poſſunt contingere quoad ea, quæ in ipſo requiruntur. Hæc autem ſunt, in primis intentio, deinde diſpoſitio animæ, diſpoſitio corporis, diſpoſitio veſtimentorum, diſpoſitio in miniſterio ipſo, quoad ea, quæ in ipſo poſſunt occurrere.

Articulus I.

De Defectu Intentionis.

SI quis non intendit conficere, ſed deluſoriè aliquid agere: Item ſi aliquæ Hoſtiæ ex oblivione remaneant in Altari; vel aliqua pars vini, vel aliqua Hoſtia lateat, cùm non intendat conſecrare niſi quas videt: Item ſi quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolùm decem, non determinans quas decem intendit: in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio. Secus ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare quas coram ſe habebat; nam tunc omnes erunt conſecratæ: atque ideò quilibet Sacerdos talem intentionem habere debet, ſcilicet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet.

Si Sacerdos putans ſe tenere unam Hoſtiam, poſt conſecrationem invenerit fuiſſe duas ſimul junctas, in ſumptione ſumat ſimul utramque. Quòd ſi deprehendat poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias aliquas relictas conſecratas, eas ſumat, ſive parvæ ſint, ſive magnæ, quia ad idem ſacrificium ſpectant.

Si verò relicta ſit Hoſtia integra conſecrata, eam in Tabernaculo cum aliis reponat; ſi hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari ſupra Corporale decenter opertam, ſumendam unà cum altera quam eſt conſecraturus, relinquat: vel ſi neutrum horum fieri poſſit, in ipſo Calice ſeu Patena decenter conſervet, quouſque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur: quòd ſi non habeat quomodo honeſtè conſervetur, poteſt eam ipſemet ſumere.

Si intentio non ſit actualis in ipſa conſecratione, propter evagationem mentis, ſed virtualis, cùm accedens ad Altare intendat facere quod facit Eccleſia, conficitur Sacramentum: etſi curare debet Sacerdos ut etiam actualem intentionem adhibeat.

Articulus II.

De Defectibus Diſpoſitionis Animæ.

SI quis ſuſpenſus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonicè impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, ſed graviſſimè peccat, tam propter Communionem quàm indignè ſumit, quàm propter executionem Ordinum, quæ ſibi erat interdicta.

Si quis habens copiam Confeſſoris celebret in peccato mortali, graviter peccat.

Si quis autem in caſu neceſſitatis non habens copiam Confeſſoris in peccato mortali abſque contritione celebret, graviter peccat. Secus ſi conteratur: debet tamen, cùm primùm poterit, confiteri.

Si in ipſa celebratione Miſſæ Sacerdos recordetur ſe eſſe in peccato mortali, conteratur cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi.

Si recordetur ſe eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, aut locum eſſe interdictum, ſimiliter conteratur cum propoſito petendi abſolutionem. Ante conſecrationem autem in ſupradictis caſibus, ſi non timetur ſcandalum, debet Miſſam incœptam deſerere.

Articulus III.

De Defectibus Diſpoſitionis Corporis.

SI quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potûs, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parva quantitate; non poteſt communicare, nec celebrare.

Si autem ante mediam noctem cibum, aut potum ſumpſerit, etiamſi poſtmodùm non dormierit, nec ſit digeſtus, non peccat; ſed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, conſulitur aliquando abſtinendum.

Si reliquiæ cibi remanentes in ore tranſglutiantur non impediunt Communionem, cùm non tranſglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Idem dicendum, ſi lavando os deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem.

Si plures Miſſas in una die celebret, ut in Nativitate Domini; in unaquaque Miſſa abluat digitos poſt Communionem in aliquo vaſe mundo, & in ultima tantùm percipiat purificationem.

Si præceſſerit pollutio nocturna, quæ cauſata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ ſit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam: abſtinendum eſt à communione & celebratione, niſi aliud Confeſſario videatur. Si dubium eſt an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, conſulitur abſtinendum, extra tamen caſum neceſſitatis. Si autem certum eſt non fuiſſe in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuiſſe cogitationem, ſed eveniſſe pollutionem ex naturali cauſa, aut ex diabolica illuſione; poteſt communicare, & celebrare: niſi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis ut abſtinendum videatur.

Articulus IV.

De Defectibus in Miniſterio ipſo occurrentibus.

POſſunt etiam defectus occurrere in Miniſterio ipſo, ſi aliquid ex requiſitis ad illud deſit, ut ſi celebretur in loco non ſacro, vel non deputato ab Epiſcopo, vel in Altari non conſecrato, vel tribus mappis non cooperto: ſi non adſint luminaria cerea: ſi non ſit tempus debitum celebrandi, quod eſt ab aurora uſque ad meridiem, communiter: ſi Celebrans Nocturnos, & poſt ſolis ortum etiam Laudes non dixerit: ſi omittat aliquam ex veſtibus ſacerdotalibus: ſi veſtes ſacerdotales & mappæ non ſint ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem, benedictæ; ſi non adſit Clericus, vel alius deſerviens in Miſſa, vel adſit, qui deſervire non debet, ut mulier: ſi non adſit Calix cum Patena, conveniens, cujus cuppa debet eſſe aurea vel argentea, vel ſtannea intùs deaurata; non ærea, vel vitrea: ſi Corporalia non ſint munda, quæ debent eſſe ex lino, nec ſerico in medio ornata; & ab Epiſcopo vel ab alio hanc habente poteſtatem benedicta, ut etiam ſuperiùs dictum eſt: ſi celebrat cum pileolo aut adſcititia coma, ſine diſpenſatione: ſi non adſit Miſſale, licèt memoriter ſciret Miſſam, quam intendit dicere.

Si, Sacerdote celebrante, violetur Eccleſia ante Canonem, dimittatur Miſſa: ſi Canone inchoato; non dimittatur. Si timeatur incurſus hoſtium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante conſecrationem dimittatur Miſſa, poſt conſecrationem verò Sacerdos accelerare poterit ſumptionem Sacramenti, omiſſis omnibus aliis.

Si Sacerdos ante conſecrationem graviter infirmetur, vel in ſyncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Miſſa: ſi poſt conſecrationem Corporis, Miſſa per alium Sacerdotem continuetur ab eo loco, ubi ille deſiit, & in caſu neceſſitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, ſed fuerit infirmus, adeò tamen ut poſſit communicare, & non adſit alia Hoſtia conſecrata; Sacerdos qui Miſſam ſupplet, dividat Hoſtiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipſe ſumat. Si autem ſemiprolatâ formâ Corporis obiit Sacerdos, quia non eſt facta conſecratio, non eſt neceſſe ut Miſſa per alium ſuppleatur. Si verò obierit ſemiprolatâ formâ Sanguinis, tunc alter proſequatur Miſſam, & ſuper eumdem Calicem repetat integram formam incipiens, ab eo loco, *Simili modo poſtquàm cœnatum eſt:* vel poſſet ſuper alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hoſtiam primi Sacerdotis, & Sanguinem à ſe conſecratum ſumere, ac deinde Calicem, à priori Sacerdote relictum.

Si quis extra hujuſmodi caſus neceſſitatis, integra Sacramenta non ſumpſerit, graviſſimè peccat.

Si muſca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante conſecrationem, projiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice; miſceat parum aquæ, offerat ut ſuprà, & proſequatur Miſſam: & ſi poſt conſecrationem ceciderit muſca, aut aliquid ejuſmodi, & fiat nauſea Sacerdoti; extrahat eam, & lavet cum vino, finitâ Miſſâ comburat, & combuſtio ac lotio hujuſmodi in Sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nauſea, nec ullum periculum timeat, ſumat cum Sanguine.

Si aliquod venenoſum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum conſecratum reponendum eſt in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuò conſecrandum: & finitâ Miſſâ Sanguis repoſitus in panno lineo, vel ſtuppa tamdiù ſervetur, donec ſpecies vini fuerint deſiccatæ, & tunc ſtuppa comburatur, & combuſtio in Sacrarium projiciatur.

Si aliquod venenatum contigerit Hoſtiam conſecratam, tunc alteram conſecret, & ſumat modo quo dictum eſt, & illa ſervetur in Tabernaculo, loco ſeparato, donec ſpecies corrumpantur, & corruptæ deinde mittantur in Sacrarium.

Si ſumendo Sanguinem particula remanſerit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, & ſumat ante purificationem, vel infundat vinum, & ſumat.

Si Hoſtia ante conſecrationem inveniatur fracta, niſi populo evidenter appareat, talis Hoſtia conſecretur: ſi autem ſcandalum populo eſſe poſſit, alia accipiatur, & offeratur: quod ſi illius Hoſtiæ jam erat facta oblatio, eam poſt ablutionem ſumat. Quòd ſi ante oblationem Hoſtia appareat confracta, accipiatur altera integra, ſi citrà ſcandalum aut longuam moram fieri poterit.

Si propter frigus, vel negligentiam Hoſtia conſecrata dilibatur in Calicem, propterea nihil eſt reiterandum, ſed Sacerdos Miſſam proſequatur, faciendo cæremonias & ſigna conſueta cum reſidua parte Hoſtiæ, quæ non eſt madefacta Sanguine, ſi commodè poteſt. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, ſed omnia dicat omittendo ſigna, & ſumat pariter Corpus & Sanguinem, ſignans ſe cum Calice, & dicens *Corpus & Sanguis Domini*, &c.

Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis: ſi id non proficeret, ponatur in ferventi aqua propè Altare, dummodò aqua in Calicem non intret, donec liquefiat.

Si per negligentiam aliquid de Sanguine Chriſti ceciderit, ſi quidem ſuper terram, ſeu ſuper tabulam, linguâ lambatur, & locus ipſe radatur quantum ſatis eſt, & abraſio comburatur, cinis verò in Sacrarium recondatur. Si verò ſuper lapidem Altaris ceciderit, ſorbeat Sacerdos ſtillam, & locus diligenter abluatur, & ablutio in Sacrarium projiciatur. Si ſuper linteum Altaris, & ad aliud linteum ſtilla pervenerit, ſi uſque ad tertium, linteamina ter abluantur ubi ſtilla ceciderit, Calice ſuppoſito, & aqua ablutionis in Sacrarium projiciatur. Quòd ſi in ipſo ſolùm Corporali, aut ſi in veſtibus ipſis ſacerdotalibus ceciderit, debet ſimiliter ablui, & ablutio in Sacrarium projici. Si in ſubſtrato pedibus panno, vel tapete, diligenter abluatur, ut ſuprà.

At ſi contingat Sanguinem poſt conſecrationem effundi, ſi quidem aliquid vel parum remanſit, illud ſumatur, & de effuſo reliquo ſanguine fiat ut dictum eſt. Si verò nihil omninò remanſit, ponat iterùm vinum & aquam, & conſecret incipiens ab eo loco, *Simili modo*, factâ priùs Calicis oblatione, ut ſuprà.

Si Sacerdos evomat Euchariſtiam, ſi ſpecies integræ appareant, reverenter ſumantur, niſi nauſea fiat; tunc enim ſpecies conſecratæ cautè ſeparentur, & in loco ſacro reponantur, donec corrumpantur, & poſteà in Sacrarium projiciantur. Quòd ſi ſpecies non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur.

Si Hoſtia conſecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram; reverenter accipiatur, & locus ubi cecidit, mundetur, & aliquantùm abradatur; & pulvis ſeu abraſio hujuſmodi in Sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, ſeu in aliquod linteum: mappa, vel linteum diligenter lavetur, & lotio ipſa in Sacrarium effundatur.

Si quis dixerit Cæremonias, Veſtes & externa Signa, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magìs quàm officia pietatis; Anathema ſit. *Concil. Trid. Seſſ.* 22. *Can.* 7.

Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe; Anathema ſit. *Ibid. Seſſ.* 7. *Can.* 13.



PRÆPARATIO AD MISSAM, AD LIBITUM SACERDOTIS.

Psalmus 83.

QUàm dilecta tabernácula tua, Dómine, virtútum! * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum; * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine, virtútum, * Rex meus, & Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine! * in ſécula ſeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus eſt auxílium abs te: * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exaudi oratiónem meam; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noſter, áſpice, Deus; * & réſpice in fáciem Chriſti tui.

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elégi abjectus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo, qui ſperat in te.

Glória Patri.

Psalmus 84.

BEnedixiſti, Dómine, terram tuam: * avertiſti captivitátem Jacob.

Remiſiſti iniquitátem plebis tuæ: * operuiſti ómnia peccáta eórum.

Mitigaſti omnem iram tuam: * avertiſti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus ſalutáris noſter; * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum iraſcéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu converſus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Oſtende nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; * & ſalutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen propè timentes eum ſalutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt; * & juſtítia de cœlo proſpexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit; * & ponet in via greſſus ſuos.

Glória Patri.

Psalmus 85.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me, * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum: * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te.

Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die: * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & intende voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudiſti me.

Non eſt símilis tuî in diis, Dómine, * & non eſt ſecundùm ópera tua.

Omnes gentes quaſcumque feciſti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília: * tu es Deus ſolus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus in toto corde meo: * & glorificábo nomen tuum in æternum.

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me; * & eruiſti ánimam meam ex inferno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt te in conſpectu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miſéricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére meî: * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuviſti me, & conſolátus es me.

Glória Patri.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus ſum: * ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo; * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi.

Cálicem ſalutáris accípiam; * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretióſa in conſpectu Dómini mors ſanctórum ejus.

O Dómine, quia ego ſervus tuus: * ego ſervus tuus, & fílius ancillæ tuæ.

Dirupiſti víncula mea: * tibi ſacrificábo hóſtiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conſpectu omnis pópuli ejus; * in átriis domûs Dómini, in médio tuî Jerúſalem.

Glória Patri.

Psalmus 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia: * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri.

Tob. 3. *ANTIPHONA.* Dómine, memor eſto meî, & ne vindictam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delicta mea. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter, *&c.*

Pſal. 40. ℣. Ego dixi; Dómine, miſerére meî. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Pſal. 89. ℣. Convértere Dómine, úſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Pſal. 32. ℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodùm ſperávimus in te.

Pſal. 131. ℣. Sacerdótes tui induantur juſtítiam, ℟. Et ſancti tui exultent.

Pſal. 18. ℣. Ab occultis meis munda me, Dómine, ℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo.

Pſal. 123. ℣. Dómine, exaudi oratiónem meam;

℟. Et clamor meus ad te véniat.

ORATIO. Orémus.

M. P. AUres tuæ pietátis, mitíſſime Deus, inclína précibus noſtris, & grátiâ ſancti Spíritûs illúmina cor noſtrum: ut tuis myſtériis dignè miniſtráre, teque æternâ caritáte dilígere mereámur.

DEus; cui omne cor patet, & omnis voluntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum; purífica per infuſiónem ſancti Spíritûs cogitatiónes cordis noſtri: ut te perfectè dilígere, & dignè laudáre mereámur. M. P.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros & cor noſtrum, Dómine: ut tibi caſto córpore ſerviámus & mundo corde placeámus. S. R.

MEntes noſtras, quæſumus Dómine, Paraclétus, qui à te procédit, illúminet: & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius veritátem. S. R.

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſancti; quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur adverſis. S. R.

DEus, qui corda fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuiſti: da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére. S. R.

CONſciéntias noſtras, quæſumus, Dómine, viſitando purífica: ut véniens Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Fílius tuus, parátam ſibi in nobis invéniat manſiónem; Qui tecum vivit & regnat Deus. ℟. Amen. M. P.

ORATIONES

Dicendæ à Sacerdote & Miniſtris cùm induuntur Sacerdotalibus paramentis ſive in Miſſis majoribus, ſive in privatis.

Cùm lavat manus dicat:

DA, Dómine, virtútem mánibus meis ad abſtergendam omnem máculam, ut ſine pollutióne mentis & córporis váleam tibi ſervíre.

Ad Amictum.

IMpóne, Dómine, cápiti meo gáleam ſalútis, ad expugnandos diabólicos incurſus.

Ad Albam.

DEalba me, Dómine, & munda cor meum; ut in sánguine Agni dealbátus, gáudiis pérfruar ſempiternis.

Ad Cingulum.

PRæcinge me, Dómine, cíngulo puritátis, & extingue in lumbis meis humórem libídinis: ut máneat in me virtus continéntiæ & caſtitátis.

Ad Manipulum.

MErear, Dómine, portáre manípulum fletûs & dolóris; ut cum exultatióne recípiam mercédem labóris.

Ad Stolam.

REdde mihi, Dómine, ſtolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi parentis: & & quamvis indignus accédo ad tuum ſacrum myſtérium, meréar tamen gáudium ſempiternum.

Ad Caſulam.

DOmine, qui dixiſti: Jugum meum ſuáve eſt, & onus meum leve: fac, ut iſtud portáre ſic váleam, quòd cónſequar tuam grátiam. Amen.

IN MISSA MAJORI.

Subdiaconus dicat ad Tunicam.

TUnicâ jucunditátis, & indumento lætítiæ índuat me Dóminus.

Diaconus dicat ad Dalmaticam.

INdue me, Dómine, indumento ſalútis, & veſtimento lætítiæ, & Dalmáticâ juſtítiæ circumda me ſemper.

ORATIONES

Dicendæ à DD. Epiſcopo, quando in pontificalibus celebrat.

Ad Caligas.

CAlcea, Dómine, pedes meos in præparatiónem Evangélii pacis, & prótege me in velamento alárum tuárum.

Cùm exuitur Cappâ:

EXue, me, Dómine, véterem hóminem cum móribus & áctibus ſuis: & índue me novum hóminem, qui ſecundùm Deum creátus eſt in juſtítia, & ſanctitáte veritátis.

Cùm lavat manus:

DA, Dómine, virtútem mánibus meis, ad abſtergendam omnem máculam immundam; ut ſine pollutióne mentis & córporis váleam tibi ſervíre.

Ad Amictum:

PONe, Dómine, gáleam ſalútis in cápite meo, ad expugnandas omnes diabólicas fraudes, inimicórum ómnium verſútias ſuperando.

Ad Albam.

DEalba me, Dómine, & à delicto meo munda me: ut cum his qui ſtolas ſuas dealbavérunt in sánguine Agni, gáudiis pérfruar ſempiternis.

Ad Cingulum.

PRæcinge me, Dómine, cíngulo fídei, & virtúte caſtitátis lumbos meos; & extingue in eis humórem libídinis, ut júgiter máneat in me vigor totíus caſtitátis.

Cùm accipit Crucem pectoralem:

MUníre dignéris me, Dómine Jeſu Chriſte, ab ómnibus insídiis inimicórum ómnium ſigno ſanctíſſimæ Crucis tuæ: ac concédere

dignéris mihi indigno ſervo tuo, ut ſicut hanc Crucem Sanctórum tuórum relíquiis refertam ante pectus meum téneo; ſic ſemper mente retíneam, & memóriam paſſiónis, & ſanctórum victórias Mártyrum.

Ad Stolam.

REdde mihi, Dómine, óbſecro, ſtolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi parentis: & quamvis indignus accédere præſúmo ad tuum ſacrum myſtérium cum hoc ornamento, præſta ut in eódem in perpétuum mérear lætári.

Ad Tunicellam:

TUnicâ jucunditátis, & indumento lætítiæ índuat me Dóminus.

Ad Dalmaticam:

INdue me, Dómine, indumento ſalútis, & veſtimento lætítiæ, & Dalmáticâ juſtítiæ circumda me ſemper.

Ad Chirothechas:

CIrcumda, Dómine, manus meas mundítiâ novi hóminis, qui de cœlo deſcendit: ut quemádmodùm Jacob dilectus tuus, pellículis hœdórum opertis mánibus, paternam benedictiónem, obláto patri cibo potúque gratíſſimo, impetrávit; ſic & oblátâ per manus noſtras ſalutári hóſtiâ, grátiæ tuæ benedictiónem mérear; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui in ſimilitúdinem carnis peccáti pro nobis óbtulit ſemetipſum.

Ad Planetam:

DOmine, qui dixiſti: Jugum meum ſuáve eſt, & onus meum leve: præſta, ut illud portáre ſic váleam, quòd poſſim cónſequi tuam grátiam.

Ad Mitram:

MItram, Dómine, & ſalútis gáleam impóne cápiti meo: ut contra antíqui hoſtis, omniumque inimicórum meórum insídias inoffenſus evádam.

Ad Annulum cordis:

COrdis & córporis mei, Dómine, dígitos virtúte decóra, & ſeptiformis Spíritûs ſanctificatióne circumda.

Ad Manipulum:

MErear, precor Dómine, manípulum portáre mente flébili, ut cum exultatióne portiónem accípiam cum Juſtis.



GRATIARUM ACTIO
POST MISSAM.

PSALMUS 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deérit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguasti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians, quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

Glória Patri.

PSALMUS 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea, * áudiant mansuéti, & lætentur.

Magnificáte Dóminum mecum; * & exaltémus nomen ejus in idipsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illumináMini; * & fácies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum; * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immittet ángelus Dómini in circúitu timéntium eum; * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus; * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt; * inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me; * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo; * & lábia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & persequere eam.

Oculi Dómini super justos, * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super facientes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos; * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima; * & qui odérunt justum, delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum; * & non delinquent omnes qui sperant in eo.

Glória Patri.

Psalmus 102.

BEnedic ánima mea, Dómino; * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Benédic ánima mea, Dómino, * & noli oblivíscі omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis: * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Miserátor & miséricors Dóminus, * longánimis & multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur, * neque in æternum comminábitur.

Non secundùm peccáta nostra fecit nobis, * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericórdiam suam super timentes se.

Quantùm distat ortus ab occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, * misertus est Dóminus timéntibus se;

Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum: * recordátus est quóniam pulvis sumus.

Homo, sicut fœnum dies ejus: * tamquam flos agri sic efflorébit;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet, * & non cognoscet ámpliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab æterno, * & usque in æternum super timentes eum:

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testamentum ejus,

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciendum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam; * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, facientes verbum illíus, * ad audiendam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite, Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea, Dómino.

Glória Patri.

Antiphona. O quàm suávis est, Dómine, Spíritus tuus! qui, ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, dívites dimittens inánes. (*Tempore Paschali*, Allelúia.) Sap. 12. & 16. Luc. 1.

Preces.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *&c.*

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: ℟. Escam dedit timéntibus se. Psal. 110.

Psal. 8. ℣. Quid est homo, quod memor es ejus? ℟. Aut filius hóminis, quóniam vísitas eum.

Psal. 62. ℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; ℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Psal. 113. ℣. Non nobis, Dómine, non nobis, ℟. Sed nómini tuo da glóriam.

Luc. 2. ℣. Nunc dimittis servum tuum, Dómine, secundùm verbum tuum, in pace; ℟. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

Psal. 101. ℣. Dómine, exaudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Oratio. Orémus.

S. R. Vísita, quæsumus Dómine, famíliam tuam; & corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte: ut remédia salútis æternæ, quæ, te miserante, percípiunt, te protegente, custódiant.

M. P. Quæsumus, Dómine, Deus noster, ut quos divínâ tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére periculis.

S. R. Cognóscimus, Dómine, tuæ circa nos cleméntiæ largitátem, & ídeò fiduciáliùs implorámus, ut quos páscere non désinis imméritos, & dignè tibi servíre perfícias, & donis uberióribus prosequáris.

S. R. Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ne períre patiáris quibus tanta remédia providísti; sed cum divíni frequentatióne mystérii, crescat nostræ salútis effectus.

M. P. Actiónes nostras, quæsumus Dómine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te semper finiátur.

M. P. Adjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus; ut qui offícium sacerdotále susscépimus, dignè ac devótè tibi in omni puritáte & conscién-tia bona famulári valeámus: & si non póssumus in tanta innocéntia vitæ conversári ut debémus; concéde nobis tamen dignè flere mala quæ géssimus: & in spíritu humilitátis, ac bonæ voluntátis propósito, tibi fervéntiùs de cétero deservíre, Per Christum Dóminum nostrum.



BENEDICTIONES DIVERSÆ.

BENEDICTIONES
A quocumque Sacerdote faciendæ.

Benedictio aquæ,

Singulis diebus Dominicis facienda, exceptis diebus Paſchæ & Pentecoſtes.

Sacerdos celebraturus Miſſam, indutus Albâ, Stolâ & Manipulo, ante Proceſſionem benedicit aquam in medio Chori, vel in Veſtiario, ritu qui ſequitur.

Ad Exorciſmos extendit manum dextram ſuper rem exorcizandam, ſiniſtrâ pectori admotâ: ad Orationes autem jungit manus.

Signans ſe manu dextrâ cantat in tono Orationis minorum Horarum:

Pſal. 123. ℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Pſal. 112. ℣. Sit nomen Dómini benedictum; ℟. Ex hoc nunc & uſque in ſéculum.

Exorcismus Salis.

M. A. Exorcízo te, creatúra ſalis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ ſanctum, per Deum, qui te per Eliſéum Prophétam in aquam mitti juſſit; ut ſanarétur ſterílitas aquæ; ut efficiáris ſal exorcizátum in ſalútem credéntium; ut ſis ómnibus te ſuméntibus sánitas ánimæ & córporis: & effúgiat atque diſcédat à loco, in quo aſperſum fúeris, omnis phantáſia & nequítia, vel versútia diabólicæ fraudis, omniſque ſpíritus immundus adjurátus; Per eum, qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſéculum per ignem. ℟. Amen.

Oratio. Orémus.

M. A. Immenſam cleméntiam tuam, omnípotens æterne Deus, humíliter implorámus: ut hanc creatúram ſalis, quam in uſum géneris humáni tribuiſti, bene- ✠ dícere, & ſancti- ✠ ficáre tuâ pietáte dignéris; ut ſit ómnibus ſuméntibus ſalus mentis & córporis; & quidquid ex eo tactum, vel aſperſum fúerit, cáreat omni immunditiâ, omníque impugnatióne ſpiritális nequítiæ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Exorcismus aquæ.

M. A. Exorcízo te, creatúra aquæ, in nómine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in nómine Jeſu ✠ Chriſti Fílii ejus Dómini noſtri, & in virtúte Spíritûs ✠ ſancti; ut fias aqua exorcizáta ad effugandam omnem poteſtátem inimíci, & ipſum inimícum eradicáre & explantáre váleas, cum ángelis ſuis apoſtáticis; Per virtútem ejuſdem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſéculum per ignem. ℟. Amen.

Oratio. Orémus.

M. A. Deus, qui ad ſalútem humáni géneris máxima quæque ſacramenta in aquárum ſubſtántia condidiſti: adeſto propítius invocatiónibus noſtris; & elemento huic multímodis

purificatiónibus præparáto, virtútem tuæ bene✠dictiónis infunde : ut creatúra tua Myſtériis tuis ſérviens, ad abigendos dæmones, morboſque pellendos, divínæ grátiæ tuæ ſumat effectum ; ut quidquid in dómibus, vel in locis fidélium hæc unda reſpérſerit, cáreat omni immundítiâ, liberétur à noxa : non illìc reſideat ſpíritus péſtilens, non aura corrumpens : diſcédant omnes insídiæ latentis inimíci : & ſi quid eſt quod, aut incolumitáti habitántium ínvidet, aut quiéti, aſperſióne hujus aquæ effúgiat ; ut ſalúbritas per invocatiónem ſancti tui nóminis expetíta ab ómnibus ſit impugnatiónibus defenſa ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Hìc Sacerdos ter mittit ſal in aquam in modum crucis, dicendo ſemel mediocri voce :

M. P. COmmíxtio ſalis & aquæ páriter fiat ; in nómine Pa✠tris, & Fí✠lii, & Spíritûs ✠ ſancti.

℟. Amen.

Altâ voce proſequitur junctis manibus :

℣. Dóminus vobiſcum ;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio. Orémus.

M. A. DEus, invictæ virtútis auctor, & inſuperábilis impérii rex, ac ſemper magníficus triumphátor ; qui adverſæ dominatiónis vires réprimis, qui inimíci rugientis ſævítiam ſúperas, qui hoſtíles nequítias potenter expugnas : te, Dómine, trementes & súpplices deprecámur, ac pétimus, ut hanc creatúram ſalis & aquæ dignanter aſpícias, benignus illuſtres, pietátis tuæ rore ſanctífices ; ut ubicumque fúerit aſperſa, per invocatiónem ſancti tui nóminis, omnis infeſtátio immundi ſpíritûs abigátur, terrorque venenóſi ſerpentis procul pellátur, & præſéntia ſancti Spíritus nobis miſericórdiam tuam poſcéntibus ubíque adeſſe dignétur ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Sacerdos accedens ad majus Altare, ei caput inclinat, aſpergillum accipit oblatum à Miniſtro ; & ad gradum infimum genuflexus ter aſpergit Altare, & ſurgens oſculatur illud. Si SS. Sacramentum expoſitum ſit in Altari, ſtatim Sacerdos genuflexus profundè inclinat & adorat, moxque accepto aſpergillo ter aſpergit pavimentum gradûs ſuperioris, non autem ipſum Altare, quod tamen poſt alteram profundam inclinationem ſurgens oſculatur. Poſteà aſpergit Crucem majorem, quæ ſuper Ambonem vel Cancellos Chori erecta eſt, ac Reliquias ſeu Imagines ſuper menſam in Navi expoſitas : tum Clerum in Choro ac denique populum ; Interim cantatur quod ſequitur.

Antiphona per annum.

A Sperges me, Dómine, hyſſópo, & mundábor : lavábis me, & ſuper nivem dealbábor. *Psalm.* Miſerére meî, Deus, * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto : ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper ; & in ſécula ſeculórum, Amen. *Repetitur Antiphona,* Aſperges me. Pſal. 50.

Si opus eſt, primo verſui Pſalmi Miſerére *adduntur ſequentes, quotquot neceſſarii ſunt, ante* Glória Patri, *& repetitionem Antiphonæ.*

In Dominicis de Passione & Palmarum, non dicitur Glória Patri : *sed addito secundo, vel tertio versu Psalmi, aut pluribus, si opus est ; repetitur Antiphona.*

Tempore Paschali, loco Antiphonæ Asperges, *& Psalmi* Miserére, *cantatur quod sequitur.*

ANTIPHONA.

Ezech. 36. EFfundam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinamentis vestris, Allelúia : & dabo vobis cor novum, & spíritum novum ponam in médio vestrî. Allelúia, allelúia. *PSALM.* Confitémini Dómino quóniam bonus ; * quóniam in séculum misericórdia ejus. Glória. Effundam.

Psal. 117.

Post aspersionem, Sacerdos in medio Chori cantat Orationem sequentem.

ORATIO. Orémus.

M. A. EXaudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, æterne Deus : & míttere dignéris sanctum Angelum

M. P. tuum de cœlis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque defendat omnes congregátos in hoc sancto templo tuo ; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO IMAGINUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Psal. 123. ℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

DEus, qui Unigénitum tuum in similitúdinem hóminum fíeri voluísti : hanc quæsumus humanitátis ejus imáginem sancti-✠ficáre, & bene-✠dícere dignéris ; & concéde, ut qui Verbum incarnátum per hanc imáginem adorámus, divíno exemplári dignis móribus conformes fíeri mereámur ; Qui tecum vivit & regnat Deus. ℟. Amen.

Sacerdos aspergit Imaginem aquâ benedictâ.

BENEDICTIO CRUCIS IN ALTARI COLLOCANDÆ.

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini, Psal. 123.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

BEnedic, ✠ & sanctífica, Dómine Deus, hoc signum redemptiónis nostræ, quod in Altári collocandum est ; ut nobis annúntiet Fílii tui mortem in oblatióne Sacrifícii quod in suî memóriam fíeri præcépit Jesus Christus Dóminus noster ; Qui tecum vivit & regnat Deus. ℟. Amen.

Posteà Sacerdos aspergit Crucem aquâ benedictâ, & devotè eam deosculatur dicens : Benedictum est lignum per quod fit justítia. Sap. 14.

BENEDICTIO CRUCIS IN PROCESSIONIBUS DEFERENDÆ, SEU IN DOMIBUS SERVANDÆ.

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini, Psal. 123.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

ORATIO.

ORATIO. Orémus.

M. P. SAnctí-✠fica, Dómine Jeſu Chriſte, venerandum illud ſignum Paſſiónis tuæ, ut ſit poteſtátibus tenebrárum in terrórem, fidélibus tuis in ſalútem; Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

Hìc Sacerdos aſpergit Crucem aquâ benedictâ.

M. P. SAnctificétur ſignum iſtud redemptiónis noſtræ in nómine Pa-✠tris, & Fí-✠lii, & Spíritûs ✠ ſancti, ut quì coram illo proſtráti, Chriſtum in Cruce exaltátum adoráverint, percípiant córporis & ánimæ ſanitátem; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſteà Sacerdos genuflexus ante Crucem, devotè oſculatur eam, dicens:

Sap. 14. Benedictum eſt lignum per quod fit juſtítia; *& idem faciunt omnes aſtantes.*

BENEDICTIO IMAGINUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, ET SANCTORUM.

Pſal. 123. ℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

M. P. DEus, qui duos Chérubim ex utráque parte propitiatórii in Sanctuário tuo poni voluiſti: hanc (beatíſſimæ Vírginis Maríæ) [*vel* ſancti *N. aut* ſanctæ *N.*] Imáginem ſancti-✠ficáre & bene-✠dícere dignéris: & præſta, ut per hanc Imáginem quæ nobis ſanctitátem ejus in memóriam révocat, ad illíus imitatiónem & cultum excitémur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Sacerdos aſpergit Imaginem aquâ benedictâ.

BENEDICTIO VEXILLI QUOD DEFERTUR IN PROCESSIONIBUS.

Pſal. 123. ℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

M. P. DOmine Jeſu Chriſte, cujus Eccléſia eſt vélutì caſtrórum ácies ordináta, béne-✠dic hoc Vexillum, ut omnes tibi Deo, ſub invocatióne beáti *N.* Patroni (*vel* beátæ *N.* Patrónæ) militantes inimícos ſuos viſíbiles & invisíbiles in hoc ſéculo ſuperáre, & poſt victóriam in cœlis triumpháre mereantur, per te, Jeſu Chriſte, qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Sacerdos aſpergit Vexillum aquâ benedictâ.

Si Vexillum aliquod repreſentet Chriſti Myſterium, aut SS. Trinitatem, in Oratione præcedenti ſic dicitur: Ut omnes tibi Deo militantes, inimícos ſuos, *&c.*

BENEDICTIO AD QUODCUMQUE COMESTIBILE.

Pſal. 123. ℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

M. P. BEne-✠dic, Dómine, creatúram iſtam *N.* ut ſit remédium ſalutáre géneri humáno: & præſta, per invocatiónem ſancti nóminis tui, ut quícumque ex ea cum gratiárum actióne

ſúmpſerint, córporis ſanitátem & ánimæ tutélam percípiant; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Sacerdos id aſpergit aquâ benedictâ.

BENEDICTIO NOVORUM FRUCTUUM.

Pſal. 123. ℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

M. P. BEne-✠dic, Dómine, hos novos fructus *N.* & præſta, ut qui ex eis in tuo ſancto nómine veſcentur, córporis & ánimæ ſalúte potiantur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Sacerdos aſpergit Fructus aquâ benedictâ.

BENEDICTIO PANIS, EXTRA MISSAM.

Pſal. 123. ℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

M. P. DOmine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, bene-✠dícere dignéris hunc panem tuâ ſanctâ ſpirituáli benedictióne; ut ſit ómnibus ſuméntibus ſalus mentis & córporis, atque contra omnes morbos, & univerſas inimicórum insídias tutámen, per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, panem vivum, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam & ſalútem mundo; qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Sacerdos aſpergit Panem aquâ benedictâ.

BENEDICTIO VINI.

℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini, Pſal. 123.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

S. R. DOmine, Jeſu Chriſte, qui in Cana Galílææ ex aqua vinum feciſti, bene-✠dícere & ſanctifi-✠cáre dignéris hanc creatúram Vini, quam ad ſuſtentatiónem ſervórum tuórum tribuiſti; ut ubicumque fuſum fúerit, vel à quólibet potátum, divínâ opuléntiæ tuæ benedictióne repleátur; Qui vivis & regnas Deus.

℟. Amen.

Sacerdos aſpergit Vinum aquâ benedictâ.

BENEDICTIO AGNI IN PASCHA.

℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini, Pſal. 123.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

S. R. DEus, qui per fámulum tuum Móyſen, in liberatióne pópuli tui de Ægypto, agnum occídi juſſiſti, in ſimilitúdinem Dómini noſtri Jeſu Chriſti; & utrumque poſtem domórum de ſánguine ejuſdem agni perungi præcepiſti: bene-✠dícere, & ſanctifi-✠cáre dignéris hanc creatú-

ram carnis : & præſta, ut qui eam in his feſtis paſchálibus ſúmpſerint, reparátæ per Agni immaculáti ſánguinem libertátis lætítiam percípiant ; per reſurrectiónem ejuſdem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Sacerdos aſpergit Agnum aquâ benedictâ.

Benedictio Ovorum.

℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini, Pſal. 123.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio. Orémus.

M. P. SUbvéniat, quæſumus, Dómine, tuæ bene-✠dictiónis grátia huic Ovórum creatúræ : ut cibus ſálubris fiat fidélibus tuis cum gratiárum actióne ſuméntibus, ob reſurrectiónem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Sacerdos aſpergit Ova aqua benedictâ.

Benedictio Cerei Paschalis extra Sabbatum - sanctum si aliquo casu defecerit.

℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini, Pſal. 123.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio. Orémus.

M. P. DOmine Deus Pater omnípotens, lux vera & fons ómnium lúminum ; bénedic ✠ & ſanctífica Céreum iſtum, ut ab ejus lúmine accendámur atque illuminémur igne claritátis tuæ : & ſicut illuminaſti Móyſen exeuntem de Ægypto, ita illúmines corda & ſenſus noſtros, ut ad vitam & lucem æternam pervenire mereámur : Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Benedictio quinque Granorum Incensi in modum Crucis Cereo infigendorum.

VEniat, quæſumus omnípotens Deus, ſuper hoc Incenſum, larga tuæ benedictiónis infúſio ; *hîc Celebrans ter aſpergit aquâ benedictâ & ter incenſat Grana Incenſi, tum ea inſigit in Cereo in modum Crucis & proſequitur*, ut Chriſtus reſurgens ex mórtuis nobis ſit lumen indefíciens in illuminatiónem peregrinatiónis noſtræ, & odor vitæ in vitam æternam : Qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. M. P.

℟. Amen.

Sacerdos aſpergit Cereum aquâ benedictâ & accendit, & extinguit niſi fiat benedictio diebus, Paſchæ, Aſcenſionis & Pentecoſtes.

Benedictio Cereorum, extra diem Præsentationis Domini et Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini, Pſal. 123.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio. Orémus.

DOmine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, lux vera, quæ illúminas omnem hóminem venientem in hunc M. P.

mundum, béne-✠dic, quæsumus, Céreos istos; & præsta, ut quibuscumque in locis accensi fúerint, discédant ab iis potestátes tenebrárum, nec tibi servientes inquietáre váleant; Qui vivis & regnas Deus in sécula seculórum. ℟. Amen.

Sacerdos aspergit Cereos aquâ benedictâ.

BENEDICTIO COMMUNIS UBI PROPRIA NON HABETUR.

Psal. 123. ℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

M. P. DEus, cujus verbo sanctificantur ómnia, quæ vel fácimus, vel percípimus; effunde, quæsumus, benedictiónem tuam super nos & super hanc ✠ tuam Creatúram; ut per invocatiónem sancti tui nóminis quæcumque præsentis vitæ necéssitas piè póstulat, misericórditer cum gratiárum actióne assequámur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Sacerdos aspergat quamlibet rem aquâ benedictâ.

¶ *Aliæ Benedictiones reperiuntur in Rituali.*

BENEDICTIONES

Ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus, faciendæ.

BENEDICTIO SACERDOTALIUM INDUMENTORUM IN GENERE.

Psal. 123. ℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

ORATIO. Orémus.

S. R. OMnípotens sempiterne Deus, qui per Móysen fámulum tuum, Pontificália & Sacerdotália seu Levítica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministérium eórum ad honórem & decórem nóminis tui fieri decrevisti: adesto propítius invocatiónibus nostris; & hæc Indumenta Sacerdotália, per nostræ humilitátis servítium purifi-✠cáre, bene-✠dícere, & conse-✠cráre dignéris; ut divínis cúltibus & sacris Mystériis apta, & benedicta exístant: his quoque sacris véstibus Pontífices, & Sacerdótes, seu Levítæ tui, indúti, ab ómnibus impulsiónibus seu tentatiónibus malignórum spirítuum muníri & defendi mereantur: tuisque Mystériis aptè & condignè servíre, atque in his tibi plácitè & devótè perseveráre tríbue; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

ORATIO. Orémus.

S. R. DEus, invictæ virtútis triumphátor, & ómnium rerum creátor ac sanctificátor; intende propítius preces nostras: & hæc indumenta Levíticæ, Sacerdotális & Pontificális glóriæ, Ministris tuis fruenda, bene-✠dícere, sancti-✠ficáre, & conse-✠cráre dignéris: omnesque eis

utentes

utentes, tuis Mystériis aptos ; & tibi in eis devótè ac laudabíliter servientes gratos effícere dignéris ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum ; qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

Oratio. Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui vestimenta sancta Pontificibus, Sacerdótibus, & Levítis in usum tabernáculi fœderis necessária per Móysen fámulum tuum fieri jussísti : hæc vestimenta in usum & cultum Mystérii tui bene-✠dícere, sancti-✠ficáre, & conse-✠cráre dignéris : atque ministros altáris tui, qui ea indúerint, septiformis Spíritûs grátiâ dignanter repléri, atque castitátis stolâ, justítiâ ministério congruente, & beátâ tandem, in præmium bonórum óperum, fácias immortalitáte vestíri : Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et aspergit ipsa Indumenta aquâ benedictâ.

Benedictio cujuslibet Indumenti.

℣. Adjutórium nostrum✠in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio. Orémus.

DEus omnípotens, bonárum virtútum dator, & ómnium benedictiónum largus infúsor ; súpplices te rogámus, ut mánibus nostris opem tuæ benedictiónis infundas, & has Cáligas & Sandália, (*vel* hunc Amictum, *vel* hanc Albam, *vel* hoc Cíngulum, *vel* hanc Stolam, *vel* hoc Manípulum, *vel* hanc Tunicellam, *vel* hanc Dalmáticam, *vel* hanc Planétam, *vel* hoc Pluviále, *vel* hoc Superpellíceum, (divíno cúltui præparátum, *vel* præparátam *vel* præparátas, *vel* præparáta) virtúte sancti Spíritûs bene-✠dícere, sancti-✠ficáre, & conse-✠cráre dignéris, ómnibus eis, (*vel* eâ, *vel* eo) uténtibus grátiam sanctificatiónis sacri Mystérii tui benignus concéde, ut in conspectu tuo sancti & immaculáti atque irreprehensíbiles appáreant, & auxílium misericórdiæ tuæ acquírant ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

Sacerdos aspergit aquâ benedictâ.

Benedictio Mapparum et Tobalearum sive Linteaminum Altaris.

℣. Adjutórium nostrum✠in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio. Orémus.

EXaudi, Dómine, preces nostras, & hæc Linteámina sacri Altáris úsui præparáta, bene✠dícere, & sancti-✠ficáre dignéris ; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Oratio. Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui Móysen fámulum tuum, ornamenta & linteámina fácere docuísti, in usum minístérii tabernáculi fœderis : bene-✠dícere, sancti-✠ficáre, & conse-✠cráre dignéris hæc linteá-

mina; ad tegendum involvendumque altáre gloriosíſſimi Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Et aſpergit ea aquâ benedictâ.

Benedictio Corporalium et Pallarum.

℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio. Orémus.

CLementíſſime Dómine, cujus ineenarrábilis eſt virtus, cujus myſtéria arcánis mirabílibus celebrantur: tríbue, quæſumus, ut hoc linteámen (*vel* hæc linteámina) tuæ propitiatiónis bene-✠dictióne ſanctificétur (*vel* ſanctificentur) ad conſecrandum ſuper eo (*vel* eis) Corpus & Sánguinem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti Fílii tui; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Oratio. Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, bene-✠dícere, ſancti-✠ficáre, & conſe-✠cráre dignéris linteámen iſtud (*vel* linteámina iſta) ad tegendum involvendumque Corpus & Sánguinem Dómini noſtri Jeſu Chriſti Fílii tui; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Oratio. Orémus.

OMnípotens Deus, mánibus noſtris opem tuæ benedictiónis infunde; ut per noſtram bene-✠dictiónem hoc linteámen ſanctificétur, (*vel* hæc linteámina ſanctificentur) & Córporis ac Sánguinis Redemptóris noſtri novum ſudárium, Spíritûs ſancti grátiâ, efficiátur (*vel* efficiantur:) Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Et aſpergit Corporalia vel Pallas aquâ benedictâ.

Benedictio Tabernaculi, seu Vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda.

℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio. Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, majeſtátem tuam ſúpplices deprecámur, ut tabernáculum (*vel* váſculum) hoc, pro Córpore Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti condendo fabricátum, bene-✠dictiónis tuæ grátiâ dicáre dignéris; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Et aſpergit illud aquâ benedictâ.

MODUS CANTANDI LECTIONES, SIVE PROPHETIAS, EPISTOLAS, ET EVANGELIA.

DE CANTU LECTIONUM.

Lectio, ſive Prophetia, cantatur recto vocis tono, uſque ad punctum (.) Ad ſingula autem puncta fit inflexio, deprimendo ad quintam, ſic:



Lecti- o Dani- e- lis Prophe- tæ.



Lecti-o libri Geneſis. Scito ergo &



a-nimadver-te. Et intel-li- geres.

Ad punctum, quod præcedit vox Hebraica, vel monoſyllaba, fiat diaptoſis, quæ in Miſſali hac notâ (˘) deſignatur.



Deus Iſraĕl. Abraham, Abrahăm.



Abſque me non ĕſt. Cogno- viſti



mĕ.

Ad punctum interrogationis (?) vel admirationis (!) nulla fit inflexio: ſed penultima ſyllaba aliquantùm producitur; vel, ſi penultima brevis eſt, producitur antepenultima.



Quid vis, fi-li? Ubi eſt victima ho-



locauſti? Quàm pulcri ſuper mon-



tes pedes evange-li-zanti-um pacem!



Quàm pulcra es, cariſſima, in de-



li-ci-is!

Lectio terminatur per diaptoſin in penultima; vel, ſi brevis eſt, in antepenultima.



Ab univerſo opere quod patră- rat.



A turbine & à plŭ- vi- a.

Si vox ultima ſit Hebraica, vel monoſyllaba, diaptoſis fit in ultima.



In Jeru-ſa-lĕm. Converſatus ĕſt.

DE CANTU EPISTOLÆ.

In Epiſtola, ſyllaba omnis, cui hæc figura (˘) ſupereminet, deprimitur ad tertiam minorem. Cui verò hæc alia (^) ſuperpoſita eſt, attollitur ad tertiam pariter minorem.



Lecti- o E-piſto-læ be-a-tĭ Pauli



Apoſto-li âd Romanos. Fratres;



Hora eſt jam nos dĕ ſomno



ſurgere: nunc enim propi-or eſt



noſtra ſalus, quàm cûm credidimus.

Ad punctum interrogationis (?) & admirationis (!) idem observatur quod in Lectionibus, nec ulla fit inflexio.



Quid dicam vobis ? Laudo vos.

Asteriscus (*) circa finem Epistolæ, significat syllabam, cui superponitur, protrahendam per chordas sol, la, ut, *ad indicandam Epistolæ conclusionem.*



Et carnis curam ne fĕcĕ- ri- tis in



de-si-de- ri- is.

DE CANTU EVANGELII.

In cantando Evangelio eadem observantur, quæ in Epistola, nisi quòd loco hujus notæ (˅) frequens est (˘), quâ significatur syllabam subjacentem protrahi oportere per diaptosin, sic :



Dominus vobĭs- cum. Sequenti-a



sancti Evangeli-i secundùm Lŭ- cam.



In illo tempore ; Loquente Jĕ-su



ad turbas, extollens vocem quædam



muli-er de turba, dixit ĭl- li :



Be- a-tus venter quĭ te portavit,



& ubera quæ su-xi- sti ! At il- le



dĭ- xit : Quinimmo, be-a-ti qui



audi- unt verbŭm Dĕ- i, & cu-



sto-di- unt il- lud.

PROPRIUM DE TEMPORE.

Viol. DOMINICA PRIMA Adventûs.

DUPLEX-MAJUS.

AD MISSAM.

INTROITUS.

Psal. 24. AD te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubescam. Neque irrídeant me inimíci mei: étenim universi qui sustinent te, non Ibid. confundentur. *PSALM.* Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine. Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen.

Repetitur, Ad te, Dómine, levávi. *usque ad Psalmum.*

Hic modus repetendi Introitum servatur per totum annum

Non dicitur Glória in excelsis, *ab hac Dominicâ usque ad Natalem Domini, nisi in Festis, ac Missis de B. M. V. in Sabbato.*

COLLECTA. Orémus.

S. R. EXcita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni; ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, mereámur, te protegente, éripi, te liberante, salvári; Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

DE BBATA MARIA VIRGINE, DEUM-PARITURA, Deus, qui de beátæ, *infrà*, *pag.* 2.

Si aliqua occurrat Commemoratio facienda, præmittitur COLLECTÆ *de B. M. V.*

Léctio Epístolæ beátî Pauli Apóstoli âd Romános.

FRatres; Hora est jam nos dĕ somno súrgere: nunc enim própior est nostra salus, quám cûm credídimus. Nox præcessit, dies autem apprôpinquávit. Abjiciámus ergo ópĕra tenebrárum, & induámur ârma lucis. Sicut in die honestè ambulémus: non in comessatiónibus & ebrietátibus, non in cubílibus & impudicítiis, non in contentióne & æmŭlatióne; sed induímini Dóminum Jesum Christum, & carnis curam ne fĕcĕritis in desidériis. Cap. 13.

GRADUALE. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ: Dícite fíliæ Sion, Ecce Salvátor tuus venit; ecce merces ejus cum eo. ℣. Apparébit in finem, & non mentiétur: si moram fécerit, expecta illum; quia véniens véniet, & non tardábit. Isaiæ 62. Hab. 2.

Intrà Hebdomadam omittitur Allelúia, *cum suo Versu.*

Allelúia, allelúia. ℣. Respícite, & leváte cápita vestra, quóniam appropinquat redémptio vestra. Allelúia. Luc. 21.

Sequéntia sanctî Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 21. IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis sŭis : Erunt signa in sole & luna , & stellis ; & in terris pressúra géntium , præ confusióne sónitus maris , & flúctuum , arescéntibus homínibus præ timóre , & expectatióne , quæ supervénient universo orbi : nam virtútes cœlórum movebuntur ; & tunc vidébunt Fílium hóminis veniéntem in nube cum potestáte magna , & majestăte. His autem fieri incipiéntibus , respícite , & levátĕ cápita vestra , quóniam appropinquat redémptio vĕstra. Et dixit illis similitŭdinem : Vidéte ficúlneam , ĕt omnes árbores ; cùm prodúcunt jam ex se fructum , scitis quóniam propè est æstas. Ita & vos , cùm vĭdéritis hæc fieri , scitóte quóniam propè est regnum Dĕi. Amen dico vobis , quia non præterí-bit genĕrátio hæc , donec ómnia fiant. Cœlum ĕt terra transíbunt ; verba autem mea non transĭbunt. Atténdite autem vobis , ne fortè graventur corda vestra in crápula , & ebrietáte , & curis hujus vitæ , & supervéniat in vos repentínă dies illa ; tamquam láqueus enim supervéniet in omnes qui sedent super fáciem omnis tĕrræ. Vigiláte ítaque , omnĭ témpore orantes , ut digni habeámini fúgere ista ómnia quæ futúra sunt , ĕt stăre ante Fílium hóminis.

Dicitur Credo *in Dominica. Sed intrà Hebdomadam non dicitur.*

Psal. 24. *OFFERTORIUM.* Dírige me in veritáte tua , & doce me ; quia tu es Deus salvátor meus , & te sustínui totâ die.

SECRETA.

M. P. HÆc tibi obláta , Dómine , benignus sanctificanda assúme libámina ; ut eórum perceptióne expiémur à crímine , & adventûs Fílii tui glóriam mereámur fidenter præstolári ; Per eumdem.

DE BEATA MARIA VIRGINE , DEUM - PARITURA , Nostræ Redemptiónis , *infrà.*

PRÆFATIO de ADVENTU , quæ quotidiè dicitur usque ad Vigiliam Natalis Domini inclusivè , nisi aliter notetur.

COMMUNIO. Dóminus judex noster , Dóminus légifer noster , Dóminus rex noster , ipse salvábit nos. Isaiæ 33.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. PEr virtútem hujus sacramenti , præsta , quæsumus , Dómine ; ut qui de unigéniti Fílii tui adventu secundùm carnem lætantur ; in secundo , cùm vénerit in majestáte sua , præmium æternæ vitæ percípiant ; Per.

DE BEATA MARIA VIRGINE , DEUM - PARITURA , In méntibus , *infrà.*

Dicitur Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Quod observatur quoties non dicitur Glória in excelsis.

TEMPORE ADVENTUS , tam in Feriis quàm in Festis Duplicibus & Semiduplicibus , modò non fiat de aliqua Octava , post Orationem diei , vel post Commemorationes , si sint faciendæ , fit Commemoratio de BEATA MARIA VIRGINE , DEUM-PARITURA.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus , qui de beátæ Maríæ Vírginis útero , Verbum tuum , Angelo nuntiante , carnem susćípere voluisti : præsta supplícibus tuis , ut , qui verè eam Genitrícem Dei crédimus , ejus apud te intercessiónibus adjuvémur ; Per eumdem.

SECRETA.

S. G. NOstræ Redemptiónis hóstiam offerentes , te Dómine , deprecámur ; ut corda nostra suæ caritátis

ardóribus

ardóribus mundet & inflammet Spíritus ſanctus, qui beátæ Maríæ víſcera ſplendóribus ſuæ virtútis replévit; Per Dóminum.... in unitáte ejuſdem.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. IN méntibus noſtris, quæſumus, Dómine, veræ fídei ſacramenta confirma; ut qui conceptum de Vírgine Deum verum & hóminem confitentes, Corpus ejus & Sánguinem ſúmpſimus, per ejus ſalutíferæ Reſurrectiónis poténtiam, ad æternam mereámur perveníre lætítiam; Per eumdem.

Orationibus ſupradictis addi poterunt ad devotionem, Orationes pro Eccleſia, quæ habentur inter Orationes ad diverſa, pag. cxlj.

¶ *Intra Hebdomadam, quando dicenda eſt Miſſa de Feriâ, & propria non aſſignatur, reſumitur Miſſa de Dominicâ præcedenti, præter Epiſtolam & Evangelium quæ ſingulis Feriis quartis & ſextis habentur propria.*

Si autem aliquod Feſtum incidat in Feriam IV. aut VI. tunc Epiſtola & Evangelium, quæ iſtis diebus aſſignantur, leguntur in aliis Feriis ejuſdem Hebdomadæ non impeditis, hâc ſervatâ regulâ, ut ſi fieri poterit, ſemel in ſingulis hebdomadis fiat utriuſque Epiſtolæ & Evangelii lectio, quocumque die locus dabitur; quod ſervatur per totum annum, niſi aliter notetur.

FERIA IV.

Léctio Epíſtolæ beáti Pêtri Apóſtoli.

2. Petr. 3. CAríſſimi; Vénient in novíſſimis diébus in deceptióne illuſóres, juxta próprias concupiſcéntias ambŭlantes, dicentes: Ubi eſt promíſſio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormiérunt, ómnia ſic perſevérant ab inítio crêatúræ. Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra, de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo; per quæ ille tunc mundus aqua inundâtus périit. Cœli autem qui nunc ſunt, & terra, eódem verbo rĕpóſiti ſunt, igni reſervâti in diem judícii & perditiónis impiórum hóminum. Unum verò hoc non láteat vos, caríſſimi, quia unus dies apud Dóminum ſicŭt mille anni, & mille anni ſicut dies unus. Non tardat Dóminus promiſſiónem ſuam, ſicŭt quidam exíſtimant; ſed patienter agit propter vos, nolens áliquos períre, ſed omnes ad pœnitêntiam reverti. Advéniet autem dies Dómini ut fur; in quo cœli magno ímpetu tránſient, elementa verò călóre ſolventur; terra autem & quæ in ipſa ſunt ópera, êxurentur. Cùm ígitur hæc ómnia diſſŏlvenda ſint; quales oportet vos eſſe in ſanctis converſatiónibus, & pietátibus, expectantes & properantes in adventum diéi Dómini, per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardóre tabeſcent? Novos verò cœlos & novam terram ſecundùm promiſſa ipsíŭs expectámus, in quibus juſtîtia hábitat. Propter quod, caríſſimi, hæc expectantes, ſatágite immaculáti & inviolâti ei invĕníri in pace, & Dómini noſtri longanimitátem, ſalútem arbitrémini; ſicut & caríſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapĭĕntiam ſcripſit vobis.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 17. IN illo témpore; Interrogátus Jeſus à Phariſæis quando venit regnum Dei, reſpondens eis, dĭxit: Non venit regnum Dei cum obsĕrvatióne: neque dicent, Ecce hìc, aut Ecce illic: ecce enim regnum Dei intra vos ĕſt. Et ait ad diſcípulos ſuos: Vénient dies, quando deſiderétis vidére unum diĕm Fílii hóminis, & non vidĕbitis. Et dicent vobĭs, Ecce hìc; & Ecce ĭllic. Nŏlíte

ire, neque ſectĕmini. Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cœlo, in ea quæ sŭb cœlo ſunt fulget ; ita erit Fílius hóminis in die sŭa. Primùm autem oportet illŭm multa pati, & reprobári à generatióne hăc. Et ſicut factum eſt in dĭébus Noë, ita erit & in diébus Fílii hŏminis. Edébant, & bibébant; uxóres ducébant, & dabantur ad núptias, uſque in diem qua intrávĭt Noë in arcam : & venit dĭlŭvium, & pérdidit omnes.

FERIA VI.

Léctio Epíſtolæ beáti Jacôbi Apóſtoli.

Cap. 5. PAtientes ĕſtóte, fratres, uſque ad advêntum Dómini. Ecce agrícola expectat pretiósŭm fructum terræ, patienter ferens donec accípiat temporáneum êt ſerótinum. Patientes ígitur eſtóte & vos, & confirmátĕ corda veſtra ; quóniam adventus Dómini apprôpinquávit. Nolíte ingemíſcere, fratrĕs, in altérutrum, ut non jûdicémini. Ecce judex ante jânuam aſſiſtit. Exemplum accípite, fratres, éxitus mali, labóris ĕt patiéntiæ, Prophétas, qui locútĭ sŭnt in nómine Dómini.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap 17. IN illo témpore ; Ait Jeſus ad diſcípulos sŭos : Sicut factum eſt in diébus Lot ; edébant, & bibébant ; emébant, & vendébant ; plantábant, & ædificábant : qua die autem éxiit Lot à Sódomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo, ĕt omnes pérdidit ; ſecundùm hæc erit qua die Fílius hóminis revelăbitur. In illa hora, qui fúerit in tecto, & vaſa ejus in domo, ne deſcendăt tóllere illa ; & qui in agro, ſimíliter non rédeat rĕtrò. Mémores eſtóte uxóris Lŏt. Quicumque quæsíerit ánimam ſuam ſalvam fácĕrĕ, perdet illam ; & quicumque perdíderit illam, vivificábit ĕam. Dico vobis : In illa nocte erunt duo in lecto uno ; unus aſſumétur, & alter relinquétur : duæ erunt molentes in unum ; una aſſumétur, & áltĕră relinquétur : duo in agro ; unus aſſumétur, & alter relinquĕtur. Reſpondentes dicunt ĭlli : Ubi, Dómine ? Qui dixit ĭllis : Ubicumquĕ fúerit corpus, illuc congregăbŭntur & áquilæ.

DOMINICA SECUNDA Adventûs.

Viol.

Introitus.

PRæparáre in occurſum Dei tui, Iſrael ; quia ecce formans montes, & creans ventum, & annúntians hómini elóquium ſuum : Dóminus Deus exercítuum nomen ejus. *Psalm.* Dómini eſt terra, & plenitúdo ejus ; * orbis terrárum, & univerſi qui hábitant in eo. Glória. Præparáre.

Amos. 4.

Pſal. 23.

Collecta. Orémus.

EXcita, Dómine, corda noſtra ad præparandas Unigéniti tui vias ; ut per ejus adventum purificátis méntibus tibi ſervíre mereámur ; Qui tecum.

S. G.

De B. M. V. Deum-paritura, Deus, qui de beátæ, *ſuprà*, *pag.* 2.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

FRatres ; Quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrínăm ſcripta ſunt ; ut per patiéntiam & conſolatiónem Scripturárum ſpem hâbeámus. Deus autem patientiæ & ſolátii det vobis idipſum ſápere in altérutrum ſecundŭm Jeſum Chriſtum ; ut unánimes, uno ore honorificétis Deum, & Patrem Dómini noſtri Jeſû Chriſti. Propter quod sŭſcípite ínvicem, ſicut & Chriſtus ſuſcépit vos, in honôrem Dei. Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſiónis propter veritátem Dei,

Cap. 15.

ad confirmandas promiſsiónes patrum: Gentes autem ſuper miſericórdia honoráre Deum, ſicut ſcriptum eſt: Proptéreà confitébor tibi in Géntibus, Dómine, & nómini tûo cantábo. Et íterùm dicit: Lætámini, Gentes, cum plêbe ejus. Et íterùm: Laudáte, omnes Gentes, Dóminum; & magnificáte eum, ômnes pópuli. Et rurſus Isăías ait: Erit radix Jeſſe, & qui exurget régere Gentes; in eum Gêntes ſperábunt. Deus autem ſpei répleat vos omni gáudio & pacĕ in credendo; ut abundétis in ſpe, & vĭrtŭte Spíritus ſancti.

Pſal. 66. *GRADUALE.* Deus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis: illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî. ℣. Ut cognoſcámus in terra viam tuam, in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Is. 40. Allelúia, allelúia. ℣. Revelábitur glória Dómini; & vidébit omnis caro páriter quòd os Dómini locútum eſt. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 11. IN illo témpore; Joannes cùm audiſſet in víncŭlĭs ópera Chriſti, mittens duos de diſcípulis ſuis, ait ĭlli. Tu es qui vĕntúrus es, an álium expectámus? Et reſpondens Jeſus, ait ĭllis: Euntes, renuntiáte Joanni quæ audiſtis & vidĭſtis. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundantur, ſurdi áudiunt, mórtui reſúrgunt, páuperes evăngelizantur; & beátus eſt, qui non fúerit ſcandalizátus in mĕ. Illis autĕm abeúntibus, cœpit Jeſus dícere ad turbas de Joănne: Quid exiſtis in deſertum vidére? Arúndinem vento agitátam? Sed quid exiſtis vidére? Hóminem móllibŭs veſtítum? Ecce qui móllĭbus veſtiuntur, in dómibus regum sŭnt. Sed quid exiſtis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis, ĕt pluſquàm Prophétam; hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viăm tŭam ante te.

Dicitur Credo.

Pſal. 71. *OFFERTORIUM.* Animas páuperum ſalvas fáciet Dóminus; & honorábile nomen eórum coram illo: & adorábunt de ipſo ſemper, totâ die benedícent ei.

SECRETA.

S. R. PLacáre, quæſumus, Dómine, humilitátis noſtræ précibus & hóſtiis: & ubi nulla ſúppetunt ſuffrágia meritórum, tuæ nobis indulgéntiæ ſuccurre præsídiis; Per Dóminum.

De B. M. V. DEUM-PARITURA, ſuprà, pag. 2.

PRÆFATIO de ADVENTU.

Bar. 4 & 5. *COMMUNIO,* Jerúſalem, ſurge, & ſta in excelſo; & vide jucunditátem, quæ véniet tibi à Deo tuo.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. DA, quæſumus, Dómine, pópulo tuo, per hæc ſacra myſtéria, ſpíritum veritátis & pacis; ut te per adventum Unigéniti tui totâ mente cognoſcat, & quæ tibi ſunt plácita, toto corde ſectétur; Per eumdem.

De B. M. V. DEUM-PARITURA, ſuprà, pag. 3.

FERIA IV.

Léctio lîbri Géneſis.

Cap. 22. IN dĭébus illis; Vocávit Angelus Dómini Abraham ſecundò de cœlo, dicens: Per memetipſum jurávi, dicit Dóminus; quia feciſti hanc rem, & non pepercíſti fílio tuo unigénito propter me; benedícam tibi, & multiplicábo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arénam quæ eſt ĭn líttore maris: poſſidébit ſemen tuum portas inimicórum ſuórum, & benedicentur in ſémine tuo omnes gentes terræ, quia obĕdĭſti voci meæ.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 1. JOannes teſtimónium pérhíbét de Jeſu, & clamat dícens: Hîc erat, quem dixi, Qui poſt me ventúrus eſt, ante me factus eſt, quia prior me érat. Et de plenitúdine ejus nos omnes accépimus, ét grátiam pro grátia; quia lex per Móyſen data eſt, grátia & véritas per Jeſum Chriſtum facta éſt. Deum nemó vidit unquam: unigénitus Fílius, qui eſt in ſinú Pátris, ipſe enarrávit.

FERIA VI.

Léctio líbri Géneſis.

Cap. 49. IN diébus illis; Jacôb ait: Juda, te laudábunt fratres tui; manus tua in cervícibus inimícórum tuórum, adorábunt te fílii pâtris tui. Cátulus leónis Juda; ad prædam, fili mi, aſcendiſti, requieſcens accubuiſti ut leo, ét quaſi leæna: quis ſuſcitábit eum? Non auferétur ſceptrum de Juda, & dux dé fémore ejus, donec véniat qui mittendus eſt: & ipſe erit expectâtio géntium. Ligans ad vínéam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, âſinam ſuam. Lavábit in vinó ſtolam ſuam, & in ſánguine uvæ pâllium ſuum. Pulcrióres ſunt ócúlí ejus vino, & dentés éjus lacte candidióres.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 3. IN illo témpore; Venérunt ad Joannem diſcípuli ejus, & dixérunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordánem, cui tu teſtimónium pérhibuiſti, ecce hic baptízat; & omnes véniunt ad eum. Réſpondit Joannes, & dixit: Non poteſt homo áccípere quidquam, niſi fúerit ei datum de cœlo. Ipſi vos mihi teſtimónium perhibétis, quòd díxerim: Non sum ego Chriſtus; ſed quia miſſus ſum ante illum. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amícus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gáudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gáudium meum implétum eſt. Illum óportet créſcere, me autem mínui. Qui désurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & dé terra lóquitur: qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit & audívit, hoc teſtátur; & teſtimónium ejus nemo áccipit. Qui accépit ejus teſtimónium, signávit quia Deus verax eſt.

DOMINICA TERTIA Adventûs. *Viol.*

INTROITUS.

Is. 45. RORáte, cœli, déſuper; & nubes pluant Juſtum: aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. *PSALM.* Pſal. 18. Cœli enarrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum. Glória. Roráte.

COLLECTA. Orémus.

S. R. EXcita, quæſumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni; ut hi, qui in tua pietáte confídunt, ab omni cítiùs adverſitáte liberentur: Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

De B. M. V. DEUM-PARITURA, Deus, qui de beátæ, *ſuprà*, *pag.* 2.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli ad Philippenſes.

Cap. 4. FRatres; Gaudéte in Dómino ſemper: íterùm dîco, gaudéte. Modéſtia veſtra notă sit ómnibus homínibus: Dóminus prôpè eſt. Nihil sóllíciti ſitis: ſed in omni oratióne & obſecratióne, cum gratiárum actióne petitiónes veſtræ innoteſcant âpud Deum. Et pax Dei quæ exúpérat omnem ſenſum, cuſtódiat corda veſtra & intelligéntias véſtras in Chriſto Jeſu.

Pſal. 79. *GRADUALE.* Qui regis Iſrael, intende; qui dedúcis velut ovem Joſeph; Qui ſedes ſuper Chérubim, manifeſtáre. ℣. Excita poténtiam tuam, & veni, ut ſalvos fácias nos.

Allelúia, allelúia. ℣. Lætábimur in salutári tuo, Dómine; & in nómine Dei nostri magnificábimur. Allelúia. Pſal. 19.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem. Cap. 1.

IN illo témpore; Misérunt Judæi ab Jerosólymis Sacerdótes & Levítas ad Joannem, ut interrogárent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negávit; & cŏnfessus est: Quia non sum ego Chrĭstus. Et interrogavérunt ĕum: Quid ergo? Elías es tu? & dĭxit: Non sŭm. Prophéta es tu? Et respŏndit: Nŏn. Dixérunt ergo ĕi: Quis es, ut responsum demus his qui misérunt nos? Quid dicis de te ipso? Aĭt: Ego vox clamantis in deserto: Dirígite viam Dómini, sicut dixit Isaías Prophĕta. Et qui missi fúerant, erant ex Pharisæis; & interrogavérunt eum, & dixérunt ĕi: Quid ergo baptízas, si tu non es Christus, neque Elías, neque Prophéta? Respondit eis Joannes, dĭcens: Ego baptízo in aqua; médius autem vestrûm stetit, quĕm vos nescítis: ipse est qui post me ventúrus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrígiam calceamĕnti. Hæc in Bethánia factă sŭnt trans Jordánem, ubĭ ĕrat Joannes baptízans. *Dicitur* Credo.

Offertorium. Deus, tu conversus vivificábis nos, & plebs tua lætábitur in te: ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, & salutáre tuum da nobis. Pſal. 84.

Secreta.

DEvotiónis nostræ tibi, Dómine, quæsumus, Hóstia júgiter immolétur; quæ & sacri péragat institúta mystérii, & salutáre tuum nobis mirabíliter operétur; Per Dóminum. S. R.

De B. M. V. Deum-paritura, Nostræ Redemptiónis, *suprà, pag.* 2.

Præfatio de Adventu.

Communio. Dícite pusillánimis: Confortámini, & nolíte timére; Deus ipse véniet, & salvábit vos. Is. 35.

Postcommunio. Orémus.

PRævéniat, nos, quæsumus, omnípotens Deus, tua grátia semper, & subsequátur; ut per adventum Unigéniti tui, quem summo cordis desidério sustinémus, & præsentis vitæ subsídia, & æternæ beatitúdinis, cujus pignus accépimus, præmia consequámur; Per eumdem. S. R.

De B. M. V. Deum-paritura, In méntibus, *suprà, pag.* 3.

FERIA IV
Quatuor Temporum.
Simplex.

Introitus. Alb.

NOn afflígam te ultrà, dicit Dóminus, & nunc víncula tua dirumpam: ecce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem. Nah. 1.

Psalm. Levávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi. Glória. Non. Pſal. 120.

Kyrie, eléison.

Non dicitur Dóminus vobiscum, *sed statim in Missa majori*

Celebrans dicit: 
O-remus.

Diaconus genuflectens dicit: 
Flectamus genua.

Et, interpositâ morulâ, surgens dicit: 
Levate.

In Missis privatis, Celebrans solus dicit: Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Hic Ritus servatur quoties dicendum est, Flectámus génua.

Collecta.

PRopè esto, Dómine, ómnibus expectántibus te in veritáte; ut in adventu Fílii tui Dómini nostri, S. R.

plácitis tibi áctibus præsentémur ; Per eumdem.

Prophetia sequens legitur in tono Lectionis nocturnæ à Lectore in habitu chori ordinario : quod observatur per reliquum anni in omnibus aliis Lectionibus quæ Epistolam præcedunt.

Léctio Daniélis Prophétæ.

Cap. 9. IN diébus illis ; Dócuit me Gábriel, & locútus est mihi , dixitque : Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te , & intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo : ego autem veni ut indicárem tibi , quia vir desideriórum es : tu ergo animadverte sermónem, & intéllige visiónem. Septuaginta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum , & super urbem sanctam tuam , ut consummétur prævaricátio , & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas , & adducátur justítia sempiterna, & impleátur vísio & prophétia , & ungátur Sanctus sanctórum. Scito ergo , & animadverte. Ab éxitu sermónis , ut íterùm ædificétur Jerúsalem , usque ad Christum ducem , hebdómades septem , & hebdómades sexaginta duæ erunt ; & rursum ædificábitur platéa , & muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexaginta duas occidétur Christus ; & non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est. Et civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro ; & finis ejus vástitas , & post finem belli statúta desolátio. Confirmabit autem pactum multis hebdomáda una : & in dimídio hebdomadis defíciet hóstia & sacrifícium : & erit in templo abominátio desolatiónis : & usque ad consummatiónem & finem, perseverábit desolátio.

Psal. 13. *Graduale.* Quis dabit ex Sion salutáre Israel ? Cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ , exultábit Jacob, & lætábitur Israel. ℣. Tu exurgens , Dómine , miseréberis Sion , quia tempus miserendi ejus , quia venit tempus. Psal. 101.

Dóminus vobiscum. *Tùm sine* Flectámus génua , *dicitur*

Collecta. Orémus.

S. R. FEstína , quæsumus , Dómine , ne tardáveris , & auxílium nobis supernæ virtútis impende ; ut adventûs tui consolatiónibus subleventur , qui in tua pietáte confídunt : Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

De B. M. V. Deum-paritura, Deus , qui de beátæ , *suprà* , *pag.* 2.

Pro Ordinandis , *infrà* , cxliv.

Sub tono Epistolarum consueto.

Léctio Isaîæ Prophétæ.

Cap. 7. IN diébus illis ; Adjécit Dóminus loqui ad Achâz, dicens : Pete tibi signum à Dómino Deo tuo , in prófundum inferni , sive in excélsum suprà. Et dixit Achaz : Non petam , & non tentâbo Dóminum. Et dixit : Audíte ergo domus David: Numquid parum vobis est molestos esse homínibus ; quia molesti estis & Deo meo ? Propter hoc dabit Dóminus ipse vôbis signum : Ecce Virgo concípiet et páriet Fílium ; & vocábitur nomen ejus Emmânuel. Bútyrum & mel cómedet , ut sciat reprobáre málum , & elígere bonum.

Psal. 45. *Graduale.* Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus : Deus in médio ejus ; non commovébitur. ℣. Dóminus virtútum nobiscum : suscéptor noster Deus Jacob.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 1. IN illo témpore ; Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ , cui nomen Názareth , ad vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph , de domo David ;

&

& nomen vírginis Maríæ. Et ingréssus Angelus ad eam díxit : Ave, grátia plenă ; Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Quæ cùm audísset, turbáta est in sérmóne ejus ; & cogitábat qualis ésset ísta salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas María ; invenísti enim grátiăm apud Deum : ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus, Jesum. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur ; & dabit illi Dóminus Deus sedem Dávid patris ejus : & regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit fínis. Dixit autem María ad Angelum : Quómŏdŏ fiet ístud, quóniam virum non cognósco ? Et réspondens Angelus, dixit ei : Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obúmbrábit tibi ; ideóque & quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, & ipsa concépit fílium in senectúte sua : & hic mensis séxtus est illi quæ vócátur stérilis ; quia non erit impossíbile apud Deum omne vérbum. Dixit autem María : Ecce áncilla Dómini ; fiát mihi secundùm verbum tuum.

Is. 19. *Offertorium.* Mittet Dóminus salvatórem, qui líberet eos : colent eum in hóstiis ; vota vovébunt Dómino, & solvent : & Dóminus placábitur eis.

Secreta.

S. R. GRata tibi sint, Dómine, múnera, quibus mystéria celebrantur nostræ libertátis & vitæ ; Per.

De B. M. V. Deum-paritura, Nostræ Redemptiónis, *suprà*, 2.

Pro Ordinandis, Deus, qui ministrántibus, *infrà*. cxliv.

Psal. 71. *Communio.* Benedictum nomen majestátis Dómini in æternum ; & replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

Postcommunio. Orémus.

SUmptis, munéribus tuis, quæsumus, omnípotens Deus, preces nostras propítius réspice, & tuæ super nos víscera pietátis impende ; ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, Salvatóre nostro adveniente respirémus ; Qui tecum vivit. S.

De B. M. V. Deum-paritura, In méntibus, *suprà, pag.* 3.

Pro Ordinandis, Bone Pastor, *infrà*, cxliv.

FERIA VI.

Quatuor Temporum. V

Simplex.

Introitus.

SCient gentes, dicit Dóminus, quia ego Dóminus sanctificátor Israel, cùm fúerit sanctificátio mea in médio eórum in perpétuum. E

Psalm. Audíte hæc omnes gentes : * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem. Glória. Scient. P

Collecta. Orémus.

AUrem tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda ; & mentis nostræ ténebras, grátiâ tuæ visitatiónis illustra ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre. S.

De B. M. V. Deum-paritura, Deus, qui de beátæ, *suprà*, *pag.* 2.

Item pro Ordinandis, Eccléstæ tuæ, *infrà*, cxliv. *Num.* 42.

Léctio Isaîæ Prophétæ.

HÆc dicit Dóminus Deus : Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radícĕ ejus ascendet : & requiescet super eum Spíritus Dómini ; spíritus sapiéntiæ & intellectus, spíritus consílii & fortitúdinis, spíritus sciéntiæ & pietátis ; & replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secundùm visiónem oculórum judicábit, neque secundùm audítum áurium árguet ; sed judicábit in justítia páuperes, & árguet in æquitáte

pro mansŭétis terræ : & percútiet terram virga oris ſui, & ſpíritu labiórum ſuórum interfĭciet ímpium. Et erit juſtítia cíngulum lŭmbórum ejus, & fides cinctórium renum ejus.

Graduale. Dóminus dabit benignitátem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. ℣. Juſtítia ante eum ambulábit, & ponet in via greſſus ſuos.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

EXurgens María in diébus illis, ábiit in montána cum feſtinatióne, in civĭtátem Juda ; & intrávit in domum Zacharíæ, & ſalutávit Elíſabĕth. Et factum eſt, ut audívit ſalutatiónem Maríæ Elíſabeth, exultávit infans ĭn útero ejus : & repléta eſt Spíritu ſancto Elíſabeth ; & exclamávit voce magna, & dĭxit : Benedicta tŭ inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tŭi. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me ? Ecce enim ut facta eſt vox ſalutatiónis tuæ ĭn áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero mĕo. Et beáta quæ credidiſti, quóniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Dŏmino. Et ait Marĭa : Magníficat ánĭmă mea Dóminum, & exultávit ſpíritus meus ĭn Dĕo ſalutári meo.

Offeertorium. Deſcendet Dóminus ſicut plúvia in vellus ; & benedicentur in ipſo omnes tribus terræ : omnes gentes magnificábunt eum.

Secreta.

DEus, abſtinéntiæ inſtitútor & ſanctificátor, effunde, quæſumus, ſuper hæc dona & ſuper nos in diébus jejuniórum noſtrórum, Spíritum grátiæ tuæ : ut qui Unigéniti tui celebrámus adventum, contínuum ejus ſentiámus auxílium : Qui tecum.... in unitáte ejuſdem.

De B. M. V. Deum-paritura, Noſtræ Redemptiónis, *ſuprà*, *pag.* 2.

Item pro Ordinandis, Deus, qui miniſtrántibus, *infrà*, cxliv.

Communio. Ne tímeas, ſerve meus Jacob : neque páveas, Iſrael ; quia ecce ego ſalvábo te. Jer. 30.

Postcommunio. Orémus.

IN beneplácito pópuli tui, Dómine, mémento noſtrî qui tuo paſti ſumus ſacramento ; & à peccáti nos ſervitúte diſcuſſos, ſalutáris tui viſitatióne ſalvífica ; Qui tecum. M. P.

De B. M. V. Deum-paritura, In méntibus, *ſuprà*, *pag.* 3.

Item pro Ordinandis, Bone Paſtor, *infrà*, cxliv.

SABBATO Viol.
Quatuor Temporum.
Simplex.

Introitus.

VEni, ut ſalvos fácias nos, Deus : oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Psalm.* Qui regis Iſrael, intende : * qui dedúcis velut ovem Joſeph. Glória. Veni. Pſal. 79. Ibid.

Kyrie, eleiſon.

Non dicitur Dóminus vobiſcum. *Quod obſervatur ante Collectas ſequentes ; deindè dicitur* Orémus, Flectámus, &c. *ut notatum eſt ſuprà*, *pag.* 7.

Collecta.

Orémus. Flectámus génua. Leváte. S. R.

DEus, qui cónſpicis quia ex noſtra pravitáte afflígimur : concéde propítius, ut ex tua viſitatióne conſolémur ; Qui vivis & regnas.

Quinque ſequentes Prophetiæ leguntur in tono Lectionum à Lectoribus, in habitu chori ordinario.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.

HÆc dicit Dóminus : Væ paſtóribus, qui diſperdunt & dilácerant gregem páſcuæ meæ, dicit Dóminus. Ideò hæc dicit Dóminus Deus Iſrael ad paſtóres, qui paſcunt pópulum meum : Vos diſperſiſtis gregem Cap. 23.

meum, & ejeciſtis eos, & non viſitaſtis eos; ecce ego viſitábo ſuper vos malítiam ſtudiórum veſtrórum, ait Dóminus. Et ego congregábo relíquias gregis mei de ómnibus terris, ad quas ejécero eos illuc; & convertam eos ad rura ſua, & creſcent & multiplicabuntur. Et ſuſcitábo ſuper eos paſtóres, & paſcent eos: non formidábunt ultrà, & non pavébunt; & nullus quærétur ex número, dicit Dóminus. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, & ſuſcitábo David germen juſtum: & regnábit rex, & ſápiens erit, & fáciet judícium & juſtítiam in terra. In diébus illis ſalvábitur Juda, & Iſrael habitábit confidenter: & hoc eſt nomen quod vocábunt eum, Dóminus juſtus nŏſter.

Gen. 43. Pſal. 118. *GRADUALE.* Salutáre tuum expectábo Dómine. ℣. Véniat ſuper me miſericórdia tua, ſalutáre tuum ſecundùm elóquium tuum.

COLLECTA.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

S. R. FAc nos, quæſumus, Dómine, mala noſtra toto corde reſpuére; ut veniente Fílio tuo Dómino noſtro, bona ejus cápere valeámus; Per eumdem.

Léctio Iſaíæ Prophétæ.

Cap. 35. HÆc dicit Dóminus: Lætábitur deſerta & ínvia, & exultábit ſolitúdo, & florébit quaſi lílium. Gérminans germinábit, & exultábit lætabunda & laudans: glória Líbani data eſt ei, decor Carméli & Sarŏn. Ipſi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei noſtri. Confortáte manus diſſolútas, & génua debília roboráte. Dícite puſillánimis: Confortámini, & nolíte timére; ecce Deus veſter ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipſe véniet, & ſalvábit vŏs. Tunc aperientur óculi cæcórum, & aures ſurdórum patébunt. Tunc sáliet ſicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutórum, quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitúdine. Et quæ erat árida, erit in ſtagnum; & ſítiens in fontes aquărum.

Pſal. 145. *GRADUALE.* Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipsíus, qui cuſtódit veritátem in ſéculum. ℣. Dóminus illúminat cæcos: Dóminus érigit elíſos: Dóminus pupillum & víduam ſuſcípiet, & vias peccatórum diſperdet.

COLLECTA.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

M. P. DEus, qui promiſſa priſcis tempóribus mirácula, adveniente Fílio tuo impleviſti: fac nos verbo tuo credentes, miſericórdiæ tuæ dona humíliter pétere, & fidenter expectáre; Per eumdem Dóminum.

Léctio Iſaíæ Prophétæ.

Cap. 40. HÆc dicit Dóminus: Super montem excelſum aſcende tu, qui evangelízas Sion: exalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúſalem: exalta, noli timére. Dic civitátibus Juda: Ecce Deus veſter, ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, & bráchium ejus dominábitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illíus coram illo. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in bráchio ſuo congregábit agnos, & in ſinu ſuo levábit: fœtas ipſe portăbit.

Ezec. 34. *GRADUALE.* Suſcitábo ſuper oves meas paſtórem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtórem. ℣. Ego autem Dóminus ero eis in Deum; & ſervus meus David princeps in médio eórum.

COLLECTA.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

INdignos nos, quæſumus, Dómine, fámulos tuos, quos actiónis própriæ culpa contriſtat, Unigéniti Fílii tui adventu lætífica; Qui tecum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Cap. 45. HÆc dicit Dóminus christo meo Cyro, cujus apprehendi déxteram, ut subjíciam ante fáciem ejus gentes, & dorsa regum vertam, & apériam coram eo jánuas, & portæ non claudentur: Ego ante te ibo, & glorióſos terræ humiliábo: portas æreas cónteram, & vectes férreos confringam: & dabo tibi thesáuros abscónditos, & arcána secretórum; ut scias quia ego Dóminus, qui voco nomen tuum, Deus Israël. Propter servum meum Jacob, & Israel electum meum, & vocávi te nómine tuo: assimilávi te, & non cognovísti mĕ. Ego Dóminus, & non est ámpliùs: extra me non est Deus: accinxi te, & non cognovísti me; ut sciant hi, qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quóniam absque me non ĕst. Ego Dóminus, & non est alter, formans lucem, & creans ténebras; fáciens pacem, & creans malum: ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, Cœli, désuper, & nubes pluant Justum: aperiátur terra, & gérminet Salvatórem; & justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi ĕum.

Psal. 71. *Graduale.* Oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis, & dominábitur usque ad términos orbis terrárum. ℣. Sit nomen ejus benedictum in sécula: ante solem pérmanet nomen ejus.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Collecta. Orémus.

S. R. CÓncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui sub peccáti jugo ex vetusta servitúte deprímimur, expectátâ Fílii tui novâ nativitáte liberémur; Per eumdem.

Léctio Daniélis Prophétæ.

Cap. 3. IN diébus illis; Angelus Dómini descendit cum Azária & sóciis ejus in fornácem, & excussit flammam ignis de fornáce, & fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Et non tétigit eos omnínò ignis, neque contristávit, nec quicquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant & glorificábant, & benedicébant Deum in fornáce, dicĕntes:

Cant. Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum; *Ch.* Et laudábilis & glorióſus & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum. *Ch.* Et laudábile & superexaltátum in ómnibus séculis. ℣. Benedictus es in templo sancto glóriæ tuæ; *Ch.* Et superlaudábilis & supergloriósus in sécula. ℣. Benedictus es in throno regni tui; *Ch.* Et superlaudábilis & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictus es qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim; *Ch.* Et laudábilis & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictus es in firmamento cœli; *Ch.* Et laudábilis & glorióſus in sécula. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto; *Ch.* Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℣. Sicut erat in princípio & nunc & semper, & in sécula seculórum. Amen. *Ch.* Et laudábilis & glorióſus, & superexaltátus in sécula. *Repetitur* ℣. Benedictus es, &c. *Ch.* Et laudábilis, &c. Dan. 3.

Dóminus vobiscum.

Collecta.

Orémus. *ſine* Flectámus génua.

S. R. DEus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius, ut nos famulos tuos non exúrat flamma vitiórum; Per eumdem.

De B. M. V. Deum-paritura, Deus, qui de beátæ, *suprà*, *pag.* 2.

Item pro Ordinandis, Eccléſiæ tuæ, *infrà*, *pag.* cxliv. *Num.* 42.

(*In Missa in qua fit Ordinatio, loco Orationum, quæ hîc ponuntur pro Ordinandis, dicuntur quæ habentur in Pontificali, vel infrà inter Orationes ad diversa, Num.* 43. *pag.* cxliv.)

Léctio

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 4. FRatres ; Sic nos exístimet homo ut mĭnístros Christi, & dispensatóres mysteriôrum Dei. Hìc jam quæritur inter dĭspensatóres, ut fidélis quis invêniátur. Mihi autem pro mínimo est, ut à vobis júdicer, aut ab hŭmáno die ; sed neque meîpsum júdico. Nihil enim mihĭ cónscius sum ; sed non in hoc justificâtus sum. Qui autĕm júdicat me, Dôminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadusque véniat Dóminus, qui & illuminābit abscóndita tenebrárum, & manifestábit cŏnsília córdium ; & tunc lăus ĕrit unicuíque à Deo.

Hab. 3. *TRACTUS.* Dómine, audívi auditiónem tuam, & tímui. Dómine, opus tuum, in médio annórum vivífica illud. In médio annórum notum fácies : cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Inítium sanctĭ Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 1. INítium Evangélĭi Jesu Christi, Fílii Dĕi. Sicut scriptum est in Isăía Prophéta : Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante tĕ. Vox clamantĭs in desérto : Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ĕjus. Fuit Joannes in desérto baptízans, & prædicans baptismum pœniténtiæ in remissiónĕm peccatórum : & egrediebátur ad eum omnis Judææ régio, & Jerosolymítæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordánis flúmine, confitentes peccáta sŭa. Et erat Joannes vestítus pilis caméli, & zona pellícea circă lumbos ejus ; & locústas & mel silvéstre edĕbat. Et prædicábat, dĭcens : Venit fórtĭor me post me, cujus non sum dignus procumbens sólvere corrígiam calceamentórum ĕjus. Ego baptĭzávi vos aqua ; ille verò baptizábĭt vŏs Spíritu sancto.

OFFERTORIUM. Exulta satìs, fília Sion, júbila, fília Jerúsalem : ecce Rex tuus véniet tibi justus & salvátor. Zach. 9.

SECRETA.

TIbi, Dómine, pro peccátis nostris hóstiam propitiatiónis offérimus, humíliter deprecantes, ut ad nos citò míttere dignéris quem missúrus es, omnis justítiæ fontem, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum ; Qui tecum vivit & regnat.

De B. M. V. DEUM-PARITURA, Nostræ Redemptiónis, *suprà*, *pag.* 2.

Item pro Ordinandis, Deus, qui ministrantibus, *infrà*, *pag.* cxliv.

COMMUNIO. Exultent & lætentur super te, Dómine, omnes quærentes te ; & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum. Psal. 39.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

SUpernis cibo potuque refectos, & festinantes in occursum Fílii tui, nulla nos, quæsumus, Dómine, terréna præpédiant ; sed cœléstis vitæ conversátio fáciat nos ejus esse consortes ; Qui tecum vivit & regnat. M. P.

De B. M. V. DEUM-PARITURA, In méntibus, *suprà*, *pag.* 3.

Item pro Ordinandis, Bone Pastor, *infrà*, cxliv.

DOMINICA QUARTA Adventûs. Viol.

INTROITUS.

HÆc dicit Dóminus : Custodíte judícium, & fácite justítiam ; quia juxta est salus mea ut véniat, & justítia mea ut revelétur. Is. 56.

PSALM. Deus misereátur nostrî, & benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostrî. Glória. Hæc dicit. Psal. 66.

Collecta. Orémus.

S. R. EXcita, quæſumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni, & magnâ nobis virtúte ſuccurre; ut, per auxílium grátiæ tuæ, quod noſtra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

De B. M. V. Deum-paritura, Deus, qui de beátæ, *ſuprà*, *pag.* 2.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalônicenſes.

1. Theſſ. 5 ROgámus vos, fratres, corrípite inquiétos, conſolámini puſillánimes, ſŭſcípite infirmos, patientes eſtôte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alĭcui reddat; ſed ſemper quod bonum eſt, ſectámini in ínvicem, êt in omnes. Semper gaudéte: ſine intermiſſióne oráte: in ómnĭbŭs grátias ágite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in ômnibus vobis. Spíritum nŏlíte extínguere; prophetías nolíte ſpérnere. Omnĭă autem probáte; quod bonum êſt tenéte. Ab omni ſpécie mala abſtinête vos. Ipſe autem Deus pacis ſanctífĭcĕt vos per ómnia; ut ínteger ſpíritus veſter, & ánima, & corpus, ſine queréla in adventu Dómini noſtri Jesŭ Chriſti ſervétur.

Oſ. 6. *Graduale.* Quaſi dilúculum præparátus eſt egreſſus ejus; & véniet quaſi imber nobis temporáneus, & Is. 2. ſerótinus terræ. ℣. Docébit nos vias ſuas, & ambulábimus in ſémitis ejus.

Is. 59. Allelúia, allelúia. ℣. Timébunt qui ab occidente nomen Dómini, & qui ab ortu ſolis, glóriam ejus; cùm vénerit Sion redemptor. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 3. ANno quintodécimo impérii Tibérii Cæſaris, procurante Póntio Piláto Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Heróde, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Iturææ, & Trachonítidis regiónis, & Lyſánia Abilínæ Tetrarcha, ſub princípibus ſacerdótŭm, Anna & Cáipha; factum eſt verbum Dómini ſuper Joannem Zacharíæ fílium in deſĕrto. Et venit in omnem regiónem Jordánis, prædicans baptiſmum pœniténtiæ in remiſſiónem peccatórum, ſicut ſcriptum eſt in libro ſermónum Isăíæ Prophétæ: Vox clamantis in deſerto, Paráte viam Dómini, rectas fácite ſémitas ejus: omnis vallis implébitur, & omnis mons & collis humiliábitur; & erunt prava in directa, & áſpera in vias planas; & vidébit omnĭs cărо ſalutáre Dei.

Dicitur Credo.

Offertorium. Pavébunt in univerſis bonis, & in omni pace quam ego fáciam eis: audiétur in loco iſto vox gáudii, & vox lætítiæ, vox portántium vota in domum Dómini. Jer. 33.

Secreta.

PRæſéntibus ſacrifíciis, Deus pacis, ſanctífica nos per ómnia; ut ínteger ſpíritus noſter & ánima, & corpus, ſine queréla, in adventu Dómini noſtri Jeſu Chriſti Fílii tui ſervétur; Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

De B. M. V. Deum-paritura, Noſtræ Redemptiónis, *ſuprà*, *pag.* 2.

Communio. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: proptéreà expectábo eum: Bonus eſt Dóminus ſperántibus in eum, ánimæ quærenti illum. Thre. 3.

Postcommunio. Orémus.

S. R. PEr hæc ſacra myſtéria, quæſumus, omnípotens Deus, da nobis, adventum Unigéniti tui cum ſumma vigilántia expectáre; ut, ſicut ipſe auctor noſtræ ſalútis dócuit, velut

fulgentes lámpades in ejus occurſum ánimas noſtras præparémus ; Per eumdem Dóminum noſtrum.

De B. M. V. DEUM-PARITURA, In méntibus. *ſuprà, pag.* 3.

FERIA IV.

Léctio libri Dêuteronómii.

Cap. 18. IN diébus illis ; Locútus eſt Móyſes ad pôpulum, dicens : Gentes iſtæ, quarum poſſidébis terram, áugures & dívínos áudiunt : tu autem à Dómino Deo tuo áliter inſtitûtus es. Prophétam de gente tua & de frátribus tuis ſicut me, ſuſcitábit tibi Dóminus Deus tuus ; ipſum áudies, ut petiſti à Dómino Deo tuo in Horeb, quando cóncio congregátă ĕſt, atque dixiſti : Ultrà non áudiam vocem Dómini Dei mei, & ignem hunc máximum ampliùs non vidêbo, ne móriar. Et aĭt Dóminus mihi : Benè ómnia sûnt locúti. Prophétam ſuſcitábo eis de médio fratrum ſuórum símilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos ómnia quæ præcépero illi : qui autem verba ejus, quæ loquétur in nómine meo, audíre nŏlŭerit, ego ultor exiſtam.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 3. IN illo témpore ; Dicébat Joannes ad turbas quæ exíbant ut baptizarentur ab ĭpſo : Genímina viperárum, quis oſtendit vobis fúgere à ventúra ira ? Fácite ergo fructus dignos pœniténtiæ, & ne cœpéritis dícere : Patrem habémus Abrahăm. Dicŏ enim vobis, quia potens eſt Deus de lapídibus iſtis ſuſcitáre fílios Abrahæ. Jam enim ſecúris ad radícem árbŏrŭm póſita eſt : omnis ergo arbor non fáciens fructum bonum, excidétur, & in ignem mittĕtur. Et interrogábănt eum turbæ, dicĕntes : Quid ergo faciémus ? Rĕſpondens autem, dicébat ĭllis : Qui habet duas túnicas, dĕt non habenti ; & qui habet eſcas, ſimíliter făciat. Venérunt autem & publicáni, ut băptizarentur, & dixérunt ad ĭllum : Magiſter, quid faciémus ? At ille dixit ad ĕos : Nihil ámpliùs, quàm quod conſtitútum eſt vobis, faciătis. Interrogábant autĕm eum & mílites, dicĕntes : Quid faciémus & nos ? Et ait ĭllis : Néminem concutiátis, neque calúmnĭăm faciátis ; & contenti ĕſtŏte ſtipéndiis veſtris.

FERIA VI.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

EXpectat Dóminus ut miſereátur veſtri : & ídeò exaltábĭtŭr parcens vobis, quia Deus judícii Dóminus : beáti omnes qui expêctant eum. Pópulus enim Sion habitábit in Jerúſalem : plorans nequáquam plorábis, míſerans miſĕrébitur tui ; ad vocem clamóris, ſtatim ut audíerit, reſpondêbit tibi. Et dabit vobis Dóminus panem arctum, & áquam brevem : & non fáciet avoláre à te ultrà dŏctórem tuum ; & erunt óculi tui videntes præceptôrem tuum. Et aures tuæ áudient verbum pŏſt tergum monentis : Hæc eſt via, ambuláte in ea, & non declinétis neque ăd dĕxteram, neque ad ſiniſtram. Iſ. 30.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 3. IN illo témpore ; Exiſtimante pópulo, & cogitántibus ómnibus in córdibus ſuis de Joanne, ne fortè ipsĕ eſſet Chriſtus ; reſpondit Joannes, dicens ŏmnibus : Ego quidem aqua baptízo vos ; véniet autem fórtior me cujus non ſum dignus ſólvere corrígiam calceamĕntórum ejus ; ipſe vos baptizábit in Spíritu ſancto, & ĭgni. Cujus ventilábrum in manu ejus, & purgábit áream ſuam, & congregábit tríticum ĭn hórreum ſuum, páleas autem combúrĕt ĭgni inextinguíbili.

¶ *Missæ de Festis occurrentibus à Vigilia* NATALIS DOMINI *inclusivè usque ad diem Octavam Epiphaniæ, cùm certis mensium diebus sint affixæ, reperiuntur in Proprio Sanctorum.*

Alb. DOMINICA
intra Octavam Nativitatis Domini.

Missa Ipse invocábit me, *ut in Proprio Sanctorum.*

A CIRCUMCISIONE DOMINI *usque ad ipsius Præsentationem, etiamsi Septuagesima intervenerit, quotidie tam in Missis de Tempore quàm de Sanctis, modò non sit Festum solemne, aut suprà, exceptis etiam Octavis, post Orationem diei, vel post Commemorationes, si faciendæ sint, fit commemoratio de Beata Virgine Deipara, ut sequitur.*

De BEATA VIRGINE DEIPARA.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui salútis æternæ beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus autórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

Secreta.

M. P. BEáta témpora celebrantes, quæ per temporálem Unigéniti tui Nativitátem, & partum beatæ Maríæ Vírginis consecrásti, hæc oblátio, quæsumus, Dómine, sanctíficet, atque in illo tríbuat renasci; Qui tecum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. SAtiasti nos, Dómine, Verbi tui incarnáti córpore ac sánguine: quæsumus, ut intemerátæ matris ejus intercessióne, tanti mystérii fructum júgiter in nobis conserváre mereámur; Per eumdem Dóminum.

Alb. DOMINICA
inter Circumcisionem & Epiphaniam.

Missa Cum introdúcit, *ut in Proprio Sanctorum.*

Alb. DOMINICA PRIMA
POST EPIPHANIAM
Quæ est intrà Octavam.

Missa Ego constitútus sum, *ut in Proprio Sanctorum.*

Quando Septuagesima inciderit in Dominicam secundam post Epiphaniam, tunc Sabbato præcedenti dicetur Missa de eadem Dominica. Quod si in Sabbato occurrerit festum novem Lectionum, Missa de Dominica dicetur Feriâ sextâ: quæ Feria, si fuerit impedita, Missa dicetur Feriâ V. & sicusque ad Feriam II. præcedentem. Si autem tota hebdomada impedita fuerit, tunc Sabbato, in Missa de Festo, fit commem. Dominicæ, & in fine legitur Evangelium de eadem Dominica.

Alb. DOMINICA SECUNDA
post Epiphaniam.

ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS ET OMNIUM ECCLESIARUM TOTIUS DIOCÆSIS.

ANNUALE-MINUS.

Missa ut infrà ad calcem Communis Sanctorum, pag. xlj. *cum Commemoratione Dominicæ, & ejusdem Evangelio in fine, ut in Missa sequenti.*

MISSA DE DOMINICA.

Introitus.

Psal. 76. QUis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabília: notam fecisti in pópulis virtútem tuam. *Psalm.* Voce Ibid. meâ ad Dóminum clamávi: * voce meâ ad Deum, & intendit mihi. Glória. Quis Deus.

Dicitur

Dicitur Glória in excelſis, *in Dominicis uſque ad Septuageſimam excluſivè : in Feriis verò, quando dicitur Miſſa de Dominica præcedenti, non dicitur.*

Collecta. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempiterne Deus, qui cœléſtia ſimul & terréna moderáris : ſupplicatiónes pópuli tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concéde tempóribus ; Per Dóminum noſtrum.

De Beata Virgine Deipara, Deus, qui ſalútis, *ut ſuprà, pag.* 16.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 12. FRatres ; Sicut in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdĕm actum habent ; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſínguli autem alter altêrius membra. Habentes autem donatiónes ſecundùm grátiam, quæ data eſt nobĭs, differentes : ſive prophetíam ſecundùm ratiónem fídei, ſive miniſtérium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrína, qui exhortátur in exhortando, qui tríbuit in ſimplicitáte, qui præeſt in ſollicitúdine, qui miſerétur in hilâritáte. Diléctio ſine ſimulâtióne. Odientes malum, adhærentes bono : caritáte fraternitátis ínvicem diligentes : honóre ínvicem prævenientes : ſollicitúdine non pigri : ſpíritu ferventes : Dómino ſervientes : ſpe gaudentes : in tribulatióne patientes : oratióni inſtantes : neceſſitátibus ſanctórum cŏmmunicantes : hoſpitalitâtem ſectantes. Benedícite perſĕquentibus vos : benedícite & nolíte mâledícere. Gaudére cum gaudéntibus, flêre cum fléntibus. Idipſum ínvĭcĕm ſentientes, non alta ſapĭĕntes, ſed humílibus conſentientes.

Pſal. 71. *Graduale.* Benedictus Dóminus Deus Iſrael, qui facit mirabília ſolus. ℣. Tua eſt, Dómine poténtia & glória : cuncta enim quæ in cœlo ſunt & in terra, tua ſunt. 1. Paral. 29.

Allelúia, allelúia. ℣. Nunc ígitur, Deus noſter, confitémur tibi, & laudámus nomen tuum ínclytum. Allelúia. Ibid.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 2. IN illo témpore ; Nuptiæ factæ ſunt in Căna Galílææ : & erat mater Jesu ĭbi. Vocátus eſt autem & Jeſus, & dĭſcípuli ejus, ad nŭptias. Et deficĭente vino, dicit mater Jeſu ad ĕum : Vinum non hăbent. Et dicit ei Jesŭs : Quid mihi & tibi eſt, múlier ? nondum venit hora mĕa. Dicit mater ejus miníſtris : Quodcumque díxerit vobis, făcite. Erant autem ibi lapídeæ hydriæ ſex póſitæ ſecundùm purificatióněm Judæórum, capientes ſíngulæ metrétas binas vel tĕrnas. Dicit eis Jesŭs : Impléte hydrias ăqua. Et implĕvérunt eas uſque ad sŭmmum. Et dicit eis Jesŭs : Hauríte nunc, & ferte architriclĭno. Et tulĕrunt. Ut autem guſtávit architriclínus aquam vinum factam, & non ſciébat unde eſſet, miniſtri autem ſciébant quĭ háuſerant aquam ; vocat ſponſum architriclínus, & dicit ĕi : Omnis homo primùm bonum vinum ponit ; & cùm inebriáti fúerint, tunc id, quod dĕtérius eſt : tu autem ſervaſti bonum vinum uſque ădhuc. Hoc fecit inítium ſignórum Jeſus in Cana Galílææ, & manifeſtávĭt glóriam ſuam ; & credidérunt ĭn ĕum diſcípuli ejus.

Dicitur Credo.

Pſal. 85. *Offertorium.* Non eſt símilis tuî, Dómine, & non eſt ſecundùm ópera tua : omnes gentes quaſcumque feciſti, vénient & adorábunt coram te, Dómine.

Secreta.

COncéde, quæsumus, Dómine, ut Unigénitus tuus, qui in Cana Galílææ aquam in vinum mirabíliter transmutávit, oblatiónes nostras in corpus & sánguinem suum convertat, & hujus virtúte Sacramenti, corda nostra in se transformet; Qui tecum.

De Beata Virgine Deipara, Beáta témpora, *ut suprà, pag.* 16.

Joan. 10. *Communio.* Si fácio ópera Patris mei, opéribus crédite, ut cognoscátis, & credátis quia Pater in me est, & ego in Patre.

Postcommunio. Orémus.

S. R. AUgeátur in nobis, quæsumus, Dómine, tuæ virtútis operátio; ut in eum quem misísti Fílium tuum toto corde credentes, ad ejus promissa capienda, tuo sacro múnere præparémur; Per eumdem.

De Beata Virgine Deipara, Satiasti nos, *ut suprà, pag.* 16.

FERIA IV.

Léctio Isaîæ Prophétæ.

Is. 42. HÆc dicit Dóminus Deus; Ecce servus meus suscípiam eum: electus meus, complácuit sibi in illŏ ánima mea: dedi Spíritum meum super eum, judícium Gêntibus próferet. Non clamábit, neque ăccípiet persónam, nec audiétur vox êjus foris. Cálamum quassátum non cónteret, & linum fúmĭgăns non extinguet; in veritáte edûcet judícium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat ĭn terra judícium: & legem ejus ínsulæ êxpectábunt. Hæc dicit Dóminus Deus creans cœlos, & extendens eos; firmans terram, & quæ gérminant ex ea; dans flatum pópulo qui est super eam, & spíritum calcântibus eam. Ego Dóminus vocávĭ tĕ in justítia, & apprehendi manum tuam, & servâvi te. Et dedi te in fœdus pópuli, ĭn lucem Géntium; ut aperíres óculos cæcórum, & edúceres de conclusióne vinctum, de domŏ cărceris sedentes in ténebris.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

IN illo témpore; Dixit Jesus tŭrbis: A diébus Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlórum vim pátitur, & violenti rápiunt ĭllud. Omnes enim Prophétæ & lex usque ad Joannem prŏphetavérunt: & si vultis recípere, ipse est Elías qui ventúrus ĕst. Qui habet aurĕs audiendi, ăudiat. Cui autem símilem æstimábo generatiónem istam? Símilis est púeris sedéntibus in foro, qui clamantes coæquálibus dicunt: Cecínimus vobis, & non saltastis; lamentávimus, & non planxĭstis. Venit enim Joannes neque mandúcăns, neque bibens; & dicunt, Dæmónium hăbet. Venit Fílius hóminis măndúcans & bibens; & dicunt, Ecce homo vorax & potátor vini, publicanórum & peccatórum amĭcus. Et justificáta est sapĭĕntia à fíliis suis. Cap. 11.

FERIA VI.

Léctio libri Sâpientiæ.

ESt in Sapiéntiâ spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, subtílis, disertus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benignus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, & qui cápĭăt omnes spíritus: intelligíbilis, mundus, sûbtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior ĕst Sapiéntia: attingit autem ubíque propter sûam mundítiam: vapor est enim virtútis Dei, & emanátio quædam est claritátis omnipótentis Dei sincéra: & ídeò nihil inquinátum in êam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & spéculum sine Cap. 7.

mácula Deĭ majeſtátis & imágo bonitâtis illíus. Et cùm ſit ună, ómnia poteſt ; & in sĕ pĕrmanens ómnia ínnovat.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 3. IN illo témpore; Reſpondit Joannes & dĭxit : quem miſit Deus verbă Dei lóquitur : non enim ad menſúram dat Deus Spĭritum. Pater díligit Fílium, & ómnia dedit in manu ĕjus ; qui credit in Fílium, habet vităm æternam ; qui autem incrédulus eſt Fílio, non vidébit vitam ; ſed iră Dĕi manet ſuper eum.

Alb. # DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

(*Niſi occurrat Septuageſima, ſit de die Octava Anniverſarii Dedicationis, cum Commemoratione Dominicæ, & ejuſdem Evangelio in fine.*)

MISSA DE DOMINICA.

INTROITUS.

Pſal. 134 MAgnus eſt Dóminus, & Deus noſter præ ómnibus diis : ómnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit in cœlo, in terra, in mari, & in ómnibus abyſſis.

Ibid. *PSALM.* Laudáte nomen Dómini : * laudáte, ſervi, Dóminum. Glória. Magnus.

COLLECTA. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempiterne Deus, infirmitátem noſtram propítius réſpice ; atque ad protegendum nos, déxteram tuæ majeſtátis extende ; Per.

De BEATA VIRGINE DEIPARA, Deus, qui ſalútis. *ſuprà, pag.* 16.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 12. FRatres ; Nolíte eſſe prudentes apud voſmetipſos, nulli malum prŏ malo reddentes ; providentes bona non tantùm coram Deo, ſed étiam coram ômnibus homínibus. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum ómnibus homĭnĭbŭs pacem habentes ; non voſmetipſos defendentes, caríſſimi, ſed date lôcum iræ. Scriptum eſt enim : Mihi vindicta ; ego retríbuam, dîcit Dóminus. Sed ſi eſuríerit inimícus tuus, ciba illum ; ſi ſitĭt, potum da illi : hoc enim fáciens, carbónes ignis cóngeres ſuper câput ejus. Noli vinci ă mălo, ſed vince in bono malum.

GRADUALE. Miſit Dóminus verbum ſuum, & ſanávit eos ; & erípuit eos de intéritu eórum. ℣. Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, & mirabília ejus fíliis hóminum. Pſal. 106. Ibid.

Allelúia, allelúia. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, qui ſanat omnes infirmitátes tuas. Allelúia. Pſal. 102.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 8. IN illo témpore ; Cùm deſcendiſſet Jeſus de monte, ſecútæ ſunt eŭm turbæ multæ : & ecce lepróſus véniens, adorábat eum, dĭcens : Dómine, ſi vis, potes me mundăre. Et extendĕns Jeſus manum, tétigit eum, dĭcens : Volo, mundăre. Et confeſtim mundáta eſt lepra ĕjus. Et ait illi Jesŭs : Vidĕ, némini díxeris ; ſed vade, oſtende te ſacerdóti, & offer munus quod præcépit Móyſes, in teſtimónium ĭllis. Cùm autem introiſſet Căphárnaum, acceſſit ad eum Centúrio, rogans eum, & dĭcens : Dómine, puer meus jacet in domŏ paralyticus, & malè torquĕtur. Et ait illi Jesŭs : Ego véniam, & curábo ĕum. Et rĕſpondens Centúrio, ăit : Dómine, non ſum dignus ut intres sŭb tectum meum ; ſed tantùm dic verbo, & ſanábitur puer mĕus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtáte conſtitútus, habĕns ſub me mílites ; & dico huic, Vade ; & vadit : & álii, Veni ; & venit : & ſervo

meo, Fac hoc, & făcit. Audiens autem Jesus, mĭrátus est, & sequéntibus se dĭxit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente vénient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob ĭn regno cœlórum: fílii autem regni ejicientur in ténebras exterióres; ibi erit fletus, & stridor dĕntium. Et dixit Jesus Centuriŏni: Vade; & sicŭt credidisti, fiat tĭbi. Et sanátus ĕst pŭer in illa hora.

Dicitur Credo.

Psal. 65. *Offertorium.* Jubiláte Deo, universa terra; psalmum dícite nómini ejus: veníte & audíte, & narrábo vobis, omnes qui timétis Deum, quanta fecit Dóminus ánimæ meæ.

Secreta.

DEus, à quo ómnia ímpetrat húmilis & firma supplicántium fides: da nobis, per hanc quam tibi offérimus hóstiam, ut indignitátis nostræ cónscii, & in magna misericórdia tua veráciter confidentes, semper ad orandum accedámus; Per Dóminum.

De Beata Virgine Deipara, Beáta témpora. *ut suprà, pag.* 16.

Psal. 6. *Communio.* Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum: salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Postcommunio. Orémus.

VIvíficæ carnis tuæ Sacramento, sana, Dómine, ánimæ nostræ languóres; & verbo grátiæ tuæ nos ab omni contagióne perversitátis emunda; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

De Beata Virgine Deipara, Satiasti. *ut suprà. pag.* 16.

Intra Hebdomadam, quando Officium fit de Feria, servetur regula quæ habetur suprà, pag. 3.

FERIA IV.

Léctio Epístolæ beáti Joânnis Apóstoli

1. Joan. 5. CAríssimi; Scimus quia omnis qui natus est ĕx Deo, non peccat: sed generátio Dei conservat eum, & malignus non tângit eum. Scimus quóniam ĕx Deo sumus: & mundus totus in maligno pôsitus est. Et scimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscámŭs verum Deum, & simus in vero Fílio ejus. Hĭc est verus Deus, & vîta æterna. Filióli custodíte vos à simŭlăcris. Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 7. IN illo témpore; Intrávit Jesus Caphárnaŭm. Centuriónis autem cujusdam servus malè habens, erăt moritúrus, qui illi erat pretiŏsus. Et cùm audisset de Jesu, misit ad eum seniórĕs Judæórum, rogans eum ut veníret, & salváret servum ĕjus. At illi, cùm venissent ad Jesum, rogábant eum sollícitè, dĭcentes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes. Díligit enĭm gentem nostram, & synagógam ipse ædificávit nŏbis. Jesus autem ibat cum illis. Et cùm jam non longĕ esset à domo, misit ad eum Centúrio amícos, dĭcens: Dómĭnĕ, noli vexári; non enim sum dignus ut sub tectum meum ĭntres. Propter quod & meipsum non sum dignum arbitrátus ut vĕnírem ad te: sed dic verbo, & sanábitur puer mĕus. Nam & ego homo sum sub potestáte constitútus, habĕns sub me mílites; & dico huic, Vade; & vadit: & álii, Veni; & venit: & servo meo, Fac hoc; & făcit. Quo audíto, Jesus mĭrátus est; & conversus, sequéntibus se turbis dĭxit: Ămen, dico vobis, nec in Israel

tantam

tantam fidem invĕni. Et reverſi, qui miſsĭ fúerant, domum, invenérunt ſervum qui lăngŭerat, ſanum.

FERIA VI.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Côloſſenſes.

Cap. 2. FRatres; Chriſtus eſt imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ: quóniam in ipſo cóndita ſunt univerſa in cœlis & in terra, viſibília & inviſibília, ſive Throni, ſive Dominatiónes, ſive Principátus, ſivĕ Poteſtátes: ómnia per ipſum & in ipſo creáta ſunt; & ipſe eſt ante omnes, & ómnia in ĭpſo conſtant. Et ipſe eſt caput córporis Eccléſiæ, qui eſt princípium, primŏgénitus ex mórtuis; ut ſit in ómnibus ipſe primâtum tenens. Quia in ipſo complácuit omnem plenitúdinem ĭnhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipſum, pacíficans per ſánguinem crucis ejus, ſive quæ ĭn tĕrris, ſive quæ in cœlis ſunt.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 8. IN illo témpore; Videns Jeſus turbas multăs circùm ſe, juſſit ire trans frĕtum. Et accédĕns unus Scriba, ait ĭlli: Magiſter, ſequar te quócumque ĭeris. Et dicit ei Jesŭs: Vulpes fóveas habent, & vólŭcrĕs cœli nidos; Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclĭnet. Alius autem de dĭſcípulis ejus ait ĭlli: Dómine, permíttĕ mĕ primùm ire, & ſepelíre patrem mĕum. Jeſus autem ait ĭlli: Séquere me; & dimíttĕ mŏrtuos ſepelíre mórtuos ſuos.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

Alb. Poſt. Præſ. Dom. Rub. ſeu Fulv.

INTROITUS. Pſal. 88.

DOmine Deus virtútum, quis símilis tibi? Tu dominâris poteſtáti maris, motum autem flúctuum ejus tu mítigas: tui ſunt cœli, & tua eſt terra: orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundaſti: aquilónem & mare tu creaſti. *PSALM.* Miſericórdias Dómini * in æternum cantábo. Glória. Dómine. Ibid.

COLLECTA. Orémus. S. R.

DEus, qui nos in tantis periculis conſtitútos, pro humána ſcis fragilitáte non poſſe ſubsíſtere: da nobis ſalútem mentis & córporis; ut ea, quæ pro peccátis noſtris pátimur, te adjuvánte, vincámus; Per Dóminum.

Ante Præſentationem Domini, ſecunda Collecta dicitur de B. M. V. Deipara, Deus qui ſalútis, *ſuprà*, 16.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 13. FRatres: Némini quidquam debeátis, niſi ut ínvĭcĕm diligátis: qui enim díligit próximum, lĕgem implévit. Nam, Non adulterábis; Non occídes; Non furáberis; Non falſum teſtimónium dices; Non concupiſces; & ſi quod eſt áliud mandátum, in hoc verbŏ inſtaurátur: Díliges próximum tuum sĭcut teipſum. Dĭléctio próximi, malum non ôperátur. Plenitúdo ergŏ lĕgis eſt dilléctio.

GRADUALE. Inundavérunt aquæ ſuper caput meum: dixi, Périi: invocávi nomen tuum, Dómine, dixiſti, Ne tímeas. ℣. Cùm ănguſtiarétur in me ánima mea, Dómini recordátus ſum ut véniat ad te orátio mea Deus meus. Thre. 3. Jon. 2.

Allelúia, allelúia. ℣. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram: ecce non dormitábit neque dórmiet, qui cuſtódit Iſrael. Allelúia. Pſal. 120.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 8. IN illo témpore; Aſcendente Jeſu in navículam, ſecúti ſunt eum dĭſcípuli ejus: & ecce motus magnus

factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus ; ipse verò dormiébat. Et accessérunt ad eum discípuli ejus, & suscitavérunt eum, dicéntes : Dómine, salva nos, perímus. Et dicit eis Jesus : Quid tímidi estis, módicæ fídei ? Tunc surgens imperávit ventis & mari : & facta est tranquíllitas mágna. Porrò hómines miráti sunt, dicéntes : Qualis est hic, quia venti et máre obédiunt ei ?

Dicitur Credo.

Psal. 106. *Offertorium.* Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, & mirabília ejus fíliis hóminum ; & sacríficent sacrifícium laudis, & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Secreta.

S. R. Hóstias tibi, Dómine, placatiónis offérimus ; ut & delicta nostra miserátus absólvas, & nutántia corda tu dírigas ; Per.

De Beata Virgine Deipara, Beáta témpora, *ut suprà, pag.* 16.

Psal. 45. *Communio.* Dóminus virtútum nobíscum : suscéptor noster Deus Jacob.

Postcommunio. Orémus.

S. R. Reparet nos hujus virtúte sacraménti, quæsumus, Dómine, semper & ínnovet tuæ providéntia pietátis : quæ fragilitátem nostram inter mundi tempestátes prótegat & gubernet, & in portum perpétuæ salútis indúcat ; Per Dóminum.

De Beata Virgine Deipara, Satiásti, *ut suprà, pag.* 16.

FERIA IV.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Timótheum.

1 Tim. 1. Cárissime, Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus : quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. Sed ídeò misericórdiam consécutus sum ; ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi, in vîtam æternam. Regi autem seculórum, immortáli, invisíbili, soli Deo, honor & glória in sécula seculórum. Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 8. In illo témpore ; Cùm venísset Jesus trans fretum in regiónem Gerasenórum, occurrérunt ei duo habentes dæmónia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transíre per viam illam. Et ecce clamavérunt, dicéntes : Quid nobis, & tibi, Jesu Fili Dei ? venísti huc ante tempus torquére nos ? Erat autem non longè ab illis grex multórum porcórum páscens. Dæmones autem rogabant eum, dicéntes : Si éjicis nos hinc, mitte nos in gregem porcórum. Et ait illis. Ite. At illi exeuntes abiérunt in porcos ; & ecce ímpetu ábiit totus grex per præceps in mare, & mórtui sunt in áquis. Pastóres autem fugérunt ; & venientes in civitátem, nuntiavérunt ómnia, & de eis qui dæmónia habuérant. Et ecce tota cívitas éxiit óbviàm Jesu ; & viso eo, rogábant ut transíret à fínibus eórum.

FERIA VI.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 3. Fratres sancti, vocatiónis cœléstis partícipes, considerâte Apóstolum & Pontíficem confessiónis nostræ Jesum, qui fidélis est ei qui fecit illum, sicut & Móyses in omni dômo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móysè dignus est hábitus ; quantò ampliórem honórem habet domus, qui fabricâvit illam. Omnis namque

domus fabrĭcátur ab áliquo : qui autem ómnia creávit , Dêus eſt. Et Móyſes quidem fidélis erat in tota domo ejus tanquam fámulus , in teſtimónium eórum quæ dĭcenda erant : Chriſtus verò tanquam fílius in domo ſua ; quæ domus ſumus nos , ſi fidúciam , & glóriam ſpei uſque ăd fĭnem , firmam retineámus.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 8. IN illo témpore ; Exiérunt dæmónia ab hómine , & intrăvérunt in porcos ; & ímpetu ábiit grex per præceps in ſtagnum , & ſuffocátus ĕſt. Quod ut vidérunt factum qui păſcébant , fugérunt , & nuntiavérunt in civitátem , & in vĭllas. Exiérunt autem vidére quod factum eſt , & vĕnérunt ad Jeſum ; & invenérunt hóminem ſedentem , à quo dæmónia exíerant , veſtítum , ac ſana mente , ad pedes ejus : & timuĕrunt. Nuntiavérunt autem illis & qui víderant , quómodò ſanus factus eſſet ă legióne : & rogavérunt illum omnis multitúdo regiónis Geraſenórum , ut diſcéderet ab ipſis ; quia magno timóre tenebăntur. Ipſe autem ăſcendens navim , reverſus ĕſt. Et rogábat illum vir , à quo dæmónia exíerant , ut cum eo ĕſſet. Dimíſit autĕm eum Jeſus , dĭcens : Redi ĭn domum tuam , & narra quanta tibi fecit Dĕus. Et ábiit per universăm civitátem , prædicans quanta illi feciſſet Jeſŭs. Factum eſt autem cùm rediiſſet Jeſus , excépĭt illum turba ; erant enĭm ŏmnes expectantes eum.

Rub. ſeu Fulv. # DOMINICA QUINTA, POST EPIPHANIAM.

INTROITUS.

Pſal. 118. ADjútor & ſuſceptor meus es tu , Dómine , & in verbum tuum ſuperſperávi : declináte à me malígni ; & ſcrutábor mandáta Dei mei. *PSALM.* Beáti immaculáti in via : * qui ámbulant in lege Dómini. Glória. Adjútor & ſuſceptor. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

S. R. FAmíliam tuam , quæſumus , Dómine , contínua pietáte cuſtódi ; ut quæ in ſola ſpe grátiæ cœleſtis innítitur , tuâ ſemper protectióne muniátur ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Côloſſenſes.

Cap. 3. FRatres ; Indúite vos ſicut electi Dei , ſancti , & dilecti , víſcera miſericórdiæ , benignitátem , humilitátem , modeſtĭăm , patiéntiam ; ſupportantes ínvicem , & donantes vobiſmetipſis , ſi quis adversùs áliquem habet querélam : ſicut & Dóminus donávit vobis , îta & vos. Super ómnia autem hæc , caritátem habéte , quod eſt vínculum pĕrfectiónis : & pax Chriſti exultet in córdibus veſtris , in qua & vocáti eſtis in uno córpore ; & grâti eſtóte. Verbum Chriſti hábitet in vobis abundanter in omni ſapiéntia , docentes & commonentĕs voſmetipſos , pſalmis , hymnis & cánticis ſpirituálibus , in grátia cantantes in córdibus vêſtris Deo. Omne quodcumque fácitis , in verbŏ aut in ópere ; ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti , grátias agentes Deo ĕt Pătri per ipſum.

GRADUALE. Quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde ! Mei autem penè moti ſunt pedes , penè effúſi ſunt greſſus mei ; quia zelávi ſuper iníquos , pacem peccatórum videns. ℣. Noli æmulári in malignántibus , neque zeláveris facientes iniquitátem ; quóniam tanquam fœnum velóciter areſcent. Pſal. 72. Pſal. 36.

Allelúia , all. ℣. Adhuc puſillum , & non erit peccátor : manſuéti autem hæreditábunt terram , & delectabuntur in multitúdine pacis. Allelúia. Ibid.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 13. IN illo témpore ; Parábolam propósŭit turbis Jeſus, dĭcens : Símile factŭm ĕſt regnum cœlórum hómini qui ſeminávit bonum ſemen in agro sŭo. Cùm autem dormírent hómines, venit inimícus ejus, & ſuperſeminávit zizánia ĭn médio trítici, & ăbiit. Cùm autem creviſſet herba, ĕt fructum feciſſet, tunc apparuérunt & zizănia. Accedentes autem ſervi patris famílias, dixérunt ĕi : Dómine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo ? unde ergo habet zizánia ? Et ait ĭllis : Inimícus homo hoc fĕcit. Servi autem dixérunt ĕi : Vis, imus, & collígimus ea ? Et ăit : Non ; ne fortè collĭgentes zizánia, eradicétis ſimul cum eis & trĭticum. Sínite útraque créſcere uſque ad meſſem, & in témpore meſſis dicam meſsŏribus. Collígite primùm zizánia, & alligáte ea in faſcículos ad comburendum ; tríticum autem congrĕgăte in hórreum meum.

Dicitur Credo.

Pſal. 42. *OFFERTORIUM.* Diſcerne, Dómine, cauſam meam de gente non ſancta ; & introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

SECRETA.

M. P. INſere pectóribus noſtris ſemen bonum verbum tuum, Dómine ; & hujus virtúte ſacrifícii, creſcat uſque ad diem meſſis ; ut & nos ipſi dignum inveniámur frumentum, quod tuis congregétur in hórreis ; Per.

Pſal. 27. *COMMUNIO.* Ne ſimul trahas me, Dómine, cum peccatóribus ; & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DA fidélibus tuis, Dómine, quos & verbi tui, & cœleſtis Sacramenti pábulo nutris ac vivíficas, tantis munéribus ſic proficere, ut in conſummatióne ſéculi, ſeparáti à réprobis, inter electos tuos numerári mereántur ; Per Dóminum.

FERIA IV.

Léctio Epíſtolæ beáti Joânnis Apóſtoli.

1. Joan. 3. CAríſſimi ; Vidéte qualem caritátem dedĭt nobis Pater, ut fílii Dei nominêmur & ſimus. Propter hoc mundus nŏn novit nos ; quia non nôvit eum. Caríſſimi, nunc fílĭi Dei ſumus ; & nondum appâruit quid érimus. Scimus quóniam cùm apparúerit, símĭlĕs ei érimus ; quóniam vidébimus eum sîcuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, sănctíficat ſe ; ſicut & ille sânctus eſt. Omnis qui facit peccátum, & iniquitátem facit ; & peccátum êſt iníquitas. Et ſcitis quia ille appáruit, ut peccátă noſtra tólleret ; & pĕccătum in eo non eſt.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 13. IN illo témpore ; Dimiſſis turbis ; venit Jĕſus in domum ; & acceſſérunt ad eum diſcípuli ejus, dicĕntes : Edíſſere nobis parábolam zizaniórum ăgri. Qui reſpondens ait ĭllis : Qui ſemĭnăt bonum ſemen, eſt Fílius hŏminis. Ager autem, eſt mŭndus. Bonŭm verò ſemen, hi ſunt fílii rĕgni. Zĭzánia autem, fílii ſunt nĕquam. Inimícus autem qui ſeminávit ea, eſt diăbolus. Meſſis verò, conſummátio ſéculi ĕſt. Mĕſſóres autem, Angeli sŭnt. Sicut ergo colliguntur zizánia, & ignĭ comburuntur ; ſic erit in conſummatióne sĕculi. Mittet Fílius hóminis Angelos ſuos, & cólligent de regno ejus ómnia ſcándala, & eos qui fáciunt ĭniquitátem ; & mittent eos in camínum ĭgnis. Ibi erit fletus & ſtridor dĕntium. Tunc

juſti

juſti fulgébunt ſicŭt sŏl in regno Patris eórum.

FERIA VI.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 61. SPíritus Dómĭnĭ ſuper me, eò quòd únxerit Dôminus me. Ad annuntiandum manſuétis miſit me, ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam, & clauſis apertiónem; ut prædicárem annum placábilem Dómino, & diem ultiónis Deo noſtro; ut conſolárer omnes lugentes; ut pónerem lugéntibus Sion, & darem eis corónam pro címere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis prŏ ſpíritu mœróris: & vocabuntur in ea fortes juſtítiæ, plantátio Dómini ad glorîficandum. Et ædificábunt deſerta à ſéculo, & ruínas ăntiquas érigent, & inſtaurábunt civitátes deſertas, diſſipátas in generatĭŏnem & generatiónem.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 4. IN illo témpore; Venit Jeſus Názareth, ubĭ erat nutrítus; & intrávit ſecundùm conſuetúdinem ſuam die Sábbati in Synagógam, & ſurrexıt lĕgere. Et tráditus eſt illi liber Iſaíæ Prophĕtæ. Et ut revolvit librum, invénit locum ubĭ ſcriptum erat; Spíritus Dómini ſuper me, propter quod unxit me; evangelizáre paupéribus miſit me, ſanáre contrítos corde, prædicáre captívis remiſſiónem, & cæcis viſum, dimíttere confractos in remiſſiónem, prædicáre annum Dómini acceptum, & diem retributiŏnis. Et cùm plicuiſſet librŭm, réddidit miniſtro, & sĕdit. Et ómnium in Synagóga óculi erant intendentes in ĕum. Cœpit autem dícere ad ĭllos.: Quia hódie impléta eſt hæc ſcriptúra in áuribus vĕſtris. Et omnes teſtimónium illi dabant, & mirabantur in verbis grátiæ, quæ procedébant dĕ ore ipsíus; & dicĕbant: Nonne hĭc ĕſt fílius Joſeph?

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Rub. ſeu Fulv

INTROITUS.

Jer. 29. DIcit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, & non afflictiónis. Invocábitis me, & ego exáudiam vos, & redúcam captivitátem veſtram de cunctis locis.

Pſal. 84. *PSALM.* Benedixiſti, Dómine, terram tuam: * avertiſti captivitátem Jacob. Glória. Dicit.

COLLECTA. Orémus.

S R. PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſemper rationabília meditantes, quæ tibi ſunt plácita, & dictis exequámur & factis; Per.

Léctio Epíſtolæ beatĭ, Pauli Apóſtoli ad Theſſalônicenſes.

1. Theſſ. 1. FRatres; Grátias ágimus Deo ſemper pro ómnibus vobis, memóriam veſtri facientes in oratiónibus noſtris ſine intermiſſióne; mémores óperis fídei veſtræ, & labóris, & caritátis, & ſuſtinéntiæ ſpei Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ante Deum ĕt Patrem noſtrum; ſcientes fratres dilecti à Deo, electiónem veſtram, quia evangélium noſtrum non fuit ad vos in ſermóne tantùm, ſed & in virtúte; & in Spíritu ſancto, & in plenitúdine multa, ſicut ſcitis quales fuérimus in vobis prôpter vos. Et vos imitatóres noſtri facti eſtis, & Dómini; excipientes verbum in tribulatióne multa, cùm gáudiŏ Spíritus ſancti; ita ut facti ſitis forma ómnibus credentibus in Macedónia & în Acháia. A vobis enim diffamátus eſt ſermo Dómini, non ſolùm in Macedónia & in Acháia, ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, prŏfecta eſt; ita ut

non sit nobis necesse quîdquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant, qualem intróitum habuérimus ad vos; & quómodò conversi estis ad Deum à simulácris, servíre Deŏ vivo & vero, & expectáre Fílium ejus de cœlis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuĭt nŏs ab ira ventúra.

Psal. 101. *Graduale.* Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, & omnes reges terræ glóriam tuam. ℣. Quóniam ædificávit Dóminus Sion, & & vidébitur in majestáte sua.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum; quia prospexit de excelso sancto suo, ut audíret gémitus compeditórum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 13. IN illo témpore; Parábolam propósŭĭt turbis Jesus, dĭcens: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit ĭn agro suo, quod mínimum quidem est ómnibus semínibus; cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus & fit arbor, ita ut vólucres cœli véniant, & hábitent in ramis ĕjus. Aliam parábolam locútus est ĕis. Símile est regnum cœlórum fermento, quod acceptum múlier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentátum est tŏtum. Hæc ómnia locútus est Jesus in părábolis ad turbas; & sine parábolis non loquebátur eis, ut implerétur quod dictum erat per Prophétam dicentem: Apériam in parábolis os meum; eructábo ăbscŏndita à constitutióne mundi.

Dicitur Credo.

Psal. 66. *Offertorium.* Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; & métuant eum omnes fines terræ.

Secreta.

HIs, Dómine, placátus munéribus, concéde pópulo tuo mysteriórum regni tui intelligéntiam, & fove in pectóribus nostris fidem, quæ Evangélii semen in nobis fáciat pullulâre; Per Dóminum.

Psal. 47. *Communio.* Hic est Deus, Deus noster in æternum, & in séculum séculi: ipse reget nos in sécula.

Postcommunio. Orémus.

S. R. CŒlesti lúmine, quæsumus, Dómine, semper & ubíque nos præveni; ut mystérium, cujus nos partícipes esse voluisti & puro cernámus intúitu, & digno percipiámus affectu; Per Dóminum.

FERIA IV.

Léctio Epístolæ beáti Joânnis Apóstoli.

1 Joan. 4. CAríssimi; Nolíte omni spirítui crédere, sed probáte spíritus si ĕx Deo sint; quóniam multi pseudoprophétæ exiêrunt in mundum. In hoc cognóscitur spîritus Dei. Omnis spíritus qui confitétur Jesum Christum in carne veníssе, ĕx Deo est: & omnis spíritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; & hic est antichristus, de quo audístis quóniam venit, & nunc jam in mûndo est. Vos ex Deo estis, filíoli, & vĭcistis eum; quóniam major est qui in vobis est, quàm quî in mundo. Ipsi dĕ mundo sunt; ideò de mundo loquuntur, & mundus êos audit. Nos ex Dêo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, nŏn audit nos: in hoc cognóscimus Spíritum verĭtătis, & spíritum erróris.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 13. IN illo témpore; Ibat Jesus per civitátĕs & castella, docens & iter fáciens in Jerúsalĕm. Ait autem illi

quĭdam : Dómine, ſi pauci ſunt qui ſalvantur ? Ipſe autem dixit ad ĭllos : Conténdite intráre per ănguſtam portam ; quia multi, dico vobis, quærent intráre, & non pŏterunt. Cùm autem intráverit paterfamílias, & cláuſerit óſtium, incipiétis forìs ſtare, & pulſáre óſtium, dicentes : Dómĭne, áperi nobis ; & reſpondens dicet vobis : Néſcio vos unde sĭtis. Tunc incipĭétis dícere : Manducávimus coram te, & bíbimus, & in platéis noſtris docuĭſti. Et dicet vobis : Néſcio vos unde ſitis ; diſcédite à me, omnes operárii iniquitătis. Ibi erit fletus ĕt ſtridor déntium, cùm vidéritis Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophétas, in regnŏ Dĕi, vos autem expelli foràs.

FERIA VI.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Theſſalônicenſes.

2. Theſſ 2. ROgámus vos, Fratres, per adventum Dómini noſtri Jeſu Chriſti & noſtræ congregatiónis in ipſum ; ut non citò moveámini à veſtro ſenſu, neque terreámini, neque per ſpíritum, neque per ſermónem, neque per epíſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Dómini. Ne quis vos ſedúcăt ullo modo ; quóniam niſi vénerit diſcéſſio primùm, & revelátus fúerit homo peccáti, fílius perditiónis, qui adverſátur & extóllitur ſupra omne quod dícitur Deus, aut quod cólitur, ita ut in templo Dei ſédeat, oſtendens ſe tâmquam ſit Deus. Non retinétis quòd cùm adhuc eſſem apud vos, hæc dicébam vobis ? Et nunc quid dĕtíneat ſcitis, ut revelétur in ſŭo témpore. Nam myſtérium jam operátur ĭniquitátis ; tantùm ut qui tenet nunc, téneat, donec de mĕdio fiat. Et tunc revelábitur ille iníquus, quem Dóminus Jeſus interfíciet ſpírĭtŭ oris ſui, & déſtruet illuſtratĭŏne adventus ſui.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 13. IN ipſa die acceſſérunt quidam Phărisæórum, dicentes Jesŭ : Exi, ĕt vade hinc ; quia Heródes vult te occĭdere. Et ait ĭllis : Ite, & dícĭte vulpi illi : Ecce ejício dæmónia ; & ſanitátes perfício hódie & cras, & tértia die consŭmmor. Verúmtamen oportet me hódie & cras, & ſequenti dĭĕ ambuláre, quia non capit Prophétam perire extra Jerúſalĕm. Jerúſalem, Jerúſalem, quæ occídis Prophétas, & lápidas eos qui mĭttuntur ad te, quóties vólui congregáre fílios tuos, quemádmodùm avis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti ? Ecce relinquétur vobis domus veſtra desĕrta. Dicŏ autem vobis, quia non vidébitis me, donec véniat cùm dicétis : Benedictus quĭ vĕnit in nómine Dómini.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Viol.

INTROITUS.

Pſal. 17. CIrcumdedérunt me gémitus mortis, dolóres inferni circumdedérunt me ; & in tribulatióne mea invocávi Dóminum, & exaudívit de templo ſancto ſuo vocem meam. *PSALM.* Díligam te, Ibid. Dómine, fortitúdo mea : * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Circumdedérunt.

Non dicitur Glória in excelſis, *in Dominicis uſque ad Paſcha.*

COLLECTA. Orémus.

M. A. PReces pópuli tui, quæſumus, Dómine, clementer exaudi ; ut qui juſtè pro peccátis noſtris afflígi-

mur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ante Præsentationem Domini, secunda Oratio dicitur de BEATA VIRGINE DEIPARA, Deus, qui salútis, *suprà, pag.* 16. *cum Secreta & Post-communione.*

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 9. FRatres ; Nescítis quòd ii qui in stádio currunt, omnĕs quidem currunt ; sed unus áccipit bravíum ? Sic cúrrite ut comprêhendátis. Omnis autem qui in agóne contendit, ăb ómnibus se ábstinet : & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant ; nos autem încorruptam. Ego ígitur sic curro, non quasi in incertum ; sic pugno, non quasi áërem vérberans : sed castígo corpus meum, & in servĭtutem rédigo ; ne fortè cùm áliis prædicáverim, ipse rêprobus efficiar. Cap. 10. Nolo enim vos ignoráre, fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, & omnes mare transiérunt, & omnes in Móyse baptizáti sunt, in nube, & in mari ; & omnes eamdem escam spiritálem manducavérunt, & omnes eumdem potum spirĭtálem bibérunt : (bibébant autem de spirituáli, consequente eos petra ; petra autem erat Christus) sed non in plúribus ĕŏrum beneplácitum est Deo.

Psal. 9. *GRADUALE.* Adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne : sperent in te, qui novérunt te ; quóniam non derelinquis quærentes te, Dómine. ℣. Quóniam non in finem oblívio erit páuperis : patientia páuperum non perĭbit in æternum : exurge, Dómine, non præváleat homo.

(*In Feriis non dicitur Tractus, sed tantùm Graduale.*)

Psal. 119. *TRACTUS.* De profundis clamávi ad te, Dómine ; Dómine, exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in oratiónem servi tui. Si iniquitátes observáveris, Dómine ; Dómine, quis sustinébit ? Quia apud te propitiátio est, & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 20. IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hănc : Símile est regnum cœlórum hómĭnĭ patrifamílias, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam sŭam. Conventióne autem facta cum operáriis ex dĕnário diurno, misit eos in víneam sŭam. Et egressus circă horam tértiam, vidit álios stantes in foro otiósos, & dixit ĭllis : Ite & vos ĭn víneam meam, & quod justum fúerit, dabo vŏbis. Illi autem abiĕrunt. Iterùm autem éxiit circa sextam ĕt nonam horam ; & fecit sĭmĭliter. Circa undécĭmăm verò éxiit, & invénit álios stantes, & dicit ĭllis : Quid hìc statis tota die otiósi ? Dicunt ĕi : Quia nemo nos condŭxit. Dicit ĭllis : Ite & vos in víneam mĕam. Cùm serò autĕm factum esset, dicit Dóminus víneæ procuratóri sŭo : Vocă operários, & redde illis mercédem, incípiens à novíssimis usque ad prĭmos. Cùm veníssent ergo qui circa undécĭmam horam vénerant, accepérunt síngulos denărios. Venientes autem & primi, arbitráti sunt quòd plus essĕnt acceptúri ; accepérunt autem & ipsi síngulos denărios. Et accipientes murmurábant adversŭs patremfamílias, dicĕntes : Hi novíssimi ună hora fecérunt, & pares illos nobis feciśti, qui portávimus pondus diéi & æstus. At ille respondens uni eórum dĭxit : Amíce, non făcĭŏ tibi injúriam : nonne ex denário conveniśti mecum ?

Tolle

Tolle quod tŭum est, & vade : volo autem & huic novíssimo dare sicut & tĭbi. Aut non licet mihi quod volo, fácere? an óculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novíssimi primi, ĕt primi novíssimi : multi enim sunt vŏcăti, pauci verò electi.

Dicitur Credo.

Psal. 118. *OFFERTORIUM.* Humiliátus sum usquequáque, Dómine : vivífica me secundùm verbum tuum : ádjuva me, & salvus ero.

SECRETA.

MUnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus, súpplíciter obsecrantes, ut sicut uníus hóminis delictum factum est in condemnatiónem mortis, ita & uníus hóminis Jesu Christi justítia fiat nobis in justificatiónem vitæ ; Qui tecum.

Psal. 30. *COMMUNIO.* Illúmina fáciem tuam super sèrvum tuum, & salvum me fac in tua misericórdia : Dómine, non confundar, quóniam invocávi te.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus omnípotens, qui nobis ad promissam æternitátem festinántibus, vires in hoc Sacramento misericórditer præparásti : fac nos in præsentis vitæ stádio sic cúrrere, ut bravíum supernæ vocatiónis tuæ in Christo Jesu comprehéndere valeámus ; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Benedicámus Dómino.

¶ IN FERIIS ET SIMPLICIBUS, *à Præsentatione Domini ad Feriam quartam Cinerum exclusivè, secunda Collecta dicitur ad poscenda suffragia Sanctorum*, A cunctis. *infrà, pag.* cxl.

FERIA II.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Romános.

FRatres ; Sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per pĕccátum mors ; & ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes pĕccavérunt. Usque ad legem enim peccatŭm erat in mundo : peccátum autem non imputabátur, cùm lĕx non esset. Sed regnávit mors ab Adam usque ad Móysen, étiam in eos, qui non peccavérunt in similitúdinem prævaricatiónis Adæ, qui est fôrma futúri. Sed nŏn sicut delictum, îta & donum. Si enim uníus delicto multĭ mórtui sunt ; multò magìs grátia Dei, & donum in grátia uníus hóminis Jesu Christi in plures âbundávit. Et non sicut pĕr unum peccátum, îta & donum. Nam judícium quidem ex uno in condĕmnatiónem ; grátia autem ex multis dĕlictis in justificatiónem. Cap. 5.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

IN illo témpore ; Cœpit Jesus exprobráre civitátibus, in quibus factæ sunt plúrimæ vĭrtútes ejus, quia non egissent pœnitĕntiam. Væ tibi Corózain ; væ tibi Bĕthsáida : quia, si in Tyro & Sidóne factæ essent virtútes, quæ factæ sunt in vobis ; olim in cilício & cínere pœniténtiam egĭssent. Verúmtămĕn dico vobis : Tyro & Sidóni remíssiùs erit in die judícii quàm vŏbis. Et tu, Căphárnaum, numquid usque in cœlum exaltáberis? usque in infernum descĕndes. Quia si in Sódomis factæ fuissent virtútes quæ factæ sunt in te, fortè mansíssent usque in hanc dĭem. Verúmtămĕn dico vobis, quia terræ Sodomórum remíssiùs erit in die jŭdĭcii, quàm tibi. Cap. 11.

FERIA IV.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Romános.

Cap. 5. FRatres ; Si unius delicto mors rĕgnávit per unum ; multò magìs abundántiam grátiæ , & donatiónis , & justítiæ accipientes , in vita regnábunt per unum Jêsum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes hómines in condĕmnatiónem ; sic & per unius justítiam in omnes hómines in justificatiônem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam unius hóminis , peccatóres constĭtúti sunt multi ; ita & per unius obeditiónem , justi constituêntur multi. Lex autĕm subintrávit , ut abundâret delictum. Ubi autem abundávit delictum , superabŭndávit grátia ; ut sicut regnávit peccátum in mortem , ita & grátia regnet per justítiam in vitam ætĕrnam , per Jesum Christum Dóminum nostrum.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 13. ADerant quidam ipso in témpore nuntiantes Jesu dĕ Galílæis , quorum sánguinem Pilátus míscuit cum sacrifíciis eŏrum. Et respondens dixit illis : Putátis quòd hi Galilæi præ ómnibus Galilæis peccătóres fúerint , quia tália passi sunt ? Nŏn , dico vobis : sed nisi pœniténtiam habuéritis , omnes simíliter perĭbitis. Sicut illi decem & octo , suprà quos cécidĭt turris in Síloe , & ŏccídit eos ; putátis quia & ipsi debitóres fúerint præter omnes hómines habitantes in Jerúsalem ? Nŏn , dico vobis ; sed si pœniténtiam non ĕgĕritis , omnes simíliter perĭbitis.

FERIA VI.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 11. FRatres ; Fide intellígimus aptáta esse sæcŭlă verbo Dei ; ut ex invisibílibus visibília fierent. Fide plúriam hóstiam Abel , quàm Cain , óbtulit Deo , per quam testimónium consecútus est esse justus , testimónium perhibente munérĭbŭs ejus Deo ; & per illam defunctus âdhuc lóquitur. Fide Henoc translátus est , ne vidéret mortem ; & non inveniebátur , quia tránstŭlĭt illum Deus : ante translatiónem enim testimónium hábuit placuîsse Deo. Sinĕ fide autem impossíbile est placêre Deo. Crédere enim oportet accedentem ad Deŭm quia est , & inquiréntibus se remunerâtor sit. Fide Noe , responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur , métuens aptávit arcam in salútem domus suæ , per quam dămnávit mundum ; & justítiæ , quæ per fidĕm ĕst , hæres est institútus.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 3. IN illo témpore ; Videns Joannes multos Pharisæórum & Sadducæórum venientes ad băptismum suum , dixit ĕis : Progénĭĕs viperárum , quis demonstrávit vobis fúgere à ventúra ira ? Fácite ergo fructum dignum pœnitĕntiæ. Et ne velítis dícĕrĕ intra vos : Patrem habémus Abrahăm. Dicŏ enim vobis quóniam potens est Deus de lapídibus istis suscitáre fílios Abrahæ. Jam enim secúris ad radícem árborum pósita ĕst. Omnis ergo arbor quæ non facĭt fructum bonum , excidĕtur , & in ignem mittétur.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Viol.

INTROITUS.

Psal. 43. EXurge , quare obdormis , Dómine ? exurge , & ne repellas in finem : quare fáciem tuam avertis , oblivísceris tribulatiónem nostram ? adhæsit in terra venter noster : exurge , Dómine , ádjuva nos , & líbera

Pſal. 43. nos. *PSALM.* Deus, áuribus noſtris audívimus : * patres noſtri annuntiavérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum. Glória. Exurge.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui cónſpicis, quia ex nulla noſtra actióne confídimus : concéde propítius, ut contra adverſa ómnia, grátiæ tuæ protectióne muniámur ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

2. Cor. 11. FRatres ; Libenter ſuffertis ĭnſipientes, cùm ſitis ipſi sâpientes. Suſtĭnétis enim, ſi quis vos in ſervitútem rédigit, ſi quis dévorat, ſi quis áccipit, ſi quis extóllitur, ſi quis in fâciem vos cædit. Secundùm ignobilĭtátem dico, quaſi nos infirmi fuérimus ĭn hac parte. In quo quis audet (in inſipĭéntia dico) âudeo & ego. Hĕbræi ſunt ? êt ego. Iſraĕlítæ ſunt ? êt ego. Semĕn Abrahæ ſunt ? êt ego. Miniſtri Chriſti ſunt ? (ut minŭs ſápiens dico) plûs ego. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagĭs ſupra modum, in môrtibus frequenter. A Judæis quínquĭĕs quadragénas, una mînus, accépi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidátus ſum, ter naufrágium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itinéribus ſæpè, perículis flúminum, perículis latrónum, perículis ex génere, perículis ex géntibus, perículis in civitáte, perículis in ſolitúdine, perículis in mari, perículis ĭn falſis frátribus ; in labóre & ærumna, in vigíliis multis, in fame & ſiti, in jejúniis multis, in frígore & nûditáte. Præter illa quæ ĕxtrínſecùs ſunt, inſtántia mea quotidiána, ſollicitúdo ómnium Eccleſiárum. Quis infirmátur, & ego non infirmor ? quis ſcandalizátur, & ego non uror ? Si gloriári oportet ; quæ infirmitátis meæ ſunt, glôriábor. Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benĕdictus in ſécula, ſcit quôd non méntior. Damaſci præpóſitus gentis Arétæ regis, cuſtodiébat civitátem Damaſcenórum, ut mĕ comprehénderet ; & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effúgi mânus ejus. Si gloriári oportet (nŏn expedit quidem,) véniam autem ad viſiónes & revelatiônes Dómini. Scio hóminem in Chriſto ante annŏs quatuórdecim (ſive in córpore néſcio, ſive extra corpus néſcio, Deus ſcit,) raptum hujúſmodi uſque ad têrtium cœlum. Et ſcio hujúſmodi hóminem (ſive in córpore, ſive extra corpus, néſcio, Deus ſcit) quóniam raptus eſt ĭn Paradíſum ; & audívit arcána verba, quæ non licet hômini loqui. Pro hujúſmŏdĭ gloriábor ; pro me autem nihil gloriábor, niſi in infirmitâtibus meis. Nam & ſi volúero gloriári, non ero inſípiens ; veritátĕm enim dicam : parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut áliquid âudit ex mĕ. Et ne magnitúdo revelatiónum ĕxtollat me, datus eſt mihi ſtímulus carnis meæ, ángelus ſátanæ, qui me côlaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi ut diſcéderet à me, ĕt dixit mihi : Súfficit tibi grátia mea ; nam virtus in infirmitâte perfícitur. Libenter ígitur gloriábor in infirmĭtátibus meis, ut inhábitet ĭn mĕ virtus Chriſti. Cap. 12.

GRADUALE. Qui in lege Dómini meditábitur die ac nocte, erit tamquam lignum, quod plantátum eſt ſecùs decurſus aquárum, quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo. ℣. Non enim auditóres legis juſti ſunt apud Deum, ſed factóres legis juſtificabuntur. Pſal. 1. Rom. 2.

(*In Feriis non dicitur Tractus, ſed tantùm Graduale.*)

Psal. 142.

TRACTUS. Expandi manus meas ad te, Dómine; ánima mea sicut terra sine aqua tibi. Notam fac mihi viam in qua ámbulem, quia ad te levávi ánimam meam. Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 8.

IN illo témpore; Cùm turba plúrima convenírent, & de civitátibus propérárent ad Jesum, dixit per similitúdinem: Exiit qui séminat semináre semen suum; & dum séminat, áliud cécidit secùs viam, & conculcátum est, & vólucres cœli comedérunt illud. Et áliud cécidit supra petram, & natum áruit, quia non habébat humórem. Et áliud cécidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocavérunt illud. Et áliud cécidit in terram bonam: & ortum fecit fructum céntuplum. Hæc dicens clamábat: Qui habet aurés audiendi, áudiat. Interrogábant autem eum discípuli ejus, quæ esset hæc parábola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mystérium regni Dei, céteris autém in parábolis; ut videntes non vídeant, & audientes non intélligant. Est autem hæc parábola: Semen est verbum Dei. Qui autém secùs viam, hi sunt qui áudiunt; deinde venit diábolus, & tollit verbum de corde eórum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram, qui cùm audíerint, cum gáudio suscípiunt verbum; & hi radíces non habent, qui ad tempus credunt, & in témpore tentatiónis recédunt. Quod autem in spinas cécidit, hi sunt qui audiérunt, & à sollicitudínibus, & divítiis, & voluptátibus vitæ, euntes suffocantur, & non réferunt frúctum. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono & óptimo audientes verbum rétinent, & fructum afferunt in patiéntia.

Dicitur Credo.

OFFEERTORIUM. Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveantur vestígia mea: inclína aurem tuam, & exaudi verba mea: mirífica misericórdias tuas, qui salvos facis sperantes in te, Dómine. Psal. 16.

SECRETA.

FRuctíficet in nobis, Dómine, fídei verbum quod seminásti; ut te toto corde diligentes, acceptábile tibi sacrifícium offerámus; Per Dóminum.

COMMUNIO. Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua, Dómine, super mel ori meo! Jurávi & státui custodíre judícia justítiæ tuæ. Psal. 118.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

QUibus dedisti, Dómine, in hoc venerábili Sacramento nosse ac prægustáre cœléstis regni tui mystérium, da nobis cor bonum & óptimum; ut verbi tui auditóres non obliviósi, fructum afferámus in patiéntia; Per Dóminum.

Benedicámus Dómino.

FERIA II.

Léctio Epístolæ beáti Pétri Apóstoli.

2. Petr. 2.

CAríssimi; Si Deus Angelis peccántibus non pepercit, sed ruéntibus inferni detractos, in tártarum trádidit cruciandos, in judícium reservári; & originali mundo non pepercit, sed octávum Noe justítiæ præcónem custodívit, dilúvium mundo impiórum indúcens, & civitátes Sodomórum & Gomorrhæórum in cinerem rédigens eversióne damnávit; exemplum eórum, qui impiè actúri sunt, ponens; & justum Lot oppressum à nefandórum injúria ac luxuriósa conversatióne erípuit, (aspectu enim

& audítu

& audítu justus erat, hábitans apud eos qui de die in diem ánimam justam iníquis opéribŭs cruciábant:) novit Dóminus pios de tentatióne erípere, iníquos verò in diem judícii reservâre cruciandos.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 4. IN illo témpore; Dicébat Jesŭs: Sic est regnum Dei, quemádmodum si homo jáciat sementem in terram; & dórmiat, & exurgăt nocte & die, & semen gérminet, & increscat dum nescit ille. Ultrò enim terra fructíficat, primùm herbam, dĕinde spicam, deinde plenum frumentum in spĭca. Et cùm prŏduxerit fructus, statim mittĭt fălcem, quóniam adest messis.

FERIA IV.

Léctio libri Sâpientiæ.

Cap. 14. TUa, Pater, providéntia gubernat; quóniam dedisti & in mari viam, & inter fluctŭs sémitam firmíssimam, ostendens quóniam potens es ex ómnibus salváre, étiam si sine arte áliquis âdeat mare. Sed ut non essent vácua sapiéntiæ tuæ ópera, propter hoc étiam & exíguo ligno credunt hómĭnĕs ánimas suas, & transeuntes mare per ratem liberâti sunt. Sed & ab inítio cùm perírent superbi gigantes, spes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remísit século semen năti vitátis, quæ manu tua erat gûbernáta. Benedictum est enĭm lĭgnum, per quod fit justítia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 13. IN illo témpore; Accedentes discípuli dixérunt Jesŭ: Quare in parábolis lóqueris turbis? Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mystéria regni cœlórum; illis autem non est dătum. Qui enim habet, dábitur ei, ĕt abundábit: qui autem non habet, & quod habet auferétur ab ĕo. Ideo in parábŏlis loquor eis; quia vidéntes non vident, & audientes non áudiunt, neque intĕlligunt. Et adimplétur in eis prophetía Isăíæ dicentis: Audítu audiétis, & non intelligétis; & vidéntes vidébitis, & non viděbitis. Incrassătum est enim cor pópuli hujus, & áuribus gráviter audiérunt, & ócŭlŏs suos claudérunt; ne quando vídeant óculis, & áuribus áudiant, & corde intélligant, & convertantur, & sanem ĕos. Vestri autem beáti ócŭlĭ quia vident, & aures vestræ quia ăudiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophétæ & justi cupiérunt vidére quæ vidétis, ĕt non vidérunt; & audíre quæ audítis, & non audiĕrunt. Vos ergo audíte parábolam seminántis. Omnis qui audit verbum regni, & non intélligit; venit malus, & rapit quod seminátum est ĭn corde ejus: hic est qui secùs viam seminátus ĕst. Qui autem super petrósa semĭnátus est; hic est qui verbum audit, & contínuò cum gáudio áccipit illud, non habet autem in se radícem, sed est tempŏrălis. Facta autem tribulatióne & persecutiónĕ propter verbum, contínuò scandalizătur. Qui autem seminátŭs est in spinis; hic est qui verbum audit, & sollicitúdo séculi istíus, & fallácia divitiárum súffocat verbum, & sine fructu effĭcitur. Qui verò in terram bonam semĭnátus est; hic est qui audit verbum, & intélligit, & fructum affert, & facit, áliud quidem centésimum, áliud autem sexăgĕsimum, áliud verò trigésimum.

FERIA VI.

Léctio libri Eccl̂esiastici.

Cap. 44. NOe inventus est pĕrfectus, justus; & in témpore iracúndiæ factus est reconcîliátio. Ideò dimissŭm ĕst

réliquum terræ, cùm fâctum est dilúvium. Testamenta séculi póśita sŭnt apud illum, ne deléri possit dilúvio ômnis caro. Abraham magnus pater multitúdinis géntium, & non est inventus símĭlĭs illi in glória; qui conservávit legem Excelsi, & fuit in testamênto cum illo. In carne ejus stare fecĭt testamentum, & in tentatióne inventus êst fidélis. Ideò jurejurando dedit illi glóriam in gente sua, créscere illum quasĭ terræ cúmulum, & ut stellas exaltáre semen ejus, & hæreditáre illos à mari usque ad mare, & à flúmine usque ad têrminos terræ. Et in Isaac eódĕm modo fecit propter Abraham pâtrem ejus. Benedictiónem ómnium géntium dedĭt illi Dóminus, & testamentum confirmávit super câput Jacob. Agnóvit eum in benedictiónibus suis, & dedĭt illi hæreditátem, & divísit illi partem in trîbubus duódecim. Et conservávit illi hómines mĭsericórdiæ, invenientĕs grătiam in óculis omnis carnis.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 12. IN illo témpore; Cùm tanta signa feciśset Jesus coram Judæis, non crĕdébant in eum; ut sermo Isaíæ Prophétæ implerétur, quem dixit: Dómine, quis crédidit auditui nostro? & bráchium Dómini cui revelátum est? Proptéreà non póterant crédere, quia íterùm dixĭt Isaías: Excæcávit óculos eórum, & indurávit cor eórum; ut non vídeant óculis, & non intélligant corde, & convertàntur, & sanem ĕos. Hæc dixit Isaías quando vidĭt glóriam ejus, & locútus est de ĕo. Verúmtamen & ex princípibus multi credĭdérunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagóga non ejicerĕntur. Dilexérunt enĭm glóriam hóminum magìs quàm glóriam Dĕi. Jĕsus autem clamávit, & dĭxit: Qui credit in me, nŏn credit in me, sed in eum qui misit mĕ. Et quĭ videt me, videt eum qui misit mĕ. Ego lux ĭn mundum veni; ut omnis qui credit in me, in ténebris non măneat. Et si quis audíerit verba mea, & nŏn custodíerit; ego non júdico ĕum. Non enim veni ŭt júdicem mundum, sed ut salvíficem mŭndum. Qui spernit me, & non áccĭpĭt verba mea, habet qui júdicet ĕum. Sermo quem locútus sum, ille judicábit eum in nŏvíssimo die; quia ego ex me ipso non sum locútus: sed qui misit me Pater, ipse mihi mandátum dedit quid dicam & quid lŏquar. Et scio quia măndátum ejus vita æterna ĕst. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihĭ Păter, sic loquor.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Viol.

Introitus.

Ps. 30. ESto mihi in Deum protectórem, & in locum refúgii, ut salvum me fácias; quóniam firmamentum meum & refúgium meum es tu: & propter nomen tuum dux mihi eris, & enútries me. *Psalm.* In te, Dómine, sperávi; non confundar in æternum: * in justítia tua líbera me, & éripe me. Glória. Esto. Ibid.

Collecta. Orémus.

S. R. PReces nostras, quæsumus, Dómine, clementer exaudi; atque à peccatórum vínculis absolútos, ab omni nos adversitáte custódi; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 13. FRatres; Si linguis hóminum loquar & Angelórum, caritátĕm autem non hábeam, factus sum velut

æs sonans, aut cîmbalum tínniens. Et si habúero prophétiam, & nóverim mystéria ómnia, ĕt omnem sciéntiam; & si habúero omnem fidem ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nîhil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facúltátes meas; & si tradídero corpus meum ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mîhi prodest. Cáritas pátiens est, benigna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa: non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congaudet autĕm veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ômnia sústinet. Cárĭtăs numquam éxcidit; sive prophetíæ evacuabuntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia dêstruétur. Ex partĕ enim cognóscimus, & ex parte prôphetámus. Cùm autem vénerit quod pĕrfectum est, evacuábitur quod ex pârte est. Cùm essem párvulus, lŏquebar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitâbam ut párvulus. Quando autĕm factus sum vir, evacuávi quæ êrant párvuli. Vidémus nunc per spécŭlŭm in ænígmate; tunc autem fâcie ad fáciem. Nunc cŏgnosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut & côgnitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, cáritas, tria hæc; major autĕm hŏrum est cáritas.

Eccli. 2. *Graduale.* Qui timétis Dóminum, speráte in illum; & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. ℣. Qui timétis Dóminum, dilígite illum; & illuminabuntur corda vestra.

Psal. 12. *Tractus.* Dómine Deus meus, illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; ne quando dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum. Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: ego autem in misericórdia tua sperávi. Exultábit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi; & psallam nómini Dómini altíssimi.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 18. IN illo témpore; Assumpsit Jĕsus Duódecim, & ait ĭllis: Ecce ascéndĭmŭs Jerosólymam, & consummabuntur ómnia quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hŏminis. Tradétur enim géntibus, & illudétur, & flagellábitur, ĕt conspuétur; & postquàm flagelláverint occídent eum, & tértia die resŭrget. Et ipsi nihil horum intellexérunt, & erat verbum istud ăbscónditum ab eis; & non intelligébant quæ dicebăntur. Factum est autem, cùm appropinquáret Jéricho, cæcus quidam sedébat secùs viam, mendĭcans. Et cùm audíret turbam prætereuntem, interrogábat quid hoc ĕsset. Dixérŭnt autem ei quòd Jesus Nazarénus transĭret. Et clamávit, dĭcens: Jesu fili David, miserére mĕi. Et qui præíbant, increpábant eum ut tacĕret. Ipse verò multŏ magìs clamábat: Fili David, miserére mĕi. Stăns autem Jesus, jussit illum adduci ad sĕ. Et cùm appropinquasset, interrŏgávit illum, dĭcens: Quid tibi vis fáciam? At ille dĭxit: Dómine, ut vĭdeam. Et Jesus dixit ĭlli: Réspice, fides tua te salvum fĕcit. Et cŏnfestim vidit, & sequebátur illum magníficans Dĕum. Et omnis plebs ŭt vĭdit, dedit laudem Deo.

Dicitur Credo.

Is. 50. *Offertorium.* Qui ambulávit in ténebris, & non est lumen ei, speret in nómine Dómini, & innitátur super Deum suum.

Secreta.

S. R. HUjus prétio sacrifícii fac nos, quæsumus, Dómine, promptâ tibi voluntáte subjectos, & ad supplicandum tibi, nostras semper éxcita voluntátes; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Psal. 33. *Communio.* Accédite ad eum, & illuminámini; & fácies vestræ non confundentur. Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum.

Postcommunio. Orémus.

M. A. MEntes nostras, quæsumus, Dómine, salutáribus recreátas mystériis, lúmine tuæ claritátis illustra; ut vidére possímus quæ agenda sunt, & quæ recta sunt ágere valeámus; Per Dóminum.

Benedicámus Dómino.

[*Ubi fit* Oratio Quadraginta-Horarum, *Feriis II & III* Quinquagesimæ, *dicitur* Missa *sequens cum Commemoratione Duplicis-Minoris, Semiduplicis aut Simplicis occurrentis.*

Si occurrat Festum Duplex-Majus, fiet de eo per anticipationem, Sabbato precedenti.

Si occurrat Festum Solemne, aut suprà, fiet de Festo, & addetur sub unica conclusione Collecta Missæ sequentis.

Rub. seu Fulv. *Introitus.*

II. Paral. 30. FIlii Israel, Fratres vestri recessérunt à Dómino, ut ipsi cérnitis: veníte ad Sanctuárium ejus, servíte Dómino Deo patrum vestrórum, & Fratres vestri habébunt misericórdiam, & revertentur: pius enim & clemens est Dóminus, & non avertet fáciem suam à vobis. *Psalm.* Ut quid Deus repulísti in finem; * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? Glória. Fílii.

Collecta. Orémus.

S. R. OMnípotens, sempiterne Deus, da nobis voluntátem tuam & fidéli mente retinére, & pia conversatióne exprímere; ut Ecclésia tua à profánis vanitátibus expiáta, non áliud profiteátur verbis, áliud exérceat actióne; Per Dóminum.

Léctio Isaîæ Prophétæ.

Cap. 65. HÆc dîcit Dóminus: Quómodò si inveniátur granum in botrŏ, & dicátur: Ne dissipes illud, quóniam benedíctio est: sic fáciam propter servos meos, ut non dispêrdam totum. Et edúcam de Jacob semen, & de Juda possidentem montes meos: & hæreditábunt eăm electi mei, & servi mei habitâbunt ibi. Et erunt campestriă in caulas gregum, & vallis Achor in cubíle armentórum pópulo meo qui requisiêrunt me. Et vos qui dereliquístis Dóminum, qui oblíti estis montem sanctum meum, qui pónitis fortúnæ mensam, & libátis super eam, numerábo vos in gládio, & omnes in cæde corruétis: pro eo quod vocávi & non respondístis: locútus sum, ĕt non audístis: & faciebátis malum in óculis meis, & quæ nôlui, elegístis. Propter hoc hæc dicit Dôminus Deus: Ecce servi mei cómedent, & vos esuriétis: Ecce servi mei bibent & vos sitiétis: Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundémini: Ecce servi mei laudábunt præ exultatióne cordis, & vos clamábitis præ dolóre cordis, & præ contritiónĕ spîritus ululábitis.

Graduale. Péreant peccatóres à fácie Dei; & justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætítia. ℣. Impiè egérunt peccatóres secundùm desidéria sua ambulantes: vos autem caríssimi, in Spíritu sancto orantes, illos salváte de igne rapientes.

Psal. 67.

Judæ. 16.

Tractus.

Psal. 77. *TRACTUS.* Defecérunt in vanitáte dies eórum, & anni eórum cum festinatióne. Dilexérunt eum in ore suo, & linguâ suâ mentíti sunt ei: cor autem eórum non erat rectum cum eo, nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus. Ipse autem est misércors & propítius fiet peccátis eórum: & non dispérdet eos.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 22. IN illo témpore; Respondens Jesus, dixit íterum in parábolis princípibus sacerdótum et Pharisæis, dicens: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias; & nolébant veníre. Iterùm misit álios servos, dícens: Dícite invitátis: Ecce prándium meum parávi, tauri mei & altília occísa sunt, & ómnia paráta; veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt, & abiérunt, álius in villam suam, álius verò ad negotiatiónem suam: réliqui verò tenuérunt servos ejus, & contuméliis affectos occidérunt. Rex autem cùm audísset, irátus est; & missis exercítibus suis, pérdidit homicídas illos, & civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis súis: Núptiæ quidem parátæ sunt; sed qui invitáti erant, non fuérunt digni. Ite ergo ad éxitus viárum; & quoscumque invenéritis, vocáte ad núptias. Et egressi servi ejus in vias, congregavérunt omnes, quos invenérunt, malos & bonos: & implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Intrávit autem rex ut vidéret discumbentes; & vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi: Amíce, quómodo huc intrasti, non habens vestem nuptiálem? At ille obmútuit. Tunc dixit rex minístris: Ligátis mánibus & pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres; ibi erit fletus et stridor déntium: multi enim sunt vocáti, pauci verò electi.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Dómine Deus ómnium Creátor, terríbilis & fortis, justus & misércors: áccipe sacrifícium pro universo pópulo tuo Israel, & custódi partem tuam & sanctífica, cóngrega dispersiónem nostram, líbera eos qui sérviunt Géntibus, & contemptos, & abominátos réspice. 2. Mach. 1.

SECRETA.

HOstias pópuli tui, Dómine propítius réspice, & præsta ut à diabólicis, quibus renuntiávit láqueis constanter ábstinens, toto tibi corde prostrátus misericórdiæ tuæ donis multiplicétur & crescat; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum. S. R.

COMMUNIO. Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid fáciunt. Luc. 23.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui pro inimícis tuis véniam imploràsti, per hæc Córporis & Sánguinis tui Sacramenta quæ súmpsimus, concéde, ut qui mundi vanitátibus errant decepti, amóris tui mémores ad te rédeant conversi; Qui vivis.]

FERIA II.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 11. FRatres; Fide qui vocátur Abraham, obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem; & éxiit, nêsciens quò iret. Fide demorátus est in terra repromissiónis, tamquam in aliéna, in cásulis habitando cum Isaac & Jacob cohærédibus repromissiônis ejusdem. Expectábat enim fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex & cônditor Deus. Fide & ipsa

Sara ſtérilis virtútem in conceptiónem féminis accépit, étiam prætĕr tempus ætátis; quóniam fidélem crédidit eſſe eum qui rêpromíſerat. Propter quod & ab uno orti ſunt (ĕt hoc emórtuo) tamquam sídera cœli in multitúdinem, & ſicut aréna, quæ eſt ad oram maris, innûmerábilis. Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis reprŏmiſſiónibus; ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes, & confitentes quia peregríni & hóſpites ſunt sûper terram. Quĭ enim hæc dicunt, ſignificant ſe pâtriam inquírere. Et ſi quidem ipsíus meminiſſent de qua exiérunt, habébant útique tempŭs revertendi; nunc autem meliórem áppetunt, id êſt, cœleſtem. Ideò non confúnditur Deus vocárĭ Deus eórum; parávit enim illis cîvitátem. Fide óbtulit Abraham Iſaac, cùm tentarétur; & unigénitum offerébat, qui ſuſcéperat repromiſſiónes: ad quem dictum eſt, quia in Iſaac vocábĭtŭr tibi ſemen; árbitrans quia & à mórtuis ſuſcitáre potens eſt Deus: undĕ ĕum & in parábolam accépit.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 9. IN illo témpore; Factum eſt dum complerentur dies aſſumptĭónis Jeſu, & ipſe fáciem ſuam firmávit ut iret in Jerúſalĕm. Et miſit núntios ante cŏnſpectum ſuum: & euntes intravérunt in civitátem Samaritanórum, ut parárent ĭlli. Et non recĕpérunt eum, quia fácies ejus erat euntis in Jerúſalĕm. Cùm vidiſſent autem diſcípuli ejus Jacóbŭs & Joannes, dixĕrunt: Dómine, vis dícimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſúmat illos? Et converſus increpávit illos, dĭcens: Neſcítis cujus ſpíritus ĕſtis. Fílius hóminis non venit ánĭmăs pĕrdere, ſed ſalváre.

FERIA QUARTA
in Capite Jejunii.

Psalmi Pœnitentiales et Absolutio Pœnitentium. *Niger.*

Poſt Sextam, in Cathedrali D. Epiſcopo Stolâ & Pluviali nigri coloris, ac Mitrâ albâ ornato, atque in medio Chori proſtrato, (vel in ejus abſentia Canonico Hebdomadario, & in aliis Eccleſiis Præpoſito loci, cum Stola nigra ſuper habitum Chori) omnibus de Choro ſimiliter proſtratis, cantantur alternis, recto vocis tono, Cantore incipiente, ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, ut ſequitur.

Poſt ſingulos Pſalmos Celebrans ſurgit, & cantat Verſiculos & Collectam.

Psalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infirmus ſum: * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valdè: * ſed tu, Dómine, uſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte, qui memor ſit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per ſíngulas noctes lectum meum: * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur & erubeſcant valdè velóciter.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui ſancto.

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in ſécula ſeculórum. Amen.

Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. Pater, *ſecretò.*

Celebrans cantat: Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Pſal. 85. ℣. Salvos fac ſervos tuos; ℟. Deus meus, ſperantes in te.

Pſal. 19. ℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de ſancto; ℟. Et de Sion tuére eos.

Dóminus vobiſcum.

Collecta. Orémus.

M. P. DOmine Deus omnípotens, propítius eſto mihi peccatóri, ut condignè poſſim tibi grátias referre, qui me indignum propter tuam miſericórdiam miniſtrum feciſti ſacerdotális offícii, & exíguum humilemque mediatórem conſtituiſti ad orandum & intercedendum ad Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum pro peccatóribus ad pœniténtiam reverténtibus: ideóque, dominátor Dómine, qui omnes hómines vis ſalvos fíeri, & ad agnitiónem veritátis veníre; qui non vis mortem peccatóris, ſed ut convertátur & vivat: ſúſcipe oratiónem meam, quam fundo ante conſpectum cleméntiæ tuæ, pro fámulis & famulábus tuis, qui ad pœniténtiam & miſericórdiam tuam confugérunt; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Psalmus 31.

BEáti quorum remiſſæ ſunt iniquitátes, * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua: * converſus ſum in ærumna mea, dum confígitur ſpina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * & injuſtítiam meam non abſcondi.

Dixi: Confitébor adversùm me injuſtítiam meam Dómino; * & tu remiſiſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & ínſtruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fíeri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eórum conſtringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris, * ſperantem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte juſti; * & gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri. Sicut erat.

Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ.

Pſal. 43. ℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum.

Pſal. 60. ℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, cujus indulgéntiâ nemo non índiget, memento famulórum, famularumque tuárum, qui lúbricâ terréni córporis sunt fragilitáte nudáti: da, quæsumus, véniam confiténtibus, parce supplicántibus; ut qui suis méritis accusantur, tuâ miseratióne salventur; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus. 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi; * & confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum, * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt & corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum & curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus, * & non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amíci mei & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt, & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt; * & vim faciébant, qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergáudeant mihi inimíci mei; * & dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum, * & dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me; * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus: * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Glória Patri.

Sicut erat.

Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ.

℣. Adjuva me, Dómine Deus meus: ℟. Salvum me fac secundùm misericórdiam tuam. Psal. 108.

℣. Dómine, deduc me in justítia tua: ℟. Propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam. Psal. 5.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, ſub cujus óculis omne cor trépidat, omneſque conſciéntiæ contremiſcunt : propitiáre ómnium gemítibus, cunctórum medére vulnéribus ; & ſicut nemo noſtrûm liber eſt à culpa, ita nemo ſit aliénus à vénia ; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Psalmus 50.

MIſerére meî, Deus, * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam.

Et ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognoſco; * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci ; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexiſti : * incerta & occulta ſapiéntiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſópo, & mundábor : * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam ; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus ; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à facie tua, * & Spíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui, * & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas ; * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries ; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluiſſes ſacrifícium, dediſſem útique ; * holocauſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus : * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion ; * ut ædificentur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes, & holocauſta : * tunc impónent ſuper altáre tuum vitulos.

Glória Patri. Sicut erat.

Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ.

℣. Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam : ℟. Auribus pércipe lácrymas meas. Pſal. 38.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis : ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. Pſal. 88.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus infinítæ miſericórdiæ, veritatiſque immenſæ, propitiáre iniquitátibus noſtris, & ómnibus animárum noſtrárum medére languóribus ; ut miſeratiónum tuárum remiſſióne perceptâ, in tua ſemper benedictióne lætémur ; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Psalmus 101.

DOmine, exaudi oratiónem meam ; * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me : * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pelicáno solitúdinis, * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ, * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt; * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exurgens miseréberis Sion; * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus; * & terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * & non sprévit precem eórum.

Scribantur hæc in generatiónem álteram; * & populus qui creábitur, laudábit Dóminum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspexit.

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret fílios interemptórum.

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniendo pópulos in unum, & reges, * ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti; * & ópera manuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt; * tu autem pérmanes.

Et omnes sicut vestimentum veterascent; * & sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur.

Tu autem idem ipse es, * & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt, * & semen eórum in séculum dirigétur.

Glória Patri. Sicut erat.

Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ.

℣. Memento nostrî, Dómine, in beneplácito pópuli tui: ℟. Vísita nos in salutári tuo. Psal. 105.

℣. Adjútor meus esto, ne derelinquas me: ℟. Neque despícias me, Deus salutáris meus. Psal. 26.

Collecta. Orémus.

DOmine Deus noster, qui offensióne nostrâ non vínceris, sed propitiáris peccáto propter nomen tuum: réspice, quæsumus, ad hos fámulos tuos, qui se tibi gráviter peccásse confitentur: tuum est enim absolutiónem críminum dare, & vé- S. R.

niam præstáre peccántibus, qui dixísti pœniténtiam te malle peccatóris quàm mortem: concéde ergo, Dómine, hoc, ut tibi pœniténtiæ excúbias célebrent; & correctis áctibus suis, conferri sibi à te sempiterna gáudia gratulentur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

PSALMUS 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est; * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri. Sicut erat.

Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ.

Psal. 27. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ: ℟. Et rege eos, & extolle illos usque in æternum.

Psal. 79. ℣. Dómine Deus virtútum converte nos; ℟. Et ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

Collecta. Orémus.

S. R. ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris: nec sit ab his fámulis tuis cleméntiæ tuæ longínque miserátio: sana vúlnera, eorumque dimítte peccáta; ut nullis à te iniquitátibus separáti, tibi Dómino Deo semper váleant adhærére; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

PSALMUS 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi: * & anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in misericórdia tua disperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Glória Patri. Sicut erat.

Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ.

Totus Chorus recitat Antiphonam,

Pſal. 87. Intret orátio noſtra in conſpectu tuo, Dómine; inclína aurem tuam ad

Joel. 2. preces noſtras: parce, Dómine, parce pópulo tuo quem redemiſti, Chriſte, ſánguine tuo; & ne in æternum iraſcáris nobis.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter, *ſecretò: altâ voce*, Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Pſal. 89. ℣. Convértere, Dómine, uſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Pſal. 9. ℣. Sperent in te, qui novérunt nomen tuum: ℟. Quóniam non dereliquiſti quærentes te, Dómine.

Dóminus vobiſcum.

Collecta. Orémus.

S. R. PRecor, Dómine, cleméntiæ & miſericórdiæ tuæ majeſtátem, ut fámulis & famulábus tuis, peccáta & facínora ſua confiténtibus, véniam dare, & præteritórum críminum débita relaxáre dignéris, qui húmeris Fílii tui ovem pérditam reduxiſti, qui Publicáni preces confeſſióne placátus exaudiſti; tu étiam his fámulis tuis & famulábus placáre, Dómine; tu eórum précibus benignus aſpíra; ut in confeſſióne placábili permáneant, fletuſque eórum & petítio perpétua cleméntiam tuam celériter exóret; ac ſanctis altáribus & ſacrifíciis reſtitúti, ſpei rursùm æternæ & cœleſti glóriæ mancipentur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Deindè omnibus proſtratis, Celebrans cooperto capite ſtans, & manu extensâ ſuper populum, dicit altâ voce Abſolutionem.

DOminus Jeſus Chriſtus qui dixit diſcípulis ſuis: Quæcumque ligavéritis ſuper terram, erunt ligáta & in cœlis: & quæcumque ſolvéritis ſuper terram, erunt ſolúta & in cœlis; de quorum número me, quamvìs indignum & peccatórem, miniſtrum tamen eſſe vóluit: intercedente gloriósâ Dei genítrice Maríâ, & beáto Michaéle Archángelo, & beáto Petro Apóſtolo, cui data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, & ómnibus Sanctis; ipſe vos abſolvat per miniſtérium noſtrum ab ómnibus peccátis veſtris, quæcumque aut cogitatióne, aut locutióne, aut operatióne negligenter egiſtis; atque à vínculis peccatórum veſtrórum abſolútos perdúcere dignétur ad regna cœlórum; Qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

Matt. 18.

M. P.

℟. Amen.

Abſolutiónem ✠ & remiſſiónem ómnium peccatórum veſtrórum, ſpátium veræ pœniténtiæ, & emendatiónem vitæ tríbuat vobis omnípotens Deus. ℟. Amen.

M. P.

Si celebret D. Epiſcopus, dat Benedictionem, dicens, Sit nomen, *&c.*

BENEDICTIO CINERUM.

Niger.

Celebrans in eodem loco ſtans versùs Altare, junctis manibus, cantat ſub tono Benedictionis aquæ.

Dóminus vobiſcum.

Collecta. Orémus.

DEus, qui non mortem ſed pœniténtiam peccatórum deſíderas, fragilitátem conditiónis humánæ benigníſſimè réſpice: & hos cíneres quos causâ præferendæ humilitátis atque promerendæ véniæ capítibus noſtris

M. P.

impóni

impóni decrévimus, bene-✠-dícere pro tua pietáte dignéris; ut qui nos Cínerem esse, & propter pravitátis nostræ méritum in Púlverem reversúros cognóscimus, peccatórum ómnium véniam, & præmia pœniténtibus repromissa misericórditer cónsequi mereámur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Collecta. Orémus.

M. P. OMnípotens sempiterne Deus, qui primo hómini transgrediénti mandátum tuum, nec confitenti peccátum próprium, denuntiásti, quod Cinis esset, & in Cínerem reverterétur; te supplíciter expóscimus, ut parcas nobis peccáta nostra tibi veráciter confiténtibus; & da ut per impositiónem hujus Cíneris véniam consequámur & de peccáto ad justítiam, de corruptióne ad incorruptiónem, de morte ad vitam mereámur pervenire ætérnam; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Collecta. Orémus.

Sap. 11. OMnípotens sempiterne Deus, qui miseréris ómnium, & nihil odísti eórum quæ fecísti, dissímulans peccáta hóminum propter pœniténtiam; qui étiam misericórditer súbvenis

M. P. in necessitáte laborántibus: bene-✠-dícere & sancti-✠-ficáre hos Cíneres dignáre, quos causâ humilitátis & sanctæ religiónis, ad emundanda delicta nostra super cápita nostra ferre constitúimus more Ninivitárum: da per invocatiónem sancti tui nóminis, ut omnes qui eos ad deprecandam misericórdiam tuam super cápita sua túlerint, à te mereantur ómnium delictórum suórum véniam percípere; & hódie sic jejúnia sancta inchoáre, ut in die Resurrectiónis purificátis méntibus ad sanctum mereantur accédere Pascha, & in futúro perpétuam accípere glóriam; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Postèa Celebrans ter Cineres aspergit aquâ benedictâ: Quo facto,

[*In Cathedrali dignior Sacerdos cum Stola nigra, accedit ad Dominum Episcopum, cui inclinato, cineres imponit in capite in modum crucis, dicens mediocri voce:* Memento, homo, &c. *ut infrà. Deindè D. Episcopus cum Mitra stans Cineres similiter imponit ei à quo ipse accepit, & aliis de Clero & populo genuflexis & nudo capite, dicens cuilibet:* Memento, homo, &c. *ut infrà.*

Extra Cathedralem, (ac in ipsa Cathedrali, quandò abest D. Episcopus) dignior Sacerdos de Clero, cum Stola nigra super habitum chori, accedit ad locum ubi facta est Benedictio; & stans nudo capite, Celebranti genuflexo, Stolâ etiam suâ ornato, imponit Cineres in capite, dicens mediocri voce:

Memento, homo, ✠ quia Pulvis es, & in Púlverem revertéris. Gen. 3.

Deindè depositâ Stolâ prosternitur ante Celebrantem, qui ei stans in eodem loco Cineres, ac reliquis de Clero & populo per ordinem eodem ritu, imponit.

Ubi est unicus Sacerdos, ipse sibi Cineres imponit nihil dicens, deinde populo, eo ritu qui suprà notatur.

Dum Cineres populo imponuntur, inchoatur ab uno de Choro Antiphona

EXaudi nos, *Chorus prosequitur,* Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice nos, Dómine. *Psalm.* Salvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. Glória. Exaudi. Psal. 68.

(*Ubi propter multitudinem populi diutiùs durat impoſitio Cinerum , poſt Verſum* Salvum me fac , *repetitur Antiphona* , Exaudi : *Deinde continuantur eodem ritu reliqui Verſus ejuſdem Pſalmi ſexageſimi octavi , repetitâ ad ſingulos Verſus Antiphonâ , donec finita fuerit impoſitio , ſub cujus fine additur* Glória & Sicut erat, *unico Verſu; tum repetitur Antiphona*, Exaudi.)

Deinde celebrans dicit abſolutè:

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui humilitáte flectéris, & ſatisfactióne placáris : aurem tuæ pietátis inclína précibus noſtris; & fámulis tuis quorum cápita Cínere aſpérſimus , grátiam tuæ benedictiónis propítius infunde, ut eis ſpíritum compunctiónis, emendatiónem vitæ , & perpétuam in bono ſtabilitátem miſericórditer largiáris; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Poſteà fit Proceſſio , ubi mos eſt.

Poſt Nonam Miſſa celebratur.

AD MISSAM.

Ciner. *Introitus.*

Sap. 11. MIſeréris ómnium, Dómine, & nihil odiſti eórum quæ feciſti; diſsímulans peccáta hóminum propter pœniténtiam , & parcens illis , quia tu es Dóminus Deus noſter. *Psalm.* Miſerére meî , Pſal. 50. Deus , * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam. Glória. Miſeréris.

Collecta. Orémus.

S. R. PRæſta, Dómine , fidélibus tuis , ut jejuniórum veneranda ſolémnia, & cóngruâ pietáte ſuſcípiant, & ſecúrâ devotióne percurrant; Per.

Secunda Collecta, A cunctis. *Tertia pro Pœnitentibus , ut infra notantur, pag.* 48.

Léctio Joêlis Prophétæ.

HÆc dîcit Dóminus. Convertímini ad me in toto corde veſtro, in jejúnio , & in fletu , & in planctu; & ſcíndite corda veſtra , & non veſtimenta veſtra , & convertímini ad Dóminum Deum veſtrum ; quia benignus & miſéricors eſt , pátiens & multæ miſericórdiæ , & præſtábilis ſûper malítia. Quis ſcit ſi convertátur, & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictiónem , ſacrifícium & libámen Dómino Deo veſtro ? Cánite tuba in Sion , ſanctificáte jejúnium , vocáte cœtum , congregáte pópulum , ſanctificáte eccléſiam , coadunáte ſenes , congregáte párvulos , & sŭgentes úbera : egrediátur ſponſus de cubíli ſuo , & ſponſa de thâlamo ſuo. Inter veſtíbulum & altáre plorábunt ſacerdótes miniſtrĭ Dómini , & dicent : Parce , Dómine , parce pópulo tuo ; & ne des hæreditátem tuam in oppróbrium , ut dominentur eis nâtiónes. Quarĕ dicunt in pópulis : Ubi eſt Deus eórum ? Zelátus eſt Dómĭnŭs terram ſuam , & pepercit pôpulo ſuo. Et rĕſpondit Dóminus , & dixit pôpulo ſuo : Ecce ego mittam vobis frumentum , & vinum , & óleum ; & replĕbímini eis : & non dabo vos ultrà ŏppröbrium in géntibus. Cap. 2.

Graduale. Miſerére meî, Deus, miſerére meî; quóniam in te confídit ánima mea. ℣. Adhæſit pavimento ánima mea : vivífica me ſecundùm verbum tuum. Pſal. 56. Pſal. 118.

Tractus. Dómine , non ſecundùm peccáta noſtra fácias nobis , neque ſecundùm iniquitátes noſtras retríbuas nobis. Pſal. 102.

Dómine , ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárum : citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ ; quia páuperes facti ſumus nimis. Pſal. 78.

Ad ſequentem Verſum , in Miſſâ majori , Celebrans & miniſtri genua flectunt : Chorus verò ſtat versùs Altare.

Pſal. 78. Adjuva nos, Deus, ſalutáris noſter; & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos : & propítius eſto peccátis noſtris, propter nomen tuum.

Prædictus Tractus dicitur ij. iv. & vj. Feriis, uſque ad Feriam iv. majoris Hebdomadæ excluſivè , niſi aliter notetur.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 6. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſŭis. Cùm jejunátis , nolíte fíeri ſicut hypócritæ , triſtes ; extérminant enim fácies ſuas, ut appáreant homínibus jejunántes. Amen dico vobis , quia recepérunt mercédem ſŭam. Tu autem , cùm jejúnas , unge caput tuum , & fáciem tuam lava ; ne videáris homínibus jejúnans , ſed Patri tuo , qui ĕſt in abſcóndito : & Pater tuus , qui videt in abſcóndito , reddet tĭbi. Nolíte theſaurizáre vobis theſauros in terra , ubi ærúgo & tinĕa demolítur , & ubi fures effódiunt & furántur. Theſaurizáte autem vobis thĕſauros in cœlo , ubi neque ærúgo , neque tínea demolítur , & ubi fures non effódiunt nec furántur. Ubi enim eſt theſaurŭs tŭus , ibi eſt & cor tuum.

Judit. 4. *Offertorium.* Clamávit omnis pópulus ad Dóminum inſtántiâ magnâ , & humiliavérunt ánimas ſuas in jejúniis & oratiónibus ; ita ut étiam hi qui offerébant Dómino holocauſta , præcincti cilíciis offerrent ſacrifícia Dómino : & erat cinis ſuper cápita eórum.

Secreta.

DA nobis , Dómine , cum his munéribus tibi ſic offerre corporális abſtinéntiæ primítias , ut majeſtáti tuæ contríti & humiliáti cordis ſacrifício placeámus ; & orátio noſtra jejúnii & eleemóſynæ adjúta præſídio , ad thronum tuæ pietátis aſcendat ; Per Dóminum.

Præfatio Quadrageſimalis uſque ad Dominicam Paſſionis incluſivè.

Judit. 4. *Communio.* Scitóte quóniam exáudiet Dóminus preces veſtras , ſi manentes permanſéritis in jejúniis & oratiónibus in conſpectu Dómini.

Postcommunio. Orémus.

S. R. PErcepta nobis , Dómine , præbeant ſacramenta præſídium , ut , & tibi grata ſint noſtra jejúnia , & nobis proficiant ad medélam ; Per Dóminum noſtrum.

Oratio super Populum.

Finitâ ultimâ Poſtcommunione per integram concluſionem , Celebrans , in Miſſâ majori , abſolutè dicit :



O-rémus.

Diaconus verſus ad populum (& ubi non eſt Diaconus , ipſemet Sacerdos , non converſus ad populum , ſed Cruci caput inclinans) junctis manibus cantat :



Humi-li-a-te capita ve-ſtra De-o.

Poſteà Celebrans dicit Orationem ſequentem , Deus , miſericórdiæ.

In Miſſis privatis Celebrans ſolus dicit.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

S. R. DEus , miſericórdiæ dator , & totíus bonitátis auctor , qui jejúniis , oratiónibus , & eleemóſynis peccatórum remédia , & virtútum ómnium tríbuis incrementa ; te húmili devotióne precámur , ut qui ad

hæc agenda salubérrimam dedisti doctrínam, ad complendum indefessam tríbuas efficáciam; Per.

Hic modus dicendi Orationem super populum observatur per totam Quadragesimam in Missis de jejunio tantùm.

Benedicámus Dómino.

ORATIONES DICENDÆ
in Feriis Quadragesimæ usque ad Sabbatum Hebdomadæ IV. inclusivè.

Post Collectam diei, secunda Collecta A cunctis : *tertia pro Pœnitentibus*, Exaudi, *ut sequuntur.*

Si verò facienda sit Commemoratio Simplicis, aut Semiduplicis vel Duplicis-Minoris occurrentis, ea sequetur immediatè Collectam de die, tum de Sanctis, & pro Pœnitentibus.

COLLECTÆ.

AD POSCENDA SUFFRAGIA SANCTORUM.

Orémus.

M. A. ACunctis, nos, quæsumus, Dómine, mentis & córporis defende perículis; & intercedente beátâ & gloriósâ semper Vírgine Dei genitríce Maríâ, cum beátis Apóstolis tuis Petro & Paulo (atque beát$^{o}_{a}$ *N.*) & ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benignus & pacem; ut destructis adversitátibus & erróribus universis, Ecclésia tua secúrâ tibi sérviat libertáte.

PRO PŒNITENTIBUS.

S. R. EXaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis: ut quos consciéntiæ reátus, accúsat, indulgéntia tuæ propitiatiónis absolvat; Per Dóminum.

SECRETÆ.

AD POSCENDA SUFFRAGIA SANCTORUM.

M. P. OBlatiónem nostram quæsumus, Dómine, ómnium Sanctórum tuórum commendet orátio; & quórum memóriam in sacris mystériis ágimus, eórum apud te patrocínis adjuvémur.

PRO PŒNITENTIBUS.

M. P. EFfunde, quæsumus, Dómine, super fámulos tuos spíritum grátiæ & precum: ut ad eum aspicientes, quem pcccátis suis confixérunt, Jesum in cruce exaltátum, piè dóleant, citò sanentur, & vivant; Per eumdem Dóminm nostrum.

POSTCOMMUNIONES.

AD POSCENDA SUFFRAGIA SANCTORUM.

Orémus.

M. A. MUndet & múniat nos, quæsumus, Dómine, divíni sacramenti munus oblátum; & intercedente beátâ vírgine Dei genitríce Maríâ, cum beátis Apóstolis tuis Petro & Paulo, (atque beát$^{o}_{a}$ *N.* & ómnibus Sanctis, à cunctis nos reddat & perversitátibus expiátos, & adversitátibus expedítos.

PRO PŒNITENTIBUS.

DA, quæsumus, Dómine, fámulis tuis contínuam purgatiónis suæ observántiam pœnitendo gérere: atque ut hoc efficáciter implére váleant, grátia eos tuæ visitatiónis & prævéniat & subsequátur; Per Dóminum.

FERIA QUINTA. *Cinet.*

Si Festum Duplex-Majus aut suprà, occurrat in hac Feria, vel sequentibus, usque ad Dominicam Palmarum;

Ubi dicuntur duæ Missæ, prima dicitur de Festo post Tertiam; in ea non fit Commemoratio Feriæ, sed Duplicis-Minoris, Semiduplicis aut Simplicis, si occurrat: secunda Missa dicitur de Feria post Nonam, sine Commemoratione Festi, sed secunda COLLECTA *dicitur pro Pœnitentibus.*

Ubi

Ubi unica, ea dicitur de Feſto poſt Tertiam cum Commemoratione Feriæ, & Simplicis, aut Semiduplicis, vel Duplicis-Minoris, ſi occurrat, tum pro Pœnitentibus. Dicitur Præfatio de Feſto: poſt Miſſam recitatur Evangelium Feriæ.

INTROITUS.

Pſal. 85. AUribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, & intende voci deprecatiónis meæ; quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, & Ibid. multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te. *PSALM.* Inclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me; * quóniam inops & pauper ſum ego. Glória. Auribus.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui culpâ offénderis, pœnitentiâ placáris: preces pópuli tui ſupplicantis propítius réſpice; & flagella tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis noſtris merémur, averte; Per.

Aliæ Collect. ut notantur ſupra, pag. 48.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 38. IN diébus illis ægrotávit Ezechías uſque ad mortem, & introívit ad eum Iſaías fílius Amos Prophéta, & dîxit ei: Hæc dicit Dóminus: Diſpóne dómui tuæ, quia moriéris tu, êt non vives. Et convertit Ezechías fáciem ſuam ad paríetem, & orávit ad Dóminum, & dixit: Obſecro, Dómine, memento, quæſo, quómodò ambuláverim coram te in veritáte, & in corde perfecto; & quod bonum eſt in óculis tûis, fécerim. Et flevit Ezechías flêtu magno. Et factum eſt verbum Dómini ad Iſaîam, dicens: Vade, & dic Ezechíæ: Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui: Audívi oratiónem tuam, & vidi lácrymas tuas; ecce ego adjíciam ſuper dies tuos quíndecim annos, & de manu regis Aſſyriórum éruam te & civitátem iſtam, & prótegam eam.

GRADUALE. Caſtígans caſtigávit me Dóminus, & morti non trádidit me. ℣. Non móriar, ſed vivam, & narrábo ópera Dómini. Pſal. 117.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 8. IN illo témpore; Cùm introiſſet Jeſus Căphárnaum, acceſſit ad eum Centúrio, rogans eum, & dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Jeſus: Ego véniam, & curábo eum. Et réſpondens Centúrio, ait: Dómine non ſum dignus ut intres sub tectum meum; ſed tantùm dic verbo, & ſanábitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtáte conſtitútus, habens ſub me mílites: & dico huic, Vade; & vadit: & álii, Veni; & venit: & ſervo meo, Fac hoc; & facit. Aúdiens autem Jeſus, mirátus eſt, & ſequéntibus ſe dixit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Iſraël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente vénient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlórum; fílii autem regni ejicientur in ténebras exterióres: ibi erit fletus, & ſtridor déntium. Et dixit Jeſus Centurióni: Vade; & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanátus eſt puer in illa hora.

OFFERTORIUM. Dómine, humílium & manſuetórum ſemper tibi plácuit deprecátio: exaudi me deprecantem, ut omnes gentes agnoſcant quia tu es Deus, & non eſt álius præter te. Judit. 9.

SECRETA.

REſpice, Dómine, ad fragilitátem géneris humáni; & his exorátus ſacrifíciis, ſalutárem ſuper nos manum extende; Per. M. A.

Pſal 117. *COMMUNIO.* Confitébor tibi, Dómine, quóniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalútem.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. SUbveni, Dómine, per hæc ſancta quæ ſúmpſimus, ſervis tuis pro ſua júgiter iniquitáte geméntibus; menteſque noſtras terrénis affféctibus prægravátas, medicinálibus tríbue exonerári jejúniis, & córporis afflictióne corroborári; Per Dóminum.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

S. G. DEus, noſtrum refúgium in labóribus, virtus in infirmitátibus, adjutórium in tribulatiónibus, ſolámen in flétibus; parce pópulo tuo, ut dignis flagellatiónibus caſtigátus, in tua miſeratióne reſpíret; Per.

Rub. FERIA SEXTA.

In Feſto Quinque Plagarum Chriſti.

DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Pſal. 21. COncílium malignántium obſédit me: fodérunt manus meas & pedes meos: dinumeravérunt ómnia oſſa mea. *PSALM.* Deus, Deus meus, réſpice in me: quare me dereliquiſti? * longè à ſalúte mea verba delictórum meórum. Glória. Concílium. *Non dicitur* Glória in excelſis.

Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M. P. CONcéde, quæſumus, miſéricors Deus, ut ſacræ Unigéniti tui plagæ ſint nobis medéla vúlnerum, & fontes ſalútis æternæ; Per eumdem.

Ubi dicitur unica Miſſa, fit Commemoratio Feriæ, infrà: & alia omnia ſervantur, quæ ſuprà notantur, 48.

Léctio Zacharîæ Prophétæ.

Cap. 12. IN die illa próteget Dóminus habitatóres Jerúſalem: & erit qui offénderit ex eis in die illă quaſi David; & domus David quaſi Dei, ſicut Angelus Dómini in conſpêctu eórum. Et erit ĭn die illa, quæram contérere omnes gentes quæ véniunt contra Jerûſalem. Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatóres Jerúſalem ſpírĭtŭm grátiæ & precum; & aſpícient ad me, quem cônfixérunt. Et plangent eum planctu quaſi ſupĕr unigénitum, & dolébunt ſuper eum, ut doléri ſolet ĭn mŏrte primogéniti.

Pſal. 68. *GRADUALE.* Multiplicáti ſunt ſuper capillos cápitis mei, qui odérunt me gratìs. ℣. Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injuſtè, quæ non rápui, tunc exolvébam.

Ibid. *TRACTUS.* Impropérium expectávit cor meum, & miſériam: & ſuſtínui, qui ſimul contriſtarétur, & non fuit: & qui conſolarétur, & non invéni. Et dedérunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potavérunt me acéto. Quemtu percuſſiſti perſecúti ſunt, & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 19. IN illo témpore; Sciens Jeſus quia ómnia consŭmmáta ſunt, ut conſummarétur Scriptúra, dĭxit: Sĭtio. Vas ergŏ erat pósitum acéto plĕnum. Mílites autem ſpóngiam plenam acéto, hyſſópo cĭrcumponentes, obtulérunt ori ĕjus. Cùm ergo accepiſſet Jĕſus acétum, dĭxit: Conſummátum ĕſt. Et inclĭnato cápite, trádidit ſpĭritum. Judæi ergo, (quóniam paraſcéve erat,) ut non remanérent in cruce córpora ſábbato, (erat enim magnus dĭĕs ille ſábbati) rogavérunt Pilátum ut frangerentur eórum crura, & tollerĕntur. Venérŭnt ergo mílites; & primi quidem fregérunt crura, & altérius qui crucifixus eſt cum ĕo. Ad Jeſum autem cùm veniſſent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non

fregérŭnt ejus crura ; ſed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, & contínuò exívit ſanguis & ăqua. Et qui vidit, teſtĭmónium perhíbuit : & verŭm ĕſt, teſtimónium ejus.

Dicitur Credo.

Iſ. 53. *OFFERTORIUM.* Vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras ; attrítus eſt propter ſcélera noſtra : diſciplína pacis noſtræ ſuper eum, & livóre ejus ſanáti ſumus : oblátus eſt quia ipſe vóluit, & non apéruit os ſuum.

SECRETA.

M. P. MAjeſtáti tuæ, quæſumus, Dómine, accepta ſint, dona, in quibus ipſa Unigéniti tui vúlnera tibi offérimus, noſtræ prétia libertátis ; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

PRÆFATIO de CRUCE.

Joan. 19. *COMMUNIO.* Unus mílitum lánceâ latus ejus apéruit, & contínuò exívit ſanguis & aqua.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SUmptum nos, quæſumus, Dómine, vivíficet ; quod ex ſacris vulnéribus tuis nobis remédium præparaſti ; & íntimâ operatiónis ſuæ virtúte fáciat eſſe purgátos ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Benedicámus Dómino.

AD MISSAM DE FERIA.

INTROITUS.

Pſal. 7. DOmine, Deus meus, in te ſperávi : ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me ; nequando rápiat ut leo ánimam meam, dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Ibid. *PSALM.* Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis. Glória. Dómine, Deus.

COLLECTA. Orémus.

M. A. INchoáta jejúnia, quæſumus, Dómine, benigno favóre proſéquere ; ut obſervántiam quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam ſincéris exercére valeámus ; Per Dóminum.

Ubi dicuntur duæ Miſſæ, in hac Miſſa ſecunda Collecta dicitur pro Pœnitentibus.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 58. HÆc dicit Dôminus Deus : Clama, ne ceſſes ; quaſi tuba exaltă vocem tuam, & annúntia pópulo meo ſcélera eórum, & dómui Jacob peccâta eórum. Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire viăs meas volunt ; quaſi gens, quæ juſtítiam fécerit, & judícium Dei ſui non dêrelíquerit. Rogant me jŭdicia juſtítiæ : appropinquáre Dêo volunt. Quare jejunávimus, & non aſpexiſti ? humiliávimus ánimas noſtras, & neſciſti ? Ecce in die jejúnii veſtri invenítur vŏluntas veſtra, & omnes debitóres vêſtros repétitis. Ecce ad lites & contentionĕs jejunátis, & percútitis pûgno ímpiè. Nolíte jejunáre ſicut uſquĕ ad hanc diem, ut audiátur in excelſo clâmor veſter. Numquid tale eſt jejúnĭŭm quod elégi, per diem afflígere hóminem ánimam ſuam ? Numquid contorquére quaſi círculum caput ſuum, & ſaccum & cínerem ſtérnere ? Numquid iſtud vŏcábis jejúnium, & diem acceptábilem Dómino ? Nonne hoc eſt magìs jejúnium quod elégi ? Diſſolve colligatiónes impietátis : ſolve faſcícŭlŏs deprimentes : dimitte eos, qui confracti ſunt, líberos ; & omne ônus dírumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egénos vagoſque induc ĭn domum tuam : cum víderis nudum, óperi eum ; & carnem tuam nê deſpéxeris. Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & ſánitas tua cítiùs oriétur, & anteíbit fáciem

tuam jŭstítia tua, & glória Dómini côlliget te. Tunc invocábis, & Dóminus exáudiet; clamábis, & dicĕt, Ecce adsum: si abstúleris de médio tui caténam, & desíeris exténdere dígitum, ĕt lŏqui quod non prodest.

Psal. 40. *GRADUALE.* Inimíci mei adversùm me cogitábant mala mihi: verbum iníquum constituérunt adversùm me. ℣. Ego autem factus sum sicut homo non áudiens, & non habens in ore suo redargutiónes; quóniam in te, Dómine, sperávi.

Psal. 37. *TRACTUS.* Dómine, non secundùm, &c. *ut suprà Feriâ* iv. *pag.* 46. Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 5. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Audistis quia dictum est: Dílĭgĕs próximum tuum; & ódio habébis inimícum tŭum. Ego autem dico vŏbis: Dilígite inimícos vestros; benefácite his qui odérunt vos, & oráte pro persequéntibus & calumnĭantibus vos; ut sitis fílii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oríri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injŭstos. Si enim dilígitis eŏs qui vos díligunt, quam mercédem habébitis? Nonne & publicáni hoc fáciunt? Et si salutavéritis fratrĕs vestros tantùm, quid ámpliùs fácitis? Nonne & éthnici hoc fáciunt? estóte ergŏ vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus ĕst.

Cap. 6. Atténdite ne justítiam vestram faciátis coram homínibus, ut vidĕámini ab eis: alióquin mercédem non habébitis apud Patrem vestrum qui in cœlis ĕst. Cùm ergo facis ĕleemósynam, noli tuba cánere ante te, sicut hypócritæ fáciunt in synagógis & in vicis, ut honorificéntur ab homĭnibus. Ămen dico vobis, recepérunt mercédem sŭam. Te autem faciente eleemósynam, nésciat sinístra tua quid fáciat déxtera tua; ut sit eleemósyna tuă in abscóndito: & Pater tuus, qui videt in ăbscŏndito, reddet tibi.

Matt. 5. *OFFERTORIUM.* Si offers munus tuum ad altáre, & ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid adversùm te; relinque ibi munus tuum ante altáre, & vade priùs reconciliári fratri tuo: & tunc véniens ófferes munus tuum.

SECRETA.

M. P. SUscipe, Dómine, sacrifícium, cujus te voluisti immolatióne placári: & præsta ut hujus operatióne mundáti, beneplácitum tibi nostræ mentis offerámus affectum; Per Dóminum nostrum.

PRÆFATIO QUADRAGESIMALIS.

1. Joan. 3. *COMMUNIO.* Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres: qui non díligit, manet in morte.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DA nobis, misericors Deus, amóris tui Sacramento refectis, réddere bonum pro malo, & benedictiónem pro maledicto; ut benedictiónis æternæ hærédes efficiámur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕstra Deo.

LIbera, Dómine, quæsumus, à peccátis & hóstibus pópulum tibi supplicantem; ut in sancta conversatióne viventes, nullis inficiantur adversis; Per Dóminum.

SABBATO.

INTROITUS.

Psal. 45. DEus noster, refúgium & virtus, adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis. Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, & transferentur

montes

montes in cor maris. *PSALM.* Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus. Glória. Deus noster.

Psal. 45.

COLLECTA. Orémus.

M. A. ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris ; & concéde, ut hoc solemne jejúnium, quod animábus corporibusque curandis salúbriter institútum est, devóto servítio celebrémus ; Per.

Aliæ Collect. ut notantur, suprà, 48.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Cap. 58. HÆc dicit Dôminus Deus : Cùm effúderis esurienti ánimam tuam, & ánimam afflictam repléveris ; oriétur in ténebris lux tua, & ténebræ tuæ erunt sîcut merídies. Et réquiem tibi dabit Dóminus semper, & implébit splendóribus ánimam tuam, & ossa tuă liberábit ; & eris quasi hortus irríguus, & sicut fons aquárum cujus non defícient aquæ. Et ædificabuntur in te deserta seculórum : fundamenta generatiónis & generatiónis suscitábis ; & vocáberis ædificátor sépium, avertens sémitas în quiétem. Si avérteris à sábbato pedem tuum, fácere voluntátem tuam in die sancto meo, & vocáveris sábbatum delicátum, & sanctum Dómini glorióſum, & glorificáveris eum dum non facis vias tuas, & non invenítur voluntas tua, ut lóquáris sermónem ; tunc delectáberis super Dómino : & sustollam te super altitúdines terræ, & cibábo te hæreditáte Jacob pâtris tui. Os enim Dómini locútum est.

Psal. 59. *GRADUALE.* Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne, quia vana salus hóminis. ℣. Audívit Dóminus, & misértus est meî : Dóminus factus est adjútor meus.

Psal. 29.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 6. IN illo témpore ; Cùm serò esset, erat navis în médio mari, & Jesus solus in tĕrra. Et videns discípulos suos laborantes in remigando (erat enim ventus contrárius eis) & circa quartam vigíliam noctis venit ad eos ámbŭlăns supra mare ; & volébat præterire ĕos. At illi ut vidérunt eum ambulantem supra mare, putavérunt phăntasma esse ; & exclamavĕrunt. Omnes enim vĭdérunt eum, & conturbáti sŭnt. Et statim locútŭs est cum eis, & dixit ĕis : Confídĭtĕ, ego sum ; nolíte timĕre. Et ascendit ăd illos in navim, & cessávit vĕntus. Et plus magìs intra se stupĕbant. Non enim intellĕxérunt de pánibus ; erat enim cor eórum obcæcătum. Et cŭm transfretassent, venérunt in terram Gĕnésareth ; & applicuĕrunt. Cùmque egressi essent de navi, contínuò cognŏvérunt eum ; & percurrentes universam regiónem illam, cœpérunt in grabátis eos qui se malè habébant circumferre, ubi audiébant eum ĕsse. Et quòcumque introíbat, in vicos, vel in villas, aut civitátes ; in platéis ponébant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fímbriam vestimentĭ ejus tángerent : & quotquot tangébănt ĕum, salvi fiébant.

OFFERTORIUM. In Deo salutáre meum, & glória mea : Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli ; effúndite coram illo corda vestra : Deus adjútor noster in æternum. Psal. 61.

SECRETA.

M. P. TUére, Dómine, pópulum tuum, & hujus oblatiónis prétio, à peccátis ómnibus clementer emunda ; quia nulla ei nocébit advérsitas, si nulla ei dominétur iníquitas ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

COMMUNIO. Exurge, Dómine, in adjutórium mihi ; dic ánimæ meæ : Salus tua ego sum. Psal. 34.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SIt nobis, Dómine, cibus quem súmpsimus, potusque salutáris, qui nos à pravis affléctibus líberos efficiat, & fragilitátem nostram, inter hujus séculi procellas fluctuantem, potenti gubernatióne conservet; Per.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕstra Deo.

S. R. SUper pópulum tuum, Dómine, quæsumus, benedíctio copiósa descéndat: indulgéntia véniat: consolátio tribuátur: fides sancta succrescat: redémptio sempiterna firmétur; Per.

DOMINICA PRIMA in Quadragesima.

DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Psal. 90. INvocábit me, & ego exáudiam eum: erípiam eum, & glorificábo eum: longitúdine diérum replébo eum, & ostendam illi salutáre meum.

Ibid. *PSALM.* Qui hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur. Glória. Invocábit me.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui Eccléstam tuam ánnuâ Quadragesimáli observatióne purificas: præsta famíliæ tuæ, ut quod à te obtinére abstinendo nítitur, hoc bonis opéribus exequátur; Per.

Non fit Commemoratio, nisi occurrat.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

2. Cor. 6. FRatres; Exhortámur ne in vácuum grátiam Dei recîpiátis. Ait enim: Témpore accepto exăudívi te, & in die salútis adjûvi te. Ecce nunc tempŭs acceptábile, ecce nunc dies salútis. Némini dantes ullam offensiónem ut non vituperétur minĭstérium nostrum; sed in ómnibus exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei; per arma justítiæ à dextris & à sinistris; per glóriam, & ignobilitátem; per infámiam, & bonam famam; ut seductóres, & veráces; sicut qui ignóti, & cógniti; quasi morientes, & ecce vívimus; ut castigáti & non mortificáti; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil hăbĕntes, & ómnia possidentes.

GRADUALE. In te, Deus meus, erípiar à tentatióne: quóniam quis Deus præter Dóminum? Deus qui præcinxit me virtúte, & pósuit immaculátam viam meam. ℣. Dedisti mihi, Dómine, protectiónem salútis tuæ; & déxtera tua suscépit me, & non sunt infirmáta vestígia mea. Psal. 17.

TRACTUS. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur. Dicet Dómino: Susceptor meus es tu, & réfugium meum: Deus meus, sperábo in eum. Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, & à verbo áspero. Scápulis suis obumbrábit tibi & sub pennis ejus sperábis. Scuto circúmdabit te véritas ejus, non timébis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negótio perambulante in ténebris, ab incursu & dæmónio meridiáno. Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis; ad te autem non appropinquábit. Quóniam tu es, Dómine spes mea; Altíssimum posuisti refúgium tuum. Non accédet ad te malum, & flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo. Quóniam Psal. 90.

Angelis ſuis mandávit de te, ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. In mánibus portábunt te, ne unquam offendas ad lápidem pedem tuum. Super áſpidem & baſiliſcum ambulábis, & conculcábis leónem & dracónem. Quóniam in me ſperávit, liberábo eum: prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 4. IN illo témpore; Jeſus ductus eſt in déſertum à Spíritu, ut tentarétur à diábolo. Et cùm jejunaſſet quadraginta diébus & quadráginta nóctibus, póſteà eſúriit. Et áccédens tentátor, dixit ei. Si Fílius Dei es, dic ut lápides iſti panes fiant. Qui reſpondens, dixit: Scriptum eſt, non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procédit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diábolus in ſanctam civitátem, & ſtátuit eum ſuper pinnáculum templi, & dixit ei: Si fílius Dei es, mitte te deorsùm; ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandávit de te; & in mánibus tollent te, ne fortè offendas ad lápidem pedem tuum. Ait illi Jeſus: Rursùm ſcriptum eſt, Non tentábis Dóminum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum diábolus in montem excelſum valdè; & oſtendit ei ómnia regna mundi, & glóriam eórum, & dixit ei: Hæc ómnia tibi dabo, ſi cadens adoráveris me. Tunc dicit ei Jeſus: Vade, Sátana; ſcriptum eſt enim, Dóminum Deum tuum adorábis, & illi ſoli sérvies. Tunc relíquit eum diábolus: & ecce Angeli accéſſérunt, & miniſtrábant ei. *Dicitur* Credo.

Deut. 9. *OFFERTORIUM.* Prócidi ante Dóminum, quadraginta diébus & nóctibus panem non cómedens, & aquam non bibens, propter ómnia peccáta veſtra; & exaudívit me Dóminus.

SECRETA.

SAcrifícium quadrageſimális inítii ſolémniter immolámus, te, Dómine, deprecantes, ut cum epulárum reſtrictióne carnálium, à nóxiis quoque voluptátibus temperémus; Per. S. R.

COMMUNIO. Comédit Elías & bibit, & ambulávit in fortitúdine cibi illíus, quadraginta diébus & quadraginta nóctibus, uſque ad montem Dei. 3. Reg. 19.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, qui jejúnium quadraginta diérum Mediatóris noſtri exemplo conſecraſti: concéde nobis, per hæc ſancta quæ ſúmpſimus, acceptábile hoc pœniténtiæ tempus ita transígere, ut perceptâ véniâ peccatórum, reſurrectiónis Domínicæ mereámur eſſe conſortes; Per eumdem. M. P.

FERIA SECUNDA.

INTROITUS.

NUnc annúntiat homínibus Deus, ut omnes ubíque pœniténtiam agant; eò quòd ſtátuit diem, in quo judicatúrus eſt orbem in æquitáte. *PSALM.* Dómine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me. Glória. Nunc. Act. 17. Pſal. 37.

COLLECTA. Orémus.

NOſtra tibi, Dómine, quæſumus, ſint accepta jejúnia, quæ nos expiando grátiâ tuâ dignos efficiant, & ad regna perdúcant æterna; Per. M. P.

Aliæ Collect. ut notantur ſuprà, p. 48.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipſe requíram oves meas, & viſitâbo eas. Sicut víſitat paſtor gregem ſuum in die quando fúerit in médio óvium ſuárum diſſipatárum; ſic viſitábo oves meas, & liberábo eas de ómnibus locis in quibus diſperſæ fúerant in die nubis & calíginis. Et edúcam eas de pópulis, & congregábo Cap. 34.

eas de terris, & indúcam eas ĭn terram ſuam, & paſcam eas in móntibus Iſrael, in rivis, & in cunctis sêdibus terræ. In páſcuis ubérrimis paſcam eas, & in móntibus excelſis Iſrael erŭnt páſcua eárum: ibi requieſcent in herbis viréntibus, & in páſcuis pínguibus paſcentur ſuper montes Iſrael. Ego paſcam oves meas, & ego eas accŭbáre fáciam, dicit Dôminus Deus. Quod períerat, requíram; & quod abjectum erat, redúcam; & quod confractum fúerat, alligábo; & quod infirmum fúerat, conſolidábo; & quod pingue ĕt forte, cuſtódiam; & paſcam illas în judício. Vos autem greges mei, hæc dicĭt Dóminus Deus: Ecce ego júdico inter pecus ĕt pĕcus, aríetum & hircórum.

Pſal. 7. *GRADUALE.* Conſumétur nequítia peccatórum, & díriges juſtum, ſcrutans corda & renes, Deus. ℣. Deus judex juſtus, fortis, & pátiens: niſi converſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit; arcum ſuum tetendit, & parávit illum.

TRACTUS. Dómine, non ſecundùm, *&c. ut ſuprà*, 46.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 25. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Cùm vénerit Fílius hóminis in majeſtáte ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedébit ſuper ſedem majĕſtátis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparábit eos ab ínvicem ſicut paſtor ségregat oves ab hœdis; & ſtátuet, oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Veníte, benedicti Patris mei, poſſidéte parátum vobis regnum à conſtitutióne mŭndi. Eſurívi enim, & dediſtis mihi manducáre; ſitívi, & dediſtis mihi bíbere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & cooperuiſtis me; infirmus, & visĭtaſtis me; in cárcere eram, & veniſtis ad mĕ. Tunc reſpondébunt eĭ juſti, dicentes: Dómine, quando te vídimus eſurientem, & pávimus te; ſitientem, & dédimus tibi potum? quando autem te vídimus hóſpitem, & collégimus te; aut nudum, & cooperúimus te? aut quando te vídimus infirmum, aut in cárcere, & vénimus ad te? Et reſpondens Rĕx, dicet illis: Amen dico vobis, quámdiu feciſtis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his qui à sĭniſtris erunt: Diſcédite à me, maledicti, in ignem æternum, qui parátus eſt diábolo, & Angelis ĕjus. Eſurívi enim, & non dediſtis mihi manducáre; ſitívi, & non dedĭſtis mihi potum; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus, & non cooperuiſtis me; infirmus, & in cárcere, & non viſitaſtis mĕ. Tunc reſpondébunt ei ĕt ipſi, dicentes: Dómine, quando te vídimus eſurientem, aut ſitientem, aut hóſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in cárcere; & non miniſtrávimus tibi? Tunc reſpondébĭt illis, dicens: Amen dico vobis, quámdiu non feciſtis uni de minóribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in sŭpplícium æternum; juſtĭ autem in vitam æternam.

Pſal. 142. *OFFERTORIUM.* Exaudi me, Dómine, in tua juſtítia: & non intres in judícium cum ſervo tuo; quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens.

SECRETA.

S. R. ACcepta tibi ſit, Dómine, noſtræ devotiónis oblátio; quæ & jejúnium noſtrum, te operante, ſanctíficet, & indulgéntiam nobis tuæ conſolatiónis obtíneat; Per Dóminum noſtrum.

COMMUNIO.

Phil. 1. *COMMUNIO.* Cáritas veſtra magìs ac magìs abundet, ut ſitis ſine offenſa in diem Chriſti, repléti fructu juſtítiæ per Jeſum Chriſtum, in glóriam & laudem Dei.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. ADeſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris : & cœleſtis virtúte myſtérii, cujus nos partícipes effeciſti, da nobis perſeverantem in bonis opéribus voluntátem ; ut in die juſti judícii parátum benedictis Patris tui regnum poſſidére mereámur ; Qui vivis.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

S. R. FAmulórum tuórum, quæſumus, Dómine, ad te corda converte ; ut ab his quibus offénderis, abſtinentes, non iram tuam, ſed miſericórdiam ſentíre mereántur ; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

INTROITUS.

Pſal. 5. IN multitúdine miſericórdiæ tuæ, Dómine, introíbo in domum tuam : adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo. *PSALM.* Verba mea áuribus pércipe, Dómine ; * intéllige clamórem meum. Glória. In multitúdine.

COLLECTA. Orémus.

M. A. AScendant ad te, Dómine, jejunántium preces, & ab Eccléſia tua cunctam repelle nequítiam ; Per.

Aliæ Collect. ut notantur ſuprà, 48.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 55. QUærite Dóminum, dum invĕníri poteſt : invocáte eum, dum prôpè eſt. Derelinquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatĭónes ſuas : & revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus ; & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcendum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes veſtræ ; neque viæ veſtræ, viæ meæ, dîcit Dóminus. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltátæ ſunt viæ meæ ă viis veſtris, & cogitatiónes meæ à cogitatiônibus veſtris. Et quómodò deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc ultrà non revértitur, ſed inébriat terram, & infundit eam, & germináre eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panĕm comedenti ; ſic erit verbum meum quod egrediétur de ore meo : non revertétur ad me vácuum, ſed fáciet quæcumque vólui, & proſperábitur ĭn hĭs ad quæ miſi illud.

Eccli. 17. *GRADUALE.* Convértere ad Dóminum, & relinque peccáta tua : precáre ante fáciem Dómini, & mínue offendícula. ℣. Dóminus Deus benignus & miſéricors eſt, pátiens, & multæ miſericórdiæ, & præſtábilis ſuper malítia.

Joel. 2.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 21. IN illo témpore : Cùm intraſſet Jĕſus Jeroſólymam, commóta eſt univerſa cívitas, dĭcens : Quis eſt hic ? Pópuli autem dicĕbant : Hic eſt Jeſus Prophéta à Názareth Galilææ. Et intrávit Jeſus in templum Dei, & ejiciébat omnes vendentes & ementes in templo ; & menſas numulariórum, & cáthedras vendéntium cŏlumbas evertit ; & dicit ĕis : Scriptum eſt ; Domus mea domus oratĭónis vocábitur ; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latrŏnum. Et acceſſérunt ad eum cæci ĕt claudi in templo ; & ſanávit ĕos. Videntes autem príncipes ſacerdótum & Scribæ, mirabília quæ fecit ; & púeros clamantes in templo, & dicentes : Hoſannă fílio David ; indignáti ſunt, & dixérunt ĕi : Audis quid iſti dicunt ? Jeſus autem dixit ĕis : Utique. Numquam legiſtis quia ex ore infántium & lacténtium perfe-

ciſti laudem ? Et rĕlictis illis, ábiit foràs extra civitátem in Bĕthăniam, ibíque manſit.

3. Reg. 8. *OFFERTORIUM.* Si quis cognóverit plagam cordis ſui, & expánderit manus ſuas in domo hac; tu, Dómine, exáudies in cœlo, in loco habitatiónis tuæ; & repropitiáberis.

SECRETA.

M. P. LEvantes ad te, Dómine, manus noſtras, & múnera offerentes, miſericórdiam tuam humíliter implorámus: exaudi oratiónem noſtram, ſana vúlnera, & propítius remitte peccáta; ut nullis à te iniquitátibus ſeparáti, tibi ſemper valeámus adhærére; Per Dóminum.

Pſal. 92. *COMMUNIO.* Domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PUrificet nos, Dómine, grátia tua per pœniténtiæ labóres; & ne permittas violári in nobis templum habitatiónis tuæ, quod Unigéniti tui córpore ac ſánguine, & ſancti Spíritûs unctióne conſecraſti; Per eumdem.... in unitáte ejuſdem.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

S. R. COnſerva, Dómine, famíliam tuam bonis ſemper opéribus erudítam: & ſic præſéntibus conſoláre ſubsídiis, ut ad ſuperna perdúcas dona propítius; Per Dóminum.

FERIA QUARTA QUATUOR-TEMPORUM.

INTROITUS.

Pſal. 68. TEmpus beneplăciti, Deus; in multitúdine miſericórdiæ tuæ exaudi me, in veritáte ſalútis

Ibid. tuæ. *PSALM.* Salvum me fac, Deus;* quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam. Glória. Tempus.

Kyrie, eléiſon.

Non dicitur, Dóminus vobiſcum. *Sed ſtatim dicitur*, Orémus. Flectámus, *&c. ritu notato ſuprà, 7. quod ſervatur quoties dicendum eſt.*

COLLECTA. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

S. R. SUſcipe, quæſumus, Dómine, preces noſtras, & ad aures miſericórdiæ tuæ poſtulatiónes ſacrátæ tibi plebis admitte; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Lectio ſequens cantatur in tono Lectionum à Lectore in habitu chori ordinario.

Léctio libri Exodi.

Cap. 24. IN diébus illis; Dixit Dóminus ad Móyſen: Aſcende ad me in montem, & eſto ibi; dabóque tibi tábulas lapídeas, & legem ac mandáta quæ ſcripſi, ut dóceas fílios Iſraël. Surrexérunt Móyſes & Jóſue miniſter ejus: aſcendenſque Móyſes in montem Dei, ſenióribus ait: Expectáte hìc donec revertámur ad vŏs. Habétis Aáron & Hur vobiſcum; ſi quid natum fúerit quæſtiónis, referétis ad eos. Cùmque aſcendiſſet Móyſes, opéruit nubes montem, & habitávit glória Dómini ſuper Sínaï, tegens illum nube ſex diébus; ſéptimo autem die vocávit eum de médio calíginis. Erat autem ſpécies glóriæ Dómini, quaſi ignis ardens ſuper vérticem montis, in conſpectu filiórum Iſraël. Ingreſſuſque Móyſes médium nébulæ aſcendit in montem; & fuit ibi quadraginta diébus, & quadraginta nŏctibus.

GRADUALE. Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt: de neceſſitátibus meis érue me, Dómine. ℣. Vide humilitátem meam, & labórem meum; & dimitte univerſa delicta mea. Pſal. 24.

Dóminus vobiſcum.

Collecta. Orémus.

Sine Flectámus génua.

S. R. DA fámulis tuis, quæſumus Dómine, ſalúbriter inſtitúta jejúnia religiósè obſerváre; ut carnis cupiditátibus refrænátis, púrior ad cœléſtia contemplanda myſtéria, fidélium reddátur affectus; Per Dóminum.

Secunda Collecta, A cunctis : *ſuprà*, 48. *Tertia pro Ordinandis*, Eccleſiæ : *infrà*, cxliv. *quod obſervatur pro Secreta & Poſtcommunione.*

Léctio lîbri Regum.

3. Reg. 19. IN diébus illis; Venit Elías in Berſabée Juda, & dimíſit ibi púerum ſuum; & perrexit in deſertum, viam unîus diéi. Cùmque veniſſet & ſedéret ſubtĕr unam juníperum; petívit ánimæ ſuæ ut morerêtur, & ait : Súfficit mihi, Dómine, tollĕ ánimam meam; neque enim mélior ſum, quàm pâtres mei. Projecitque ſe, & obdormívit ĭn umbra juníperi; & ecce Angelus Dómini tétigit eum, & dîxit illi : Sûrge & cómede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinĕrícius panis, êt vas aquæ. Comédĭt ergo & bibit; & rursùm ôbdormívit. Reverſuſque eſt Angelus Dómini ſecundò, ĕt tétigit eum, dixîtque illi : Surge, cómede; grandis enim tibi rêſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, cŏmédit, & bibit; & ambulávit in fortitúdine cibi illíus quadraginta diébus & quadragintă nŏctibus, uſque ad montem Dei Horeb.

Pſal. 32. *Tractus.* Ecce óculi Dómini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus; ut éruat à morte ánimas eórum, & alat eos in fame. Anima noſtra ſúſtinet Dóminum, quóniam adjútor & protector noſter eſt. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, quemádmodùm ſperávimus in te.

Non dicitur, Dómine, non ſecundùm.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 12. IN illo témpore; Reſpondérunt Jeſu quidam de Scribis ĕt Phariſæis, dicĕntes : Magiſter : vólumus à te ſignum vidĕre. Qui reſpondens, ait ĭllis : Generátio mala & adúltĕră ſignum quærit; & ſignum non dábitur ei, niſi ſignum Jonæ prophĕtæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diébus ĕt tribus nóctibus; ſic erit Fílius hóminis in corde terræ tribus diébus & tribus nŏctibus. Viri Ninívitæ ſurgent in judício cum generatióne iſta, & condemnábunt eam; quia pœniténtiam egérunt in prædicatĭóne Jonæ : & ecce plus quàm Jonas hĭc. Regína Auſtri ſurget in judício cum generatióne iſta, & condemnábit eam; quia venit à fínibus terræ audíre ſapiéntĭăm Salomónis : & ecce plus quàm Sálomon hĭc. Cùm autem immundus ſpíritus exíerit ab hómine, ámbulat per loca árida, quærens réquĭĕm, & non invénit; tunc dicit : Revertar in domum meam, unde exĭvi. Et véniens, ínvĕnĭt eam vacantem, ſcopis mundátam, & ornătam. Tunc vadit, & aſſúmit ſeptem álios ſpíritus ſecum nequióres ſe, & intrantĕs hábitant ibi; & fiunt novíſſima hóminis illíus pejóra priŏribus. Sic erit & generatióni huic pĕſſimæ. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus & fratrĕs ſtabant foris, quærentes loqui ĕi. Dixit autem ei quĭdam : Ecce mater tua, & fratres tuĭ foris ſtant, quærentes tĕ. At ipſe reſpondens dĭcenti ſibi, ăit : Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in dĭſcípulos ſuos, dĭxit : Ecce mater mea, ĕt fratres mei : quicumque enim fécerit voluntátem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ĕt sŏror, & mater eſt.

Jon. 3. *OFFERTORIUM.* Convertátur vir à via ſua mala, & ab iniquitáte, quæ eſt in mánibus eórum. Quis ſcit ſi convertátur & ignoſcat Deus, & revertátur à furóre iræ ſuæ, & non perîbimus?

SECRETA.

S. R. SUſcipe, creátor omnípotens Deus, quæ jejunantes de tuæ munificéntiæ largitáte deférimus; & pro temporáli nobis colláta præsídio, ad vitam converte propitiátus æternam; Per Dóminum noſtrum.

Pſal. 50. *COMMUNIO.* Intéllige clamórem meum; intende voci oratiónis meæ, Rex meus, & Deus meus; quóniam ad te orábo, Dómine.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui Eccléſiæ tuæ corporále jejúnium cœleſtis panis largitióne compenſas: da nobis, ut in fortitúdine cibi illíus qui Chriſtus eſt, uſque ad montem ſanctum tuum ambuláre poſsímus; Per eumdem Dóminum noſtrum.

ORATIO SUPER POPULUM. Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

S. R. MEmento, Dómine, miſeratiónum tuárum; & præſta fámulis tuis, ut à cibis & peccátis abſtinentes, grato tibi jejúnio pláceant; Per Dóminum noſtrum.

FERIA QUINTA.

INTROITUS.

Pſal. 122. ECce, ſicut óculi ſervórum in mánibus dominórum ſuórum; ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, donec miſereátur noſtrî: miſerére noſtrî, Dómine, miſerére noſtrî, quia multùm repléti ſumus deſpectióne. * *PSALM.* Ad te levávi óculos meos, *qui hábitas in cœlis. Glória. Ecce.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui in húmili perſeverantes oratióne benignus exaudis: da nobis conſtantem fídei ac devotiónis affectum; ut quæ pro ſalúte noſtra ſupplíciter expóſcimus, hæc, te largiente, conſequámur; Per.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio Ezechiêlis Prophétæ.

Cap. 18. FActus eſt ſermo Dómini âd me, dicens: Quid eſt quod inter vos parábolam vértitis in provérbium iſtud in terra Iſrăel, dicentes: Patres comedérunt uvam acerbam, & dentes filiórum obſtupeſcunt? Vivo ego, dicĭt Dóminus Deus, ſi erit ultrà vobis parábola hæc in provérbium in Iſrael. Ecce omnes ánĭmæ, meæ ſunt: ut ánima patris, ita & ánima fílii mêa eſt. Anĭmă quæ peccáverit, ipſa môriétur. Et vir ſi fúerit juſtus, & fécerit judícium & juſtítiam, in móntibus non coméderit, & óculos ſuos non leváverit ad idóla domus Iſrael, & uxórem próximi ſui non violáverit, & ad mulíerem menſtruátam non accéſſerit, & hóminem non contriſtáverit; pignus debitóri reddíderit; per vim nihil rapúerit; panem ſuum eſurienti déderit, & nudum operúerit veſtimento; ad uſúram non commodáverit, & ámpliùs non accéperit; ab iniquitáte avérterit manum ſuam, & judícium verum fécerit inter virum & virum; in præceptis meis ambuláverit, & judícia mea cuſtodíerit ut fáciăt veritátem; hic jûſtus eſt. Vităvĭvet, ait Dóminus Deus.

GRADUALE. Inclína ad me aurem tuam, Dómine, & ſalva me; quóniam firmamentum meum & refúgium meum es tu. ℣. Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: áuribus pércipe lácrymas meas. Pſal. 70. Pſal. 38.

Sequéntia

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 15. IN illo témpore ; Jeſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidónis : & ecce múlier Chananæa à fínibus illis egreſſa clamávit, dicens ei : Miſerére mei, Dómine fili David, fília mea malè à dæmónio vexátur. Qui non reſpondit ei vérbum. Et accedentes diſcípuli ejus, rogábant eum, dicéntes : Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens, ait : Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ periérunt domus Iſraël. At illa venit, & adórávit eum, dicens : Dómine, ádjuva me. Qui reſpondens, ait : Non eſt bonum ſúmere panem filiórum, & míttere cánibus. At illa dixit : Etiam, Dómine ; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominórum ſuórum. Tunc réſpondens Jeſus, ait illi : O múlier, magna eſt fides tua : fiat tibi ſicut vis. Et ſanáta eſt fília ejus ex illa hora.

Dan. 3. *Offertorium.* Fiat ſacrifícium noſtrum in conſpectu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine ; quóniam non eſt confúſio confidéntibus in te.

Secreta.

M. P. HÆc hóſtia, quæſumus, Dómine, tuam nobis grátiam obtíneat ; quæ delicta remittat indignis, & benefícia præſtet imméritis ; Per Dóminum noſtrum.

Pſal. 12. *Communio.* In miſericórdia tua ſperávi, Dómine ; exultábit cor meum in ſalutári tuo : cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Postcommunio. Orémus.

S. R. REſpice, quæſumus, Dómine, ſuper fámulos tuos, quos cœleſti pane refícere dignátus es ; & in tua miſericórdia confidentes, cœleſti prótege benignus auxílio ; Per Dóminum noſtrum.

Oratio super Populum.

Orémus.

Humiliáte cápita vestra Deo.

S. R. FAmíliam tuam, Dómine, toto corde tibi proſtrátam ab hóſtium tuére formídine ; nec ſuæ petitiónis fruſtrentur effectu, qui non in juſtificatiónibus ſuis, ſed in miſeratiónibus tuis multis fáciem tuam deprecantur ; Per.

FERIA SEXTA
Quatuor Temporum,
In Veneratione
SANCTISSIMÆ CHRISTI FACIEI
In Paſſione ejus deformatæ.
Duplex - Majus.

Introitus.

Pſal. 68. PRopter te, Dómine, ſuſtínui oppróbrium : opéruit confúſio fáciem meam ; & factus ſum illis in parabólam. *Psalm.* Salvum Ibid. me fac, Deus ; * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam. Glória. Propter te.

Collecta. Orémus.

M. P. COncéde quæſumus, omnípotens & miſéricors Deus, ut qui Fáciem Chriſti tui propter peccáta noſtra in paſſióne deformátam venerámur ; eamdem in cœleſti glória fulgentem contemplári perpétuò mereámur ; Per eumdem.

Ubi dicitur unica Miſſa, fit Commemoratio Feriæ, infrà : & alia omnia obſervantur quæ ſuprà notantur, p. 48.

Léctio Iſaíæ Prophétæ.

Cap. 52. SIcut obſtupuérunt ſuper te multi, ſic inglórius erit inter viros áſpectus ejus, & forma ejus inter fílios hóminum. Iſte aſperget gentes multas. Super ipſum continébunt Reges os ſuum : quia quibus non eſt narrátum de eo, vidérunt, & qui non audiérunt,

Cap. 53. contemplâti ſunt. Quis crédidit audítui noſtro ? & bráchium Dómini cui revelátum eſt ? Et aſcendet ſicut virgultŭm coram eo, & ſicut radix de terra sîtienti. Non eſt ſpécies ei, neque decor : & vídimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderávimus eum, deſpectum & novíſſimum virórum, virum dolórum, & ſcientem infirmitátem : & quaſi abſcónditus vultus ejŭs & deſpectus, unde nec reputâvimus eum. Verè languóres noſtrŏs ipſe tulit, & dolórĕs nŏſtros ipſe portávit.

Pſal. 43. *GRADUALE.* Confúſio Faciéi meæ, coopéruit me, à voce exprobrantis & obloquentis, à fácie inimíci & perſequentis. ℣. Cœpérunt conſpuére Jeſum, & veláre fáciem ejus, & cólaphis eum cædere, & dícere ei : Prophetíza : & miniſtri álapis eum cædébant.

Marc. 14.

Pſal. 68. *TRACTUS.* Impropérium expectávit cor meum, & miſériam : & ſuſtínui, qui ſimul contriſtarétur, & non fuit : & qui conſolarétur, & non invéni. Et dedérunt in eſcam meam fel, & in ſíti mea potavérunt me acéto. Quem tu percuſſiſti perſecúti ſunt, & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 14. IN illo témpore : Summus Sacerdos interrogábat Jeſum, & dixit ĕi : Tu es Chriſtus Fílius Dei benedícti ? Jeſus autem dixit ĭlli. Ego ſum : & vidébitis fílium hóminis ſedentem à dextris vĭrtútis Dei, & venientem cum núbibus cœli. Summus autem Sacerdos ſcindens veſtĭmenta ſua, ăit : Quid adhuc deſiderámus teſtes ? aŭdiſtis blaſphémiam : quid vobis vidétur ? Qui omnes condemnavérunt eum eſſe reum mŏrtis. Et cœpérunt quidam conſpúere eum, & veláre fáciem ejus, & cólăphĭs eum cædere, & dícere ĕi : Prophetĭza. Et mĭnĭſtri álapis eum cædébant.

OFFERTORIUM. Suſcitátur falsíloquus adversùs fáciem meam contradícens mihi : aperuérunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſérunt maxillam meam : Satiáti ſunt pœnis meis. Hæc paſſus ſum cùm habérem mundas ad Deum preces. Job. 16.

SECRETA.

AVerte miſéricors Deus, fáciem tuam à peccátis noſtris, & réſpice in Fáciem Chriſti tui, qui tibi ſemetipſum pro nobis hóſtiam óbtulit, & lavit nos à peccátis noſtris in ſánguine ſuo ; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs. M. P.

PRÆFATIO de CRUCE.

COMMUNIO. Exeámus ad Jeſum extra caſtra, impropérium ejus portantes. Hebr. 13.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

ADorántibus, Dómine, vultum tuum olim in ignomínia Paſſiónis quaſi abſcónditum, & in hoc amóris tui Sacramento nunc veládo tum, concéde, propítius, ut & oppróbria tua débitâ veneratióne compenſémus in terris, & glóriæ tuæ partícipes eſſe mereámur in cœlis ; Qui vivis. M. P.

AD MISSAM DE FERIA.

INTROITUS.

AFflictus ſum & humiliátus ſum nimis : Dómine, ante te omne deſidérium meum ; & gémitus meus à te non eſt abſcónditus. *PSALM.* Dómine, ne in furóre tuo árguas me ; * neque in ira tua corrípias me. Glória. Afflictus ſum. Pſal. 37. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. PRopitiáre, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, & animárum noſtrárum medére languóribus; ut peccatórum remiſſióne perceptâ, in tua ſemper benedictióne lætémur; Per.

Ubi dicuntur duæ Miſſæ, in hac Miſſa, ſecunda Collecta dicitur pro Pœnitentibus.

Léctio Ezechiêlis Prophétæ.

Cap. 18. HÆc dicit Dôminus Deus: Anĭmă quæ peccáverit, ipſa môriétur. Fílius non portábit iniquĭtátem patris, & pater non portábit iniquitâtem fílii. Juſtítia juſti ſupĕr eum erit, & impíetas ímpii erit ſûper eum. Si autem ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis ſuis quæ operátus eſt, & cuſtodíerit ómnia præcepta mea, & fécerit judícĭŭm & juſtítiam; vita vivet, & non môriétur. Omnium iniquitátum ejus quas operátus eſt, nŏn recordábor: in juſtítia ſua quam operâtus eſt, vivet. Numquid voluntátis meæ eſt mors ímpii, dicit Dóminus Deus, & non ut convertátur à viis ſuis, & vivat? Si autem avérterit ſe juſtus à juſtítia ſua, & fécerit iniquitátem ſecundùm omnes abominatiónes quas operárĭ ſolet ímpius; numquid vivet? Omnes juſtítiæ ejus quas fécerat, non rĕcordabuntur: in prævaricatióne qua prævaricátus eſt, & in peccáto ſuo quod peccávit, in ipſis môriétur. Et dixiſtis: Non eſt æqua vîa Dómini. Audíte ergo, domŭs Iſrael: Numquid via mea non eſt æqua, & non magìs viæ veſtræ pravæ ſunt? Cùm enim avérterit ſe juſtus à juſtítia ſua, & fécerit iniquitátem, morĭétur in eis: in injuſtítia quam operátus eſt, môriétur. Et cùm avérterit ſe ímpius ab impietáte ſua quam operátus eſt, & fécerit judícĭŭm & juſtítiam; ipſe ánimam ſuam vivîficábit. Consíderans enim, & avertens ſe ab ómnibus iniquitátibus ſuis quas opĕrátus eſt, vită vĭvet, & non moriétur.

Graduale. A fortitúdine manûs tuæ, Dómine, ego deféci in increpatiónibus: propter iniquitátem corripuiſti hóminem. ℣. Iniquitátes meæ multiplicátæ ſunt ſuper capillos cápitis mei: compláceat tibi, Dómine, ut éruas me. Pſal. 38. Pſal. 39.

Tractus. Dómine, non ſecundùm. *ſuprà*, 46.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 5. IN illo témpore; Erat dies feſtŭs Judæórum, & aſcendit Jeſus Jeroſŏlymam. Eſt autem Jeroſólymis Probáticè piſcína, quæ cognominátur hebráice Bĕthſáida, quinque pórticus hăbens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórŭm, aridórum, expectántium aquæ mŏtum. Angelus autem Dómini deſcendébat ſecundùm tempus in piſcínam, & movĕbátur aqua; & qui prior deſcendiſſet in piſcínam poſt motiónem aquæ, ſanus fiébat à quacumque detinebátur infirmitāte. Erat autem quidăm homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sŭa. Hunc cùm vidiſſet Jeſus jacentem, & cognoviſſet quia jam multŭm tempus habéret, dicit ĕi: Vis ſanus fíeri? Reſpondit ei lănguidus: Dómine, hóminem non hábeo, ut, cùm turbáta fúerit aqua, mittăt me in piſcínam: dum vénio enim ego, álius ante me deſcĕndit. Dicit ei Jesŭs: Surge, tolle grăbátum tuum, & ămbula. Et ſtatim ſanus factŭs ĕſt homo ille; & ſúſtulit grabátum ſuum, & ambulăbat. Erăt autem Sábbatum in die ĭllo. Dicébănt ergo Judæi illi qui ſanátus fŭerat: Sabbatum eſt; non

licet tibi tóllere grabátum tŭum. Respondit ĕis : Qui me sanum fecit, illĕ mihi dixit, Tolle grabátum tuum, & ămbula. Interrogavérunt ergo ĕum: Quis est ille homo quĭ dixit tibi, Tolle grabátum tuum, & ámbula ? Is autem, qui sanus fúerat effectus, nesciébat quis esset : Jesus enim declinávit à turba constitúta in lŏco. Postea invénit eum Jĕsus in templo, & dixit ĭlli: Ecce sanŭs factus es; jam noli peccáre, ne detérius tibi áliquid contingat. Abĭit ille homo, & nuntiávit Judæis, quia Jesŭs ĕsset, qui fecit eum sanum.

Eccli. 51. *Offertorium.* Respíciens eram ad adjutórium hóminum, & non erat : memorátus sum misericórdiæ tuæ & operatiónis tuæ, quæ à século sunt, quóniam éruis sustinentes te, Dómine.

Secreta.

S. R. VIrtútum cœléstium Deus, qui plura præstas quàm pétimus aut merémur : adesto humilitátis nostræ précibus & hóstiis ; ut tuâ nobis misericórdiâ conferátur, quod nostrórum non habet fidúcia meritórum ; Per Dóminum.

Psal. 29. *Communio.* Dómine, Deus meus, clamávi ad te ; & sanásti me.

Postcommunio. Orémus.

S. R. PRæsta nobis, omnípotens Deus, per hæc sacra mystéria, ut, quia vítiis súbjacet nostra mortálitas, tua nos & medícina purificet, & poténtia tueátur; Per Dóminum.

Oratio super populum.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕstra Deo.

M. P. PRæsta, quæsumus, Dómine, ut sancto, famíliam tuam purificante jejúnio, & tibi toto corde sit subjecta, & inter mundánæ pravitátis insídias, te miserante, persevéret illæsa ; Per.

SABBATO
Quatuor-Temporum.

Introitus.

Psal. 87. INtret orátio mea in conspectu tuo ; inclína aurem tuam ad precem meam, Dómine. *Psalm.* Dómine Deus salútis meæ * in die clamávi, & nocte coram te. Glória. Intret. Ibid.

Kyrie, eléison.

Non dicitur Dóminus vobiscum. *quod observatur ante Collectas sequentes. Deindè dicitur* Orémus, Flectámus, *&c. ut notatum est suprà, p.* 7.

Collecta. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

S. R. PRotector noster, áspice, Deus ; ut qui malórum nostrórum póndere prémimur, perceptâ misericórdiâ, líberâ tibi mente famulémur ; Per.

Quinque sequentes Lectiones cantantur in tono Lectionum à Lectoribus in habitu chori ordinario.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.

Cap. 3. IN diébus illis ; Dixit Dóminus ad me : Vade, & clama sermónes istos contra Aquilónem, & dices : Revértere, aversátrix Israel, ait Dóminus, & non avertam fáciem meam à vobis; quia sanctus ego sum, dicit Dóminus, & non irascar in perpétuum. Verúmtamen scito iniquitátem tuam, quia in Dóminum Deum tuum prævaricáta es ; & dispersísti vias tuas aliénis sub omni ligno frondóso, & vocem meam non audísti, ait Dóminus. Convertímini, fílii revertentes, dicit Dóminus ; quia ego vir vester, & assúmam vos unum de civitáte, & duos de cognatióne, & introdúcam vos in Siŏn. Et dabo vobis Pastóres juxta cor meum, & pascent vos sciéntia & doctrĭna.

Dan. 9. *GRADUALE.* Dómine Deus magne & terríbilis, peccávimus, iniquitátem fécimus, ímpiè égimus, & recéssimus à mandátis tuis. ℣. Inclína, Deus meus, aurem tuam, & audi: áperi óculos tuos, & vide desolatiónem nostram.

COLLECTA. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

M. P. DEus, qui delinquentes períre non páteris, sed expectas ut convertantur & vivant: débitam, quæsumus, peccátis nostris suspende vindictam; & præsta propítius, ne dissimulátio cúmulet ultiónem, sed pótiùs per jejúnium emendátio prosit ad véniam; Per.

Léctio libri Deuteronómii.

Cap. 26. IN diébus illis; Locútus est Móyses ad pópulum, dicens: Quando compléveris décimam cunctárum frugum tuárum, anno decimárum tértio, dabis Levítæ, & ádvenæ, & pupillo, & víduæ, ut cómedant intrà portas tuas, & saturentur; loquerísque in conspectu Dómini Dei tui: Abstuli quod sanctificátum est de domo mea, & dedi illud Levítæ & ádvenæ, & pupillo, ac víduæ, sicut jussísti mihi. Non prætervi mandáta tua, nec sum oblítus impérii tui. Non comédi ex eis in luctu meo, nec separávi ea in quálibet immundítia, nec expendi ex his quidquam in re fúnebri. Obedívi voci Dómini Dei mei, & feci ómnia sicut præcepísti mihi. Réspice de sanctuário tuo, & de excelso cœlórum habitáculo, & bénedic pópulo tuo Israel, & terræ quam dedísti nobis, sicut jurásti pátribus nostris, terræ lacte & melle mananti. Hódie Dóminus Deus tuus præcépit tibi, ut fácias mandáta hæc, atque judícia; & custódias & ímpleas ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua. Dóminum elegísti hódiè, ut sit tibi Deus, & ámbules in viis ejus, & custódias cæremónias illíus, & mandáta atque judícia, & obédias ejus império. Et Dóminus elégit te hódiè, ut sis ei pópulus peculiáris, sicut locútus est tibi, & custódias ómnia præcepta illíus, & fáciat te excelsiórem cunctis géntibus quas creávit, in laudem, & nomen, & glóriam suam; ut sis pópulus sanctus Dómini Dei tui, sicut locútus est.

GRADUALE. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; & rege eos, & extolle illos usque in æternum. ℣. Memento manûs tuæ, & nóminis tui in témpore ísto, quia tu es Deus noster; & laudábimus te, Dómine. Psal. 27. Baruc. 3.

COLLECTA. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

S. R. ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te semper finiátur; Per.

Léctio libri Machabæórum.

2. Mach. 1. IN diébus illis; Oratiónem faciébant omnes sacerdótes, dum consummarétur sacrifícium, Jónatha inchoante, céteris autem respondéntibus. Et Nehemíæ erat orátio hunc habens modum: Dómine Deus, ómnium creátor, terríbilis & fortis, justus & miséricors, qui solus es bonus Rex, solus præstans, solus justus, & omnípotens, & æternus; qui líberas Israel de omni malo; qui fecísti patres electos, & sanctificásti eos: accipe sacrifícium pro universo pópulo tuo Israel, & custódi partem tuam, & sanctífica: cóngrega dispersiónem nostram: líbera eos qui sérviunt géntibus; & contemptos & abominátos réspice, ut sciant gentes quia tu es Deus nóster.

GRADUALE. Convértere, Dómine, úsquequò? & deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ: ecce réspice; pópulus tuus omnes nos. Psal. 89. Is. 64.

Collecta. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

S. G. Réspice, quæsumus, Dómine, afflictiónem pópuli tui; & quos justítiâ córripis, misericórdiâ consolári dignáre; ut te custóde serváti, ab ómnibus perículis hujus vitæ liberémur; Per.

Léctio libri Ecclesiástici.

Cap. 36. Miserére nostrî, Deus ómnium, & réspice nos; & ostende nobis lucem miserationum tuárum, & immitte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te; ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnália tua. Alleva manum tuam super gentes aliénas, ut vídeant poténtiam tuam. Sicut enim in conspectu eórum sanctificátus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificáberis in eis; ut cognoscant te, sicut & nos cognóvimus, quóniam non est Deus præter te, Dómine. Innova signa & immúta mirabília; glorífica manum & bráchium dextrum; éxcita furórem, & effunde iram; tolle adversárium, & afflíge inimícum: festína tempus, & memento finis; ut enarrent mirabília tua.

Dan. 3. *Graduale.* Nunc séquimur te, Dómine, in toto corde, & quærimus fáciem tuam: ne confundas nos, sed fac nobiscum secundùm multitúdinem misericórdiæ tuæ. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo, Dómine.

Collecta. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

S. R. Exaudi, Dómine, preces nostras; & cum servis tuis non intres in judícium: quia sicut in nobis nulla justítia reperítur, de qua præsúmere valeámus; ita te fontem pietátis agnóscimus, à quo & à peccátis nos áblui, & à necessitátibus liberári confídimus; Per Dóminum.

Léctio Daniélis Prophétæ.

Cap. 3. In diébus illis; Angelus Dómini descendit cum Azária & sóciis ejus in fornácem; & excussit flammam ignis de fornáce, & fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Et non tétigit eos omninò ignis, neque contristávit, nec quidquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant, & glorificábant, & benedicébant Deum in fornáce, dicéntes:

Dan. 3. *Cant.* Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. *Ch.* Et laudábilis & gloriósus & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum. *Ch.* Et laudábile & superexaltátum in ómnibus séculis. ℣. Benedictus es in templo sancto glóriæ tuæ. *Ch.* Et superlaudábilis & supergloriósus in sécula. ℣. Benedictus es in throno regni tui. *Ch.* Et superlaudábilis & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictus es qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim. *Ch.* Et laudábilis & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictus es in firmamento cœli. *Ch.* Et laudábilis & gloriósus in sécula. ℣. Glória Patri, &c. *Ch.* Benedictus es, Dómine Deus patrum nostrórum. ℣. Sicut erat, &c. *Ch.* Et laudábilis & gloriósus, & superexaltátus in sécula. *Repetitur* ℣. Benedictus es, &c. Et laudábilis, &c.

Dóminus vobiscum.

Collecta. Orémus.

Sine Flectámus génua.

S. R. Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum; Per Dóminum.

Secunda Collecta A cunctis: *suprà*, 48. *tertia pro Ordinandis*, Ecclesiæ, cxliv.

(*In Missa in qua fit Ordinatio, loco Orationum quæ hîc notantur pro Ordinandis, dicuntur quæ habentur in Pontificali, vel infrà, inter Orationes ad diversa, pag.* cxliv. *n.* 43.)

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Timótheum.

1. Cap. 4. CAríſſime ; Exerce teipſum ad pîetátem. Nam corporális exercitátio ad módĭcŭm útilis eſt ; píetas autem ad ómnia útilis eſt, promiſſiónem habens vitæ quæ nunc eſt, êt futúræ. Fidélis ſermo, & omni acceptiône dignus. In hoc enim laborámus, & maledícimur, quia ſperámus ĭn Deum vivum, qui eſt ſalvátor ómnium hóminum, mâximè fidélium. Præcipe hæc, & doce. Nemo adoleſcéntĭăm tuam contemnat : ſed exemplum eſto fidélium, in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in câſtitáte. Dum vénio, attende lectióni, exhortatióni, êt doctrínæ. Noli neglígere grátiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophétiam, cum impoſitióne mánuum prêsbytérii. Hæc meditárĕ, in his eſto ; ut profectus tuus manifêſtus ſit ómnibus. Attende tibĭ, & doctrínæ : înſta in illis. Hŏc enim fáciens, & teipſum ſalvŭm făcies, & eos qui te áudiunt.

Pſal. 105. *TRACTUS.* Confitémini Dómino, quóniam bonus ; quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus ? Beáti qui cuſtódiunt judícium, & fáciunt juſtítiam in omni témpore. Memento noſtrî, Dómine, in beneplácito pópuli tui : víſita nos in ſalutári tuo.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 8. IN illo témpore ; Dicébat Jeſus ad eos qui credidérunt ei Judæos : Si vos manſéritis in ſermóne meo, verè diſcípŭlĭ mei éritis ; & cognoſcétis veritátem, & véritas liberábit vŏs. Reſpondérunt ĕi : Semen Abrahæ ſumus, & némini sĕrvívimus umquam : quómodò tu dicis : Líberi éritis ? Reſpondit eis Jesŭs : Amen, ămen dico vobis, quia omnis qui facit peccátum, ſervus eſt peccăti. Servus autem non manet in domŏ in æternum, fílius autem manet in ætĕrnum. Si ergo vos fĭlĭŭs liberáverit, verè lĭberi éritis. Scio quia fílĭĭ Abrahæ eſtis : ſed quæritis me interfícere, quia ſermo meus non capit in vŏbis. Ego, quod vidi apud Patrĕm meum, loquor ; & vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, făcitis. Reſpondérunt & dixérunt ĕi : Pater noſter Abraham ĕſt. Dicit eis Jesŭs : Si fílĭĭ Abrahæ eſtis, ópera Abrahæ făcite. Nunc autem quæritis me interfícere, hóminem, qui veritátem vobis locútus ſum, quam ăudívi à Deo ; hoc Abraham non fĕcit. Vos fácitis ópera patris vĕſtri. Dixérunt ítaque ĕi : Nos ex fornicatióne nŏn ſumus nati : unum patrem habémus Dĕum. Dixit ergo eis Jesŭs : Si Deus pater veſter eſſet, diligerétĭs útique me ; ego enim ex Deo proceſſi, & vĕni. Neque enim à mĕipſo veni, ſed ille me mĭſit. Quare loquélam meam non cognóſcitis ? quia non poteſtis audíre ſermónem mĕum. Vos ex patre dĭábolo eſtis ; & deſidéria patris veſtri vultis făcere. Ille homicída erat ab inítio, & in verĭtáte non ſtetit ; quia non eſt véritas in ĕo. Cùm lóquitur mendácium, ĕx própriis lóquitur ; quia mendax eſt, & pater ĕjus. Ego autem ſi veritátĕm dĭco, non créditis mihi.

Pſal. 87. *OFFERTORIUM.* Dómine, Deus ſalútis meæ, in die clamávi, & nocte coram te : intret in conſpectu tuo orátio mea, Dómine.

SECRETA.

S. G. DEus, in te ſperántium miſéricors liberátor, noſtra propítius ſuſcípiens múnera, ab omni nos pravitátis tuére conſórtio, nec ullis iniquitátum vínculis patiáris aſtringi ; ut unde nobis eſt tota píetas, inde ſit tuta libertas ; Per Dóminum.

Pſal. 105. *COMMUNIO.* Salvos nos fac, Dómine Deus noſter, ut confiteámur nómini ſancto tuo, & gloriémur in laude tua.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. DEus, vita mortálium, ſaluſque peccatórum: aufer à nobis per hæc myſtéria, delictórum máculas, & índue nos decóre virtútum; ut fide ſincéri, & ópere immaculáti, ad æternam perveniámus hæreditátem; Per.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

M. P. FIdéles tuos, Deus, benedíctio deſideráta confirmet; quæ eos & à tua voluntáte fáciat nunquam diſcrepáre, & tuis ſemper indúlgeat beneficiis gratulári; Per Dóminum.

Ciner. # DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA.

INTROITUS.

Pſal. 24. REminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, & miſericordiárum tuárum, quæ à ſéculo ſunt; líbera, Deus, Iſrael, ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *PSALM.* Ad te, Dómine, levávi ánimam meam:* Deus meus, in te confído, non erubeſcam. Glória. Reminíſcere.

Ibid.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui nos inter mundi perícula & adverſa, cœleſtis beatitúdinis expectatióne ſuſtentas: præſta, quæſumus, ut terréna faſtidientes, in ſupernórum deſidérium toto cordis affectu rapiámur; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Theſſalônicenſes.

1. Theſſ. 4. FRatres; Rogámus vos & obſecrámus ĭn Dómino Jeſu, ut quemádmodùm accepiſtis à nobis quómodò opórteat vos ambuláre, & placére Deo, ſic & ambulétis, ut abundêtis magìs. Scitis enim quæ præcepta déderim vobis per Dôminum Jeſum. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificátio veſtra; ut abſtineátis vos à fornicatióne, ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidére in ſanctificatióne & honóre, non in paſſióne deſidérii, ſicut & gentes quæ ĭgnórant Deum, & ne quis ſupergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem ſuum; quóniam vindex eſt Dóminus de his ómnibus, ſicut prædíximus vobis, & teſtificâti ſumus. Non enim vocávit nos Deus in immŭndĭtiam, ſed in ſanctificatiónem.

GRADUALE. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? ℣. Qui ingréditur ſine mácula, & operátur juſtítiam; qui lóquitur veritátem in corde ſuo; qui non egit dolum in lingua ſua. Pſal. 14.

TRACTUS. Dómine, in cœlo miſericórdia tua, & véritas tua uſque ad nubes. Fílii hóminum in tégmine alárum tuárum ſperábunt. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, & torrente voluptátis tuæ potábis eos. Quóniam apud te eſt fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. Pſal 35.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 17. IN illo témpore; Aſſúmit Jeſus Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem ĕxcelſum ſeorsùm; & transfigurátus eſt ante ĕos. Et reſplénduit fácies ejŭs ſicut ſol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nĭx. Et ecce apparuérunt illis Móўsĕs & Elías cum eo loquĕntes. Reſpondĕns autem Petrus, dixit ad Jesŭm: Dómine, bonŭm ĕſt nos hìc eſſe: ſi vis, faciámus hìc tria tabernácula; tibi unum, Móyſi unum,

&

& Elíæ ŭnum. Adhŭc eo loquente, ecce nubes lúcida obumbrávit ĕos. Et ecce vox de nube, dĭcens: Hic eſt Fílius meus dilectus, in quo mihĭ benè complácui; ipſum audĭte. Et audientes diſcípuli cecidérunt ĭn fáciem ſuam, & timuérunt văldè. Et acceſſit Jeſus, ĕt tétigit eos; dixitque ĕis: Súrgite, & nolíte timĕre. Levantes autĕm óculos ſuos, néminem vidérunt, niſi ſolum Jesŭm. Et deſcendéntĭbŭs illis de monte, præcépit eis Jeſus, dĭcens: Némini dixéritis viſiónem, donec Fílĭŭs hŏminis à mórtuis reſurgat.

Dicitur Credo.

Pſal. 83. *OFFERTORIUM.* Paſſer ínvenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi ubi ponat pullos ſuos. Altária tua, Dómine virtútum, rex meus & Deus meus. Beáti qui hábitant in domo tua, in ſécula ſeculórum laudábunt te.

SECRETA.

M. P. ECcléſiæ tuæ, Dómine, múnera placátus aſſúme; quæ & miſericórditer offerenda tribuiſti, & in noſtræ ſalútis potenter éfficis transíre myſtérium; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus; Per.

Pſal. 30. *COMMUNIO.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine, quam abſcondiſti timéntibus te! Abſcondes eos in abſcóndito faciéi tuæ, próteteges eos in tabernáculo tuo.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. FAc nos, Dómine, mentis áuribus ſemper audíre dilectum Fílium tuum, quem ſacri hujus myſtérii nube obumbrátum ſuſcípimus Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus; Per.

FERIA SECUNDA.

Ciner.

INTROITUS.

MIſerére meî, & exaudi me, Dómine: ne avertas fáciem tuam à me: ne declínes in ira à ſervo tuo. *PSALM.* Dóminus illuminátio mea & ſalus mea: * quem timébo? Glória. Miſerére.

Pſal. 26. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M. P. EXaudi nos, miſéricors, Deus, & ad expianda peccáta noſtra, pœniténtiæ ſalutáris tempus & fructum nobis largíre propítius; Per Dóminum.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio Danielis Prophétæ.

Dan. 9. IN dĭebus illis; Orávit Dániel Dóminum, dicens: Dómine Deus noſter, qui eduxiſti pópulum tuum de terra Ægypti in manu forti, & feciſti tibi nomen ſecundùm diem hanc, peccávimus, iniquitátem fécimus, Dómine, in omnem jŭſtitiam tuam: avertátur, óbſecro, ira tua, & furor tuus, à civitáte tua Jerúſalem, & monte sâncto tuo. Propter peccáta enim noſtra, & iniquitátĕs patrum noſtrórum, Jerúſalem & pópulus tuus in oppróbrium ſunt ómnibus per circûitum noſtrum. Nunc ergo exaudi, Deus noſter, oratiónem ſervi tui, ĕt preces ejus; & oſtende fáciem tuam ſuper ſanctuárium tuum, quod deſertum eſt, propter têmetipſum. Inclína, Deus meus, aurem tuam, & audi; áperi óculos tuos, & vide deſolatiónem noſtram, & civitátem ſuper quam invocátŭm ĕſt nomen tuum: neque enim in juſtificatiónibus noſtris proſtérnimus preces ante fáciem tuam, ſed in miſeratiónibus tûis multis. Exaudi, Dómine, plăcáre, Dómine; attênde, & fac. Ne

moréris propter temetipsŭm, Deus meus; quia nomen tuum invocátum eſt ſuper civĭtătem, & ſuper pópulum tuum.

Pſal. 69. *GRADUALE.* Ego egénus & pauper ſum: Deus, ádjuva me. ℣. Adjútor meus, & liberátor meus es tu: Dómine, ne moréris.

TRACTUS. Dómine, non ſecundùm, *&c. ut ſuprà*, 46.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 8. IN illo témpore; Dixit Jeſus turbis Judæŏrum.: Ego vado, & quærétis me, & in peccáto veſtro moriĕmini. Quò ego vado, vos non poteſtis venĭre. Dicébant ergo Judæi: Numquid interfíciet ſemetipsŭm, quia dicit; Quò ego vado, vos non poteſtis veníre? Et dicébat ĕis: Vos de dĕorsùm eſtis, ego de ſupernis sŭm. Vos dĕ mundo hoc eſtis; ego non ſum de hoc mŭndo. Dixi ergo vobis, quia moriémini in pĕccátis veſtris: ſi enim non credidéritis quia ego ſum, moriémini in peccáto vĕſtro. Dicébant ergo ĕi: Tu quis es? Dixit eis Jesŭs: Princípium, qui & loquor vŏbis. Multa hábeo dĕ vobis loqui & judicăre. Sed qui me misĭt, verax eſt; & ego quæ audívi ab eo, hæc loquor in mŭndo. Et non cognovérunt quia patrem ejus dicébat Dĕum. Dixit ergo eis Jesŭs: Cùm exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoſcétis quia ego ſum, & à meipsŏ fácio nihil: ſed ſicut dócuit me Pater, hæc loquor; & qui me miſit, mecum eſt, & non relíquit me ſolum; quia ego quæ plácita sŭnt ĕi, fácio ſemper.

Pſal. 118. *OFFERTORIUM.* Confitébor tibi, Dómine, in directióne cordis, in eo quòd dídici judícia juſtítiæ tuæ. Juſtificatiónes tuas cuſtódiam; non me derelinquas uſquequáque.

SECRETA.

SUſcipe, Dómine, munus oblátum, & da nobis cum metu & tremóre ſalútem noſtram operári; ut ſemper quæ tibi plácita ſunt facientes, in tua dilectióne moriámur; Per Dóminum. M. P.

COMMUNIO. Tibi dixit cor meum; exquisívit te fácies mea; fáciem tuam, Dómine, requíram; ne derelinquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus. Pſal. 26.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DOmine, Deus dilectiónis & pacis, in cujus déxtera ſalus noſtra eſt: per hæc myſtéria, quæſumus, timórem & amórem nóminis tui noſtris infunde pectóribus; Per. S. G.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte capĭtă vĕſtra Deo.

EXaudi, quæſumus, Dómine, gémitum pópuli ſupplicantis; & qui de meritórum qualitáte diffídit, non judícium, ſed miſericórdiam cónſequi mereátur; Per Dóminum. M. P.

FERIA TERTIA. Cinер.

INTROITUS.

QUis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat & humília réſpicit in cœlo & in terra? *PSALM.* Laudáte, púeri, Dóminum; * laudáte nomen Dómini. Glória. Quis ſicut. Pſal. 112. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

DA plebi tuæ, Dómine, quæ jejunando carnem humíliat, ſpíritum averſári ſupérbiæ: ut non indignatiónem tuam provocémus eláti; ſed miſeratiónis tuæ dona ſubjecti capiámus; Per Dóminum. S. R.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio líbri Regum.

3. Reg. 17. IN dǐébus illis : Factus eſt ſermo Dómini ad Elíam Thesbîten , dicens : Surge , & vade in Sarepta Sidoniórum , & mănébis ibi ; præcépi enim ibi mulíeri víduæ ut pâſcat te. Surrexit , & ábiit in Sârepta. Cùmque veniſſet ad portăm civitátis , appáruit ei múlier vídua cólligens ligna ; & vocávit eam , dixîtque ei : Da mihi páululum aquæ in vâſe , ut bibam. Cùmque illa pérgĕrĕt ut afferret , clamávit poſt tergum êjus , dicens : Affĕr mihi , óbſecro , & buccellam panis in mânu tua. Quæ reſpondit : Vivit Dóminus Deus tuus , quia non hábeo panem , niſi quantum pugillus cápere poteſt farínæ in hydria , & páulŭlŭm ólei in lécytho : en cólligo duo ligna , ut ingrédiar , & fáciam illum mihi & fílio meo , ut comedámus , & môriámur. Ad quam Elîas ait : Noli timére , ſed vade , & făc ſicut dixiſti ; verúmtamen mihi primùm fac de ipſa farínula ſubcinerícium panem párvulum , & affer ad me : tibi autem & fílio tuo fâcies póſteà. Hæc autem dicit Dóminus Deŭs Iſrael ; Hydria farínæ non defíciet , nec lécythus ólei minuétur , uſque ad diem in qua Dóminus datúrus eſt plúviam ſuper fâciem terræ. Quæ ábiit , & fecit juxta vêrbum Elíæ. Et cŏmedit ipſe , & illa , & dômus ejus. Et ex illa die hydria farínæ non defécit , & lécythus ólei nŏn eſt imminútus , juxta verbum Dómini , quod locútŭs fŭerat in manu Elíæ.

Pſal. 54. *Graduale.* Jacta ſuper Dóminum curam tuam , & ipſe te enútriet : non dabit in æternum fluctuatiónem

Pſal. 33. juſto. ℣. Multæ tribulatiónes juſtórum , & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 23. IN illo témpore ; Jeſus locútus eſt ad turbas , & ad díſcípulos ſuos , dĭcens : Super cáthedram Móyſi ſedérunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque díxerint vobis , sĕrváte , & fácite ; ſecundùm ópera verò eórum nolíte făcere. Dicunt enĭm , & non fáciunt ; álligant enim ónera grávia & importabília , & impónunt in húmeros hóminum ; dígito autem ſuo nolunt ea movĕre. Omnia verò ópera ſua fáciunt ut videantŭr ab homínibus : dilátant enim phylactéria ſua , & magníficant fĭmbrias. Amant autem primos recúbitus in cœnis , & primas cáthedras in ſynagógis , & ſalutatiónes in foro , & vocári ab homínibus Rabbĭ. Vos autem nolíte vŏcári Rabbi : unus eſt enim magiſter veſter , omnes autem vos fratres ĕſtis. Et patrem nolíte vocáre vobĭs ſuper terram ; unus eſt enim Pater veſter , qui in cœlis ĕſt. Nec vŏcémini Magiſtri ; quia magiſter veſter unus eſt Chrĭſtus. Qui major eſt veſtrûm , erit mĭniſter veſter : qui autem ſe exaltáverit , humiliábitur ; & qui ſe humilĭăverit , exaltábitur.

Pſal. 50. *Offertorium.* Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus : cor contrítum & humiliátum , Deus , non deſpícies.

Secreta.

M. P. DOmine , Deus noſter , ſúpplicum oblatiónes & preces ſúſcipe propítius ; & quóniam peccáta noſtra in conſpectu tuo gementes confitémur , abſolvat píetas tua húmiles , ut non púniat ſevéritas contumáces ; Per Dóminum.

Pſal. 33 *Communio.* Juxta eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde , & húmiles ſpíritu ſalvábit.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. CŒleſtis hujus alimóniæ virtúte, tu, Dómine, ſemper à nobis omnem rémove pravitátem, & ad tuam nos propítius converte juſtítiam; Per Dóminum.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

M. P. ADeſto, quæſumus, Dómine, ſupplicatiónibus, pópuli tui; ut eſſe te largiente, mereátur, & inter próſpera húmilis, & inter adverſa ſecúrus; Per Dóminum.

Ciner. FERIA QUARTA.

INTROITUS.

Pſal. 37. NE derelinquas me, Dómine Deus meus; ne diſcéſſeris à me. Intende in adjutórium meum, Dómine, Deus ſalútis meæ.

Ibid. *PSALM.* Dómine, ne in furóre tuo árguas me:* neque in ira tua corrípias me. Glória. Ne derelinquas.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, totíus bonitátis fons & orígo, réſpice propítius confitentis tibi plebis humilitátem; ut quos peccatórum conſciéntia déjicit, tua ſemper miſericórdia érigat; Per Dóminum noſtrum.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio lîbri Eſther.

Cap. 13. IN dĭébus illis; Mardochæus deprecátus eſt Dóminum, memor ómnium óperum êjus, & dixit: Dómine, Dómine, rex omnípotens, (in ditióne enim tua cuncta ſunt póſita: & non eſt qui poſſit tuæ reſíſtere voluntáti, ſi decréveris ſalvárĕ Iſrael;) tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ámbitu côntinétur. Dómĭnŭs ómnium es, nec eſt qui reſiſtat majeſtâti tuæ. Cuncta noſti, & ſcis quia non pro ſupérbia & contumélia, & áliqua glóriæ cupiditáte fécerim hoc, ut non adorárem Aman ſuperbíſſimum, (libenter enim pro ſalúte Iſrael étiam veſtígia pedum ejus deoſculári părátus eſſem,) ſed tímui ne honórem Dei mei transferrem ad hóminem, & ne quemquam adorárem, excepto Dêo meo. Et nunc, Dómine rex, Deus Abraham, miſerérĕ pópuli tui, quia volunt nos inimíci noſtri pérdere, & hæreditátem tûam delére. Ne deſpíciăs partem tuam, quam redemiſti tibi dê Ægypto. Exaudi deprecatiónem meam; & propítius eſto ſorti & fŭnículo tuo, & converte luctum noſtrum in gáudium, ut viventes laudêmus nomen tuum, Dómine, & ne claudăs ŏra te canéntium.

GRADUALE. Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus, & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus. ℣. Suſcípiens manſuétos Dóminus, humílians autem peccatóres uſque ad terram. Pſal. 146.

TRACTUS. Dómine, non ſecundùm. *ſuprà*, 46.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 20. IN illo témpore; Aſcendens Jeſus Jeroſólymam, aſſumpſit duódecim dĭſcípulos ſecrétò, & ait ĭllis: Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, & Fílius hóminis tradétur princípibus ſacĕrdótum, & Scribis; & condemnábunt eum morte, & tradent eum géntibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & die tértia resŭrget. Tunc acceſſit ad eum mater filiórum Zebedæi cŭm fíliis ſuis, adórans & petens áliquid ab ĕo. Qui dixit ĕi: Quid vis? Ait ĭlli: Dic ut ſédeant hi duŏ fílii mei, unus ad déxteram

tuam,

tuam, & unus ad ſiniſtram, in regno tŭo. Reſpondĕns autem Jeſus, dĭxit: Neſcítis quid petătis. Poteſtis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus ſum? Dicunt ĕi: Pŏſſumus. Ait ĭllis: Cálicem quidĕm meum bibétis: ſedére autem ad déxteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus parátum eſt à Patre mĕo. Et audĭentes decem indignáti ſunt de duóbus frătribus. Jeſus autem vocávĭt eos ad ſe, & ăit: Scitis quia príncipes géntium domĭnantur eórum; & qui majóres ſunt, poteſtátem exercent in ĕos. Non ita erĭt inter vos: ſed quicumque volúerit inter vos major fíeri, ſit veſter miniſter; & qui volúerit inter vos primus eſſe, erit veſter sĕrvus. Sicut Fílius hóminis non venĭt miniſtrári, ſed miniſtráre, & dare ánĭmăm sŭam, redemptiónem pro multis.

Judit. 8. *Offertorium.* Humiliémus Deo ánimas noſtras; & in ſpíritu conſtitúti humiliáto, dicámus flentes Dómino, ut fáciat nobiſcum miſericórdiam ſuam.

Secreta.

S. G. Oblata múnera ſuperpóſita altári tuo, Dómine, ſanctificáre dignáre; & per ea placátus, peccáta noſtra, quæſumus, in die jejúnii noſtri, memor humánæ conditiónis, abſolve; Per Dóminum.

Pſal. 146. *Communio.* Beneplácitum eſt Dómino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Postcommunio. Orémus.

M. P. Sanctíficet nos, Dómine, quâ paſti ſumus, menſa cœleſtis, & à cunctis erróribus expiátos ſupernis promiſſiónibus reddat acceptos; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Oratio super populum.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

S. R. Fac, quæſumus, Dómine, fámulos tuos ſemper ad te toto corde confúgere, tibi ſúbditâ mente ſervíre, tuam miſericórdiam ſupplíciter imploráre, & tuis júgiter benefíciis gratulári; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

Ciner.

Introitus.

Pſal. 36. Melius eſt módicum juſto ſuper divítias peccatórum multas; quóniam bráchia peccatórum conterentur: confirmat autem juſtos Dóminus. *Pſalm.* Noli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris facientes iniquitátem. Glória. Mélius. Ibid.

Collecta. Orémus.

S. R. Omnípotens ſempiterne Deus, qui jejúnia & eleemóſynas noſtrórum poſuiſti remédia peccatórum: fac nos ópere mentis & córporis ſemper tibi eſſe devótos; Per Dóminum.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio Jeremîæ Prophétæ.

Cap. 17. Hæc dîcit Dóminus: Maledictus homo qui confídit in hómine, & ponit carnĕm bráchium ſuum, & à Dómino recêdit cor ejus. Erit enim quaſi myrícæ in deſerto, & non vidébit cŭm vénerit bonum; ſed habitábit in ſiccitáte, in deſerto, in terra ſalſúginis, & inhâbitábili. Benedictus vir, qui cŏnfídit in Dómino, & erit Dóminus fidúcia ejus. Et erit quaſi lignum quod tranſplantátur ſuper aquas, quod ad humórem mittit rădíces ſuas; & non timébit cùm vênerit æſtus. Et erit fólium ejus víride, & in témpore ſiccitátis nŏn

erit ſollícitum, nec aliquando déſinet fâcere fructum. Pravum eſt cor ómnium, ĕt inſcrutábile: quis cognoſcet illud? Ego Dóminus ſcrutans cor, ĕt probans renes; qui do unicuíque juxta viam ſuam, & juxtă frŭctum adinventiónum ſuárum.

Pſal. 48. *GRADUALE.* Qui confídunt in virtúte ſua, & in multitúdine divitiárum ſuárum gloriantur: ſicut oves in inferno póſiti ſunt; mors depaſcet eos. ℣. Et nunc quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? & ſubſtántia mea apud te eſt.

Pſal. 38.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 16. IN illo témpore; ait Jeſus Pharisæis: Homo quidam erat dives qui induebátŭr púrpura & byſſo, & epulabátur quotídie ſplĕndidè. Et erat quidam mendícus nómine Lázarus, qui jacébat ad jánuam ejus, ulcéribus plenus, cúpiens ſaturári de micis quæ cadébant de menſa dívitis, & nemŏ illi dabat: ſed & canes veniébant: & lingébant úlcera ĕjus. Factum eſt autem ut morerétur mendícus, & portarétur ab Angelis ĭn ſinum Abrahæ: mórtuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in infĕrno. Elevans autem óculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lázarum ĭn ſinu ejus, & ipſe clamans, dĭxit: Pater Abraham, miſerére meî, & mitte Lázarum, ut intingat extrémum dígiti ſui in aquam, ut refrígĕrĕt linguam meam, quia crúcior in hac flămma. Et dixit illi Abrahăm: Fili, recordáre quia recepiſti bona in vita tua, & Lázarus ſimíliter mala: nunc autem hic conſolátur, tu verŏ cruciáris; & in his ómnibus, inter nos & vos chaos magnum firmátum eſt: ut hi, qui, volunt hinc transíre ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeăre. Et ăit: Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei; hábeo enĭm quinque fratres; ut teſtétur illis, ne & ipſi véniant in hunc locum tormentŏrum. Et ait illi Abrahăm: Habent Móўsĕn & Prophétas; áudiant ĭllos. At ille dĭxit: Non, pater Abraham; ſed ſi quis ex mórtŭis íerit ad eos, pœnitentiam ăgent. Ait autem ĭlli: ſi Móyſen & Prŏphétas non áudiunt, neque ſi quis ex mórtuis resŭrrĕxerit, credent.

Pſal. 9. *OFFERTORIUM.* Deſidérium páuperum exaudívit Dóminus: præparatiónem cordis eórum audívit auris tua; judicáre pupillo & húmili, ut non appónat ultrà magnificáre ſe homo ſuper terram.

SECRETA.

S. R. UT tibi grata ſint, Dómine, múnera pópuli tui; ab omni, quæſumus, eum contagióne perverſitátis emunda; nec falſis gáudiis inhærére patiáris, quos ad divinitátis tuæ præmia veníre promittis; Per Dóminum.

Pſal. 118. *COMMUNIO.* Inclína cor meum in teſtimónia tua, Dómine, & non in avarítiam. Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem; in via tua vivífica me.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. CŒleſtis hujus alimenti virtúte, fac nos, Deus, te ſolum bonum noſtrum diligentes, & neceſſária córpori temperanter ſúmere, & quod voluptáti ſubtráhimus, in egénos miſericórditer erogáre; Per Dóminum.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

M. P. FAmulórum tuórum córdibus, quæſumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infunde; ut peccáta ſua caſtigatióne voluntáriâ cohibentes, temporáliter pótiùs maceréntur, quàm ſupplíciis deputentur æternis; Per.

Rub. # FERIA SEXTA.

In Veneratione SS. CRUCIS DOMINI.

DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Gal. 6. MIhi abſit gloriári, niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti : per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

Pſal. 17. *PSALM.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea : * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Mihi.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui unigéniti Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti pretióſo Sánguine humánum genus redímere dignátus es ; concéde propítius, ut qui ad vivíficam Crucem adorandam advéniunt, à peccatórum ſuórum néxibus liberentur ; Per eumdem Dóminum noſtrum.

Ubi dicitur unica Miſſa, fit Commemoratio Feriæ, infrà : & alia omnia obſervantur quæ ſuprà notantur, p. 48.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli ad Côloſſenſes.

Cap. 1. FRatres ; Erípuit nos Deus de poteſtáte tenebrárum, & tránſtulit in regnum fílii dilectiónis ſuæ ; in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remiſſiónĕm peccatórum : qui eſt imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis crêatúræ. Quóniam in ipſo cóndita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibília, & inviſibília, ſive throni, ſive dominatiónes, ſive principátus, ſive poteſtátes ; ómnia per ipſum, & in ipſo crĕáta ſunt : & ipſe eſt ante omnes, & ómnia in îpſo conſtant. Et ipſe eſt caput córporis Eccléſiæ, qui eſt princípium, primŏgénitus ex mórtuis : ut ſit in ómnibus ipſe primâtum tenens. Quia in ipſo complácuit omnem plenitúdinem ĭnhabitáre ; & per eum reconciliáre ómnia in ipſum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. Et vos cùm eſſétis aliquando alienáti, & inimíci ſenſu in ŏpéribus malis : nunc autem reconciliávit in córpore carnis ejus per mortem ; exhibére vos ſanctos, & immaculátos, & irreprehĕnsĭbiles coram ipſo.

GRADUALE. Humiliávit ſemetipſum, factus obédiens uſque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Phil. 2.

TRACTUS. Impropérium expectávit cor meum, & miſériam : & ſuſtínui, qui ſimul contriſtarétur, & non fuit : & qui conſolarétur, & non invéni. Et dedérunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potavérunt me acéto. Quem tu percuſſiſti perſecúti ſunt, & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt. Pſal. 68.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 3. IN illo témpore ; Dixit Jeſus Nicodĕmo : Sicut Móyſes exaltávit ſerpentem in deſerto ; ita exaltári oportĕt Fílium hóminis ; ut omnis, qui credit in ipſum non péreat, ſed hábeat vitam ætĕrnam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Fílium ſuum unĭgénitum daret ; ut omnis, qui credit in eum, non péreat, ſed hábeat vitam ætĕrnam. Non enim miſit Deus Fílium ſuum in mundum, ŭt júdicet mundum, ſed ut ſalvétŭr mŭndus per ipſum.

Dicitur Credo.

Gal. 3. *OFFERTORIUM.* Chriſtus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum; quia ſcriptum eſt, Maledíctus omnis, qui pendet in ligno; ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

SECRETA.

M. P. UNigéniti tui ſacrifícium pro nobis in ara crucis oblátum incruentâ libatióne memorantes, ineffábilem clementiam tuam, Dómine, deprecámur, ut in nobis per ſánguinem crucis ejus dira ſerpentis venéna extinguas; & vitále remédium potenter infundas; Per eumdem.

PRÆFATIO de CRUCE.

Apoc. 5. *COMMUNIO.* Dignus es, Dómine, accípere virtútem, & divinitátem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem; quóniam occíſus es, & redemíſti nos Deo in ſánguine tuo.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. REfecti cibo potúque cœleſti, quæſumus, omnípotens Deus, ut ab hóſtium nos defendas formídine, quos redemíſti pretióſo ſánguine Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti; Qui tecum vivit.

Ciner. ## AD MISSAM DE FERIA.

INTROITUS.

Pſal. 79. DEus virtútum, convértere: réſpice de cœlo, & vide, & víſita víneam iſtam; & pérfice eam quam plantávit déxtera tua.

Ibid. *PSALM.* Qui regis Iſrael, intende; * qui dedúcis velut ovem Joſeph. Glória. Deus virtútum.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui non vis mortem peccatóris, ſed ut convertátur à via ſua, & vivat: te ſúpplices exorámus, ut, quieſcente irâ tuâ, ſpíritum nobis pœniténtiæ, & delictórum véniam largiáris; Per Dóminum.

Ubi dicuntur duæ Miſſæ, in hâc Miſſâ, ſecunda Collecta dicitur pro Pœnitentibus.

Léctio lîbri Géneſis.

Cap. 37. IN diébus illis; Dixit Joſeph ad frâtres ſuos: Audíte ſómnĭŭm meum, quod vidi: Putábam nos ligáre manípulos in agro; & quaſi conſúrgere manípulum meum, & ſtare; veſtroſque manípulos circumſtantes adoráre manîpulum meum. Reſpondérunt frâtres ejus: Numquid rex noſter eris? aut ſubjiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniórŭm atque ſermónum, invídiæ & ódii fómitem mîniſtrávit. Aliud quoquè vidit ſómnium, quod narrans frâtribus, ait: Vidi per ſómnium, quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas úndecim adorâre me. Quod cùm patri ſuo & frátrĭbŭs retuliſſet, increpávit eum pater sûus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſómnium, quod vidiſti? num ego & mater tua & fratres tui adorábimus te ſuper terram? Invidébant ei ígĭtŭr fratres ſui: pater verò rem tácitus consîderábat. Cùmque fratres illíus in paſcendis grégibus patris morărentur in Sichem, dixit ad eum Iſrael: Fratres tui paſcŭnt oves in Síchimis: veni mittam tê ad eos. Quo reſpondentĕ, Præſtò ſum, âit ei: vade, & vide ſi cuncta próſpera ſint erga fratrĕs tuos & pécora; & renúntia mihi quîd agátur. Miſſus de valle Hebron, venĭt in Sichem; invenitque eum vir errantem in agro, & interrogâvit quid quæreret. At îlle reſpondit: Fratrĕs meos quæro; índica mihi, ubi pâſcant greges. Dixitque êi vir: Receſſérunt dĕ loco iſto; audívi autem eos dicentes: Eámus in Dôthain. Perrexit ergo Joſeph pŏſt fratres ſuos, & invénit eos in Dôthain. Qui cùm vidiſſent eum procul, ántequàm accéderet ad eos, cogitavérŭnt illum occídere; &

mútuò lôquebantur : Ecce ſomnĭátor venit ; veníte occidámus eum , & mittámus eum in ciſternam véterem , dicemuſque : Fera péſſima devorávit eum ; & tunc apparébit , quid illi proſint ſômnia ſua. Aúdiens autem hoc Ruben , nitebátur liberáre eum dĕ mánibus eórum , êt dicébat : Non interficiátis ánimam ejus , nec effŭndátis ſánguinem ; ſed projícite eum in ciſternam hanc quæ eſt in ſolitúdine , manuſque veſtras ſervâte innóxias. Hŏc autem dicébat , volens erípere eum de mánibus eórum , & réddere pâtri ſuo. Confeſtim ígitur ut pervénit ad fratres ſuos , nudavérunt eum túnica talárĭ & polymita ; miſeruntque eum in ciſternam véterem , quæ non habêbat aquam. Et ſedentes ut cŏméderent panem , vidérunt Iſmaelítas viatóres veníre de Gálaad , & camélos eórum portantes arómata , & reſínam , & ſtacten în Ægyptum. Dixit ergo Judas frâtribus ſuis : Quid nobis prodeſt ſi occidérimus fratrem noſtrum , & celavérimus ſánguinem ipsíus ? Méliùs eſt ut venumdétur Iſmaelítis , & manus noſtræ nŏn polluantur ; frater enim & caro nôſtra eſt. Acquievérunt fratres ſermônibus illíus. Et , prætereúntibus Madianítis negotiatóribus , extrahentes eum de ciſterna , vendidérunt eum Iſmaelítis vĭginti argénteis ; qui duxérŭnt ĕum in Ægyptum.

Pſal. 96. *GRADUALE.* Qui dilígitis Dóminum , odíte malum : cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum ; de manu peccatóris liberábit eos. ℣. Quis enim permanſit in mandátis ejus , & derelictus eſt ? aut quis invocávit eum , & deſpexit illum ?

Eccli. 2. *TRACTUS.* Dómine , non ſecundùm , *&c. ut ſuprà* , 46.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 21. IN illo témpore ; Dixit Jeſus princípĭbŭs ſacerdótum , & ſenióribus pŏpuli : Parabólam audĭte : Homo erat paterfamílias , qui plantávit víneam , & ſepem circúmdedit ei , & fodit in ea tórcular , & ædificávit turrim , & locávĭt eam agrícolis , & péregrè profectus ĕſt. Cùm autem tempus frúctuum ăppropinquaſſet , miſit ſervos ſuos ad agrícolas , ut accíperent fructus ĕjus. Et agrícolæ , apprehensĭs ſervis ejus , álium cecidérunt , álium occidérunt , álium verò lapidavĕrunt. Iterùm miſit álios ſervŏs plures prióribus ; & fecérunt illis ſimĭliter. Novíſſimè autem miſit ad eos fílĭŭm ſuum , dicens : Verebuntur fílium mĕum. Agrícolæ autem vĭdentes fílium , dixérunt intra sĕ : Hic eſt hæres : veníte ; occĭdámus eum , & habébimus hæreditátem ĕjus. Et apprehenſum eum ejecérŭnt extra víneam , & occidĕrunt. Cùm ergo vénĕrĭt dóminus víneæ , quid fáciet agrícolis illis ? Aiunt ĭlli : Malŏs malè perdet : & víneam ſuam locábit áliis agrícolis , qui reddant ei fructum tempóribus sŭis. Dicit illis Jesŭs : Numquam legiſtĭs in Scriptúris ; Lápidem quem reprobavérunt ædificantes , hic factus eſt in caput ánguli ; à Dómino factum eſt iſtud , & eſt mirábile in óculis noſtris ? Ideò dico vobis , quia auferétur à vobis regnum Dei , & dábitur genti facientĭ fructus ejus : & qui cecíderit ſuper lápidem iſtum , confringétur ; ſuper quem verò cecíderit , cónteret ĕum. Et cùm audiſſent príncipes ſacerdótum & Phariſæi părábolas ejus , cognovérunt quòd de ipſis dĭceret. Et quærentes eum tenére , timŭérunt turbas ; quóniam ſicut prŏphĕtam eum habébant.

Thre. 3. *OFFERTORIUM.* Scrutémur vias noſtras, & quærámus, & revertámur ad Dóminum. Levémus corda noſtra cum mánibus ad Dóminum in cœlos. Nos iníquè égimus, & ad iracúndiam provocávimus.

SECRETA.

M. P. PUrífica nos, miſéricors Deus; ut Eccléſiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ ſunt, pia múnera deferentis, fiant expiátis méntibus gratióres; Per.

Pſal. 24. *COMMUNIO.* Cuſtódi, Dómine, ánimam meam, & érue me; non erubeſcam, quoniam ſperávi in te.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. QUos cœleſti récreas múnere, perpétuo, Dómine, comitáre præsídio; & quos fovére non déſinis, dignos fíeri ſempiternâ redemptióne concéde; Per Dóminum.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

S. R. DA, quæſumus, Dómine, pópulo tuo ſalútem mentis & córporis; ut bonis opéribus inhærendo, tuæ ſemper virtútis mereátur protectióne defendi; Per Dóminum.

Ciner. ## SABBATO.

INTROITUS.

1. Eſdr. 9. DEus meus, confundor, & erubeſco leváre fáciem meam ad te; quóniam iniquitátes noſtræ multiplicátæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra crevérunt uſque ad cœlum. Pſal. 50. *PSALM.* Miſerére meî, Deus, ſecundùm magnam miſericórdiam tuam. Glória. Deus meus.

COLLECTA. Orémus.

S. R. POpulum tuum, quæſumus, miſéricors Deus, ad te confugientem paternâ récipe pietáte; ut qui tuam iracúndiam méritò formídant, de tua poſſint vénia gratulári; Per.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio lîbri Géneſis.

Cap. 27. IN diébus illis, Dixit Rebecca fílio ſûo Jacob: Audívi patrem tuum loquentem cum Eſaü fratre tuo, & dĭcentem ei: Affer mihi de venatióne tua, & fac cibos, ut cómedam, & benedícam tibi coram Dómino ântequàm móriar. Nunc ergo, fili mi, acquieſce conſíliis meis; & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos óptimos, ut fáciam ex eis eſcas patri tuo, quibus lĭbenter véſcitur; quas cùm intúleris, & coméderit, benedícat tibi priuſquàm môriátur. Cui îlle reſpondit: Noſti quòd Eſaü frater meus homo pilóſus ſit, ĕt ego lenis; ſi attrectáverit me pater meus, & ſénſerit, tímeo ne putet me ſibi voluiſſe illúdere, & indúcam ſuper me maledictiónem pro benedîctióne. Aˆd quem mater: In me ſit, ait, iſta maledíctĭŏ, fili mi, tantùm audi vocem meam, & pergens âffer quæ dixi. Abĭĭt, & áttulit, dedîtque matri. Parávĭt illa cibos, ſicut velle nóverat pâtrem illíus. Et véſtibus Eſaü valdè bonis quas apud ſe habébat domĭ, índuit eum, pelliculaſque hædórum circúmdedit mánibus, & colli nûda protexit. Dĕditque pulmentum; & panes, quos côxerat, trádidit. Quibus illâtis, dixit: Pater mi? At îlle reſpondit: Aúdio: quis es tu, fili mi? Dixîtque Jacob: Ego ſum primogénitus tuus Eſaü: feci ſicut præcĕpiſti mihi: ſurge, ſede, & cómede de venatióne mea, ut benedícat mihi ânima tua. Rursùmque Iſaac ad fîlium ſuum: Quómodò, inquit, tam citò inveníre potuiſti, fili mi? Quî reſpondit: Voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi quôd volébam. Dixitque Iˆſaac: Accéde huc, ut tangăm tĕ, fili mi, & probem utrùm tu ſis fílius meus Eſaû,

an non. Acceſsĭt ille ad patrem; & palpáto eo, dixit Iſaac: Vox quidem, vŏx Jacob eſt; ſed manus, manus ſunt Eſaü. Et non cognóvit eum, quia pilóſæ manus ſimilitúdinem majôris expréſſerant. Benedícens ergo îlli, ait: Tu es fílius meus Eſaü? Reſpondit: Ego ſum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatióne tuă, fili mi, ut benedícat tibi ânima mea. Quos cùm oblátŏs comediſſet, óbtulit ei êtiam vinum. Quo hauſto, dîxit ad eum: Accéde ad me, & dă mihi ósculum, fîli mi. Acceſſit, & oſculâtus eſt eum. Statimque ut ſenſit veſtimentórum ĭllíus fragrántiam, benedicens îlli, ait: Ecce odŏr fílii mei; ſicut odor agri pleni, cui benedîxit Dóminus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguédine terræ, abundántiam frumenti & vini; & ſérviant tibi pópuli, & adórent te tribus: eſto Dóminus fratrum tuórum, & incurventur ante te fílĭi matris tuæ: qui maledíxerit tibi, ſit ille maledictus; & qui benedíxerit tibi, benedictiónibus rêpleátur. Vix Iſaac sĕrmónem impléverat; & egreſſo Jacob foràs, venit Eſaü, coctoſque de venatióne cibos íntulit pâtri, dicens: Surge, pater mi, & cómede de venatiónĕ fílii tui, ut benedícat mihi ânima tua. Dixitque illi Iſaac: Quis enim es tu? Quî reſpondit: Ego ſum fílius tuus primogénitus Eſaü. Expávit Iſaac ſtupórĕ vehementi, & ultrà quàm credi poteſt admîrans, ait: Quis ígitur ille eſt, qui dudum captam venatiónem áttulit mihi, & comédi ex ómnibus priuſquàm tu veníres? benedĭxique ei, & erit bênedictus. Audítis Eſaü ſermónibus patris, irrúgiit clămóre magno; & conſternâtus, ait: Bénĕdĭc étiam & mihi, pâter mi. Quî ait: Venit germánus tuŭs fraudulenter, & accépit benedictiônem tuam. At îlle ſubjunxit: Juſtè vocátum eſt nomen ejus Jacob; ſupplantávit enim me ĕn áltera vice: primogénita mea antè tulit, & nunc ſecundò ſurrípuit benedictiônem meam. Rursûmque ad patrem: Numquid non reſervaſti ait, & mihi, benedictiónem? Reſpondit Iſaac: Dóminum tuum illum conſtítui, & omnes fratres ejus ſervitúti illíus ſubjugávi, frumento & vino ſtabĭlívi eum: & tibi poſt hæc, fili mi, ultrà quid fáciam? Cui Eſaü: Num unam, inquit, tantùm benedictiónem habes, pater? mihi quoque óbſecro ut bênedícas. Cùmque ejulátŭ magno fleret; motus Iſaac, dîxit ad eum: In pĭnguédine terræ, & in rore cœlĭ dĕſuper erit benedíctio tua.

Graduale. Delictum meum, Dómine, cógnitum tibi feci; & injuſtítiam meam non abſcondi. ℣. Dixi: Confitébor adversùm me injuſtítiam meam Dómino; & tu remiſiſti impietátem peccáti mei. Pſal. 31.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

IN illo témpore; Ait Jeſus ad Phariſæos & Scrĭbas: Homo quidam hábŭĭt duos fílios, & dixit adoleſcéntior ex illis pătri: Pater, da mihi portiónem ſubſtántiæ quæ me contingit. Et diviſit illis ſubſtăntiam. Et non poſt multos dies, congregátis ómnibus, adoleſcéntior fílius péregrè profectus eſt in regĭónem longinquam; & ibi diſſipávit ſubſtántiam ſuam, vivendo luxuriŏsè. Et poſtquàm ómnia conſummaſſet, facta eſt fames válida in regĭóne illa, & ipſe cœpit egĕre. Et ábiit, & adhæſit uni cívium regiónis illĭus. Et miſit illum in villam ſuam, ŭt páſceret porcos: & cupiébat implére ventrem ſuum de síliquis quas porci manducábant; & nemo illi dăbat. In ſe autem reverſus, dĭxit: Quanti mercenárii in domo patris mei ăbun- Cap. 15.

dant pánibus, ego autem hìc fame péreo ! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei : Pater peccávi in cœlum & coram te : jam non ſum dignus vocárĭ fílius tuus ; fac me ſicut unum de mercenáriis tŭis. Et ſurgens, venit ad patrem sŭum. Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipsíus, & miſericórdĭă motus eſt ; & accurrens cécidit ſuper collum ejus, & oſculátus eſt ĕum. Dixitque ei fĭlius : Pater, peccávi in cœlum ĕt coram te : jam non ſum dignus vocári fílius tŭus. Dixit autem pater ad ſervos sŭos : Citò proferte ſtolam primam, & indúite illum, & date ánnulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus ; & addúcite vítulum ſaginátum, & occídite, & manducémus, ĕt epulémur, quia hic fílius meus mórtuus erat, & revixit ; periérat, & inventus ĕſt. Et cœpérunt epulări. Erat autem fílius ejus ſénior in agro ; & cùm veníret, & appropinquáret dómui, audívit sўmphóniam & chorum ; & vocávit unum de ſervis, & interrogávit quid hæc ĕſſent. Iſque dixit ĭlli : Fratĕr tuus venit ; & occídit pater tuus vítulum ſaginátum, quia ſalvum illum recĕpit. Indĭgnátus eſt autem, & nolébat introĭre. Pater ergo ĭllíus egreſſus, cœpit rogáre ĭllum. Aˇt ille reſpondens, dixit patri sŭo : Ecce tot annis ſérvio tibi, & nunquam mandátum tuum prætерívi, & nunquam dediſti mihi hædum ut cum amícis meĭs epulárer ; ſed poſtquàm fílius tuus hic, qui devorávit ſubſtántiam ſuam cum meretrícibus, venit, occidiſti illi vítulum ſaginătum. At ipſe dixit ĭlli : Fili, tu ſemper mecum es, & ómnia meă tua ſunt : epulári autem & gaudére oportébat ; quia frater tuus hic mórtuus erat, & revixit ; pĕrĭerat, & inventus eſt.

Pſal. 118. *Offertorium.* Deprecátus ſum fáciem tuam, Dómine, in toto corde meo ; miſerére meî ſecundùm elóquium tuum : cogitávi vias meas, & converti pedes meos in teſtimónia tua.

Secreta.

PLacáre, Dómine, famulórum tuórum précibus & hóſtiis : & qui ſperántibus in te miſeréri pótiùs éligis quàm iraſci, da nobis dignè flere mala quæ fécimus, ut tuæ conſolatiónis grátiam invenire valeámus ; Per Dóminum noſtrum. M. P.

Communio. Miſerátor & miſéricors Dóminus, longánimis & multùm miſéricors. Quómodò miſerétur pater filiórum, miſertus eſt Dóminus timéntibus ſe. Pſal. 102.

Postcommunio. Orémus.

OMnípotens & miſéricors Deus, qui peccántium non vis ánimas períre, ſed culpas : his ſacrifíciis placátus cóntine quam merémur iram, & quam precámur effunde cleméntiam ; ut à mœróre in gáudium per tuam miſericórdiam transferámur ; Per. S. R.

Oratio super populum.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

REdeuntes ad te, piíſſime Pater, jam non dignos vocári fílios tuos, miſericórdiâ motus, réſpice peccatóres : & præſta ut dignos faciéntes pœniténtiæ fructus amiſſam juſtítiæ ſtolam recípere mereantur ; Per. M. P.

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA. Ciner.

Introitus.

OCuli mei ſemper ad Dóminum, quóniam ipſe evellet de láqueo pedes meos : réſpice in me, & miſerére meî, quóniam únicus & pauper ſum ego. *Psalm.* Ad te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído ; non erubeſcam. Glória. Oculi. Pſal. 24. Ibid.

Collecta.

Collecta. Orémus.

S. R. QUæſumus, omnípotens Deus, vota humílium réſpice; atque ad defenſiónem noſtram, déxteram tuæ majeſtátis extende; Per Dóminum noſtrum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 5. FRatres; Eſtóte imitatóres Dei, ſicŭt fílii caríſſimi: & ambuláte in dilectióne, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & trádidit ſemetipſum pro nobis oblatiónem & hóſtiam Deo in odórem ſuâvitátis. Fornicátio autem, & omnis immundítia, aut avarítia, nec nominétur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitúdo, aut ſtultilóquium, aut ſcurrílitas quæ ăd rem non pértinet; ſed magìs gratiârum áctio. Hoc enim ſcitóte ĭntelligentes, quòd omnis fornicátor, aut immundus, aut avárus, quod eſt idolórum ſérvitus, non habet hæreditátem in regno Chrîſti & Dei. Nemo vos ſedúcat ĭnánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in fílios dîffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partîcipes eórum. Erátis enim alĭquando ténebræ; nunc autem lûx in Dómino. Ut fílii lucĭs ambuláte; fructus enim lucis eſt in omni bonitáte, & jŭſtĭtia, & veritáte.

Pſal. 34. *Graduale.* Dómine, expugna impugnantes me: apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutórium mihi. ℣. Confundantur quærentes ánimam meam; avertantur retrorsùm, & confundantur, cogitantes mihi mala.

Pſal. 124. *Tractus.* Qui confídunt in Dómino, ſicut mons Sion: non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúſalem. Montes in circúitu ejus; & Dóminus in circúitu pópuli ſui, ex hoc nunc & uſque in ſéculum.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 11. IN illo témpore; Erat Jeſus ĕjíciens dæmónium; & illud erat mŭtum. Et cùm ejĕciſſet dæmónium, locútus eſt mutus, & admirátæ ſunt tŭrbæ. Quidam autem ex eis dixĕrunt. In Beélzebub príncipe dæmoniórum éjicit dæmŏnia. Et ălii tentantes, ſignum de cœlo quærébant ab ĕo. Ipſe autem ut vidit cogitatiónes eórum, dixit ĕis: Omne regnum in ſeipſum divisŭm deſolábitur, & domus ſupra domum cădet. Si autem & Sátanas in ſeipſum dĭvíſus eſt, quómodò ſtabit regnum ejus, quia dícitis in Beélzebub me ejícere dæmónia? Si autem ego in Beélzebub ĕjício dæmónia, fílii veſtri in quo ejíciunt? Ideò ipſi júdices veſtri ĕrunt. Porrò ſi in dígito Dei ĕjício dæmónia, profectò pervénit in vos regnum Dĕi. Cùm fortis armátus cuſtódit átrium ſuum, in pace sŭnt ea quæ póſſidet: ſi autem fórtior eo ſupervéniens vícerit eum, univerſa arma ejus áuferet in quibus confidébat, & ſpólia ejus diſtrĭbuet. Qui non eſt mecŭm, contra me eſt; & qui non cólligit mecum, diſpĕrgit. Cùm immundus ſpíritus exíerit de hómine, ámbulat per loca inaquósă, quærens réquiem; & non invéniens, dicit: Revertar in domum meam unde exĭvi. Et cùm vénerit, ínvenit eam ſcopis mundátam, & ornătam. Tunc vadit, & aſſúmit ſeptem álios ſpíritus ſecum nequĭóres ſe: & ingreſſi hábitant ibi; & fiunt novíſſima hóminis illíus pejóra priŏribus. Factum eſt autĕm, cùm hæc díceret; extollens vocem quædam múlier de turba, dixit ĭlli: Beátus venter, quĭ te portávit; & úbera quæ ſuxĭſti. At ille dĭxit: Quinimmò; beáti qui áudiunt verbŭm Dĕi, & cuſtódiunt illud.

Dicitur Credo.

Pſal. 34. *OFFERTORIUM.* Dómine, quis símilis tibi? erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

SECRETA.

M. P. SAcrifícium tibi, Dómine, celebrandum placátus intende; & peccáta quibus pópulus tuus impugnátur, expelle: ut ſemper tibi plácitus, & tuo munímine ſit ſecúrus; Per Dóminum noſtrum.

Pſal. 60. *COMMUNIO.* Factus es, Dómine, ſpes mea, turris fortitúdinis à fácie inimíci: prótegar in velamento alárum tuárum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. POpulo tuo, quæſumus, Dómine, quem tanti myſtérii tríbuis eſſe partícipem, véniat tuæ benedictiónis infúſio, quæ diabólicas repellat insídias, frágilem juvet & prótegat, ínopem ſuſtentet & fóveat; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum.

Cíner. FERIA SECUNDA.

INTROITUS.

Pſal. 50. AMpliùs lava me, Dómine, ab iniquitáte mea, & à peccáto meo munda me; quóniam iniquitátem meam ego cognoſco, & peccátum meum contra me eſt ſemper. *PSALM.* Miſerére meî, Deus, * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam. Glória. Ampliùs.

Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M. P. PUríficet nos grátia tua, Deus; & per continéntiam ſalutáris jejúnii, ab omni ſemper iniquitáte cuſtódiat; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio lîbri Regum.

4. Reg. 5. IN diébus illis; Náaman princeps milítiæ regis Syriæ erat vir magnus apud dóminum ſuum, & honorátus; per illum enim dedit Dóminus sălutem Syriæ: erat autem vir fortis & dives, sêd leprósus. Porrò de Syria egreſſi fúerant latrúnculi, & captívam dúxerant de terra Iſrael pŭellam párvulam, quæ erat in obſéquio uxóris Náaman, quæ ait ad dôminam ſuam: Utinam fuiſſet dóminus meus ad Prophétam, qui eſt ĭn Samaría; profectò curaſſet eum à lêpra quam habet. Ingreſſus eſt ítaque Náaman ăd dóminum ſuum, & nuntiávit êi, dicens: Sic & ſic locúta eſt puella de terra Iſrael. Dixitque êi rex Syriæ: Vade, & mittam lítteras ad regem Iſrael. Qui cùm profectus eſſet, & tuliſſet ſecum decem talenta argenti, & ſex míllia áureos, & decem mutatória vĕſtimentórum; détulit lítteras ad regem Iſrael, ĭn hæc verba: Cùm accéperis ĕpiſtolam hanc, ſcito quòd míſerim ad te Náaman ſervum meum, ut cures eum à lêpra ſua. Cùmque legiſſet rex Iſrăel lítteras, ſcidit veſtimenta ſûa, & ait: Numquid Deus ego ſum, ut occídere poſſim, & vivificáre; quia iſte miſit ad me, ut curem hóminem à lepra ſua? Animadvertĭtĕ, & vidéte, quòd occaſiónes quærat advêrsùm me. Quod cùm audiſſet Eliſæus vir Dei, ſcidiſſe vidélicet regem Iſrael veſtĭmenta ſua; miſit ad êum, dicens: Quare ſcidiſti veſtimenta tua? Véniat ad me, & ſciat eſſe Prophétam in Iſrael. Venit ergo Náaman cum equis & cúrribus, & ſtetit ad óſtium domŭs Eliſæi; miſitque ad eum Eliſæus nûntium, dicens: Vade, & laváre ſéptĭĕs in Jordáne, & recípiet ſanitátem caro tua, âtque mundáberis. Irátus Náaman recedêbat, dicens: Putábam quòd

egrederétur ad me, & ſtans invocáret nomen Dómini Dei ſui, & tángeret manu ſua locum lepræ, & cŭráret me : numquid non melióres ſunt Abana & Pharphar flúvii Damaſci ómnibus aquis Iſrael, ut laver in eis & munder ? Cùm ergo vertiſſet ſe, & ăbíret indignans, acceſſérunt ad eum ſervi ſui, & locûti ſunt ei : Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi Prophéta, certĕ fácere debúeras ; quantò magìs quia nunc dixit tibi, Laváre, & mundáberis ? Deſcendit, & lavit in Jordáne ſépties juxta ſermónĕm viri Dei ; & reſtitúta eſt caro ejus ſicut caro púeri párvuli ; & mundâtus eſt. Reverſuſque ad virum Dei cum univerſo comĭtátu ſuo, venit, & ſtetit coram êo, & ait : Verè ſcio quòd non ſit álius Deus in univerſa terra, nisĭ tăntùm in Iſrael.

Pſal. 55. *GRADUALE.* Deus, vitam meam annuntiávi tibi : poſuiſti lácrymas meas in conſpectu tuo. ℣. In quacumque die invocávero te, ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

TRACTUS. Dómine, non ſecundùm, *&c. ſuprà, pag.* 46.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 4. IN illo témpore ; Ait Jeſus ómnibus qui erant in Synagóga Názarĕth : Utique dicétis mihi hanc ſimilitúdinem : Médĭcĕ, cura teipſum ; quanta audívimus facta in Caphárnaum, fac & hìc in pátria tŭa. Ait ăutem : Amen dico vobis, quia nemo prophéta acceptus eſt in pátria sŭa. In veritáte dico vobis : multæ víduæ erant in diébus Elíæ in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & ménſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna ĭn omni terra ; & ad nullam illárum miſſus eſt Elías, niſi in Sarepta Sidóniæ, ad mulíerem vĭduam. Et multi leprósi erant in Iſrael ſub Elĭſæo prophéta ; & nemo eórum mundátus eſt, niſi Náaman Sўrus. Et repléti ſunt omnes in Synăgóga ira, hæc audiĕntes. Et ſurrexérunt, & ejecérunt illum extră civitátem ; & duxérunt illum uſque ad ſupercílium montis, ſuper quem cívitas illórum erat ædificáta, ut præcipitárent ĕum. Ipſe autem tránſiens per médium ĭllŏrum, ibat.

Pſal. 137. *OFFERTORIUM.* Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, Dómine ; & ſuper iram inimicórum meórum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

SECRETA.

M. P. DEſcendat, quæſumus, Dómine, ſuper hæc obláta virtus tuæ divinitátis, quam noſtris quoque purificandis méntibus largiáris ; Per.

Pſal. 141. *COMMUNIO.* Voce meâ ad Dóminum clamávi ; voce meâ ad Dóminum deprecátus ſum : effundo in conſpectu ejus oratiónem meam, & tribulatiónem meam ante ipſum pronúntio.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. PErpétuo, quæſumus, Dómine, favóre proſéquere, quos réficis divíno myſtério ; & quos imbuiſti cœléſtibus inſtitútis, ſalutáribus comitare ſolátiis ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

M. A. SUbvéniat famíliæ tuæ, Dómine, miſericórdia tua ; ut ab imminéntibus peccatórum ſuórum periculis, mereátur te protegente éripi, te liberante ſalvári ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Ciner.

FERIA TERTIA.

Introitus.

Pſal. 16. EGo clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: inclína aurem tuam mihi, & exaudi verba mea: cuſtódi me, ut pupillam óculi; ſub umbra alárum tuárum Ibid. prótege me. *Psalm.* Exaudi, Dómine, juſtítiam meam: * intende deprecatiónem meam. Glória. Ego.

Collecta. Orémus.

M. P. GRátiæ tuæ, nobis, Dómine, præſens auxílium impende; ut ſacro nos purificante jejúnio, toto ſimus tibi corde ſubjecti, & in tua caritáte concordes; Per Dóminum.

Aliæ Collectæ ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio líbri Regum.

Reg. 4. IN diébus illis; Múlier quædam de uxóribus Prophetárum, clamábat ad Eliſæum prophêtam, dicens: Servus tuus vir meus mórtuus eſt; & tu noſti, quia ſervus tuus fuit timens Dóminum: & ecce créditor venit ut tollat duos fílios meos ad ſerviêndum ſibi. Cui dixit Eliſæus: Quid vis ut fáciam tibi? dic mihi, quid habes in domo tua? At illa reſpondit: Non hábeo ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum ôlei quo ungar. Cûi ait: Vade, pete mútuò ab ómnibus vicínis tuis vasa vácua non pauca: & ingrédere, & claude óſtium tuum, cùm intrínſecùs fúeris tu & fílii tui; & mitte inde in ómnia vaſa hæc; & cùm plena fûerint, tolles. Ivit ítaque múlier, & clauſit óſtium ſuper ſe, & ſuper fílios ſuos: illi offerébant vaſa, & illa înfundébat. Cùmque plena fuiſſent vaſa, dixit ad fílium ſuum: Affer mihi âdhuc vas. Et ille reſpondit: Nôn hábeo. Stetîtque óleum. Venit autem illa, & indicávit hômini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende óleum, & redde creditóri tuo; tu autem & fílii tui vívite de réliquo.

Pſal. 18. *Graduale.* Ab occultis meis munda me, Dómine; & ab aliénis parce ſervo tuo. ℣. Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero; & emundábor à delicto máximo.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 18. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Si peccáverit in tě frater tuus, vade, córripe eum inter te & ipſum sŏlum. Si te audíerit, lucrátus eris fratrem tŭum. Si autem te non audíerit, ádhibe tecum adhŭc unum vel duos; ut in ore duórum vel trium téſtium ſtet omne vĕrbum. Quòd ſi non audíerit eŏs, dic Eccléſiæ: ſi autem Eccléſiam non audíerit, ſit tibi ſicut éthnicus & publicănus. Amen dico vobis, quæcumque alligavéritis ſuper terram, erunt ligáta & in cœlo; & quæcumque ſolvéritis ſuper terram, erunt ſolúta & in cœlo. Iterùm dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſénsĕrint ſuper terram; de omni re quamcumque petíerint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis ĕſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregáti ĭn nómine meo, ibi ſum in médio eŏrum. Tunc accédens Petrus ad eum, dĭxit: Dómine, quóties peccábit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſépties? Dicit illi Jesŭs: Non dico tibi, uſquĕ sĕpties; ſed uſque ſeptuágies ſépties.

Marc. 11. *Offertorium.* Cùm ſtábitis ad orandum, dimíttite, ſi quid habétis adversùs áliquem; ut & Pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccáta veſtra.

Secreta.

S. R. DEus, qui nos ad imáginem tuam ſacramentis rénovas & præceptis: pérfice greſſus noſtros in ſémitis

tuis;

tuis ; ut caritátis donum quod feciſti à nobis ſperári, per hæc quæ offérimus ſacrifícia fácias apprehendi ; Per.

1. Joan. 4. *COMMUNIO.* Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cáritas ejus in nobis perfecta eſt : in hoc cognóſcimus quóniam in eo manémus, & ipſe in nobis.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. G. SUmpſimus, Dómine, ſacramentum bonitátis, ſignum unitátis, & vínculum caritátis, præſta nobis, quæſumus, ſanctâ unanimitáte in domo tua vivéntibus, pacem habére quam trádimus, pacem ſervâre quam ſúmimus ; Per Dóminum.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

S. R. DEus, qui Eccléſiam ſponſam tuam, matrem nobis & magiſtram providiſti : da fidélibus tuis, in ipsíus doctrína & præceptis vocem tuam agnóſcere ; ut cólumnæ & firmamento veritátis innixi, eórum infírmitas cuſtodiátur ab omni circumventióne erróris ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

FERIA QUARTA.

Cíner. *INTROITUS.*

Pſal. 18. LEx Dómini immaculáta, convertens ánimas : teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis. *PSALM.* Cœli enarrant glóriam Dei : * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum. Glória. Lex Dómini.

Ibid. *COLLECTA.* Orémus.

M. A. PRæſta nobis, quæſumus, Dómine, ut ſalutáribus jejúniis erudíti, à nóxiis quoque vítiis abſtinentes, propitiatiónem tuam facíliùs impetrémus ; Per Dóminum.

Aliæ Collectæ, ut notantur, ſuprà, pag. 48.

Léctio lîbri Exodi.

Cap. 20. IN dĭébus illis ; Locútus eſt Dóminus ſermônes hos : Honóra patrem tuum ĕt matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dóminus Deus tuus dâbit tibi. Nôn occídes. Nôn mœcháberis. Non fûrtum fácies. Non loquéris contră próximum tuum falſum tĕſtimónium. Non concupíſces domŭm próximi tui ; nec deſiderábis uxórem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non áſinum, nec ómnia quæ illîus ſunt. Cunctus autem pópulus vidébat voces, & lámpades, & ſónitum búccinæ, mŏntemque fumantem ; & pertérriti, ac pavóre concuſſi, ſtetérunt procul, dicêntes Móyſi : Lóquere tu nobis, ĕt audiémus ; non loquátur nobis Dóminus, ne fortè môriámur. Et ait Môyſes ad pópulum : Nŏlíte timére : ut enim probáret vos, venit Deus ; & ut terror illíus eſſet in vobis, & non pêccarétis. Stetitque pôpulus de longè. Móyſes autem acceſsĭt ad calíginem, in qua êrat Deus. Dixit prætéreà Dôminus ad Móyſen : Hæc dices fílĭĭs Iſrael : vos vidiſtis, quòd de cœlo locûtus ſim vobis. Non faciétĭs deos argénteos, nec deos áureos faciêtis vobis. Altáre de terra facĭétis mihi, & offerétis ſuper illud holocauſta & pacífica veſtra, oves veſtras & boves in omni loco, in quo memória fúerit nóminis mei : véniam ăd tĕ, & benedícam tibi.

Pſal. 25. *GRADUALE.* Proba me, Dómine, & tenta me : ure renes meos & cor meum ; quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt. ℣. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam : rédime me, & miſerére meî.

TRACTUS. Dómine, non ſecundùm, *ſuprà, pag.* 46.

Sequéntia ſanctî Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 15. IN illo témpore ; Acceſſérunt ad Jeſum ab Jeroſólymis Scribæ & Phariſæi , dicéntes : Quare diſcípuli tui tranſgrediuntur traditiónem ſeniórum ? Non enim lavánt manus ſuas , cùm panem manducant. Ipsé autem reſpondens , ait illis : Quare & vos tranſgredímini mándátum Dei propter traditiónem veſtram ? Nam Deus dixit : Honóra patrem & matrem ; & , Qui maledíxerit patri vel matri , mortè moriátur ; vos autem dícitis : Quicumque díxerit patri vel matri : Munus quodcumque eſt ex me , tibi próderit ; & non honorificábit patrem ſuum , aut matrem ſuam : & írritum feciſtis mandátum Dei propter traditiónem vèſtram. Hypócritæ , benè prophetávit de vobis Isáías , dicens : Pópulus hic lábiis me honórat ; cor autem eórum longè eſt à me : ſine cauſa autem colunt me , docentes doctrínas & mandáta hóminum. Et convocátis ad ſe turbis , dixit eis : Audíte & intellígite : Non quod intrat in os , cóinquinat hóminem ; ſed quod procédit ex ore , hoc coínquinat hóminem. Tunc accedentes diſcípuli ejus , dixérunt ei : Scis quia Phariſæi , audító verbo hoc , ſcandalizáti ſunt ? At ille reſpondens , ait : Omnis plantátio , quam non plantávit Patèr meus cœleſtis , eradicábitur. Sínite illos ; cæci ſunt , et duces cæcórum : cæcus autem ſi cæco ducátum præſtet , ambo , in fóveam cádunt. Reſpondens autem Petrus , dixit ei : Edíſſere nobis parábolam iſtam. At ille dixit : Adhuc & vos ſine intellectu eſtis ? non intellígitis , quia omne quod in os intrat , in ventrem vadit , & in ſeceſſum emíttitur ? Quæ autem procédunt de ore , dè corde éxeunt , & ea coínquinant hóminem. De corde enim éxeunt cogitatiónes malæ , homicídia , adultéria , fornicatiónes , furta , falſa teſtimónia , blaſphémiæ , hæc ſunt quæ cóinquinant hóminem : non lotis autem mánibus manducáre , non coínquinat hóminem.

Offertorium. Numquid vult Dóminus holocauſta & víctimas ; & non pótiùs ut obediátur voci Dómini ? Mélior eſt obediéntia , quàm víctimæ ; & auſcultáre magìs quàm offerre ádipem aríetum. 1. Reg. 15.

Secreta.

UT proſit pópulo tuo munus quod tibi offérimus , Deus ; fac nos & ritè implére mandátum tuum , & ad te honorandum ſincéro corde accédere ; Per Dóminum. M. P.

Communio. Cor mundum crea in me , Deus ; & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. Pſal. 50.

Postcommunio. Orémus.

MUndent nos , Dómine , ab omni inquinamento carnis ac ſpíritûs ſumpta myſtéria ; ut evulsâ de córdibus noſtris omni pravitáte , quæcumque vera & recta ſunt , cogitémus ſemper & agámus ; Per Dóminum. M. P.

Oratio super populum.

Orémus.

Humiliáte cápita vèſtra Deo.

GRátia tua fámulos tuos , quæſumus , Dómine , non derelinquat ; quæ & illos ſacræ déditos fáciat ſervitúti , & tuam illis opem ſemper acquírat ; Per Dóminum. M. P.

FERIA QUINTA. Ciner.

Introitus.

EGo dixi : Dómine , miſerére meî : ſana ánimam meam , quia peccávi tibi. *Psalm.* Beátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus. Glória. Ego. Pſa. 40. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut jejuniórum sancta devótio, & purificatiónem nobis tríbuat, & majestáti tuæ nos reddat acceptos; Per Dóminum.

Aliæ Collectæ, ut notantur suprà, pag. 48.

Léctio Jerémiæ Prophétæ.

Cap. 7. IN diébus illis; Verbum factum est ad Jerémiam à Dômino, dicens: Sta in porta domus Dómini, & prædica ibi verbum istud, & dic: Audíte verbum Dómini, omnis Juda, qui ingredímini per portas has, ut adorêtis Dóminum. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israel: Bonas fácite vias vestras & stúdia vestra, & habitábo vobiscum in lôco isto. Nolíte confídere in verbis méndácii dicentes: Templum Dómini, templum Dómini, templum Dômini est. Quóniam si benè direxéritis vias vestras, & stúdia vestra; si fecéritis judícium inter virum & próximum ejus; ádvenæ & pupillo & víduæ non fecéritis calúmniam, nec sánguinem innocentem effudéritis in loco hoc, & post deos aliénos non ambulavéritis in malum vóbismetipsis; habitábo vobiscum in loco isto, in terra quam dedi pátribus vestris, à século & usque in séculum.

Pſal. 144. *Graduale.* Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum; ómnibus invocántibus eum in veritáte. ℣. Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet, & salvos fáciet eos.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 4. IN illo témpore; Surgens Jesus de Synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus: & rogavérunt illum pro ea. Et stans super illam impérávit febri: & dimisit illam. Et cóntínuò surgens ministrábat illis. Cùm autem sol occidísset, omnes qui habébant infirmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens, curábat eos. Exíbant autem dæmónia à multis, clamántia & dicéntia, quia Tu es Fílius Dei. Et increpans non sinébat ea loqui, quia sciébant ipsum esse Christum. Factâ autem die, egressus ibat in désertum locum; & turbæ requirébant eum, & venérunt usque ad ipsum, & detinébant illum ne discéderet ab eis. Quibus ille ait: Quia & áliis civitátibus oportet me evangelizáre regnum Dei; quia ídeò missus sum. Et erat prædicans in Synagógis Galilææ.

Offertorium. Sana me, Dómine, & sanábor: salvum me fac, & salvus ero; quóniam laus mea tu es. Jer. 17.

Secreta.

S. R. EFficiátur hæc hóstia, quæsumus, Dómine, solémnibus grata jejúniis; & ut tibi fiat accéptior, à purificátis méntibus immolétur; Per.

Communio. Omnis turba quærébat Jesum tángere, quia virtus de illo exíbat & sanábat omnes. Luc. 6.

Postcommunio. Orémus.

S. R. VItia cordis humáni, quæsumus, Dómine, hâc sacrâ medicínâ compescat, qui mortalitátis nostræ venit curáre languóres, Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus; Qui tecum.

Oratio super Populum.

Orémus.

Humiliáte cápita vestra Deo.

S. R. DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut fámuli tui, qui infirmitátis suæ cónscii de tua virtúte confídunt, sub tua semper gáudeant pietáte; Per Dóminum.

Ciner.

FERIA SEXTA.

In Veneratione.

S. CORONÆ SPINEÆ DOMINI.

DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Cant. 3. EGredímini, Fíliæ Sion, & vidéte Regem in diadémate, quo coronávit eum mater ſua in die deſponſatiónis ejus. Pſal. 20. *PSALM.* Dómine, in virtúte tua lætábitur Rex; * & ſuper ſalutáre tuum exultábit vehementer. Glória. Egredímini.

Non dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

M. P. PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui, in memóriam Paſſiónis Dómini noſtri Jeſu Chriſti, Corónam ejus Spíneam venerámur in terris, ab ipſo glóriâ & honóre coronári mereámur in cœlis; Qui tecum.

Ubi dicitur unica Miſſa, fit Commemoratio Feriæ, infrà: & alia omnia obſervantur quæ ſuprà notantur, p. 48.

Léctio lîbri Géneſis.

Cap. 22. IN diébus illis; Tentávit Deus Abraham; & dîxit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpôndit: Adſum. Ait illi: Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Iſaac; & vade in terrăm viſiónis: atque ibi ófferes eum in holocauſtum ſuper unum móntium, quem monſtrâvero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtrávit áſinum ſuum, ducens ſecum duos júvenes, & Isăac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, ábiit ad locum, quem præcéperat êi Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidĭt locum procul: dixitque ad pûeros ſuos: Expectátĕ hìc cùm áſino: ego & puer illuc uſque properantes, poſtquàm adoravérimus, revertêmur ad vos. Tulit quoque ligna holocauſti, & impóſuit ſuper Isăac fílium ſuum: ipſe verò portábat in mánibus îgnem & gládium. Cùmque duŏ pérgerent ſimul, dixit Iſaac pâtri ſuo: Pâter mi. At îlle reſpondit: quid vis, fili? Ecce, inquĭt, ignis & ligna: ubi eſt víctima holocauſti? Dixit autem Abraham: Deus providébit ſibi víctimam holocauſti, fîli mi. Pergébant ergo páriter: & venérunt ad locum, quem oſténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre, & désŭpĕr ligna compóſuit: cùmque alligaſſet Iſaac fílium ſuum, póſuit eum in altáre ſuper ſtrûem lignórum. Extĕnditque manum & arrípuit gládium, ut immoláret fîlium ſuum. Et ecce Angelus Dómini de cœlo clamâvit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpôndit: Adſum. Dixîtque ei: Non extendas manum tuam ſuper púerum, neque făcĭăs illi quidquam: nunc cognóvi quòd times Deum, & non pepercíſti unigénito fílio tuo prôpter me. Levávit Abraham óculos ſuos, viditque poſt tergum aríetem inter vepres hærentem córnibus; quem aſſúmens, óbtulit holŏcăuſtum pro fílio.

GRADUALE. Coróna áurea ſuper caput ejus, expreſſa ſigno ſanctitátis & glória honóris. Eccli. 45. ℣. Magnificéntia tua, Deus, in diadémate cápitis illíus ſculpta erat. Sap. 18.

TRACTUS. Impropérium expectávit cor meum, & miſériam: & ſuſtínui, qui ſimul contriſtarétur, & non fuit: & qui conſolarétur, & non invéni. Et dedérunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potavérunt me acéto. Quem tu percuſſiſti perſecúti ſunt, & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt. Pſal. 68.

Sequéntia

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 19. IN illo témpore; Apprehendit Pílátus Jeſum, & flagellávit. Et mílites plectentes corónam de ſpínis, impoſuérunt cápiti ejus: & veſte purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, & dicébant: Ave, rex Judæórum. Et dabant ei álapas. Exívit ergo íterum Pílátus foras, & dicit eis: Ecce addúco vobis eum foras, ut cognoſcátis quia nullam invénio in eo cáuſam. Exívit ergo Jeſus, portans corónam ſpíneam, & purpúreum veſtimentum.

Dicitur Credo.

Apoc. 19. *OFFERTORIUM.* In cápite ejus diadémata multa: & habet in veſtimento & in fémore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dóminus dominántium.

SECRETA.

M. P. DEus, qui, ut peccatórum noſtrórum ſpinas evélleres, Fílii tui caput ſpinis transfígi voluiſti: carnem noſtram & corda noſtra caſto tuo timóre confíge hujus oblatiónis mérito; ut in méntibus noſtris Spíritûs tui grátiâ renovátis, & cupíditas extirpáta defíciat, & cáritas plantáta proficiat; Per eumdem.... in unitáte ejuſdem.

PRÆFATIO de CRUCE.

Hebr. 2. *COMMUNIO.* Eum, qui módico quàm Angeli minorátus eſt, vidémus Jeſum, propter paſſiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui paſſiónis Fílii tui inſtrumenta feciſti ejus ornamenta triumphi; præſta per hæc myſtéria, quæ ſúmpſimus, ut non erubeſcámus illíus impropérium portáre, cujus ignomíniæ insígnia venerámur; Per eumdem Dóminum.

Benedicámus Dómino.

AD MISSAM DE FERIA.

Cinet.

INTROITUS.

Is. 55. OMnes ſitientes, veníte ad aquas: inclináte aurem veſtram, & veníte ad me, & vivet ánima veſtra; & fériam vobiſcum pactum ſempiternum. *PSALM.* Atténdite, pópule meus, legem meam: * inclináte aurem veſtram in verba oris mei. Glória. Omnes.

Pſal. 77.

COLLECTA. Orémus.

S. R. JEjúnia noſtra, quæſumus, Dómine, benigno favóre proſéquere; ut ſicut ab alimentis abſtinémus in córpore, ita à vítiis jejunémus in mente; Per.

Ubi dicuntur duæ Miſſæ, ſecunda Collecta dicitur pro Pœnitentibus.

Léctio libri Nûmerórum.

Cap. 20. IN diébus illis; Cùm indigéret aqua pópulus, convenérunt adversùm Móyſen et Aaron; & verſi in ſeditiônem, dixérunt: Utinam periíſſémus inter fratres noſtros côram Dómino. Cur eduxiſtis eccléſiam Dómini in ſolitúdinem, ut & nos & noſtra jumenta moriámur? Quare nos feciſtis aſcéndere de Ægypto, & adduxiſtis in locum iſtum péſſimum, qui ſeri non poteſt, qui nec ficum gignit, nec víneas, nec malogránata; ínſuper & aquam non habet ad bibendum? Ingreſſuſque Móyſes & Aaron, dimiſſa multitúdine, tabérnáculum fœderis, corruérunt proni in terram, clamaveruntque ad Dóminum, âtque dixérunt: Dómine Deus, audi clamórem hujus pópuli, & áperi eis theſaurum tuum fontem aquæ vivæ; ut ſatiáti, ceſſet murmurâtio eórum. Et appárúit glória Dómini sûper eos. Locutuſque eſt Dóminus ad Môyſen, dicens: Tolle virgam, & cóngrega pópulum, tu & Aaron frater tuus, & loquímini ad petram coram eis,

& illa dâbit aquas. Cùmque edúxĕris aquam de petra, bibet omnis multitúdo, & jumênta ejus. Tulit ígitur Móyſes virgam quæ erat in conſpectu Dómini, ſicut præcéperat ei, congregáta multitúdĭnĕ ante petram, dixîtque eis: Audíte, rebellĕs & incréduli: Num de petra hac vobis aquam potérimus ejícere? Cùmque elevaſſet Móyſes manum, percútĭĕns virga bis sílicem, egreſſæ ſunt aquæ largíſſimæ, ita ut pópulus bíberet, êt jumenta. Dixitque Dóminus ad Móyſen & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificarétis me coram fílĭis Iſrael; non introducétis hos pópulos in terram quam dâbo eis. Hæc eſt aqua contrădictiónis, ubi jurgáti ſunt fílii Iſrael contră Dŏminum; & ſanctificátus eſt in eis.

2. Eſdr. 9. *GRADUALE.* Panem de cœlo dediſti eis, Dómine, in fame eórum; & aquam de petra eduxiſti eis ſitiéntibus: ipſi verò induravérunt cervíces ſuas, & non audiérunt mandáta tua. ℣. Tu autem, Deus, propítius & clemens, longánimis & multæ miſeratiónis, non dereliquiſti eos.

TRACTUS. Dómine, non ſecundùm, *ut ſuprà*, 46.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 4. IN illo témpore; Venit Jeſus in civitátem Samaríæ, quæ dĭcitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joſeph fílio sŭo. Erat autem ibi fons Jacŏb. Jeſus ergo fatigátŭs ex itínere, ſedébat ſic ſupra fŏntem. Hora erat quaſi sĕxta. Venit múlier de Samaría hauríre ăquam. Dicit ei Jesŭs: Da mihi bĭbere. (Diſcípuli enim ejus abíerant ĭn civitátem, ut cibos ĕmerent.) Dicit ergo ei múlier illa Samarităna: Quómodŏ tu, Judæus cùm ſis, bíbĕrĕ à me poſcis, quæ ſum múlier Samaritána? non enim coütuntur Judæi Samaritănis. Rĕſpondit Jeſus, & dixit ĕi: Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi: Dă mihi bíbere, tu fórſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vĭvam. Dicit ei mŭlier: Dómine, neque in quo háurias habes, & pútĕŭs altus eſt: unde ergo habes aquam vivam? numquid tu major es patre noſtro Jacob, qui dedit nobis púteum; & ipſe ex eo bibit, & fílii ejus, & pécora ejus? Rĕſpondit Jeſus, & dixit ĕi: Omnis qui bibit ex aqua hac, sítiet íterùm; qui autem bíberit ex aqua quam ego dabo ei, non sítĭĕt in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam ætĕrnam. Dicit ad eum mŭlier: Dómine, da mihi hanc aquam, ut non sítiam, neque véniam huc haurĭre. Dicit ei Jesŭs: Vade, voca virum tuum, & veni hŭc. Rĕſpondit múlier, & dĭxit: Non hábeo vĭrum. Dicit ei Jesŭs: Benè dixiſti, quia Nŏn hábeo virum: quinque enim viros habuiſti; & nunc, quem habes, non eſt tuus vir; hoc verè dixĭſti. Dicit ei mŭlier: Dómine, vídeo quia Prophéta es tŭ. Patres noſtri in monte hoc ădoravérunt; & vos dícitis, quia Jeroſólymis eſt locus ubi adoráre opŏrtet. Dicit ei Jesŭs: Múlier, crede mihi, quiă venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſólymis adorábitis Pătrem. Vos adorátĭs quod neſcítis; nos adorámus quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis ĕſt. Sed venit horă & nunc eſt, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in ſpíritu & veritătе. Nam & Patĕr tales quærit, qui adórent ĕum. Spíritus eſt Deus; & eos qui ădórant eum, in ſpíritu & veritáte oportet adorăre. Dicit ei mŭlier: Scio, quia Meſsías venit quĭ dícitur Chriſtus; cùm ergo vénerit ille, nobis annuntiábit ŏmnia.

Dicit ei Jesŭs : Ego ſum, qui loquor tĕcum. Et contínuò venérunt dĭſcípuli ejus ; & mirabantur quia cum mulíere loquebătur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid lóqueris cum ea ? Relíquit ergo hydriam ſuam múlier, & ábiit ĭn civitátem, & dicit illis homĭnibus : Veníte, & vidéte hóminem, qui dixit mihi ómnia quæcumque feci ; numquid ipſe eſt Chriſtus ? Exiérunt ergo dĕ civitáte ; & veniébant ad ĕum. Intéreà rogábănt eum diſcípuli dicĕntes : Rabbi, manducă. Ille autem dixit ĕis : Ego cibum hábĕŏ manducáre, quem vos neſcĭtis. Dicébant ergo diſcípuli ejus ad ĭnvicem : Numquid áliquis áttulit ei manducáre ? Dicit eis Jesŭs : Meus cibus eſt, ut fáciam voluntátem ejus quĭ miſit me, ut perfíciam opus ĕjus. Nonne vos dícitis, quod adhuc quátŭŏr menſes ſunt, & meſſis venit ? Eccĕ dico vobis : Leváte óculos veſtros, & vidéte regiónes, quia albæ ſunt jam ad mĕſſem. Et qui metit, mercédem áccipit, & cóngregat fructum ĭn vitam æternam ; ut, & qui ſéminat, ſimul gáudeat, & qui mĕtit. In hoc enim ĕſt verbum verum, quia álius eſt qui ſéminat, & álius eſt qui mĕtit. Ego miſi vos métere quod vos nŏn laboraſtis : álii laboravérunt, & vos in labóres eórum introĭſtis. Ex civitáte autem illa multi credidérunt in eum Samaritanórum, propter verbum mulíeris teſtimónĭŭm perhibentis : Quia dixit mihi ómnia quæcumque fĕci. Cùm veniſſent ergo ad illum Sămaritáni, rogavérunt eum ut ibi manĕret. Et manſit ibi duos dĭes. Et multò plures credĭdérunt in eum propter ſermónem ĕjus. Et mulíeri dicébant ; quia jam non propter tuam lŏquélam crédimus : ipſi enim audívimus, & ſcimus, quia hic ĕſt vĕrè Salvátor mundi.

Offertorium. Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bíbere ; tu fórſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. Joan. 4.

Secreta.

Reſpice, Dómine, propítius oblatiónem humilitátis noſtræ, & da nobis ſcire donum tuum ; ut nóxias cupiditátes & vítia relinquentes, te qui fons vitæ, & orígo bonitátis es, indeſinenter ſitiámus ; Per. M. P.

Communio. Qui bíberit ex aqua quam ego dabo ei, non sítiet in æternum : ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Joan. 4.

Postcommunio. Orémus.

Fiant in nobis, quæſumus, Dómine, Sacramenta quæ ſúmpſimus, fons aquæ ſalientis in vitam æternam ; & cibus noſter ſit fácere voluntátem tuam, per eum quem miſiſti Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum ; Qui tecum. M. P.

Oratio super populum.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

Deus, qui ſpíritus es, & eos qui te adórant, in ſpíritu & veritáte jubes adoráre : purífica, quæſumus, ſancto amóre tuo corda famulórum tuórum ; ut te in ómnibus, & ſuper ómnia diligentes, ſincérâ tibi pláceant pietáte ; Per Dóminum. M. P.

SABBATO. *Ciner.*

Introitus.

Verba mea áuribus pércipe, Dómine, intéllige clamórem meum : intende voci oratiónis meæ, Rex meus, & Deus meus. Pſal. 5.

Psalm. Quóniam ad te orábo, Dómine ; * manè exáudies vocem meam. Glória. Verba mea. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. A. PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut dignitas conditiónis humánæ per immoderántiam ſauciáta, medicinális parſimóniæ ſtúdio reformétur; Per Dóminum.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio Daniêlis Prophétæ.

Cap. 13. IN diébus illis; Erat vir hábitans in Babylóne, & nomen ejus Jóakim; & accépit uxórem nómine Suſannam, fíliam Helcíæ, pulcram nimis, & timentem Deum; parentes enim illíus, cùm eſſent juſti, erudiérunt fíliam ſuam ſecundùm lêgem Móyſi. Erat autem Jóakim dives valdè, & erat ei pomárium vicínum dómui ſuæ, & ad ipſum confluébant Judæi, eò quòd eſſet honorabîlior ómnium. Et conſtitúti ſunt de pópulo duo ſenes júdices in illo anno; de quibus locútus eſt Dóminus: Quia egreſſa eſt iníquitas de Babylóne à ſenióribus judícibus, qui videbantur rêgere pópulum. Iſti frequentábant domum Jóakim; & veniébant ad eos, omnes qui habêbant judícia. Cùm autem pópulus revertiſsèt per merídiem, ingrediebátur Suſanna, & deambulábat in pomário vîri ſui. Et vidébant eam ſenes quotídie ingredientem & deambulantem; & exarſérunt in concupiſcéntiam ejus, & evertérunt ſenſum ſuum, & declinavérunt óculos ſuos ut non vidérent cœlum, neque recordarentur judiciôrum juſtórum. Factum eſt autem, cùm obſervárent diem aptum, ingreſſa eſt aliquando ſicut heri & nudiuſtértius cum duábus ſolis puellis, voluitque lavári in pomário; æſtus quippe erat: & non erat ibi quiſquam, præter duos ſenes abſcónditos, & contemplântes eam. Dixit êrgo puellis: Afferte mihi óleum & ſmígmata, & óſtia pomárii clâudite, ut laver. Et fecérunt ſicut præcéperat; clauſeruntque óſtia pomárii, & egreſſæ ſunt per póſticum, ut áfferrent quæ júſſerat: neſciebantque ſenes intus êſſe abſcónditos. Cùm autem egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexérunt duo ſenes, & accúrrérunt ad eam, êt dixérunt: Ecce óſtia pomárii clauſa ſunt, & nemo nos videt; & nos in concupiſcéntia tui ſumus: quámobrem aſſentíre nobis, & commíſcére nobiſcum; quòd ſi nolúeris, dicémus contra te teſtimónium, quòd fúerit tecum júvenis, & ob hanc cauſam emíſeris puêllas à te. Ingémuit Susânna, & ait: Angústiæ ſunt mihi úndique; ſi enim hoc égero, mors mihi eſt: ſi autem non égero, non effúgiam manus veſtras; ſed mélius eſt mihi abſque ópere incídere in manus veſtras, quàm peccáre in conſpêctu Dómini. Et exclamávit voce magna Suſanna: exclamavérunt autem & ſenes advêrsùs eam. Et cucúrrit unus ad óſtia pomárii, êt apéruit. Cùm ergo audiſſent clamórem fámuli domûs in pomário, irruérunt per póſticum, ut vidérent quîdnam eſſet. Poſtquàm autem ſenes locúti ſunt, erubuérunt ſervi vehementer; quia numquam dictus fúerat ſermo hujuſcémodi dê Suſanna. Et facta eſt dies cráſtina. Cùmque veniſſet pópulus ad Jóakim virum ejus; venérunt & duo presbyteri pleni iníqua cogitatióne ádversùs Suſannam, ut interfîcerent eam. Et dixérunt côram pópulo: Míttite ad Suſannam fíliam Helcíæ uxórem Jôakim. Et ſtâtim miſérunt. Et venit cum paréntibus, & fíliis, & univerſis cognâtis ſuis. Flebant ígitur ſui, & omnes qui nôverant eam. Conſurgentes autem duo presbyteri in médio pópuli, poſuérunt manus ſuas ſuper câput ejus. Quæ flens sûſpexit ad cœlum; erat enim cor ejus fidúciam hâbens in Dómino.

Et

Et dixêrunt presbyteri : Cùm deambularémus in pomário ſoli, ingreſſa eſt hæc cum duábus puellis, & clauſit óſtia pomárii, & dimíſit à ſe puellas ; venitque ad eam adoleſcens, qui erat abſcónditus, & concúbuit cum ea : porrò nos, cùm eſſémus in ángulo pomárii, videntes iniquitátem, cucúrrimus ad eos, & vídimus eos páriter commiſcéri ; & illum quidem non quívimus comprehéndere, quia fórtior nobis erat, & apertis óſtiis exilívit : hanc autem cùm apprehendiſſémus, interrogávimus quiſnam eſſet adoleſcens, & nóluit indĭcáre nobis ; hujus rei têſtes ſumus. Crédidit eis multitúdo, quaſi ſénibus & jŭdícibus pópuli, & condemnavérunt êam ad mortem. Exclamávit autem voce magna Susânna ; & dixit : Deus æterne, qui abſconditórum es cógnitor, qui noſti ómnia ántequàm fiant, tu ſcis quóniam falſum teſtimónium tulérunt contra me ; & ecce mórior, cùm nihil horum fécerim, quæ iſti malitiósè compoſuérunt advêrsùm me. Exaudívit autem Dóminus vôcem ejus. Cùmque ducerétur ad mortem, ſuſcitávit Dóminus ſpíritum ſanctum púeri junióris, cujus nomĕn Dániel ; & exclamávit vôce magna : Mundus ego ſum à sânguine hujus. Et converſus omnis pópulus ad êum, dixit : Quis eſt iſte ſermo, quem tu locútus es ? Qui cùm ſtaret in médio eôrum, ait : Sic, fátui fílii Iſrael, non judicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis fíliam Iſrael ? Revertímĭnĭ ad judícium, quia falſum teſtimónium locúti ſunt advêrsùs eam. Reverſus eſt ergo pópulus cum feſtĭnatióne, & dixérunt êi ſenes : Veni, & ſede in médio noſtrum, ĕt índica nobis ; quia tibi Deus dedit honórem sênectútis. Et dixit ad eos Dâniel : Separáte illos ăb ínvicem procul, & dijudicâbo eos. Cùm ergo divíſi eſsĕnt alter ab áltero ; vocávit unum de eis, & dîxit ad eum : Inveteráte diérum malórum, nunc venérunt peccáta tua quæ operabáris priùs : júdicans judícia injuſta, innocentes ópprimens, & dimittens nóxios, dicente Dómino, Innocentem & juſtum nŏn interfícies : nunc ergo ſi vidiſti eam, dic ſub qua árbore víderis eos colloquêntes ſibi. Qui ait : Sûb ſchino. Dixit autem Dâniel : Rectè mentítus es ĭn caput tuum ; ecce enim Angelus Dei, accepta ſententia ab eo, ſcîndet te médium. Et amóto eo, juſſit vĕníre álium, & dîxit ei : Semen Chánaan, & non Juda, ſpécies decépit te, & concupiſcéntia ſubvertit cor tuum : ſic faciebátis filiábus Iſrael, & illæ timentes loquebantur vobis ; ſed fília Juda non ſuſtínuit iniquĭtátem veſtram : nunc ergo dic mihi, ſub qua árbore comprehénderis eos loquêntes ſibi. Qui ait ſûb prino. Dixit autem ei Dâniel : Rectè mentítus es & tu ĭn caput tuum ; manet enim Angelus Dómini, gládium habens, ut ſecet te médium, & interfîciat vos. Exclamávit ítaque omnis cœtŭs voce magna, & benedixérunt Deum qui ſalvat ſperântes in ſe. Et conſurrexérunt adversùs duos presbyteros ; convícerat enim eos Dániel ex ore ſuo falſum dixiſſe teſtimónium ; feceruntque eis ſicut malè égerant ădversùs próximum, & interfecêrunt eos. Et ſalvátus eſt ſanguis ĭnnŏxius in die illa.

Graduale. Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam, & non propoſuérunt te in conſpectu ſuo. ℣. Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur ; quóniam tu, Dómine, adjuviſti me, & conſolátus es me. Pſal. 85.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 8. IN illo témpore ; Jeſus perrexit in montem Olivéti , & dilúculo ítерùm venit in templum : & omnis pópŭlŭs venit ad eum ; & ſedens docébat ĕos. Addúcunt autem Scribæ & Phariſæi mulíerem in adultérĭŏ deprehenſam ; & ſtatuérunt eam in médio , & dixérunt ĕi : Magiſter , hæc múlier modò deprehenſa eſt in adultério : in lege autem Móyſes mandávit nobis hujúſmŏdĭ lapidáre : tu ergo quid dicis ? Hoc autem dicébant tĕntantes eum , ut poſſent accuſáre ĕum. Jeſus autem inclínăns ſe deórſum , dígito ſcribébat in tĕrra. Cùm ergo perſeverárent interrŏgantes eum , eréxit ſe , & dixit ĕis : Qui ſine pĕccáto eſt veſtrum , primus in illam lápidem mĭttat. Et ítĕrŭm ſe inclínans , ſcribébat in tĕrra. Audĭentes autem , unus poſt unum exíbant , incipientes à ſenĭŏribus. Et remansĭt ſolus Jeſus , & múlier in médio ſtăns. Erigens autĕm ſe Jeſus , dixit ĕi : Múlier , ubi ſunt qui te accuſábant ? nemo te condemnávit ? Quæ dĭxit : Nemo , Dŏmine. Dixit autem Jesŭs : Nec ego tĕ condemnábo ; vade , & jăm ămpliùs noli peccáre.

Pſal. 85. *Offertorium.* Dómine Deus , miſerátor & miſéricors , pátiens , & multæ miſericórdiæ , & verax ; réſpice in me , & miſerére meî.

Secreta.

S. R. MUnera noſtra , Dómine , ſacris altáribus imponentes , tuam miſericórdiam exorámus , ne pro noſtra nos iniquitáte condemnes , ſed fragilitáti noſtræ invictâ bonitáte ſubvénias ; Per Dóminum.

Pſal. 17. *Communio.* Factus eſt Dóminus protector meus , & eduxit me in latitúdinem : ſalvum me fecit , quóniam vóluit me.

Postcommunio. Orémus.

S. R. PEr hæc divína myſtéria , Deus omnípotens , ad te corda noſtra converte ; quia quos prótegis étiam delinquentes , majóre pietáte tuéris , ſincérâ mente devótos ; Per.

Oratio super Populum. Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

S. R. TU ſemper , quæſumus , Dómine , tuam attolle benignus famíliam ; tu diſpóne correctam ; tu propítius tuére ſubjectam ; tu guberna perpétuâ bonitáte ſalvandam ; Per Dóminum.

DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA.

Ciner.

Introitus.

Joel. 2. LÆtáre , terra ; quóniam magnificávit Dóminus ut fáceret. Nolíte timére ; comedétis veſcentes , & ſaturabímini : & laudábitis nomen Dei veſtri , qui fecit mirabília vobiſcum. *Pſalm.* Exultáte Deo adjutóri noſtro ; * jubiláte Deo Jacob. Pſal. 80.

Collecta. Orémus.

S. R. COncéde , quæſumus , omnípotens Deus , ut qui ex mérito noſtræ actiónis afflígimur , tuæ grátiæ conſolatióne reſpirémus ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Gálatas.

Cap. 4. FRatres ; Scriptum eſt quóniam Abraham duŏs fílios hábuit , unum de ancilla , & ûnum de líbera. Sed qui de ancilla , ſecundùm carnem natus eſt ; qui autem de líbera , per reprŏmiſſiónem : quæ ſunt per allegôriam dicta. Hæc enim ſunt duŏ teſtamenta : unum quidem in monte Sina , in ſervitútem génerans , quæ eſt Agar ; Sina enim mons eſt in Arábia , qui conjunctus eſt ei , quæ nunc eſt Jerúſalem , & ſervit cum fíliis ſuis : illa

autem, quæ ſursùm eſt Jerúſalem, líbera eſt, quæ eſt mâter noſtra. Scriptum eſt enim : Lætáre, ſtérilis quæ non paris, erumpe & clamă quæ non párturis ; quia multi fílii deſertæ, magìs quàm ejus quæ hâbet virum. Nos autem fratres, ſecundùm Iſaac promiſſiónis fîlii ſumus. Sed quómodò tunc is qui ſecundùm carnem natus fúerat, perſequebátur eum qui sĕcundùm ſpíritum ; îta & nunc. Sed quid dicit Scriptúra ? Ejice ancillam, ĕt fílium ejus : non enim hæres erit fílius ancillæ cum fîlio líberæ. Itaque, fratres, non ſumus ancillæ fílii, ſed líberæ ; qua libĕrtăte Chriſtus nos liberávit.

Pſal. 121. *GRADUALE.* Lætátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi : In domum Dómini íbimus. ℣. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis.

Pſal. 131. *TRACTUS.* Elégit Dóminus Sion : elégit eam in habitatiónem ſibi. Hæc réquies mea in ſéculum ſéculi ; hìc habitábo quóniam elégi eam. Víduam ejus benedícens benedícam : páuperes ejus ſaturábo pánibus.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap 6. IN illo témpore ; Abiit Jeſus trans mare Galilææ, quod ĕſt Tiberíadis ; & ſequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant ſigna quæ faciébat ſuper his qui infirmabăntur. Súbiit ergo ĭn montem Jeſus ; & ibi ſedébat cum diſcípulis sŭis. Erat autĕm próximum Paſcha, dies feſtus Judæŏrum. Cùm ſublevaſſet ergo óculos Jeſus, & vidiſſet quia multitúdo máxĭmă venit ad eum, dicit ad Philĭppum : Unde emémus panes, ut mandúcent hi ? Hoc autem dicébăt tentans eum ; ipſe enim ſciébat quid eſſet factŭrus. Reſpondit ei Philĭppus : Ducentórum denariórum panes non sŭfficiunt eis, ut unuſquiſque módicum quid accĭpiat. Dicit ei unus ex dĭſcípulis ejus, Andréas frater Simónis Pĕtri : Eſt puer unus hìc, qui habet quinque panes hordeáceos, ĕt duos piſces : ſed hæc quid ſunt inter tantos ? Dixit ergo Jesŭs : Fácite hómines diſcŭmbere. Erat autem fœnum multum in lŏco. Diſcubuérŭnt ergo viri, número quaſi quinque mĭllia. Accépit ergo Jeſus panes ; & cùm grátias egiſſet, diſtríbŭĭt diſcumbéntibus : ſimíliter & ex píſcibus quantùm volĕbant. Ut autem ĭmpléti ſunt, dixit diſcípulis sŭis : Collígite quæ ſuperăvérunt fragmenta ne pĕreant. Collegérunt ergo, & implevérunt duódecim cóphĭnŏs fragmentórum, ex quinque pánibus hordeáceis quæ ſuperfuérunt his qui manducăverant. Illi ergo hómines cùm vidiſſent quod Jeſus fécerat ſignum, dicébant, quia hic eſt verè Prophéta, qui ventúrus eſt in mŭndum. Jeſus ergo cùm cognoviſſet quia ventúri eſſent ut ráperent eum, & fácĕrĕnt eum regem, fugit íterùm ĭn mŏntem ipſe ſolus.

Dicitur Credo.

Jer. 31. *OFFERTORIUM.* Vénient & laudábunt in monte Sion ; & cónfluent ad bona Dómini : eritque ánima eórum quaſi hortus irríguus, & ultrà non eſúrient.

SECRETA.

S. R. DEus, qui in deſerti regióne multitúdinem pópuli tuâ virtúte ſatiaſti : ſúſcipe propítius múnera noſtra ; & in hujus ſéculi tranſeuntis excurſu, victum nobis ſpiritálem, ne deficiámus impende ; Per Dóminum.

Pſal. 106. *COMMUNIO.* Confiteantur Dómino miſericórdiæ ejus, & mirabília ejus fíliis hóminum ; quia ſatiávit ánimam inánem, & ánimam eſurientem ſatiávit bonis.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

℣ R. FRagilitátem nostram, quæsumus, Dómine, quam cœlesti cibo páscere dignáris, sic tuâ miseratióne moderáre, ut & transitóriis subsídiis nostra sustentétur mortálitas, & per bonórum óperum incrementa, beáta acquirátur immortálitas; Per.

Cíner. FERIA SECUNDA.

INTROITUS.

Psal. 137. ADorábo ad templum sanctum tuum, Dómine, & confitébor nómini tuo super misericórdia tua & veritáte tua; quóniam magnificásti super omne, nomen Ibid. sanctum tuum. *PSALM.* Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo;* quóniam audísti verba oris mei. Glória Patri. Adorábo.

COLLECTA. Orémus.

℣. R. DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut sacro nos purificante jejúnio, sincéris méntibus ad sancta ventúra fácias pervenire; Per Dóminum.

Aliæ Collectæ, ut notantur supra, pag. 48.

Léctio libri Regum.

3. Reg. 3. IN diébus illis; Venérunt duæ mulíeres meretríces ad regem Salomónem, steteruntque côram eo. Quarum una ait: Obsecro, mi Dómine; ego & múlier hæc habitabámus in domo una, & péperi apud eam in cubículo: tértia autem die postquàm ego péperi, péperit & hæc; & erámus simul, nullusque álius nobiscum in domo, exceptis nôbis duábus. Mórtuus est autem fílius mulíeris hujus nocte, dórmiens quippe oppressit eum; & consurgens intempestæ noctis siléntio, tulit fílium meum de látere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocávit in sinu suo; suum autem fílium qui erat mórtuus, pósuit in sînu meo. Cùmque surrexíssem manè ut darem lac fílio meo, áppáruit mórtuus; quem diligéntiùs íntuens clara luce, deprehendi non esse meum quêm genúeram. Respondítque âltera múlier: Non est ita ut dicis; sed fílius tuus mórtuus est, meus âutem vivit. E contrário îlla dicébat: Mentíris; fílius quippe meus vivit, & fílius tuus môrtuus est. Atque in hunc modum contendébant côram rege. Tûnc rex ait: Hæc dicit, Fílius meus vivit, & fílius tuus mórtuus est; & ista respondit, Non, sed fílius tuus mórtuus est, meus âutem vivit. Dixit êrgo rex: Afferte mîhi gládium. Cùmque attulíssent gládium coram rege: Divídite, inquit, infantem vivum in duas partes; & date dimídiam partem uni, & dimídiam pârtem álteri. Dixit autem múlier, cujus fílius erat vivus, ad Regem (commóta sunt quippe víscera ejus super fîlio suo): Obsecro, Dómine, date illi ínfantem vivum, & nolíte interfícere eum. E contrário îlla dicébat: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividátur. Respondit rêx, & ait: Date huic infantem vivum, & nón occidátur; hæc est enim mâter ejus. Audívit ítaque omnis Israel judícium quod judicâsset rex. Et timúérunt regem, vidéntes sapiéntiam Dei esse in eo ad faciendum judícium.

GRADUALE. Non habitábit juxta te malígnus: odísti, Dómine, omnes qui operántur iniquitátem: perdes omnes qui loquúntur mendácium. Psal. 5. ℣. Dómine, deduc me in justítia tua: dírige in conspectu tuo viam meam.

TRACTUS. Dómine, non secundùm, *&c. supra*, 46.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 2. IN illo témpore; Propè erat Pascha Judæórum, & ascendit Jésus Jerosólymam; & invénit in templo vendentes boves, & oves, & columbas,

&

& numulários ſedéntes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funículis, omnes ejécit de templo, ovẽs quoque & boves, & numulariórum effúdit æs, & menſas ſubvértit. Et his, qui cŏlumbas vendébant, dixit: Aufertĕ iſta hinc, & nolíte fácere domum Patris mei, domum negotiatiónis. Recordáti ſunt verò diſcípuli ejus, quiă ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comédit mĕ. Reſpondérŭnt ergo Judæi, & dixérunt ĕi: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Rĕſpondit Jeſus, & dixit ĕis. Sólvĭtĕ templum hoc, & in tribus diébus excitábo ĭllud. Dixérunt ergo Judæi: Quadraginta & ſex annis ædificátŭm ĕſt templum hoc, & tu in tribus diébus excitábis illud? Illĕ autem dicébat de templo córporis sŭi. Cùm ergo reſurrexiſſet à mórtuis, recordáti ſunt diſcípuli ejus, quiă hoc dicébat; & credidérunt ſcriptúræ, & ſermóni quem dixit Jesŭs. Cùm autem eſſet Jeroſólymis in Paſcha in die feſto, multi credidérunt ĭn nómine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciĕbat. Ipſe autem Jeſus non credébat ſemetipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat ut quis teſtimónium perhĭbéret de hómine: ipſe enim ſcĭĕbat quid eſſet in hómine.

Pſal. 140. *OFFERTORIUM.* Dirigátur orátio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, Dómine; elevátio mánum meárum, ſacrifícium veſpertínum.

SECRETA.

S. R. MUltiplícibus innexi vínculis delictórum; ad tuæ confúgimus, clementíſſime Pater, abſolutiónis remédium; & humiliáto corde offerentes majeſtáti tuæ ſacrifícium, te deprecámur, ut nos, tuâ protegente déxterâ, ab omni contagióne ereptos, regnórum cœléſtium hærédes effícias; Per.

COMMUNIO. Bonas fácite vias veſtras, & ſtúdia veſtra; & habitábo vobiſcum dicit Dóminus. Jer. 7.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DA nobis, quæſumus, omnípotens Deus, per hæc ſacra myſtéria, fídei, ſpei & caritátis augméntum; ut per ſanctificatiónem jejúnii, tuum in nobis ſit templum, quod præmio fiat æternum; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

M. A. DEprecatiónem famulórum tuórum, quæſumus, Dómine, benignus exaudi; & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tríbue defenſiónis auxílium; Per Dóminum.

FERIA TERTIA. *Ciner.*

INTROITUS.

Pſal. 80. AUdi, pópulus meus, & conteſtábor te: Iſrael, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum. Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti.

Ibid. *PSALM.* Exultáte Deo adjutóri noſtro: * jubiláte Deo Jacob. Glória. Audi.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DA, quæſumus, Dómine, pópulis Chriſtiánis quod profitentur agnóſcere, & ágnitum dignis pœniténtiæ frúctibus adipiſci; Per Dóminum.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio lîbri Exodi.

Cap. 12. IN diébus illis; Locútus eſt Dóminus ad Môyſen, dicens: Vade, deſcende; peccávit pópulus tuus, quem eduxiſti dĕ terra Ægypti: receſſérunt citò de via quam oſtendiſti

eis ; feceruntque sibi vítulum conflátilem, & adoravérunt, atque immolantes ei hóstias, dixérunt : Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxérunt de têrra Ægypti. Rursùmque ait Dóminus ad Móysen : Cerno, quòd pópulus iste duræ cervícis sit ; dimitte me, ut irascátur furor meus contra eos, ĕt déleam eos ; fáciamque te in gêntem magnam. Móyses autem orábat Dóminum Deum sûum, dicens : Cur, Dómine, irásciturfuror tuus contrà pópulum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitúdine magna & in manu robusta? Ne, quæso, dicant Ægyptii : Cállidè eduxit eos, ut interficeret in móntibus, & deléret è terra : quiescat ira tua, & esto placábilis super nequítĭă pópuli tui : recordáre Abraham, Isaac, & Israel servórum tuórum, quibus jurasti per temetipsum, dicens : Multiplicábo semen vestrum sicut stellas cœli & universam terram hanc, de qua locútus sum, dabo sémini vestro ; & possidébitis êam semper. Placatusque est Dóminus, ne fáceret malum quod locútŭs fŭérat adversùs pópulum suum.

Jer. 2. *GRADUALE.* Obstupéscite, cœli, super hoc, dicit Dóminus : me dereliquérunt fontem aquæ vivæ, & fodérunt sibi cisternas, cisternas dissipátas, quæ continére non valent aquas.

Judit. 7. ℣. Peccávimus, Dómine, cum pátribus nostris ; injustè égimus, iniquitátem fécimus : tu, quia pius es, miserére nostrî.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 7. IN illo témpore ; Jam die festŏ mediante, ascendit Jesus in templum & docĕbat. Et mirabantur Judæi, dicĕntes : Quómodò hic lítteras scit, cùm non didícerit ? Respondĭt eis Jesus, & dĭxit : Mea doctrínă non est mea, sed ejus qui misit mĕ. Si quis volúerit voluntátĕm ejus fácere, cognoscet de doctrína, utrùm ex Deo sit, an ego à meipso lŏquar. Qui à semetipso lóquitur, glóriăm própriam quærit : qui autem quærit glóriam ejus qui misit eum, hic verax est, & injustítia in illo non ĕst. Nonne Móyses dedĭt vobis legem? & nemo ex vobis facit legem : Quid me quæritis interfícere ? Rĕspondit turba, & dĭxit : Dæmónium habes : quis te quærit interfícere ? Rĕspondit Jesus, & dixit ĕis : Unŭm opus feci, & omnes mirămini. Proptéreà Móyses dedit vobis citcumcisiónem, (non quia ex Móysĕ est, sed ex pátribus ;) & in Sábbato circumcíditis hŏminem. Si circumcisiónem áccipit homo in Sábbato, ut non sŏlvátur lex Móysi ; mihi indignámini, quia totum hóminem sanum feci in Sábbato ? Nolíte judicáre sĕcundùm fáciem, sed justum judícium judicăte. Dicébant ergo quidam ex Jerosŏlymis : Nonne hic est, quem quærunt interfícere ? & eccĕ palàm lóquitur, & nihil ei dĭcunt. Numquid verè cognovérunt príncipes, quia hic est Christus ? Sed hunc scimŭs unde sit : Christus autem cùm vénerit, nemo scit unde sĭt. Clamábat ergo Jesus ĭn templo docens, & dĭcens : Et me scitis, ĕt unde sim scitis ; & à meipso non veni : sed est verus qui misit me, quem vos nescĭtis. Egŏ scio eum ; quia ab ipso sum, & ipse me mĭsit. Quærébant ergo eŭm apprehéndere ; & nemo misit in illum manus, quia nondum vénerat hora ĕjus. De turbă ăutem multi credidérunt in eum.

Pſal. 24. *OFFERTORIUM.* Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, & sémitas tuas édoce me : dírige me in veritáte tua, & doce me ; quia tu es Deus salvátor meus.

Secreta.

S. R. TIméntium te, Dómine, Salvátor & cuſtos, adeſto, quæſumus, oblatiónibus noſtris, & averte à pópulo tuo mundánæ oblectamenta ſapiéntiæ; ne vánitas mendaciórum decípiat, quos erudítio veritátis illúminat; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

1. Joan. 3. *Communio.* Qui ſervat mandáta Dei, in illo manet, & ipſe in eo; & in hoc ſcimus quóniam manet in nobis de Spíritu quem dedit nobis.

Postcommunio. Orémus.

M. P. PEr hæc ſacramenta, quæſumus, Dómine, tu in nobis manére dignéris, & nos in te manére concédas; ut dum córpora noſtra abſtinéntiæ obſervatióne macerantur, mentes quoque virtútibus exornentur; Per Dóminum.

Oratio super populum.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

M. P. MIſerére, Dómine, pópulo tuo; & contínuis tribulatiónibus laborantem, propítius reſpiráre concéde; Per Dóminum noſtrum.

Cinер. FERIA QUARTA.

In ſcrutiniis electorum, ſive in examine baptizandorum.

Introitus.

Ezec. 36. CUm ſanctificátus fúero in vobis, congregábo vos de univerſis terris, & effundam ſuper vos aquam mundam; & mundabímini ab ómnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor novum.

Pſal. 33. *Psalm.* Benedícam Dóminum in omni témpore: * ſemper laus ejus in ore meo. Glória. Cùm ſanctificátus.

Kyrie, eléiſon.

Non dicitur Dóminus vobiſcum. *Sed ſtatim dicitur*, Orémus. Flectámus, *&c. ritu notato ſuprà, pag.* 7. *quod ſervatur quoties dicendum eſt.*

Collecta. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

S. R. DA, quæſumus, fámulis tuis, Dómine, ſpíritum novum; & Eccléſiæ tuæ ánnue jejúniis, ut ad ſuperni lúminis claritátem, & regenerandi óculos apériant, & renáti ſemper incédant; Per.

Lectio ſequens cantatur in tono Lectionum à Lectore Albâ induto.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.

Cap. 36. SAnctificábo nomen meum magnum, quod pollútum eſt inter gentes, quod polluiſtis in médio eárum; ut ſciant gentes quia ego Dóminus, ait Dóminus exercítuum, cùm ſanctificátus fúero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de géntibus, & congregábo vos de univerſis terris, & addúcam vos in terram veſtram. Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis idólis veſtris mundábo vŏs. Et dabo vobis cor novum, & Spíritum novum ponam in médio veſtri; & áuferam cor lapídeum de carne veſtra, & dabo vobis cor cárneum. Et Spíritum meum ponam in médio veſtri; & fáciam ut in præceptis meis ambulétis, & judícia mea cuſtodiátis & operémini. Et habitábitis in terra quam dedi pátribus veſtris, & éritis mihi in pópulum, & ego ero vobis in Dĕum.

Graduale. Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus; pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. ℣. Non fecit táliter omni natióni, & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Pſal. 32. Pſal. 147.

Dóminus vobiſcum.

Collecta. Orémus.

Sine Flectámus génua.

M. P. DEus, qui hómini ad imáginem tuam cóndito, ídeò das temporália, ut largiáris æterna: Eccléſiam tuam ſpirituáli fœcunditáte multíplica; ut qui ſunt generatióne terréni, fiant regeneratióne cœleſtes; Per.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 1. LAvámini, mundi eſtóte, auferte malum cogitatiónum veſtrárum ab óculis meis; quiéſcite ágere perversè, díſcitĕ benefácere: quærite judícium, ſubveníte oppreſſo, judicáte pupillo, deféndite víduam; & veníte, & argúite me, dîcit Dóminus. Si fúerint peccáta veſtra ut cóccinum, quaſi nix dĕalbabuntur; & ſi fúerint rubra quaſi vermículus, velut lana âlba erunt. Si voluéritis, & audĭĕritis me, bona terræ cômedétis. Quòd ſi noluéritis, & me ad iracúndiam provocavéritis, gládius devŏrábit vos; quia ŏs Dŏmini locútum eſt.

Pſal. 33. *Graduale.* Veníte, fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos. ℣. Accédite ad eum, & illumináminí; & fácies veſtræ non confundentur.

Tractus. Dómine, non ſecundùm, *&c. ut ſuprà, pag.* 46.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 9. IN illo témpore; Prætériens Jeſus, vidit hóminem cæcum à năti vitáte; & interrogavérunt eum diſcípuli ejus: Rabbi, quis peccávit, hic, aut părentes ejus, ut cæcus naſcerétur? Reſpondit Jesŭs: Neque hic peccávit, neque părentes ejus; ſed ut manífeſtentur ópera Dei in ĭllo. Me oportet operâri ópera ejus qui miſit me, donĕc dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operări. Quámdĭŭ ſum in mundo, lux ſum mŭndi. Hæc cùm dixiſſet, éxpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linívit lutum ſupĕr óculos ejus, & dixit ĕi: Vade, lava in natatórĭă Síloe, (quod interpretátur Mĭſſus.) Abĭĭt ergo, & lavit, & venit vĭdens. Itaque vicíni, & qui víderant eum priùs, quia mĕndícus erat, dicĕbant: Nonne hĭc eſt qui ſedébat, & mendicábat? Alii dicébant, quia Hic ĕſt. Alii autem: Nequáquam; ſed símilis eſt ĕi. Illĕ verò dicébat, quia Ego sŭm. Dicébant ergo ĕi: Quómodò aperti ſunt tibi óculi? Reſpŏndit: Ille homo, qui dícitur Jeſus, lutum fecit, & unxit óculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatórĭă Síloe, & lava; & ábii, lavi, & vĭdeo. Et dixérunt ĕi: Ubi eſt ille? Aĭt: Nĕſcio. Addúcunt eum ăd Phariſæos, qui cæcus fŭerat. Erăt autem ſábbatum, quando lutum fecit Jeſus, & apéruit óculos ĕjus. Iterùm ergo interrogábant eŭm Phariſæi, quómodò vidĭſſet. Ille autem dixit ĕis: Lutum mihi pósŭĭt ſuper óculos, & lavi, & vĭdeo. Dicébant ergo ex Phariſæis quĭdam: Non eſt hĭc homo à Deo, qui ſábbatum non cuſtŏdit. Alii autem dicĕbant: Quómodò poteſt homo peccátor hæc ſigna fácere? Et ſchiſma erat inter ĕos. Dicunt ergo cæco ĭterùm: Tu quĭd dicis de illo, qui apéruit óculos tuos? Ille autem dixit: Quia Prophéta ĕſt. Non credidérunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuiſſĕt, & vidiſſet, donec vocavérunt parentes ejus qui víderat, & interrogavérunt eos, dicĕntes: Hic eſt fílius veſter, quem vos dícitis quia cæcus natus eſt? quómodò ergo nunc videt? Reſpondérunt eis părentes ejus, & dixĕrunt: Scimus quia hic eſt fílius noſter, & quia cæcus natus eſt; quómodò autem nunc videat,

neſcímus;

neſcímus ; aut quis ejus apéruit ócŭlŏs, nos neſcímus : ipſum interrogáte , ætátem habet ; ipſe de ſe loquătur. Hæc dixérunt parentes ejus, quóniam timébant Judæos : jam enim conſpiráverant Judæi, ut ſi quis eum confiterétur eſſe Chriſtum , extra ſynăgógam fíeret : propterea parentes ejus dixérunt , quia ætátem habet, ipſum interrogăte. Vocavérunt ergo rursùm hóminem quĭ fúerat cæcus , & dixérunt ĕi : Dă glóriam Deo ; nos ſcimus quia hic homo peccátor ĕſt. Dixit ergo eis ĭlle : Si pĕccátor eſt , néſcio ; unum ſcio , quia cæcus cùm eſſem , modò vĭdeo. Dixérunt ergo ĭlli : Quid fecit tibi ? quómodò apéruit tibi óculos ? Reſpondit ĕis : Dixi vobĭs jam, & audiſtis : quid íterùm vultis audíre ? Numquid & vos vultis diſcípuli ejus fíeri ? Maledixérŭnt ergo ei , & dixĕrunt : Tu diſcípulus ĭllíus ſis ; nos autem Móyſi diſcípuli sŭmus. Nos ſcimus quia Móyſi lŏcútus eſt Deus ; hunc autem neſcímus unde sĭt. Reſpondĭt ille homo , & dixit ĕis : In hoc enim mirábile eſt , quia vos neſcítĭs unde ſit ; & apéruit óculos mĕos. Scimus autem quia peccatórĕs Deus non audit ; ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntátem ejus facit , hunc exăudit. A ſéculo nŏn eſt audítum , quia quis apéruit óculos cæci năti. Niſi eſsĕt hic à Deo , non póterat fácere quĭdquam. Reſpondérunt, & dixérunt ĕi : In peccátĭs natus es totus ; & tu doces nos ! Et ejecérunt eum fŏras. Audívit Jeſus quia ejecérŭnt eum foras ; & cùm inveniſſet eum , dixit ĕi : Tu credis in Fílium Dei ? Rĕſpondit ille , & dĭxit : Quis eſt , Dómine , ut credam in eum ? Et dixit ei Jesŭs : Et vĭdiſti eum ; & qui lóquitur tecum , ipſe ĕſt. At ille ăit : Credo , Dŏmine. * Et prŏcidens adorávit eum.

* *Hic genuflectitur.*

Offertorium. De ténebris & calígine óculi cæcórum vidébunt ; & páuperes hómines in Sancto Iſrael exultábunt. Is. 29.

Secreta.

SUpplices te rogámus , omnípotens Deus , ut his ſacrifíciis peccáta noſtra mundentur ; quia tunc veram nobis tríbuis & mentis & córporis ſanitátem ; Per Dóminum. M. A.

Communio. Lutum fecit Jeſus , & unxit óculos meos ; & ábii , lavi , & vídeo. Joan. 9.

Postcommunio. Orémus.

DOmine Jeſu , qui humánum genus , Incarnatiónis tuæ myſtério , & aquæ lavácro illuminaſti : præſta, ut ſacroſancto carnis & ſánguinis tui medicámine quod ſúmpſimus , creſcat in nobis , & ad credendum in te , fídei lumen ; & ad te confitendum , fídei fortitúdo ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre. M. P.

Oratio super Populum.

Orémus.

Humiliáte capĭtă vĕſtra Deo.

DA plebi tuæ , quæſumus , Dómine , perſeverantem in tua voluntáte famulátum ; ut in diébus noſtris , & mérito & número pópulus tibi ſérviens augeátur ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum , qui tecum. M. P.

FERIA QUINTA. Cinер.

Introitus.

SEcundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum , Dómine , réſpice in me ; & ne avertas fáciem tuam à púero tuo : quóniam tríbulor , velóciter exaudi me. Psal. 68.

Psalm. Salvum me fac , Deus ; * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam. Glória. Secundùm. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. MOveant pietátem tuam, miſéricors Deus, afflictæ Eccléſiæ preces & lácrymæ; & ejus fílios in morte peccáti jacentes, ad vitam tuâ virtúte revocáre dignéris; Per.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio lîbri Regum.

4. Reg. 4. IN diébus illis; Venit múlier Sunamítis, ad Elíſæum virum Dei in montem Carméli: cùmque vidiſſet eam vir Dei è contrà, ait ad Giézi pûerum ſuum: Ecce Sunămítis illa; vade ergo in occurſum ejus, & dic ei: Rectène ágitur circa te, & circa virum tuum, & circa fílium tuum? Quæ reſpôndit: Rectè. Cùmque veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendĭt pedes ejus; & acceſſit Giézi ut amovêret eam. Et ait hômo Dei: Dĭmitte illam; ánima enim ejus in amaritúdine eſt, & Dóminus celávit à me, & non indicâvit mihi. Quæ dîxit illi: Numquid petívi fílium à dómino meo? Numquid non dixi tibi: Ne illúdas me? Et ille ait âd Giézi: Accinge lumbos tuos, & tolle báculum meum in manŭ tua, & vade: ſi occúrrerit tibi homo, non ſalútes eum; & ſi ſalutáverit te quíſpiam, non reſpóndeas illi; & pones báculum meum ſuper fâciem púeri. Porrò mater pûeri ait: Vivit Dóminus, & vivĭt ánima tua, non dimîttam te. Sŭrrexit ergo, & ſecûtus eſt eam. Giézi autem præcéſsĕrăt ante eos; & poſúerat báculum ſuper fáciem púeri, & non erat vox, nêque ſenſus. Reverſuſque eſt in ŏccurſum ejus, & nuntiávit êi, dicens: Non ſurrêxit puer. Ingreſſus eſt ergo Eliſæus domum; & ecce puer mórtuus jacébat ĭn léctulo ejus: ingreſſuſque clauſit óſtium ſuper ſe, & ſuper púerum; & orâvit ad Dóminum. Et aſcendit, & incúbuit ſuper púerum; poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & óculos ſuos ſuper óculos ejus, & manus ſuas ſupĕr manus ejus, & incurvávit ſe ſuper eum; & calefacta eſt câro púeri. At ille reverſus, deambulávit in domo ſemel huc atque illuc, & aſcendit & incúbŭĭt ſuper eum; & oſcitávit puer ſépties, aperuîtque óculos. At ille vocávit Giézi, & dîxit ei: Voca Sunamîtidem hanc. Quæ vocáta, ingreſſa êſt ad eum. Quî ait: Tolle fîlium tuum. Venit illa, & córruit ad pedes ejus, & adorávĭt ſuper terram; tulitque fílium ſuum, & egrêſſa eſt. Et Ĕlĭſæus reverſus eſt in Gálgala.

Graduale. Súſcipe me, Dómine, ſecundùm elóquium tuum, & vivam; & non confundas me ab expectatióne mea. ℣. Miſericórdiæ tuæ multæ, Dómine; ſecundùm judícium tuum vivífica me. Pſal. 118.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 7. IN illo témpore; Ibat Jeſus in civitátem quæ vŏcátur Naïm; & ibant cum eo diſcípuli ejus, & turba copiŏſa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defunctus efferebátur fílius únicus matris ſuæ, & hæc vídua erat; & turba civitátis multa cum ĭlla. Quam cùm vĭdiſſet Dóminus, miſericórdia motus ſuper eam, dixit ĭlli: Noli flĕre. Et acceſſit, & tétigit lŏculum. Hi autĕm qui portábant, ſtetĕrunt. Et ăit: Adoleſcĕns, tibi dico, sŭrge. Et reſédit quĭ erat mórtuus, & cœpit lŏqui. Et dedit illum matri sŭæ. Accépit autĕm omnes timor, & magnificábant Deum, dicĕntes. Quia Prophéta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus visĭtăvit plebem ſuam.

Offertorium. Exaltas me, Dómine, de portis mortis; ut annún- Pſal. 9.

tiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

SECRETA.

M. P. CUstódiat, quæsumus, Dómine, hujus sacrifícii virtus, quos tua misericórdia vivíficat; ut erepti à morte peccáti, ad immortalitátis glóriam per vitæ sanctitátem pervéniant; Per.

Psal. 68. *COMMUNIO.* Salus tua, Deus, suscépit me: laudábo nomen Dei cum cántico, & magnificábo eum in laude.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. AUxilientur nobis, Dómine, sumpta mystéria; & quibus per Fílium tuum dedísti vitam speráre post mortem, præsta ut hæc beáta spes consolétur nos in angústiis, & cœléstis glóriæ desidério semper accendat; Per eumdem.

ORATIO SUPER POPULUM. Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕstra Deo.

S. G. DA fidélibus tuis, miséricors Deus, in jejúnii humilitáte prostrátis, ut eis non váleat carnis infírmitas dominári; quia si vis, potes eórum cítiùs miseréri, ut spirituália cogitáre, & concupiscéntias carnis, te adjuvante, víncere mereantur; Per.

Rub. FERIA SEXTA.

In Veneratione

PRETIOSI SANGUINIS CHRISTI.

DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Col. 1. IN Christo complácuit Deo patri, omnem plenitúdinem inhabitáre; & per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ

Psal. 97. in cœlis sunt. *PSALM.* Cantáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit. Glória. In Christo.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui per próprium sánguinem introísti semel in Sancta, æterna redemptióne inventa: concéde, ut pretiósi illíus Sánguinis virtúte mundáti in cœléstia tabernácula admitti mereámur; Qui vivis.

Ubi dicitur unica Missa, fit Commemoratio Feriæ, infrà: & alia omnia observantur quæ suprà notantur, p. 48.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 9. FRatres; Christus assistens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum non manufactum, id est, non hujus creátiónis; neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta æterna redemptióne inventa. Si enim sanguis hircórum & taurórum, & cinis vítulæ aspersus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; quantò magìs sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetipsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviendum Deo viventi? Et ídeò novi testamenti mediátor est; ut morte intercedente, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testamento, repromissiónem accípiant qui vocáti sunt, æternæ hæreditátis.

GRADUALE. Christus semel oblátus est ad multórum exhaurienda peccáta. ℣. Habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum.

Hebr. 9. Eph. 1.

TRACTUS. Impropérium expectávit cor meum, & misériam: & sustínui, qui simul contristarétur, & non fuit: & qui consolarétur, & non invéni. Et dedérunt in escam meam fel, & in siti mea potavérunt me acéto. Quem tu percussísti persecúti sunt, & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Psal. 68.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 26. CŒnántibus diſcípulis accépit Jeſus panem, & benĕdixit, ac fregit, deditque diſcípulis ſuis, & ăit: Accípĭtĕ, & comédite: hoc eſt corpus mĕum. Et accípiens cálĭcĕm grátias egit: & dedit illis dĭcens: Bíbite ex hoc ŏmnes: Hic eſt enim Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effŭndĕtur in remiſſiónem peccatórum.

Dicitur Credo.

Hebr. 10. *Offertorium.* Habentes fidúciam in intróitu Sanctórum in Sánguine Chriſti; & ſacerdótem magnum ſuper domum Dei: accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aſperſi corda à conſciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ.

Secreta.

M. P. ACcedentes ad altáre tuum, offérimus tibi, Dómine, non Sánguinem hircórum aut taurórum, ſed unigéniti fílii tui Sánguinem pretiósum, ſupplíciter deprecantes, ut qui pro ómnibus effúſus eſt, nos à peccatórum máculis emundátos, tuæ reddat acceptos majeſtáti; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

Præfatio de Cruce.

Apoc. 22. *Communio.* Beáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni, ut ſit poteſtas eórum in ligno vitæ.

Postcommunio. Orémus.

M. P. COnſerva in nobis, Dómine, múnera tua, & ne péreat in nobis fructus ſánguinis tui, præſta ut mémores immenſæ caritátis quâ dilexiſti nos, tibi únicè, placére ſtudeámus; Qui vivis.

AD MISSAM DE FERIA.

Ciner.

Introitus.

Pſal. 6. COnvértere, Dómine, & éripe ánimam meam; ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam, quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî. *Psalm.* Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me. Glória. Convértere.

Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. EXaudi nos, Dómine, per contínua jejúnia tuam pro peccatóribus miſericórdiam deprecantes; ut voce tuâ intériùs à morte excitáti, à peccatórum vínculis liberentur; Per.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio lîbri Regum.

3. Reg. 17. IN diébus illis; Ægrotávit fílius mulíeris mătris famílias; & erat languor fortíſſimus, ita ut non remanéret in êo hálitus. Dixit ergo âd Elíam: Quid mihi & tibi, vir Dei? ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitátes meæ, & interfíceres fílium meum? Et ait ad êam Elías: Da mihi fîlium tuum. Tulitque eum dĕ ſinu ejus, & portávit in cœnáculum ubi ipſe manébat, & póſuit ſuper léctulum ſuum, & clamávit ad Dôminum, & dixit: Dómine, Deus meus, étiam ne víduam apud quam ego utcumque ſuſtentŏr, afflixiſti, ut interfíceres fílium ejus? Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper púĕrŭm tribus vícibus, & clamávit ad Dôminum, & ait: Dómĭnĕ Deus meus, revertátur, óbſecro, ánima púeri hujus in vîſcera ejus. Et exaudívit Dómĭnŭs vocem Elíæ; & reverſa eſt ánima púeri intra eum, êt revixit. Tulitque Elías púerum, & depóſuit eum de cœnáculo in inferĭórem domum, & trádidit

matri

matri ſuæ, & âit illi : En vivit fîlius tuus. Dixitque múlier âd Elíam : Nunc in iſto cognóvi quóniam vĭr Dei es tu, & verbum Dómini in orĕ tŭo verum eſt.

Pſal. 87. *Graduale.* Æſtimátus ſum cum deſcendéntibus in lacum ; factus ſum ſicut vulneráti dormientes in ſepulcris. ℣. Vocábis me, Dómine ; & ego reſpondébo tibi : óperi mánuum tuárum pórriges déxteram.

Job. 14.

Tractus. Dómine, non ſecundùm, *&c. ſuprà, pag.* 46.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 11. IN illo témpore ; Erat quidam languens Lázărŭs à Bethánia, de caſtello Maríæ, & Marthæ ſoróris ĕjus. (María autem erat, quæ unxit Dóminum unguento, & exterſit pedes ejus căpillis ſuis ; cujus frater Lázarus infirmabătur.) Miſérunt ergo ſorórĕs ejus ad eum, dicĕntes : Dómine, ecce quem amas, infirmătur. Aúdĭĕns autem Jeſus, dixit ĕis : Infírmitas hæc nŏn eſt ad mortem, ſed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per ĕam. Diligébat autĕm Jeſus Martham, & ſorórem ejus Maríam, & Lăzarum. Ut ergo audívit quia ĭnfirmabátur, tunc quidem manſit in eódem loco duóbus diĕbus. Deinde poſt hæc dixit diſcípulis sŭis : Eámus in Judæam ĭterùm. Dicunt ei diſcĭpuli : Rabbi, nunc quærébant te Judæi lapidáre, & íterùm vadis illuc ? Reſpondit Jesŭs : Nonne duódecim ſunt horæ diéi ? Si quis ambuláverit in die, non offendit, quia lucem hujŭs mundi videt ; ſi autem ambuláverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in ĕo. Hæc ait ; & poſt hæc dixit ĕis : Lázarus amícŭs noſter dormit ; ſed vado ut à ſomno éxcitem ĕum. Dixérunt ergo diſcípuli ĕjus : Dómine, ſi dormit, ſalvus ĕrit. Díxerat autem Jeſus dĕ morte ejus ; illi autem putavérunt, quia de dormitióne ſomni dĭceret. Tunc ergo Jeſus dixit eis manifĕſtè : Lázarus mórtuus eſt ; & gáudeo propter vos, ut credátis, quóniam nŏn eram ibi : ſed eámus ad ĕum. Dixit ergo Thomas, quĭ dícitur Dídimus, ad condiſcĭpulos : Eămus & nos, ut moriámur cum ĕo. Venĭt ítaque Jeſus, & invénit eum quátuor dies jam in monumento habĕntem. Erat autem Bethánia juxtă Jeroſólymam quaſi ſtádiis quĭndecim. Multi autem ex Judæis vénerant ad Marthăm & Maríam, ut conſolarentur eas de fratre sŭo. Martha ergo ut audívit quia Jeſus venit, ŏccurrit illi ; María autem domi ſedĕbat. Dixit ergo Martha ad Jesŭm : Dómine, ſi fuiſſes hìc, frater meus non fŭiſſet mórtuus ; ſed & nunc ſcio, quia quæcumque popóſceris à Deo, dabit tibi Dĕus. Dixit illi Jesŭs : Reſurget frater tŭus. Dixit ei Mărtha : Scio quia reſurget in reſurrectióne in novíſſimo dĭe. Dixit ei Jesŭs : Ego ſum reſurréctio, & vita : qui credit in me, étiam ſi mórtŭŭs fúerit, vivet ; & omnis qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætĕrnum. Credis hoc ? Ait ĭlli : Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Chriſtus Fílĭŭs Dei vivi, qui in hunc mundum venĭſti. Et cŭm hæc dixiſſet, ábiit, & vocávit Maríam ſorórem ſuam ſiléntio, dĭcens : Măgiſter adeſt, & vocat tĕ. Illa ut audívit, ſurgit citò, ĕt venit ad eum : nondum enim vénerat Jeſus in caſtellum ; ſed erat adhuc in illo loco ubi occúrrerat ei Mărtha. Judæi ergo qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam ; cùm vidiſſent Maríam, quia citò ſurrexit & éxiit, sĕcúti ſunt eam, dicentes, quia vadit ad

monumentum ut ploret ĭbi. María ergo, cùm veniſſet ubĭ erat Jeſus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, & dicit ĕi : Dómine ſi fŭiſſes hìc, non eſſet mórtuus frater mĕus. Jeſus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui vénerant cŭm ea, plorantes, infrémuit ſpíritu, & turbávit ſeipſum, & dĭxit : Ubi poſuiſtis eum ? Dicunt ĕi : Dómine, veni & vĭde. Et lacrymátus eſt Jesŭs. Dixérunt ergo Judæi : Ecce quómodo amábat ĕum ! Quidam autem ex ipſis dixĕrunt : Non póterat hic, qui apéruit ócŭlŏs cæci nati, fácere ut & hic non morerétur ? Jeſus ergo rursùm fremens ĭn ſemetipſo, venit ad monumĕntum. Erăt autem ſpelunca ; & lapis ſuperpóſitus erat ĕi. Ait Jesŭs : Tóllite lăpidem. Dicĭt ei Martha, ſoror ejus qui mórtuus fŭerat : Dómine, jam fœtet ; quatriduánus eſt ĕnim. Dicit ei Jesŭs : Nonne dixi tibi, quóniam ſi credíderis, vidébis glóriam Dei ? Tulérunt ergo lăpidem. Jeſus autem, elevátĭs ſursùm óculis, dĭxit : Pater, grátias ago tibi, quóniam ăudiſti me : ego autem ſciébam quia ſemper me audis ; ſed propter pópulum, qui circumſtat, dixi, ut credant quia tu me misĭſti. Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamăvit : Lázare, veni fŏras. Et ſtatim pródiit, qui fúerat mórtuus, ligátus pedes ĕt manus ínſtitis ; & fácies illíus ſudário erat ligăta. Dixit ei Jesŭs : Sólvite eum, & sínite abĭre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Maríam & Martham, & víderant quæ fecit Jĕsŭs, credidérunt in eum.

Eccli. 51. *Offertorium.* Liberaſti me, Dómine, ſecundùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui, de altitúdine ventris ínferi : propterèa confitébor, & laudem dicam tibi.

Secreta.

DEus, cujus Fílius per humilitátem aſſumptæ carnis Lázarum flevit, & per divinitátis poténtiam vitæ réddidit : da nobis hujus ſacrifícii operante virtúte, & à peccáti morte liberári, & æternæ vitæ felicitáti reſtítui ; Per eumdem. S. R.

Communio. Bénedic, ánima mea, Dómino, qui rédimit de intéritu vitam tuam ; qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus. Pſal. 102.

Postcommunio. Orémus.

CÓncéde, quæſumus, Dómine, ut panis vitæ, quem, te donante, ſúmpſimus, adversùs mortíferum peccáti venénum corda noſtra múniat, & nobis júgiter cónferat vitæ ſpiritális incrementum ; Per Dóminum.

Oratio super populum. Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

DEus, humílium conſolátor, & fidélium fortitúdo, propítius adeſto précibus ſupplicántium ; ut humána fragílitas, quæ per ſe proclívis eſt ad labendum, per te ſemper muniátur ad ſtandum ; & quæ per ſe multíplicat offenſam, per te ſempei reparétur ad véniam ; Per. S. R.

SABBATO.

Introitus.

ASpice in me, & miſerére meî, Dómine : fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificatiónes tuas. Pſal. 118.

Psalm. Beáti immaculáti in via ; * qui ámbulant in lege Dómini. Glória. Aſpice. Ibid.

Collecta. Orémus.

COrdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiæ tuæ lucem benignus infunde ; ut, mandatórum tuórum lege perceptâ, te ſequámur, & M. P.

ad lumen æternæ vitæ pervenire mereámur ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

Aliæ Collectæ, ut notantur ſuprà, pag. 48.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 49. HÆc dîcit Dóminus : In témpore plácito exaudívi te, & in die ſalútis auxiliátus ſum tui ; & ſervávi te, & dedi te in fœdus pópuli, ut ſuſcitáres terram, & poſſidéres hæreditátĕs diſſipátas ; ut díceres his qui vincti ſunt, Exíte ; & his qui in ténebris, Rêvelámini. Supĕr vias paſcentur, & in ómnibus planis pâſcua eórum. Non eſúrient, neque sítient, & non percútiet eŏs æſtus & ſol ; quia miſerátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potâbit eos. Et ponam omnes montĕs meos in viam, & ſémitæ meæ exâltabuntur. Ecce iſti dĕ longè vénient, & ecce illi ab aquilóne & mari, & iſti de têrra auſtráli. Laudáte, cœli, & exulta, terra : jubilátĕ, montes, laudem ; quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, & páuperum ſuórum mîſerébitur. Et dîxit Sion : Derĕlíquit me Dóminus, & Dóminus oblîtus eſt mei. Numquid obliviſci poteſt múlier ĭnfantem ſuum, ut non miſereátur fílio úteri ſui ? Et ſi illa ŏblíta fúerit, egŏ tămen non obliviſcar tui.

Pſal. 9. *Graduale.* Tibi, Dómine, derelictus eſt pauper : órphano tu eris adjútor. ℣. Quŏniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Pſal. 85.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 8. IN illo témpore ; Locútus eſt Jeſus Scribis ĕt Phariſæis, dĭcens : Egŏ ſum lux mundi : qui ſéquitur me, non ámbulat in ténebris ; ſed habébit lumen vĭtæ. Dixérunt ergo ei Pharisæi : Tu de teipſo teſtĭmónium pérhibes ; teſtimónium tuum non eſt vĕrum. Rĕſpondit Jeſus, & dixit ĕis : Etſi ego teſtimónium perhíbeo de meipſo, verum eſt teſtĭmónium meum ; quia ſcio unde veni, & quò vado ; vos autem neſcítis unde vénio, aut quò vădo. Vos ſecundùm carnem judicátis : ego non júdico quemquam ; & ſi júdico ego, judícium meŭm verum eſt ; quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Păter. Et in lege veſtră ſcriptum eſt, quia duórum hóminum teſtimónium verum ĕſt. Ego ſum qui teſtimónium perhíbĕŏ de de meipſo, & teſtimónium pérhibet de me qui miſit me Păter. Dicébant ergo ĕi : Ubi eſt Pater tuus ? Reſpondit Jesŭs : Neque me ſcitis, nequĕ Patrem meum ; ſi me ſcirétis, fórſitan & Patrem meum ſcirĕtis. Hæc verba locútus eſt Jeſus in găzophylácio, docens in tĕmplo. Et nemo apprĕhendit eum ; quia necdŭm vĕnerat hora ejus.

Pſal. 42. *Offertorium.* Emitte lucem tuam, Deus, & veritátem tuam : ipſa me deduxérunt, & adduxérunt in tabernácula tua ; & introíbo ad altáre Dei.

Secreta.

S. G. DEus omnípotens, Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, te ſúpplices deprecámur hujus oblatiónis mérito, ut nos in fide tui nóminis róbores per ſpei perſeverántiam, & caritátis excelléntiam ; quátenus ſemper in bono perſeverantes, te pio ſenſu intellígere, & mundo corde vidére poſsímus ; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs.

Pſal. 88. *Communio.* Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die ; quóniam glória virtútis eórum tu es.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DOmine Jeſu, lux indefíciens, qui de cœlo deſcendiſti, ut mundum ab ignorántiæ ténebris liberáres: da nobis per hæc myſtéria illumináto óculos cordis; ut & viam vitæ cognóſcere, & in ea ſine offenſióne incédere valeámus; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

ORATIO SUPER POPULUM. Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

M. P. OMnípotens, ſempiterne Deus, famulórum tuórum ſupplicatiónes clementer ſúſcipe ut qui pópuli tui mala ſemper prævenis miſerando, ipſum fácias tibi plácitum, & piis actiónibus, & jejúniis ſalúbribus expiando; Per Dóminum.

Niger cum oris rubeis.

DOMINICA IN PASSIONE.

Ab hac die uſque ad Feriam quintam in Cœna Domini incluſivè, in Miſſis de tempore non dicitur Pſalmus Júdica me, *ante Confeſſionem; neque* Glória Patri, *ad Introitum, nec ad* Lavábo.

INTROITUS.

Pſal. 42. JUdica me, Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: ab hómine iníquo & dolóſo érue me; quia tu es, Deus,

Ibid. fortitúdo mea. *PSALM.* Emitte lucem tuam, & veritátem tuam: * ipſa me deduxérunt, & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua. Judica me.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui per Unigénitum tuum, paſſum & humiliátum uſque ad mortem, antíqui hoſtis contriviſti ſupérbiam: da nobis fidélibus tuis, & quæ ipſe propter nos pértulit, dignè recólere; & adverſa ómnia ejus exemplo patienter toleráre; Qui tecum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 9. FRatres; Chriſtus aſſiſtens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum non manufactum, id eſt, non hujus creátiónis; neque per ſánguinem hircórum, aut vitulórum, ſed per próprium ſánguinem introívit ſemel in Sancta, æterna redemptiône inventa. Si enim ſanguis hircórum & taurórum, & cinis vítulæ aſperſus, inquinátos ſanctíficat ad emundatiónem carnis; quantò magìs ſanguis Chriſti, qui per Spíritum ſanctum ſemetipſum óbtulit immaculátum Deo, emundábit conſciéntiam noſtram ab opéribus mórtuis, ad ſerviendum Deo viventi? Et ídeò novi teſtamenti mediátor eſt; ut morte intercedente, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant ſub prióri teſtamento, repromiſſiónem accípiant, qui vocáti ſunt, æternæ hæreditátis.

Pſal. 68. *GRADUALE.* Propter te, Dómine, ſuſtínui oppróbrium: opéruit confúſio fáciem meam; extráneus factus ſum frátribus meis. ℣. Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Pſal. 128. *TRACTUS.* Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea, dicat nunc Iſrael. Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; étenim non potuérunt mihi. Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres, prolongavérunt iniquitátem ſuam. Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 8. IN illo témpore; Dicébat Jeſus turbis Judæórum: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátĕm

dico

dico vobis, quare non créditis mihi? Qui ex Deo eſt, verbă Dei audit: proptéreà vos non audítis, quia ex Deo non ĕſtis. Reſpondérŭnt ergo Judæi, & dixérunt ĕi: Nonne benè dícimus nos quia Samarĭtánus es tu, & dæmónium habes? Reſpondit Jesŭs: Ego dæmónium non hábeo; ſed honorífico Patrem meum, & vos inhonoraſtis mĕ. Ego autem non quærŏ glóriam meam: eſt qui quærat, & jŭdicet. Amen, ămen dico vobis; ſi quis ſermónem meum ſerváverit, mortem non vidébit in ætĕrnum. Dixérunt ergo Judæi: Nunc cognóvimus quia dæmónium hăbes. Abraham mórtuus eſt, & prophétæ; & tu dicis, Si quis ſermónem meum ſerváverit, non guſtábit mortĕm in æternum: numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui mórtuus eſt, & prophétæ mórtui sŭnt. Quem teipſum facis? Reſpondit Jesŭs: Si ego glorífico meipſum, glória meă nihil eſt: eſt Pater meus qui glorificat me, quem vos dícitis quia Deus veſter eſt; & non cognoviſtis eum, ego autem novi eum: & ſi díxero quia non ſcio eum, ero símilis vobis, mendax; ſed ſcio eum, & ſermónem ejus sĕrvo. Abraham pater veſter exultávit ut vidérĕt diem meum; vidit, & gavísus ĕſt. Dixérunt ergo Judæi ad ĕum: Quinquaginta annŏs nondum habes, & Abraham vidiſti? Dixit eis Jesŭs: Amen, ămen dico vobis, ántequàm Abraham fíeret, ego sŭm. Tulérunt ergo lápides, ŭt jácerent in eum: Jeſus autem abſcondĭt sĕ, & exívit de templo.

Dicitur Credo.

1. Petr. 1. *Offertorium.* Non corruptibílibus auro vel argento redempti eſtis; ſed pretióſo ſánguine quaſi agni immaculáti Chriſti, & incontamináti.

Secreta.

Deſcendat, precámur, omnípotens Deus, ſuper hæc quæ tibi offérimus, Verbum tuum ſanctum: deſcendat inæſtimábilis glóriæ tuæ Spíritus; ut fiat oblátio noſtra hóſtia ſalutáris, in odórem ſuavitátis accepta: & nos fámulos tuos, per ſánguinem Chriſti, tua manus déxtera invicta cuſtódiat; Per eumdem .... in unitáte ejuſdem. S. C.

Præfatio de Cruce, uſque ad Feriam V. in Cœna Domini excluſivè, etiam in Miſſa de Feſto, niſi propriam habuerit.

Communio. Si ſanguis hircórum & taurórum inquinátos ſanctíficat ad emundatiónem carnis; quantò magìs ſanguis Chriſti emundábit conſciéntiam noſtram ab opéribus mórtuis, ad ſerviendum Deo viventi? Hebr. 9.

Postcommunio. Orémus.

Sacro-ſancti córporis & ſánguinis Dómini noſtri Jeſu Chriſti refectióne vegetáti, ſúpplices te rogámus, omnípotens Deus, ut hoc remédio ſingulári ab ómnium peccatórum nos contagióne purífices, & à periculórum múnias incurſióne cunctórum; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit. S. R.

FERIA SECUNDA.

Introitus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum, quando véniam & apparébo ante fáciem Dei? Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, dum dícitur mihi quotídie, Ubi eſt Deus tuus? *Pſalm.* Quemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum; * ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívit. *Niger. cum oris rubeis* Pſal. 41. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. IMplorámus in jejúnio, Dómine, misericórdiam tuam; ut te, qui fons bonitátis es, toto desidério sitientes, caritátis tuæ abundántiâ repleámur; Per.

Tempore Passionis unica dicitur Collecta. Si autem occurrat Festum simplex, aut semiduplex, de eo fit Commemoratio usque ad Feriam iv. *majoris Hebdomadæ inclusivè, exceptâ Dominicâ Palmarum.*

Léctio Jônæ Prophétæ.

Cap. 3. IN diébus illis; Factum est verbum Dómini ad Jonam secúndò, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem magnam; & prædica in ea prædicatiónem, quam ego lôquor ad te. Et súrrexit Jonas, & ábiit in Níniven juxta vêrbum Dómini. Et Nínive erat cívitas magna, itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi unius; & clamâvit, & dixit: Adhuc quadrăginta dies, & Nínive sûbvertétur. Et credidérunt viri Ninivitæ in Deum; & prædicavérunt jejúnium, & vestíti sunt saccis à majóre usque âd minórem. Et pervénit verbum ad regĕm Nínive; & surrexit de sólio suo, & abjécit vestimentum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. Et clamávit, & dixit in Nínive ex ore regis, & príncipum êjus, dicens: Hómines, & jumenta, & boves, & pécora non gustent quidquam; nec pascantur; et aquam non bibant: & operiantur saccis hómines, & jumenta; & clament ad Dóminum in fortitúdine: & convertátur vir à via sua mala, & ab iniquitáte quæ est in mânibus eórum. Quis scit si convertátur & ignoscat Deus, & revertátur à furóre iræ suæ; & non perîbimus? Et vidit Deus ópera eórum, quia conversi sunt de viâ sua mala; & misertus est Deus super malítiam quam locútus fúerat ut fácĕrĕt ĕis, & non fecit.

Graduale. Convertímini ad me, & convertar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. ℣. Converte nos, Dómine, ad te, & convertémur. Zach. 1. Thre. 5.

Tractus. Dómine, non secundùm, *&c. ut suprà*, 46.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 7. IN illo témpore; Misérunt príncipes & Pharísæi ministros, ut apprehénderent Jesŭm. Dixit ergo eis Jesŭs: Adhuc módicum tempus vobíscum sum, & vado ad eŭm qui me misit: quærétis me, & non inveniétis; & ubi ego sum, vos non potestis venĭre. Dixérunt ergo Judæi ad semetĭpsos: Quò hic ĭtúrus est, quia non inveniémus eum? Numquid in dispersiónem géntium ĭtúrus est, & doctúrus gentes? Quis est hĭc sermo quem dixit: Quærétis me, & non inveniétis; & ubi sum ego, vos non potestis veníre? In novíssimo autem die magno festivitátĭs stabat Jesus, & clamábat, dĭcens: Si quis sitit, véniat ăd me, & bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptúra, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vĭvæ. Hoc autem dixit de Spíritu quem acceptúri erant crĕdentes in eum: nondum enim erat Spíritus datus, quia Jesus nondŭm ĕrat glorificátus.

Offertorium. Deus meus, sitívit in te ánima mea: quàm multipliciter tibi caro mea in terra desérta, & ínvia, & inaquósa! Sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. Psal. 62.

Secreta.

S. R. OMnípotens sempiterne Deus, qui non sacrificiórum ambitióne placáris, sed stúdio piæ devotiónis intendis: da fámulis tuis spíritum

rectum, da habére cor mundum; ut fides eórum hæc dona tibi concíliet, & humílitas, obláta commendet; Per Dóminum noſtrum.

Pſal. 22. *COMMUNIO.* Dóminus regit me, & nihil mihi déerit: in loco páſcuæ ibi me collocávit: ſuper aquam refectiónis educávit me.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. REpléti ſumus, Dómine, donórum participatióne cœléſtium: præſta, quæſumus, ut éadem & ſumámus júgiter, & inceſſabíliter eſuriámus; Per Dóminum noſtrum.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

M. P. CLamántium ad te, quæſumus, Dómine, preces dignanter exaudi; ut ſicut Ninivítis in afflictióne póſitis pepercíſti, ita & pópulo tuo in præſenti tribulatióne ſuccurras; Per.

FERIA TERTIA.

Niger cum oris rub. *INTROITUS.*

Pſal. 24. REſpice, Dómine, inimícos meos; quóniam multiplicáti ſunt, & ódio iníquo odérunt me. Cuſtódi ánimam meam, & érue me: non erubeſcam, quóniam ſperávi in te. Ibid. *PSALM.* Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubeſcam. Réſpice.

COLLECTA. Orémus.

S. R. AUxiliáre, Dómine, pópulo tuo; ut ſacræ devotiónis proficiens incrementis, & tuo ſemper múnere gubernétur; & ad redemptiónis æternæ pertíneat, te ducente, conſórtium; Per Dóminum.

Léctio Daniêlis Prophétæ.

Cap. 14. IN dĭébus illis: Babylónii congregáti adversùm rêgem, dixérunt: Judæŭs factus eſt rex: Bel deſtruxit, dracónem interfécit, & ſacerdôtes occídit. Et dixérunt cùm venîſſent ad regem: Trade nobĭs Daniélem; alióquin interficiémus te & dômum tuam. Vidit ergo rex quòd irrúerent in eŭm vehementer, & neceſſitáte compulſus trádidit eis Dâniélem. Qui miſérunt eum ĭn lacum leónum; & erat ibi diêbus ſex. Porrò in lacu erant leónes ſeptem, & dabantur eis duo córpora quotídie, ĕt duæ oves: & tunc non data ſunt eis, ut devorárent Dâniélem. Erat autem Hábacuc prophéta in Judæa, & ipſe cóxerat pulmentum, & intríverat panĕs in alvéolo; & ibat in campum ut fĕrret meſſóribus. Dixitque Angelus Dómini ad Hâbacuc; Fer prándium quod habes, in Babylónĕm Daniéli, qui eſt in lâcu leónum. Et dixit Hâbacuc: Dómine, Babylónem non vidi, & lâcum néſcio. Et apprehendit eum Angelus Dómini in vértice ejus, & portávit eum capíllŏ cápitis ſui, poſuitque eum in Babylóne ſupra lacum in ímpetu ſpîritus ſui. Et clamávit Hábacûc, dicens: Dánĭel, ſerve Dei; tolle prándium quod miſit tîbi Deus. Et ait Dâniel: Recordátŭs es mei, Deus, & non dereliquiſti diligêntes te. Surgenſque Dánĭêl comédit. Porrŏ Angelus Dómini reſtítuit Hábacuc confeſtim in lôco ſuo. Venit ergo rex die ſéptimo, ut lugérĕt Daniélem: & venit ad lacum, & introſpexit, & ecce Dániel ſedens in mêdio leónum. Et exclamávit voce mâgna rex, dicens: Magnus es, Dómine Deus Dâniélis. Et ĕxtraxit eum de lâcu leónum. Porrò illos qui perditiónis ejus cauſa fúerant, intrŏmiſit in lacum; & devoráti ſunt in momento côram eo. Tûnc rex ait: Páveant omnes habitantes in univerſa terra Deum Daniélis; quia ipſe eſt ſalvátor, fáciens ſigna & mirăbília in terra, qui liberávit Danĭĕlem de lacu leónum.

Psal. 40. *GRADUALE.* In hoc cognóvi, Dómine, quóniam voluísti me; quóniam non gaudébit inimícus meus super me. ℣. Me autem propter innocéntiam suscepísti, & confirmásti me in conspéctu tuo in æternum.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 7. IN illo témpore; Ambulábat Jesus in Galilæam; non enim volébat in Judæam ambuláre, quia quærebant eum Judæi interfícere. Erat autem in próximo dies festus Judæórum, Scenopégia. Dixérunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discípuli tui vídeant ópera tua quæ fácis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse: si hæc facis, manifésta teipsum múndo. Neque enim fratres ejus credébant in eum. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advénit; tempus autem vestrum semper est parátum. Non potest mundus ódisse vos; me autem odit, quia ego testimónium perhíbeo de illo quòd ópera ejus mala sunt. Vos ascéndite ad diem festum hunc: ego autem non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondum implétum est. Hæc cùm dixísset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascendérunt fratres ejus; tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occúlto. Judæi ergo quærébant eum in die festo, & dicébant: Ubi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicébant: quia Bonus est. Alii autem dicébant: Non; sed sedúcit turbas. Nemo tamen palàm loquebátur de illo, propter metum Judæórum.

Psal. 37. *OFFERTORIUM.* Amíci mei & próximi mei adversum me appropinquavérunt & stetérunt; & qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes. In te, Dómine, sperávi; tu exáudies me, Dómine Deus meus.

SECRETA.

FAmíliæ tuæ, quæsumus, Dómine, réspice tibi débitam in hâc oblatióne servitútem; ut inter humánæ fragilitátis incerta, nullis adversitátibus opprimátur, quæ de tua protectióne confídit; Per. S. R.

COMMUNIO. In Deo salutáre meum & glória mea: Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. Psal. 61.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

CUstódi intra nos, Dómine, grátiæ tuæ munus; ut contra præsentis séculi mala, sacramenti quod súmpsimus, virtúte muniámur; Per. S. G.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápita vestra Deo.

SUscipe, miséricors Dómine, súpplicum preces, & secundùm multitúdinem indulgentiárum tuárum fámulos absólve peccátis; ut ad ómnia pietátis ópera, te parcente, reparéntur; & quos vénia féceris innocentes, auxílio fácias efficáces; Per. S. R.

FERIA QUARTA. Cinerum oris rub.

INTROITUS.

LIberátor meus de inimícis meis iracundis; ab insurgéntibu sin me exaltábis me, à viro iníquo erípies me, Dómine. *PSALM.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Liberátor. Psal. 17. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

SAnctificáto hoc jejúnio, Deus, tuórum corda fidélium miserátor illustra: & quibus devotiónis præstas affectum, præbe supplicántibus pium benignus audítum; Per. M. A.

Léctio

Léctio lîbri Levítici.

Cap. 19. IN diébus illis; Locútus est Dóminus ad Môysen, dicens: Lóquere ad omnem cœtum filiórum Israel, & dices ad eos: Ego Dóminus Dêus vester. Non faciêtis furtum. Nŏn mentiémini, nec decípiet unusquisque prôximum suum. Non perjurábis ĭn nómine meo, nec póllues nomen Dêi tui. Ego Dóminus. Non fácies calúmnĭăm próximo tuo, nec vi ôpprimes eum. Non morábitur opus mercenárii tuĭ apud te ûsque manè. Non maledíces surdo, nec coram cæco ponĕs offendículum; sed timébis Dóminum Deum tuum, quia êgo sum Dóminus. Non fácies quod ĭníquum est, nec injustè jûdicábis. Non consíderes pĕrsónam páuperis, nec honóres vûltum potentis. Justè júdica prôximo tuo. Non erĭs criminátor, nec susûrro in pópulo. Non stabis contra sánguinem prôximi tui. Ego Dóminus. Non óderis fratrem tuum ĭn corde tuo; sed públicè árgue eum, ne hábeas super îllo peccátum. Non quærăs ultiónem; nec memor eris injúriæ cîvium tuórum. Díligĕs ámicum tuum sîcut teipsum. Ego Dóminus. Legĕs mĕas custodíte.

Psal. 118. *GRADUALE.* Gressus meos dírige, Dómine, secundùm elóquium tuum; & non dominétur meî omnis injustítia. ℣. Declináte à me maligni, & scrutábor mandáta Dei mei.

TRACTUS. Dómine, non secundùm, *suprà*, *pag.* 46.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 10. IN illo témpore; Facta sunt Encænia ĭn Jerosólymis; & hyems ĕrat. Et ambulábat Jĕsus in templo, in pórticu Salomŏnis. Circumdedérunt ergŏ eum Judæi, & dicébant ĕi: Quousque ánimam nostram tollis? Si tŭ es Christus, dic nobis pălàm. Respondit eis Jesŭs: Loquor vobis, & non créditis; ópera, quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónĭŭm pérhibent de me: sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus mĕis. Oves meæ vocem meam áudiunt; & ego cognósco eas, & sĕquuntur me; & ego vitam ætérnam do eis, & non períbunt in ætérnum, & non rápiet eas quisquam de manu mĕa. Pater meus quod dedit mihi, majŭs ómnibus est; & nemo potest rápere de manu Patris mĕi. Ego & Pater unum sŭmus. Sustulérunt ergŏ lápides Judæi, ut lapidárent ĕum. Respondit eis Jesŭs: Multa bona ópera ostendi vobis ĕx Patre meo; propter quod eórum opus me lapidátis? Respondérunt ei Judæi: De bono ópere non lapidámus te, sĕd de basphémia; & quia tu, homo cùm sis, facis teipsum Dĕum. Respondit eis Jesŭs: Nonne scriptum est ĭn lege vestra; quia Ego dixi: Dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potĕst solvi Scriptúra; quem Pater sanctificávit, & misit in mundum, vos dícitis, quia blasphémas; quia dixi, Fílius Dei sum? Si non fácio ópĕră Patris mei, nolíte crédere mĭhi. Si autem fácio, & si mihi non vultis crédere, ŏpéribus crédite; ut cognoscátis & credátis quia Pater in me est, & ego in Pătre. Quærébant ergo eŭm apprehéndere; & ĕxĭvit de mánibus eórum.

OFFERTORIUM. Non erunt ultrà greges mei in rapínam, dicit Dóminus; neque béstiæ terræ devorábunt eos; sed habitábunt confidenter; & scient quia ego Dóminus Deus eórum cum eis. Ezec. 34.

SECRETA.

SUscipe, Dómine, preces & oblatiónes nostras, & muro inexpugnábili sanctum tuum ovile circumda, M. P.

ut oves tuæ ab omni bestiárum incursu defensæ, in páscua cœléstia deducantur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Psal. 78. *COMMUNIO.* Nos pópulus tuus, Dómine, & oves páscuæ tuæ, confitébimur tibi in séculum: in generatiónem & generatiónem annuntiábimus laudem tuam.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. FAmíliam tuam, Dómine, pretióso cibo nutrítam propítius réspice; ut, te largiente, regátur in córpore; &, te servante, custodiátur in mente; Per Dóminum.

ORATIO SUPER POPULUM. Orémus.

Humiliáte cápĭtă vēstra Deo.

S. R. DEus, qui misericórdiæ jánuam in te sperántibus patére voluisti: réspice in plebem tuam, ejusque miserére; ut quæ voluntátis tuæ viam, te donante, séquitur, à vitæ sémitis mereátur numquam deviáre; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

Niger cum oris rub. *INTROITUS.*

Psal. 50. INiquitátem meam, Dómine, ego cognósco, & peccátum meum contra me est semper; averte fáciem tuam à peccátis meis, & omnes

Ibid. iniquitátes meas dele. *PSALM.* Miserére meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam. Iniquitátem meam.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui multùm diligéntibus, multa peccáta remittis: infunde córdibus nostris tui amóris affectum; ut ab ómnibus peccátis nostris tuâ misericórdiâ liberémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

Léctio Daniêlis Prophétæ.

Cap. 3. IN diébus illis; Stans Azárias ŏrávit sic; aperiensque os suum in médio îgnis, ait: Ne, quæsumus, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum, & ne dissípes testamentum tuum; neque áuferas misericórdiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum; quibus locútus es, póllicens quòd multiplicáres semen eórum sicut stellas cœli, & sicut arénam quæ est ĭn líttore maris; quia, Dómine, imminúti sumus plus quàm omnes gentes, sumusque húmiles in universa terra hódiè propter peccâta nostra. Et non est in témpore hoc princeps, & dux, & prophéta, neque holocaustum, neque sacrifícium, neque oblátio, neque incensum, neque locus primitiárum coram te, ut possímus invenire misericórdiam tuam: sed in ánimo contrito, & spíritu humilitátis suscîpiámur. Sicut in holocausto aríetum & taurórum, & sicut in míllibus agnórum pínguium; sic fiat sacrifícium nostrum in conspectu tuo hódiè, ŭt pláceat tibi: quóniam non est confúsio confidêntibus in te. Et nunc séquimur te ĭn toto corde, & timémus te, & quærimus fâciem tuam. Ne cŏnfundas nos: sed fac nobiscum juxta mansuetúdinem tuam, & secundùm multitúdinem misericôrdiæ tuæ. Et érue nos in mirăbílibus tuis, & da glóriam nómini tûo, Dómine. Et confŭndantur omnes qui ostendunt servis tûis mala. Confundantur in omnipŏténtia tua, & robur eórum cônterátur. Et sciant quia tu es Dómĭnŭs Deus solus, & gloriŏ̆sus super orbem terrárum.

Eccli. 17. *GRADUALE.* Quàm magna misericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad se! ℣. Pœnitenti-

bus dedit viam juſtítiæ , & deſtinávit illis ſortem veritátis.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 7. IN illo témpore ; Rogábat Jeſum quidam dĕ Phariſæis , ut manducáret cum ĭllo. Et ingreſſus domŭm Phariſæi , diſcŭbuit. Et ecce múlier , quæ erat in civitáte peccátrix , ut cognóvit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi , áttulit alăbaſtrum unguenti ; & ſtans retrò ſecùs pedes ejus , lácrymis cœpit rigáre pedes ejus , & capillis cápitis ſui tergébat , & oſculabátur pedes ejus , & unguento ungĕbat. Videns autem Phariſæus qui vocáverat eum , aĭt intra ſe , dĭcens : Hic ſi eſſet prophéta , ſciret útique quæ & qualis eſt múlier , qŭæ tangit eum ; quia peccátrix ĕſt. Et rĕſpondens Jeſus , dixit ad ĭllum : Simon , hábeo tibi áliquid dĭcere. At ille ăit : Magiſter , dĭc. Duo debitóres erant cuídam fœneratóri ; unus debébat denários quingentos , & álius quinquagĭnta. Non habéntibus illis unde rédderent , dŏnávit utriſque ; quis ergo eum plus díligit ? Rĕſpondens Simon , dĭxit : Æſtimo , quia is cui plus donăvit. At ille dixit ĕi : Rectè judicăſti. Et conversŭs ad mulíerem , dixit Simŏni : Vides hanc mulíerem ? Intrávi in domum tuam , aquam pédibus meĭs non dediſti ; hæc autem lácrymis rigávit pedes meos , & capillis ſuis tĕrſit. Oſculum mihĭ non dediſti ; hæc autem , ex quo intrávit , non ceſſăvit oſculári pedes mĕos. Oleo caput meŭm non unxiſti ; hæc autem unguento unxit pedes mĕos. Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccáta multa , quóniam dĭlexit multùm : cui autem minus dimíttitur , minus dĭligit. Dixit autem ad ĭllam : Remittuntur tibi peccăta. Et cœpérunt , qui ſimul accumbébant , dícĕrĕ intra ſe : Quis eſt hic , qui étiam peccáta dimittit ? Dixit autem ad mulĭerem : Fides tua te ſalvăm fĕcit ; vade in pace.

Offertorium. Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitúdine mali , & incédit curva , & infirma , & óculi deficientes , & ánima eſúriens dat tibi glóriam & juſtítiam Dómino. Baruc. 2.

Secreta.

PLacáre , Dómine , humilitátis noſtræ précibus & hóſtiis , & infunde córdibus noſtris ſpíritum pœniténtiæ ſalutáris ; ut peccatórum máculæ , quas cupiditáte decepti contráximus , caritátis flétibus & opéribus eluantur ; Per Dóminum. M. P.

Communio. Diléxi , quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ ; quia inclinávit aurem ſuam mihi , & in diébus meis invocábo. Pſal. 114.

Postcommunio. Orémus.

PEr hoc Sacramentum amóris tui , Dómine , creſcat ſemper in nobis pœniténtiæ dolor , & noſtra tecum reconciliátio ſolidétur ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum , qui tecum. M. P.

Oratio super populum.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

DEus , qui non ſolùm peccántibus véniam tríbuis , ſed étiam præmia pœniténtibus impertíris : da ut pópulus tuus ad tuæ majeſtátis cultum , & ſálubri timóre diſponátur , & ſancto amóre perducátur ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum , qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus. S. R.

Alb.

FERIA SEXTA
In Compassione BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.
Duplex-Majus.

In hac Missa non dicitur Psalmus Júdica, *nec* Glória Patri *ad* Lavábo.

Introitus.

Psal. 87. REpléta est malis ánima mea: omnes fluctus tuos induxísti super me: clamávi ad te, Dómine, totâ die; expandi ad te manus meas. Ibid. *Psalm.* Dómine, Deus salútis meæ, * in die clamávi, & nocte coram te. *Non dicitur* Glória Patri; *sed repetitur* Repléta est.

Non dicitur Glória in excelsis.

Collecta. Orémus.

M. P. DA, quæsumus, Dómine, córdibus nostris íntimum veræ pietátis affectum; ut in tui Fílii passióne, sanctíssimæ matri ejus dignè compatientes, salutáris mystérii fructum percípere mereámur; Per.

Ubi dicitur unica Missa, fit Commemoratio Feriæ, infrà: & alia omnia observantur quæ suprà notantur, p. 48.

Léctio Jerémiæ Prophétæ.

Thre. 1. VIde, Dómine, quóniam tríbulor; conturbátus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quóniam amaritúdine plêna sum. Foris intérficit gládius, & domi mors símilis est. Audiérunt quia ingémisco ego, & non est qui consolêtur me. Omnes inimíci mei audiérunt malum meum: lætáti sunt, quóniam tû fecísti. Adduxísti diem consolatiónis, ét fient símiles mei.

Ibid. *Graduale.* O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, & vidéte si est dolor sicut dolor meus. ℣. Posuit me Dóminus desolátam, totâ die mœróre confectam.

Tractus. Usquequò, Dómine, oblivísceris me in finem? úsquequò avertis fáciem tuam à me? Quámdiù ponam consília in ánima mea, dolórem in corde meo per diem? Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? Réspice & exaudi me, Dómine Deus meus. Psal. 12.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

IN illo témpore; Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, & soror matris ejus Mária Cléophæ, & María Magdaléne. Cùm vidísset ergo Jesus matrem, & discípulum stantem quem diligébat, dicit matri súæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Cap. 19.

Dicitur Credo.

Offertorium. Benedixit illis Símeon, & dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam, & in resurrectiónem multórum in Israel, & in signum cui contradicétur: & tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius. Luc. 2.

Secreta.

COmmendet tibi, quæsumus, Dómine, sacrifícium nostrum beátæ Vírginis Maríæ intercéssio; quæ juxta crucem tibi hóstiam óbtulit unigénitum Fílium tuum; Qui tecum. M. P.

Præfatio de Beata Maria. Et te in Compassióne.

Communio. Dum turbábitur terra, Deus in médio ejus non commovébitur. Psal. 45.

Postcommunio. Orémus.

FAc nos, quæsumus, Dómine, tuis semper dignos esse munéribus, intercedente beátâ Vírgine genitríce tuâ, quam móriens in cruce nobis matrem providísti; Qui vivis. M. P.

Benedicámus Dómino.

AD

AD MISSAM DE FERIA.

Niger cum oris rub.

Introitus.

Pſal. 24. VIde, Dómine, humilitátem meam & labórem meum: réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt, & ódio iníquo Ibid. odérunt me. *Psalm.* Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubeſcam. Vide.

Collecta. Orémus.

M. P. TUæ nos, Dómine, grátiâ pietátis illuſtra; ut ſemper in regendis áctibus & móribus potióra probantes, & quod nocet fúgere, & quod prodeſt elígere, te inſpirante, poſsímus; Per.

Léctio Jeremîæ Prophétæ.

Cap. 17. IN diébus illis: Dixit Jêremías: Dómine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra ſcribentur; quóniam dereliquérunt venam aquárum vivêntium Dóminum. Sana me, Dómine, & ſanábor: ſalvum me fac, et ſalvus ero; quóniam laus mêa tu es. Ecce ipſi dîcunt ad me: Ubi eſt verbum Dómini? véniat. Et ego non ſum turbátus, te păſtórem ſequens; & diem hóminis non deſiderâvi, tu ſcis. Quod egreſſum eſt dĕ lábiis meis, rectum in conſpectu tûo fuit. Non ſis tŭ mihi formídini, ſpes mea tu in die afflictiónis. Confundantur qui me perſequuntur, & non cŏnfundar ego: páveant illi, & non pâveam ego. Induc ſuper eos diem ăfflictiónis, & dúplici contritiŏne cóntere eos.

Pſal. 30. *Graduale.* In eo dum convenírent ſimul adversùm me, accípere Pſal. 34. ánimam meam conſiliáti ſunt. ℣. Vidiſti, Dómine, ne síleas: Dómine, ne diſcédas à me.

Tractus. Dómine, non ſecundùm. *ſuprà*, 46.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 11. IN illo témpore; Collegérunt Pontífices & Phariſæi concílium ădversùs Jeſum, & dicĕbant: Quid fácimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimíttimus eum ſic, omnĕs credent in eum; & vénient Románi, & tollent noſtrum locum & gĕntem. Unus autem ex ipsĭs Cáiphas nómine, cùm eſſet Póntifex anni illíus, dixit ĕis: Vos neſcítis quidquam, nec cogitátis quia éxpedit vobis ut unus moriátŭr homo pro pópulo, & non tota gens pĕreat. Hoc autem à ſemĕtipſo non dixit: ſed cùm eſſet Póntifex anni illíus, prophetávit quòd Jeſus moritúrus erat pro gente; & non tantùm pro gente, ſed ut fílios Dei, qui erant diſperſi, congregáret in ŭnum. Ab illŏ ergo die cogitavérunt ut interfícerent ĕum. Jeſus ergo jam non in palàm ambulábat apud Judæos; ſed ábiit in regiónem juxta deſertum, in civitátem quæ dícitur Ephrem; & ibi morăbătur cum diſcípulis ſuis.

Pſal. 70. *Offertorium.* Deus, ne elongéris à me: Deus meus, in auxílium meum réſpice. Ego ſemper ſperábo, & adjíciam ſuper omnem laudem tuam.

Secreta.

S. R. MIſéricors & miſerátor Dómine, qui nos parcendo ſuſtentas, & ignoſcendo ſanctíficas: da véniam peccátis noſtris, & Sacramentis cœléſtibus ſervientes ab omni culpa líberos eſſe concéde; Per Dóminum.

Pſal. 34. *Communio.* Anima mea exultábit in Dómino, & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Postcommunio. Orémus.

M. P. PRæbeant nobis, Dómine, divínum tua ſancta fervórem; quò eórum páriter & actu delectémur, & fructu; Per Dóminum.

Oratio super Populum.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕstra Deo.

S. R. MIserére, Dómine, deprecantis Eccléſiæ tuæ; & inclinántibus tibi ſua corda propitiátus intende; ut quos Unigéniti Fílii tui morte redemiſti, nec peccátis fieri permittas obnóxios, nec ópprimi patiáris adverſis; Per eumdem.

Niger cum oris rub.

SABBATO.

Introitus.

Pſal. 30. MIserére meî, Dómine, quóniam tríbulor; líbera me, & éripe me de mánibus inimicórum meórum, & à perſequéntibus me: Dómine, non confundar, quóniam invocávi te. *Psalm.* In te, Dómine, ſperávi; non confundar in æternum: * in juſtítia tua líbera me. Miſerére.

Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. OMnípotens ſempiterne Deus, cleméntiam tuam ſupplíciter exorámus, ut ſalutáribus jejúniis caſtigáti, & bonórum óperum exercitatióne mundáti, ad celebrandum Paſchále myſtérium, dignis ſénſibus accedámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Léctio Jeremîæ Prophétæ.

Cap. 18. IN diébus illis; Dixérunt habitatóres Jerûſalem: Veníte, & cogitémus contra Jeremíam cogitatiónes; non enim períbit lex à ſacerdóte, neque consílium à ſapiente, nec ſermŏ à prophéta: veníte, & percutiámus eum lingua, & non attendámus ad univerſos ſermónes ejus. Attendĕ, Dómine, ad me, & audi vocem adverſariórum meórum. Numquid rédditur prŏ bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? Recordáre quòd ſtéterim in cŏnſpectu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & avérterem indignatiónem tûam ab eis. Proptéreà da fílios eórum in famem, & deduc eos in manus gládii: fiant uxóres eórum abſque líberis, & víduæ; & viri eárum interficĭantur morte: júvenes eórum confodiantur glâdio in prælio. Audiátur clamor de dómibus eórum: addúces enim ſuper eos lătrónem repentè; quia fodérunt fóveam ut cáperent me, & láqueos abſcondérunt pêdibus meis. Tu autem, Dómine, ſcis omne consílium eórum adversùm me in mortem: ne propitiéris iniquitáti eórum, & peccátum eórum à fácie tua nŏn deleátur: fiant corruentes in conſpectu tuo; in témpore furóris tŭi abútere eis.

Graduale. Ego in flagella parátus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. ℣. Inimíci autem mei vivunt & confirmáti ſunt ſuper me; ne derelinquas me, Dómine Deus meus. Pſal. 37.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 12. IN illo témpore; Cogitavérunt príncipes ſacerdótum, ut & Lázărŭm interfícerent: quia multi propter illum abíbant ex Judæis, & credébant in Jesŭm. In cráſtinum autem turba multa quæ vénerat ad diem feſtum, cùm audiſſent quia venit Jĕſus Jeroſólymam; accepérunt ramos palmárum, & proceſſérunt óbviàm ei, & clamăbant: Hoſanna benedictus qui venit ĭn nómine Dómini, Rex Iſraĕl. Et invénit Jeſus aſellum, & ſedĭt ſuper eum; ſicut ſcriptum eſt: Noli timére, fília Sion; ecce Rex tuus venit ſedens ſuper pullum ăſinæ. Hæc non cognovérunt diſcípŭlĭ ejus primùm: ſed quando glorificátus eſt Jeſus, tunc recordáti ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo; & hæc fecérunt ĕi. Teſtimónium ergo perhĭbébat turba,

quæ erat cum eo quando Lázarum vocávit de monumento, & ſuſcitávit eum à mŏrtuis. Proptéreà & óbviàm venĭt ei turba; quia audiérunt eum feciſſe hoc sĭgnum. Pharĭſæi ergo dixérunt ad ſemetĭpſos: Vidétis quiă nihil proficimus: ecce mundus totus poſt eum ăbiit. Erant autĕm quidam gentíles, ex his qui aſcénderant ut adorárent in die fĕſto. Hi ergo acceſſérunt ad Philippum qui erat à Bethſaĭdă Galilææ, & rogábant eum, dicĕntes: Dómine, vólumus Jeſum vidĕre. Venit Philippus, & dicit Andrĕæ. Andréas rursŭm & Philippus dixérunt Jesŭ. Jeſus autem rĕſpondit eis, dĭcens: Venit hora, ut clarificétur Fílius hŏminis. Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsŭm ſolum manet; ſi autem mórtuum fúerit, multum fructum ăffert. Qui amat ánimam ſuăm, perdet eam; & qui odit ánimam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtódit ĕam. Si quis mihi miniſtrăt, me ſequátur; & ubi ſum ego, illic & miniſter meus ĕrit. Si quis mihĭ miniſtráverit, honorificábit eum Pater mĕus. Nunc ánima mea turbáta ĕſt. Et quid dicam? Pater, ſalvífica me ex hac hora, ſed proptéreà veni ĭn horam hanc: Pater, clarífica nomen tŭum. Venit ergo vox de cœlo: Et clărificávi, & íterùm clarificăbo. Turba ergo, quæ ſtabăt, & audíerat, dicébat tonítruum eſſe făctum. Alii dicĕbant: Angelus ei locútus ĕſt. Rĕſpondit Jeſus, & dĭxit: Non proptĕr me hæc vox venit, ſed propter vŏs. Nunc jŭdícium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejiciétur fŏras. Et ego ſi exaltátŭs fúero à terra, ómnia traham ad meĭpſum. Hŏc autem dicébat, ſignificans qua morte eſſet moritŭrus. Reſpondit ei tŭrba: Nos audívimus ex lege, quia Chriſtus manĕt in æternum, & quómodò tu dicis, Oportet exaltári Fílium hóminis? Quis eſt iſte Fílius hóminis? Dixit ergo eis Jesŭs: Adhuc módicum lumen ĭn vobis eſt; ambuláte dum lucem habétis, ut non vos ténebræ comprehĕndant. Et quĭ ámbulat in ténebris, neſcit quò vădat. Dum lucem habétĭs, crédite in lucem; ut fílii lucis sĭtis. Hæc locútus eſt Jeſus; ĕt ăbiit, & abſcondit ſe ab eis.

Offertorium. Baptiſmo ego hábeo baptizári: & quómodò coarctor, uſque dum perficiátur? Luc. 12.

Secreta.

ACcende, quæſumus, Dómine, in córdibus noſtris ad laboriósum pœniténtiæ baptiſma, eum mentis ardórem, quo ſemetipſum óbtulit ad ómnium redimenda peccáta Jeſus Chriſtus Fílius tuus Salvátor noſter; Qui tecum vivit. M. P.

Communio. Ego ſi exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meipſum. Joan. 12.

Postcommunio. Orémus.

TRahe nos ad te, miſéricors Deus, qui pro nobis in cruce exaltári voluiſti: & hujus virtúte ſacramenti da nobis in Paſſiónis tuæ myſtério per veram pœniténtiam habére conſórtium; Qui vivis & regnas cum Deo Patre. M. P.

Oratio super Populum.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

DEus, qui & juſtis præmia meritórum, & peccatóribus per jejúnium véniam præbes: miſerére famíliæ tuæ; ut reátŭs ſui conféſſio indulgéntiam váleat percípere delictórum; Per Dóminum. M. P.

Niger cum oris rub.

DOMINICA IN PALMIS.

Duplex-Majus.

Benedictio Ramorum.

Post Tertiam.

Factâ Benedictione aquæ, Sacerdos indutus Albâ, Stolâ & Cappâ nigri coloris accedit cum Diacono & Subdiacono in Ornamentis ejusdem coloris, ad Altare, ubi stans in cornu Epistolæ, ramos juxtà altare positos benedicit, cantans Collectas sequentes eodem ritu ac tono quo fit Benedictio aquæ.

Dóminus vobiscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, cujus Fílius pro salúte humáni géneris de cœlo descendit ad terras, & appropinquante horâ passiónis suæ, Jerosólymam in ásino veníre, & à turbis Rex apellári, & laudári vóluit : benedícere ✠ dignáre hos fróndium ramos ; ut omnes qui eos latúri sunt, ita benedictiónis tuæ dono repleantur, quátenùs & in hoc século hostis antíqui tentamenta superáre, & in futúro cum palma victóriæ & fructu bonórum óperum tibi váleant apparére ; Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui Fílium tuum unigénitum pro redemptióne nostra dignátus es míttere in mundum, ut pópulum tuum ab inítio in peccáti profunda demersum à morte ad vitam revocáres ; & chirógrapho lethi deléto, sánguine Fílii tui innováres géntibus regnum : Deus, qui dispersa cóngregas, & congregáta consérvas ; qui pópulis óbviàm Jesu ramos portántibus benedixísti ; bene ✠ dic étiam hos ramos, quos tui fámuli ad honórem nóminis tui fidéliter suscípiunt ; ut in quemcumque locum introducti fúerint, tuam benedictiónem habitatóres loci illíus consequantur ; & omni adversitáte effugátâ, déxtera tua prótegat quos redémit Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster ; Qui tecum.

Hîc Celebrans aspergit ramos aquâ benedictâ, nihil dicens. Deindè distribuuntur rami ; & fit aspersio sólita Altaris, Cleri ac populi ; interim cantatur Asperges, *&c.*

Dictâ Oratione post Aspersionem, fit Processio extrà Ecclesiam, cunctis ramos tenentibus ; & cantantur ea quæ in Processionali habentur.

In Statione autem, quæ fit ante Crucem in cœmeterio vel alio loco publico extantem, vel ad hoc in via Processionis præparatam, Diaconus dicto genibus flexis Munda cor meum, *& petitâ benedictione à Celebrante, ut moris est in Missa, cum Cruce, Ceroferariis, & incenso, vadit ad analogium præparatum, ubi stans cantat Evangelium sequens.*

Dóminus vobíscum.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Hîc incensat librum Diaconus more sólito.

IN illo témpore ; Cùm appropinquassent Jerosólymis, & venissent Béthphage ad montem Olivéti ; tunc Jesus misit duos discípulos, dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, & statim inveniétis ásinam alligátam, & pullum cum ea ; sólvite, & addúcite mihi : & si quis vobis áliquid díxerit, dícite quia Dóminus his opus habet ; & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adim- Cap. 21.

plerétur

plerétur quod dictum eſt per Prophétam, dicentem : Dícite fíliæ Sion, ecce rex tuus venit tibi manſuétus, ſedens ſuper áſinam & pullum fílium ſubjugălis. Euntĕs autem diſcípuli, fecérunt ſicut præcépit illis Jesŭs. Et adduxérŭnt áſinam & pullum ; & impoſuérunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum déſuper ſedére fecĕrunt. Plúrima autem turba ſtravérunt veſtimentă ſua in via : álii autem cædébant ramos de arbóribus, & ſternébant in vĭa. Turbæ autem, quæ præcedébant, & quæ ſequebantur, clamábant, dicĕntes : Hoſanna fílio David ; benedictus qui venit in nómĭnĕ Dŏmini : hoſanna in altíſſimis.

Lecto Evangelio, Celebrans oſculatur Evangelium, & incenſatur de more.

Poſteà, dum cantatur Antiphona, Ave Rex noſter, *Celebrans cum Miniſtris ac reliquis de Clero per ordinem, & Populus, Crucem oſculantur, & ad ejus pedes projiciunt ſurculum rami.*

Ubi autem Proceſſio redierit ante portam Eccleſiæ, aut Civitatis, quæ clauſa eſſe debet, duo Clerici intùs exiſtentes cantant Hymnum, Glória laus, *&c. Choro reſpondente. Ter percutiuntur fores ; aperiuntur, & intrat Proceſſio cantando,* Cùm intraſſet, *&c. ut in Proceſſionali.*

Si propter aëris inclementiam, Proceſſio egredi non poſſit, fit Proceſſio intrà Eccleſiam, & Statio ante Crucem paratam in medio navis, ubi legetur Evangelium, & fiet adoratio, ut ſuprà. Reliqua fiunt ad portam Chori clauſam. Si Eccleſia habeat ſatis amplum veſtibulum, paratur Crux in veſtibulo, & reliqua fiunt ad portam Eccleſiæ.

Deinde cantatur Miſſa.

AD MISSAM.

Niger cum oris rub.

Introitus.

DOmine, ne elongáveris auxílium tuum à me : ad defenſiónem meam cónſpice : ſalva me ex ore leónis, & à córnibus unicórnium humilitátem meam. *Psalm.* Deus, Deus meus, réſpice in me : quare me dereliquiſti ? * longè à ſalúte mea verba delictórum meórum. Dómine.

Pſal. 21.

Ibid.

Collecta. Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui humáno géneri ad imitandum humilitátis exemplum, Salvatórem noſtrum carnem súmere, & crucem ſubíre feciſti : concéde propítius, ut & patiéntiæ ipsíus habére documenta, & reſurrectiónis conſórtia mereámur ; Per eumdem.

S. R.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Phĭlippenſes.

FRatres ; Hoc ſentíte in vobis, quod & in Chriſto Jeſu ; qui cùm in forma Dei eſſet, non rapínam arbitrátus eſt eſſe ſe æquálem Deo ; ſed ſemetipſum exinanívit formam ſervi accípiens in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu invêntus ut homo. Humiliávit ſemetipſum, factus obédĭĕns uſque ad mortem, mortem âutem crucis. Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen, quod eſt ſupĕr omne nomen ; ut in nómine Jeſu * omne genu flectátur, cœléſtium, terréſtrium, & infernórum ; & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jeſus Chriſtus in glórĭă ĕſt Dei Patris.

Cap. 2.

* *Hic genuflectitur*

Graduale. Deus meus es tu : ne diſcéſſeris à me ; quóniam tribulátio próxima eſt, quóniam non eſt qui

Pſal. 21.

Pſal. 21. ádjuvet. ℣. Circumdedérunt me vítuli multi : tauri pingues obſedérunt me ; aperuérunt ſuper me os ſuum , ſicut leo rápiens & rúgiens.

Ibid. *Tractus.* Deus , Deus meus , réſpice in me : quare me dereliquiſti ? Longè à ſalúte meâ verba delictórum meórum. Deus meus , clamábo per diem , & non exáudies : & nocte , & non ad inſipiéntiam mihi. Tu autem in ſancto hábitas , laus Iſrael. In te ſperavérunt patres noſtri : ſperavérunt, & liberaſti eos. Ego autem ſum vermis , & non homo ; oppróbrium hóminum , & abjéctio plebis. Omnes videntes me , deriſérunt me : locúti ſunt lábiis , & movérunt caput. Sperávit in Dómino , erípiat eum : ſalvum fáciat eum , quóniam vult eum. Circumdedérunt me canes multi : concílium malignántium obſédit me. Fodérunt manus meas & pedes meos : dinumeravérunt ómnia oſſa mea. Ipſi verò conſideravérunt , & inſpexérunt me : diviſérunt ſibi veſtimenta mea , & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem. Salva me ex ore leónis , & à córnibus unicórnium humilitátem meam. Qui timétis Dóminum , laudáte eum : univerſum ſemen Jacob , glorificáte eum. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : & annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur , quem fecit Dóminus.

Diaconus , acceptâ benedictione , præcedentibus , ut moris eſt , incenſo , luminaribus , & Cruce , vadit ad Ambonem ubi cantat Paſſionem.

Non dicitur Dóminus vobiſcum , *nec* Glória tibi , Dómine. *Diaconus non ſignat librum neque ſeipſum , ſed incenſat librum , ac cetera omnia fiunt more ſolito.*

Idem obſervatur Feriis III. *&* IV. *ſequentibus , ſed cantatur Paſſio in medio Chori.*

Paſſio Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm Matthæum.

Cap. 26. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Scitis quia poſt bíduum Paſcha fiet , & Fílius hóminis tradétur , ut crucifigátur. Tunc congregáti ſunt príncipes ſacerdótum , & ſenióres pópuli , in átrium príncipis ſacerdótum , qui dicebátur Cáiphas ; & consílium fecérunt ut Jeſum dolo tenérent , & occíderent. Dicébant autem : Non in die feſto ; Ne forte tumultus fieret in pópulo. Cùm autem Jeſus eſſet in Bethánia in domo Simónis leprósi , acceſſit ad eum múlier habens alabaſtrum unguenti pretióſi , & effúdit ſuper caput ipsíus recumbentis. Videntes autem diſcípuli , indignáti ſunt , dicentes : Ut quid perdítio hæc ? pótuit enim iſtud venúmdari multò , & dari paupéribus. Sciens autem Jeſus , ait illis : Quid moleſti eſtis huic mulíeri ? opus enim bonum operáta eſt in me : nam ſemper páuperes habétis vobiſcum ; me autem non ſemper habétis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum , ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis , ubicumque prædicátum fúerit hoc evangélium in toto mundo , dicétur & quod hæc fecit in memóriam ejus. Tunc ábiit unus de duódecim , qui dicebátur Judas Iſcariótes , ad príncipes ſacerdótum ; & ait illis : Quid vultis mihi dare , & ego vobis eum tradam ? At illi conſtituérunt ei triginta argénteos. Et exinde quærébat opportunitátem ut eum tráderet. Prima autem die azymórum acceſſérunt diſcípuli ad Jeſum , dicentes : Ubi vis parémus tibi comédere Paſcha. At Jeſus dixit : Ite in civitátem ad quemdam , & dícite ei : Magiſter dicit , tempus meum propè eſt , apud te fácio Paſcha cum diſcípulis meis.

Et fecérunt discípuli sicut constítuit illis Jesus, & paravérunt Pascha. Véspere autem facto, discumbébat cum duódecim discípulis suis; & edéntibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditúrus est. Et contristáti valdè, cœpérunt sínguli dícere: Numquid ego sum, Dómine? At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in parópside, hic me tradet. Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem hómini illi, per quem Fílius hóminis tradétur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Judas, qui trádidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. Cœnántibus autem eis, accépit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discípulis suis, & ait: Accípite, & comédite; Hoc est corpus meum. Et accípiens cálicem, grátias egit; & dedit illis, dicens: Bíbite ex hoc omnes; Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundétur in remissiónem peccátorum. Dico autem vobis; non bibam ámodo de hoc genímine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Et hymno dicto, exiérunt in montem Olivéti. Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scándalum patiémini in me, in ista nocte; scriptum est enim: Percútiam pastórem, & dispergentur oves gregis; postquàm autem resurréxero, præcédam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizáti fúerint in te, ego numquam scandalizábor. Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, ántequàm gallus cantet ter me negábis. Ait illi Petrus: Etiamsi oportúerit me mori tecum, non te negábo. Simíliter & omnes discípuli dixérunt. Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dícitur Gethsémani, & dixit discípulis suis: Sedéte hìc, donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro, & duóbus fíliis Zebedæi, cœpit contristári, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est ánima mea usque ad mortem; sustinéte hìc, & vigiláte mecum. Et progressus pusillum, prócidit in fáciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possíbile est, tránseat à me calix iste; verúmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad discípulos suos, & invénit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigiláre mecum? Vigiláte & oráte, ut non intrétis in tentatiónem: spíritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterùm secundò ábiit, & orávit, dicens: Pater mi, si non potest hìc calix transíre, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit íterùm, & invénit eos dormientes; erant enim óculi eórum graváti. Et relictis illis, íterum ábiit, & orávit tértiò, eumdem sermónem dicens. Tunc venit ad discípulos suos, & dicit illis: Dormíte jam, & requiéscite: ecce appropinquávit hora, & Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum: súrgite eámus, ecce appropinquávit qui me tradet. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de Duódecim venit; & cum eo turba multa, cum gládiis & fústibus, missi à princípibus sacerdótum & senióribus pópuli. Qui autem trádidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculátus fúero, ipse est; tenéte eum. Et confestim accédens ad Jesum, dixit: Ave, Rabbi. Et osculátus est eum. Dixitque illi Jesus: Amíce, ad quid venisti? Tunc accessérunt, & manus injecérunt in Jesum, & tenuérunt eum. Et ecce unus ex his qui

erant cum Jeſu, extendens manum, exémit gládium ſuum, & percútiens ſervum príncipis ſacerdótum, amputávit aurículam ejus. Tunc ait illi Jeſus : Converte gládium tuum in locum ſuum; omnes enim qui accéperint gládium, gládio períbunt : an putas, quia non poſſum rogáre Patrem meum, & exhibébit mihi modò plus quàm duódecim legiónes Angelórum ? quómodò ergo implebuntur ſcriptúræ, quia ſic oportet fíeri ? In illa hora dixit Jeſus turbis : Tanquam ad latrónem exiſtis cum gládiis & fúſtibus comprehendére me : quotídie apud vos ſedébam docens in templo, & non me tenuiſtis. Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur ſcriptúræ Prophetárum. Tunc diſcípuli omnes, relicto eo, fugérunt. At illi tenentes Jeſum, duxérunt ad Cáipham príncipem ſacerdótum, ubi Scribæ & ſenióres convénerant. Petrus autem ſequebátur eum à longè, uſque in átrium príncipis ſacerdótum; & & ingreſſus intrò, ſedébat cum miniſtris, ut vidéret finem. Príncipes autem ſacerdótum & omne concílium quærébant falſum teſtimónium contra Jeſum, ut eum morti tráderent; & non invenérunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Novíſſimè autem venérunt duo falſi teſtes, & dixérunt : Hic dixit, Poſſum deſtrúere templum Dei, & poſt tríduum reædificáre illud. Et ſurgens princeps ſacerdótum, ait illi : Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adversùm te teſtificantur ? Jeſus autem tacébat. Et princeps ſacerdótum ait illi : Adjúro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus Fílius Dei. Dicit illi Jeſus : Tu dixiſti; verúmtamen dico vobis, Amodò vidébitis Fílium hóminis ſedentem à dextris virtútis Dei, & venientem in núbibus cœli. Tunc princeps ſacerdótum ſcidit veſtimenta ſua, dicens : Blaſphemávit; quid adhuc egémus téſtibus ? ecce nunc audiſtis blaſphémiam; quid vobis vidétur ? At illi reſpondentes dixérunt : Reus eſt mortis. Tunc expuérunt in fáciem ejus, & cólaphis eum cecidérunt. Alii autem palmas in fáciem ejus dedérunt, dicentes : Prophetíza nobis, Chriſte, quis eſt qui te percúſſit ? Petrus verò ſedébat foràs in átrio : & acceſſit ad eum una ancilla, dicens : Et tu cum Jeſu Galilæo eras. At ille negávit coram ómnibus, dicens : Néſcio quid dicis. Exeunte autem illo jánuam, vidit eum ália ancilla, & ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jeſu Nazaréno. Et íterùm negávit cum juramento, Quia non novi hóminem. Et poſt puſillùm acceſſérunt qui ſtabant, & dixérunt Petro : Verè & tu ex illis es; nam & loquéla tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtári & juráre quia non noviſſet hóminem. Et contínuo gallus cantávit. Et recordátus eſt Petrus verbi Jeſu, quod díxerat, Priuſquàm gallus cantet, ter me negábis. Et egreſſus foràs, flevit amárè. Manè autem facto, consílium Cap. 27. iniérunt omnes príncipes ſacerdótum, & ſenióres pópuli adversùs Jeſum, ut eum morti tráderent. Et vinctum adduxérunt eum, & tradidérunt Póntio Piláto Præſidi. Tunc videns Judas qui eum trádidit, quòd damnátus eſſet; pœniténtia ductus, rétulit triginta argénteos princípibus ſacerdótum, & ſenióribus, dicens : Peccávi, tradens ſánguinem juſtum. At illi dixérunt : Quid ad nos ? tu víderis. Et projectis argénteis in templo, receſſit; & ábiens, láqueo ſe ſuſpendit. Príncipes autem ſacerdótum, acceptis argenteis, dixérunt : Non licet eos míttere in córbonam, quia prétium ſánguinis eſt. Consílio autem iníto,

emérunt

emérunt ex illis agrum fíguli, in ſepultúram peregrinórum : propter hoc vocátus eſt ager ille, Haceldama, hoc eſt, Ager sánguinis, uſque in hodiernum diem. Tunc implétum eſt quod dictum eſt per Jeremíam prophétam dicentem : Et accepérunt triginta argénteos, prétium appretiáti, quem appretiavérunt à fíliis Iſrael ; & dedérunt eos in agrum fíguli, ſicut conſtítuit mihi Dóminus. Jeſus autem ſtetit ante Præſidem ; & interrogávit eum Præſes, dicens : Tu es Rex Judæórum ? Dicit illi Jeſus : Tu dicis. Et cùm accuſarétur à princípibus ſacerdótum, & ſenióribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilátus : Non audis quanta adversùm te dicunt teſtimónia ? Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut mirarétur Præſes vehementer. Per diem autem ſolemnem conſuéverat Præſes pópulo dimíttere unum vinctum, quem voluiſſent. Habébat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebátur Barabbas. Congregátis ergo illis, dixit Pilátus : Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jeſum qui dícitur Chriſtus ? Sciébat enim quòd per invídiam tradidiſſent eum. Sedente autem illo pro tribunáli, miſit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi & juſto illi ; multa enim paſſa ſum hódie per viſum propter eum. Príncipes autem ſacerdótum, & ſenióres perſuaſérunt pópulis ut péterent Barabbam, Jeſum verò pérderent. Reſpondens autem Præſes, ait illis : Quem vultis vobis de duóbus dimitti ? At illi dixérunt : Barabbam. Dicit illis Pilátus : Quid ígitur fáciam de Jeſu qui dícitur Chriſtus ? Dicunt omnes : Crucifigátur. Ait illis Præſes : Quid enim mali fecit ? At illi magìs clamábant, dicentes : Crucifigátur. Videns autem Pilátus quia nihil proficeret, ſed magìs tumultus fíeret ; acceptâ aquâ, lavit manus coram pópulo, dicens : Innocens ego ſum à sánguine juſti hujus ; vos vidéritis. Et reſpondens univerſus pópulus, dixit : Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper fílios noſtros. Tunc dimíſit illis Barabbam ; Jeſum autem flagellátum trádidit eis ut crucifigerétur. Tunc mílites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætórium, congregavérunt ad eum univerſam cohortem : & exuentes eum, chlámydem coccíneam circumdedérunt ei ; & plectentes corónam, de ſpinis, poſuérunt ſuper caput ejus, & arúndinem in déxtera ejus : & genu flexo ante eum, illudébant ei, dicentes ; Ave Rex Judæórum. Et expuentes in eum, accepérunt arúndinem, & percutiébant caput ejus. Et poſtquàm illuſérunt ei exuérunt eum chlámyde, & induérunt eum veſtimentis ejus, & duxérunt eum ut crucifígerent. Exeuntes autem invenérunt hóminem Cyrenæum, nómine Simónem : hunc angariavérunt ut tólleret crucem ejus. Et venérunt in locum qui dícitur Gólgotha, quod eſt Calváriæ locus. Et dedérunt ei vinum bíbere cum felle miſtum : & cùm guſtaſſet, nóluit bíbere. Poſtquàm autem crucifixérunt eum, diviſérunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes ; ut adimplerétur quod dictum eſt per Prophétam dicentem : Diviſérunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem. Et ſedentes ſervábant eum. Et impoſuérunt ſuper caput ejus cauſam ipsíus ſcriptam : Hic eſt Jeſus Rex Judæórum. Tunc crucifíxi ſunt cum eo duo latrónes ; unus à dextris, & unus à ſiniſtris. Prætereuntes autem blaſphemábant eum, moventes cápita ſua, & dicentes : Vah, qui déſtruis templum Dei, & in tríduo illud reædíficas, ſalva temetipſum : ſi Fílius Dei es,

deſcende de cruce. Simíliter & príncipes ſacerdótum illudentes cum Scribis & ſenióribus, dicébant : Alios ſalvos fecit ; ſeipſum non poteſt ſalvum fácere. Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & crédimus ei : confídit in Deo ; líberet nunc, ſi vult eum : dixit enim, quia Fílius Dei ſum. Idipſum autem & latrónes, qui crucifixi erant cum eo, improperábant ei. A ſexta autem hora ténebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamávit Jeſus voce magna, dicens : Eli, Eli, lamma ſabacthâni ? Hoc eſt ; Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me ? Quidam autem illìc ſtantes, & audientes, dicébant : Elíam vocat iſte. Et contínuò currens unus ex eis, acceptam ſpóngiam implévit acéto, & impóſuit arúndini ; & dabat ei bíbere. Céteri verò dicébant : Sine, videámus an véniat Elías líberans eum. Jeſus autem íterum clamans voce magna, emíſit ſpíritum.

Hic Sacerdos & ceteri omnes nudo capite proſtrati oſculantur terram.

Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorsùm. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt ; & multa córpora ſanctórum qui dormiérant, ſurrexérunt ; & exeuntes de monumentis, poſt reſurrectiónem ejus, venérunt in ſanctam civitátem, & apparuérunt multis. Centúrio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, & his quæ fiébant, timuérunt valdè, dicentes : Verè Fílius Dei erat iſte. Erant autem ibi mulíeres multæ à longè, quæ ſecútæ erant Jeſum à Galilæa, miniſtrantes ei ; inter quas erat María Magdaléne, & María Jacóbi, & Joſeph mater, & mater filiórum Zebedæi. Cùm autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nómine Joſeph, qui & ipſe diſcípulus erat Jeſu. Hic acceſſit ad Pilátum, & pétiit corpus Jeſu. Tunc Pilátus juſſit reddi corpus. Et accepto córpore, Joſeph involvit illud in síndone munda, & póſuit illud in monumento ſuo novo, quod excíderat in petra, & advolvit ſaxum magnum ad óſtium monumenti, & ábiit. Erat autem ibi María Magdaléne, & áltera María, ſedentes contra ſepulcrum.

Alterâ autem die, quæ eſt poſt Paraſceven, convenérunt príncipes ſacerdótum & Phariſæi ad Pilátum, dicentes : Dómine, recordáti ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens : Poſt tres dies reſurgam. Jube ergo cuſtodíri ſepulcrum uſque in diem tértium, ne fortè véniant diſcípuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi : Surrexit à mórtuis ; & erit noviſſimus error pejor prióre. Ait illis Pilátus : Habétis cuſtódiam ; ite, cuſtodíte ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, muniérunt ſepulcrum, ſignantes lápidem, cum cuſtódibus.

Sacerdos oſculatur librum : & dicitur Credo.

Offertorium. Impropérium expectávit cor meum, & miſériam : & ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit : & qui conſolarétur, & non invéni : & dedérunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potavérunt me acéto. Pſal. 68.

Secreta.

HUmiliátum & factum obedientem uſque ad mortem crucis, recolentes & exhibentes incruento ſacrifício, fac nos, Deus, hoc nobis quod & in eódem Chriſto Jeſu Dómino noſtro Fílio tuo ; Qui tecum. M. P.

Apoc. 1. *COMMUNIO.* Grátia vobis & pax à Jesu Christo, qui dilexit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. CŒléstia dona capiéntibus in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi, quæsumus, Dómine, non ad judícium provenire patiáris, quod fidélibus tuis ad remédium providísti; Per eumdem.

In Missis privatis legitur in fine Evangelium, Cùm appropinquassent, *supra*, 120.

FERIA SECUNDA.

Niger cum oris rub. *INTROITUS.*

Psal. 54. CONtristátus sum in exercitatióne mea, & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris, quóniam declinavérunt in me iniquitátes.

Ibid. *PSALM.* Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me. Contristátus sum.

COLLECTA. Orémus.

M. P. LArgíre nobis, Dómine, appropinquante Fílii tui passióne, grátiæ tuæ abundántius auxílium; ut per ópera caritátis, Christi bonum odórem ubíque diffundámus; Per.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Cap. 50. DOminus Deus apéruit mihi aurem; ego autem nŏn contradíco, retrôrsùm non ábii. Corpus meum dedi percutiéntibus, & genăs meas velléntibus: fáciem meam non averti ab increpántibus, & conspuêntibus in me. Dóminus Deus auxiliátor meus; ídeò nŏn sum confúsus: ídeò pósui fáciem meam ut petram durísimam; & scio quóniam nôn confundar. Juxta est qui jŭstíficat me: quis contradícet mihi? Stemus símul: quis est adversárius meus? Accêdat ad me. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentŭm conterentur; tínea cômedet eos. Quis ex vobis timens Dóminum, áudiens vocem servi sui? Qui ambulávit in ténebris, & nŏn est lumen ei, speret in nómine Dómini, & innĭtătur super Deum suum.

Psal. 54. *GRADUALE.* Cor meum conturbátum est in me, & formído mortis cécidit super me: timor & tremor venérunt super me, & contexérunt me ténebræ. ℣. Ego autem in te sperávi, Dómine; dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ. Psal. 30.

TRACTUS. Dómine, non secundùm, *&c. suprà*, 46.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 12. JEsus ante sex dies Paschæ venit Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit Jesŭs. Fecérunt autem eĭ cœnam ibi: & Martha minístrabat; Lázarus verò unus erat ex discumbéntibus cum ĕo. María ergo accépit libram unguenti nardi pístici pretiósi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus căpillis suis: & domus impléta est ex odóre unguĕnti. Dixit ergo unus ex dĭscípulis ejus, Judas Iscariótes, qui erat eum traditŭrus: Quare hoc unguentum non væniit trĕcentis denáriis, & datum est egénis? Dixit autem hoc, non quia de egénis pertĭnebat ad eum; sed quia fur erat, & lóculos habens, ea quæ mittebantur, portăbat. Dixit ergo Jesŭs: Sínite illam, ut in diem sepultúræ meæ servet illud: páuperes enim semper habétis vobiscum; me autem non semper habĕtis. Cognóvit ergo turba multa ex Judæis quiă illìc est, & venérunt non propter Jesum tantùm, sed ut Lázarum vidĕrent, quem suscitávit à mórtuis.

Is. 53. *OFFERTORIUM.* Omnes nos quasi oves errávimus ; & pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm.

SECRETA.

M. P. ILla majestáti tuæ, Dómine, pópulos fidéles commendet hóstia, quæ in ara crucis immoláta, reconciliávit inimícos ; Per Dóminum.

Is. 50. *COMMUNIO.* Corpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas vellentibus : fáciem meam non averti ab increpántibus, & conspuéntibus in me.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. LArgíre sénsibus nostris, omnípotens Deus, ut per temporálem Fílii tui mortem, quam mystéria veneranda testantur, vitam, te nobis dedísse perpétuam confidámus ; Per.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕstra Deo.

M. P. DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut pópulus tuus qui in tot adversis ex humána infirmitáte déficit, íntercedente unigéniti Fílii tui passióne, respíret ; Qui tecum.

Niger cum oris rub.

FERIA TERTIA.

INTROITUS.

Psal. 30. SUper omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, & vicínis meis valdè, & timor notis meis ; qui vidébant me, foràs fugérunt à me : oblivióni datus sum, tanquam mórtuus, à corde.

Ibid. *PSALM.* In te, Dómine, sperávi ; non confundar in æternum ; * in justítia tua líbera me. Super omnes.

COLLECTA. Orémus.

M. P. REminíscere miseratiónum tuárum, Dómine : & fámulos tuos æterna protectióne sanctífica, pro quibus Jesus Christus Fílius tuus sponte se trádidit, & paschále sacrifícium fuso sánguine consummávit ; Qui tecum vivit.

Léctio Jeremîæ Prophétæ.

DOmine, demonstrasti mihĭ, & cognóvi : tunc ostendisti mihi stûdia eórum. Et ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad víctimam ; & non cognóvi quia cogitavérunt super me cŏnsília, dicentes : Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium ; & nomen ejus non memorêtur ámpliùs. Tu autem, Dómine sábaoth, qui júdicas justè, & probas renes & corda, vídeam ultiónĕm tuam ex eis : tibi enim revĕlăvi causam meam. Cap. 11.

Psal. 87. *GRADUALE.* Super me confirmátus est furor tuus, Dómine, & omnes fluctus tuos induxisti super me : longè fecisti notos meos à me : posuérunt me abominatiónem sibi. ℣. Clamávi ad te, Dómine, totâ die ; expandi ad te manus meas : ut quid avertis fáciem tuam à me ?

Ad Passionem fit ut Dominicâ in Palmis notatur suprà, 122.

Pássio Dómini nostri Jesu Christi secundùm Marcum.

Cap 41. IN illo témpore ; Erat Pascha & Azyma post bíduum : & quærébant summi Sacerdótes & Scribæ, quómodò Jesum dolo tenérent, & occíderent. Dicébant autem : Non in die festo ; ne fortè tumultus fíeret in pópulo. Et cùm esset Bethániæ in domo Simónis leprósi, & recúmberet, venit múlier habens alabastrum unguenti nardi spicáti pretiósi ; & , fracto alabastro, effúdit super caput ejus. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes : Ut quid perdítio ista unguenti facta est ? Póterat enim unguentum

istud

iſtud venúmdari plus quàm trecentis denáriis, & dari paupéribus. Et fremébant in eam. Jeſus autem dixit: Sínite eam; quid illi moleſti eſtis? Bonum opus operáta eſt in me: ſemper enim páuperes habétis vobiſcum; & cùm voluéritis, poteſtis illis benefácere: me autem non ſemper habétis. Quod hábuit hæc, fecit; prævénit úngere corpus meum in ſepultúram: amen dico vobis, ubicumque prædicátum fúerit Evangélium iſtud in univerſo mundo, & quod fecit hæc, narrábitur in memóriam ejus. Et Judas Iſcariótes, unus de Duódecim, ábiit ad ſummos ſacerdótes, ut próderet eum illis. Qui audientes, gavíſi ſunt; & promiſérunt ei pecúniam ſe datúros. Et quærébat quómodò illum opportúnè tráderet. Et primo die Azymórum, quando Paſcha immolábant, dicunt ei diſcípuli: Quò vis eámus, & parémus tibi ut mandúces Paſcha? Et mittit duos ex diſcípulis ſuis, & dicit eis: Ite in civitátem; & occurret vobis homo lagénam aquæ bájulans: ſequímini eum; & quócumque introíerit, dícite dómino domus, quia Magiſter dicit: Ubi eſt refféctio mea, ubi Paſcha cum diſcípulis meis mandúcem? Et ipſe vobis demonſtrábit cœnáculum grande, ſtratum; & illìc paráte nobis. Et abiérunt diſcípuli ejus, & venérunt in civitátem; & invenérunt ſicut díxerat illis, & paravérunt Paſcha. Véſpere autem facto, venit cum Duódecim. Et diſcumbéntibus eis, & manducántibus, ait Jeſus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui mandúcat mecum. At illi cœpérunt contriſtári, & dícere ei ſingulátim: Numquid ego? Qui ait illis: Unus ex duódecim, qui intingit mecum manum in catíno. Et Fílius quidem hóminis vadit, ſicut ſcriptum eſt de eo: væ autem hómini illi per quem Fílius hóminis tradétur; bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille. Et manducántibus illis, accépit Jeſus panem; & benedícens fregit, & dedit eis, & ait: Súmite; Hoc eſt corpus meum. Et accepto cálice, grátias agens dedit eis: & bibérunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundétur: amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genímine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei. Et hymno dicto, exiérunt in montem Olivárum. Et ait eis Jeſus: Omnes ſcandalizabímini in me in nocte iſta; quia ſcriptum eſt: Percútiam paſtórem, & diſpergentur oves; ſed poſtquàm reſurréxero, præcédam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: Et ſi omnes ſcandalizáti fúerint in te, ſed non ego. Et ait illi Jeſus: Amen dico tibi, quia tu hódie in nocte hac, priuſquàm gallus vocem bis déderit, ter me es negatúrus. At ille ámpliùs loquebátur: Et ſi oportúerit me ſimul cómmori tibi, non te negábo. Simíliter autem & omnes dicébant. Et véniunt in prædium, cui nomen Gethſémani. Et ait diſcípulis ſuis: Sedéte hìc, donec orem. Et aſſúmit Petrum, & Jacóbum, & Joannem ſecum; & cœpit pavére, & tædére. Et ait illis: Triſtis eſt ánima mea uſque ad mortem; ſuſtinéte hìc, & vigiláte. Et cùm proceſſiſſet páululùm, prócidit ſuper terram; & orábat ut, ſi fíeri poſſet, transíret ab eo hora; & dixit: Abba, Pater, ómnia tibi poſſibília ſunt; transfer cálicem hunc à me; ſed non quod ego volo, ſed quod tu. Et venit, & invénit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuiſti una hora vigiláre? Vigiláte & oráte, ut non intrétis in tentatiónem; ſpíritus quidem promptus eſt,

caro verò infirma. Et íterùm ábiens orávit, eumdem sermónem dicens. Et reversus, dénuò invénit eos dormientes, (erant enim óculi eórum graváti) & ignorábant quid respondérent ei. Et venit tértiò, & ait illis: Dormíte jam, & requiéscite: súfficit; venit hora: ecce Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum: súrgite, eámus; ecce qui me tradet propè est. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscarióte unus de Duódecim, & cum eo turba multa, cum gládiis & lignis, à summis Sacerdótibus, & Scribis, & senióribus. Déderat autem tráditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculátus fúero; ipse est, tenéte eum, & dúcite cautè. Et cùm venísset, statim accédens ad eum, ait: Ave, Rabbi. Et osculátus est eum. At illi manus injecérunt in eum, & tenuérunt eum. Unus autem quidam de circumstántibus edúcens gládium, percussit servum summi Sacerdótis, & amputávit illi aurículam. Et respondens Jesus, ait illis: Tanquam ad latrónem exístis cum gládiis & lignis comprehéndere me; quotídie eram apud vos in templo docens, & non me tenuístis: sed ut impleantur scriptúræ. Tunc discípuli ejus relinquentes eum, omnes fugérunt. Adolescens autem quidam sequebátur eum amictus síndone super nudo; & tenuérunt eum: at ille rejecta síndone, nudus profúgit ab eis. Et adduxérunt Jesum ad summum Sacerdótem; & convenérunt omnes sacerdótes, & Scribæ, & senióres. Petrus autem à longè secútus est eum usque intrò in átrium summi Sacerdótis: & sedébat cum minístris ad ignem, & calefaciébat se. Summi verò Sacerdótes, & omne concílium, quærébant adversùs Jesum testimónium, ut eum morti tráderent; nec inveniébant. Multi enim testimónium falsum dicébant adversùs eum; & conveniéntia testimónia non erant. Et quidam surgentes falsum testimónium ferébant adversùs eum, dicentes: Quóniam nos audívimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manufactum, & per tríduum áliud non manufactum ædificábo. Et non erat convéniens testimónium illórum. Et exurgens summus Sacerdos in médium, interrogávit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his? Ille autem tacébat, & nihil respondit. Rursùm summus Sacerdos interrogábat eum, & dixit ei: Tu es Christus Fílius Dei benedícti? Jesus autem dixit illi: Ego sum; & vidébitis Fílium hóminis sedentem à dextris virtútis Dei, & venientem cum núbibus cœli. Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desiderámus testes? Audístis blasphémiam: quid vobis vidétur? Qui omnes condemnavérunt eum esse reum mortis. Et cœpérunt quidam conspúere eum, & veláre fáciem ejus, & cólaphis eum cædere, & dícere ei: Prophetíza. Et minístri álapis eum cædébant. Et cùm esset Petrus in átrio deorsùm, venit una ex ancillis summi Sacerdótis; & cùm vidísset Petrum calefacientem se, aspíciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazaréno eras. At ille negávit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foràs ante átrium, & gallus cantávit. Rursùs autem cùm vidísset illum ancilla, cœpit dícere circumstántibus, quia hic ex illis est. At ille íterùm negávit. Et post pusillum, rursùs qui astábant, dicébant Petro: Verè ex illis es; nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizáre, & juráre, quia néscio hóminem istum quem dícitis. Et statim gallus

íterùm cantávit. Et recordátus eſt Petrus verbi quod díxerat ei Jeſus; Priuſquàm gallus cantet bis, ter me negábis. Et cœpit flere. Et confeſtim
Cap. 15. manè consílium facientes ſummi ſacerdótes, cum ſenióribus, & Scribis, & univerſo concílio, vincientes Jeſum, duxérunt & tradidérunt Piláto. Et interrogávit eum Pilátus: Tu es Rex Judæórum? At ille reſpondens, ait illi: Tu dicis: Et accuſábant eum ſummi ſacerdótes in multis. Pilátus autem rursùm interrogávit eum, dicens: Non reſpondes quidquam? vide in quantis te accúſant. Jeſus autem ámpliùs nihil reſpondit, ita ut mirarétur Pilátus. Per diem autem feſtum ſolébat dimíttere illis unum ex vinctis, quemcumque petiſſent. Erat autem qui dicebátur Barabbas, qui cum ſeditióſis erat vinctus, qui in ſeditióne fécerat homicídium. Et cùm aſcendiſſet turba, cœpit rogáre, ſicut ſemper faciébat illis. Pilátus autem reſpondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Judæórum? Sciébat enim quòd per invídiam tradidiſſent eum ſummi ſacerdótes. Pontífices autem concitavérunt turbam, ut magìs Barabbam dimítteret eis. Pilátus autem íterùm reſpondens, ait illis: Quid ergo vultis fáciam regi Judæórum? At illi íterùm clamavérunt: Crucifíge eum. Pilátus verò dicébat illis: Quid enim mali fecit? At illi magìs clamábant: Crucifíge eum. Pilátus autem volens pópulo ſatisfácere, dimíſit illis Barabbam, & trádidit Jeſum flagellis cæſum, ut crucifigerétur. Mílites autem duxérunt eum in átrium prætórii, & cónvocant totam cohortem, & índuunt eum púrpura, & impónunt ei plectentes ſpíneam corónam. Et cœpérunt ſalutáre eum: Ave, rex Judæórum. Et percutiébant caput ejus arúndine, & conſpuébant eum; & ponentes génua, adorábant eum. Et poſtquàm illuſérunt ei, exuérunt illum púrpura, & induérunt eum veſtimentis ſuis; & edúcunt illum ut crucifígerent eum. Et angariavérunt prætereuntem quémpiam, Simónem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tólleret crucem ejus. Et perdúcunt illum in Gólgotha locum, quod eſt interpretátum Calváriæ locus. Et dabant ei bíbere myrrhátum vinum: & non accépit. Et crucifigentes eum, diviſérunt veſtimenta ejus, mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tólleret. Erat autem hora tértia: & crucifixérunt eum. Et erat títulus cauſæ ejus inſcriptus: Rex Judæórum. Et cum eo crucifígunt duos latrónes; unum à dextris, & álium à ſiniſtris ejus. Et impléta eſt ſcriptúra, quæ dicit; Et cum iníquis reputátus eſt. Et prætereuntes blaſphemábant eum, moventes cápita ſua, & dicentes: Vah, qui déſtruis templum Dei, & in tribus diébus reædíficas; ſalvum fac temetipſum, deſcendens de cruce. Simíliter & ſummi ſacerdótes illudentes, ad altérutrum cum Scribis dicébant: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum fácere: Chriſtus rex Iſrael deſcendat nunc de cruce, ut videámus, & credámus. Et qui cum eo crucifíxi erant, conviciabantur ei. Et facta hora ſexta ténebræ factæ ſunt per totam terram uſque in horam nonam. Et hora nona exclamávit Jeſus voce magna, dicens: Eloi, Eloi, lamma ſabacthàni? Quod eſt interpretátum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Et quidam de circumſtántibus audientes, dicébant: Ecce Elíam vocat. Currens autem unus, & implens ſpóngiam acéto, circumponenſque cálamo, potum dabat ei,

dicens : Sínite , videámus ſi véniat Elías ad deponendum eum. Jeſus autem , emiſſa voce magna , expirávit.

Hìc omnes proſtrati oſculantur terram.

Et velum templi ſciſſum eſt in duo , à ſummo uſque deorsùm. Videns autem Centúrio , qui ex adverſo ſtabat , quia ſic clamans expiraſſet , ait : Verè hic homo Fílius Dei erat. Erant autem & mulíeres de longè aſpicientes , inter quas erat María Magdaléne & María Jacóbi minóris & Joſeph mater , & Salóme ; & cùm eſſet in Galilæa , ſequebantur eum , & miniſtrábant ei , & áliæ multæ quæ ſimul cum eo aſcénderant Jeroſólymam. Et cùm jam ſerò eſſet factum (quia erat Paraſcéve , quod eſt ante ſábbatum) venit Joſeph ab Arimathæa nóbilis decúrio , qui & ipſe erat expectans regnum Dei , & audacter introívit ad Pilátum , & pétiit corpus Jeſu. Pilátus autem mirabátur ſi jam obiiſſet. Et accersíto Centurióne , interrogávit eum ſi jam mórtuus eſſet. Et cùm cognoviſſet à Centurióne , donávit corpus Joſeph. Joſeph autem mercátus síndonem , & depónens eum involvit síndone , & póſuit eum in monumento quod erat excíſum de petra , & advolvit lápidem ad óſtium monumenti.

Is. 53. *OFFERTORIUM.* Oblátus eſt quia ipſe vóluit , & non apéruit os ſuum : ſicut ovis ad occiſiónem ducétur , & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet , & non apériet os ſuum.

SECRETA.

M. P. CONcéde nobis hæc , quæſumus , Dómine , dignè frequentáre , myſtéria ; quia quóties hujus hóſtiæ commemorátio celebrátur , opus noſtræ redemptiónis exercétur ; Per Dóminum noſtrum.

COMMUNIO. Verè languóres noſtros ipſe tulit , & dolóres noſtros ipſe portávit ; & nos putávimus eum quaſi lepróſum , & percuſſum à Deo , & humiliátum. Is. 53.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PUrífica , quæſumus , Dómine , per hæc ſancta myſtéria , famíliam tuam ; & ab ómnibus contágiis pravitátis emunda : ut Chriſti Paſſióne redemptam , non ſpíritus immundus rursùs infíciat , ſed ſalvátio ſempiterna poſsídeat ; Per Dóminum. S. R.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕſtra Deo.

DEus , in cujus præcípuis mirabílibus eſt humána reparátio : ſolve ópera diáboli , & mortífera peccáti víncula diſrumpe ; ut deſtructâ malignitáte quæ nócuit , vincat miſericórdia quæ redémit ; Per Dóminum. S. R.

FERIA QUARTA.

Niger cum oris rub.

INTROITUS.

INimíci mei consílium fecérunt in unum dicentes : Perſequímini , & comprehéndite eum , quia non eſt qui erípiat : Deus meus , in auxílium meum réſpice. *PSALM.* In te , Dómine , ſperávi ; non confundar in æternum : * in juſtítia tua líbera me , & éripe me. Inimíci. Pſal. 70. Ibid.

Kyrie , eléiſon.

Non dicitur , Dóminus vobiſcum. *Sed ſtatim dicitur* , Orémus. Flectámus , *&c. ritu notato ſuprà , pag. 7. quod ſervatur quoties dicendum eſt.*

COLLECTA. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

PRætende nobis miſericórdiam tuam , Dómine , qui ab infidéli diſcípulo tradi pertuliſti ; ut ab ejus M. P.

cæcitáte

cæcitáte aliéni, te Salvatórem toto corde agnoscámus, & in tua semper cruce gloriémur; Qui vivis.

Lectio sequens cantatur in tono Lectionum à Lectore in habitu Chori ordinario.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 2. DIxérunt ímpii: Circumveniámus justum, quóniam inútilis est nobis, & contrárius est opéribus nostris, & impróperat nobis peccáta legis, & diffámat in nos peccáta disciplínæ nostræ. Promittit se sciéntiam Dei habére, & Fílium Dei se nóminat. Factus est nobis in traductiónem cogitatiónum nostrárum. Gravis est nobis étiam ad videndum, quóniam dissímilis est áliis vita illíus, & immutátæ sunt viæ ejus. Tanquam nugáces æstimáti sumus ab illo, & ábstinet se à viis nostris tanquam ab immundítiis, & præfert novíssima justórum, & gloriátur Patrem se habére Deum. Videámus ergo si sermónes illíus veri sint, & tentémus quæ ventúra sunt illi, & sciémus quæ erunt novíssima illíus. Si enim est verus Fílius Dei, suscípiet illum, & liberábit eum de mánibus contrariórum. Contumélia & tormento interrogémus eum, ut sciámus reveréntiam ejus, & probémus patiéntiam illíus. Morte turpíssima condemnémus eum: erit enim ei respectus ex sermónibus illíus. Hæc cogitavérunt, & erravérunt: excæcávit enim illos malítia eórum. Et nesciérunt sacramenta Dĕi.

Psal. 40. *GRADUALE.* Homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem. ℣. Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; quóniam sequébar bonitátem: ne derelinquas me, Dómine Deus meus; ne discésseris à me. Psal. 37.

Dóminus vobíscum.

COLLECTA. Orémus.

Sine Flectámus génua.

DEus, quem dilígere & amáre justítia est, ineffábilis grátiæ tuæ in nobis dona multíplica: & qui fecísti nos morte Fílii tui sperâre quod crédimus, fac nos, eódem resurgente, pervenire quò téndimus; Per eumdem. s. R.

Léctio Jeremîæ Prophétæ.

Cap. 26. APprehendérunt Jeremíam sacerdótes, & prophétæ, & omnis pópulus, dicens: Morte môriátur. Quare prophetávit in nómĭnĕ Dómini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc, & urbs ista desolábitur, eò quòd non sit habitátor? Et congregátus est omnis pópulus adversŭs Jeremíam in dômo Dómini. Et audiérunt príncipes Juda verba hæc, & ascendérunt de domo regis ĭn domum Dómini; & sedérunt in intróitu portæ domus Dômini novæ. Et locúti sunt sacerdótes & prŏphétæ ad príncipes, & ad omnem pôpulum, dicentes: Judícium mortĭs est viro huic: quia prophetávit adversùs civitátem istam, sicut audístis âuribus vestris. Et ait Jeremías ăd omnes príncipes, & ad universum pôpulum, dicens: Dóminus misit me, ut prophetárem ad domum istam, & ad civĭtátem hanc, ómnia verba quæ audístis. Nunc ergo bonas fácite vias vestras & stúdia vestra, & audíte vocem Dómĭnĭ Dei vestri: & pœnitébit Dóminum mali, quod locútus est advêrsùm vos. Ego autem ecce in mánĭbŭs vestris sum: fácite mihi quod bonum & rectum est in ôculis vestris. Verúmtamen scitóte & cognóscite, quòd si occĭdéritis me, sánguinem innocentem tradétis contra vosmetipsos, & contra civitátem istam, & habitatôres ejus. In veritáte enim misĭt mĕ Dóminus ad vos, ut lóquerer in áurĭbŭs vĕstris ómnia verba hæc.

Psal. 34. *Tractus.* Surgentes testes iníqui, quæ ignorábam interrogábant me. Retribuébant mihi mala pro bonis, ſterilitátem ánimæ meæ. Et adversùm me lætáti ſunt, & convenérunt: congregáta ſunt ſuper me flagella, & ignorávi. Subſannavérunt me ſubſannatióne; frenduérunt ſuper me déntibus ſuis. Dómine, quando reſpícies? reſtítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Páſſio Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm Lucam.

Cap. 22. IN illo témpore; Appropinquábat dies feſtus Azymórum, qui dícitur Paſcha: & quærébant príncipes ſacerdótum, & Scribæ, quómodò Jeſum interfícerent; timébant verò plebem. Intrávit autem ſátanas in Judam, qui cognominabátur Iſcarióte, unum de Duódecim. Et ábiit, & locútus eſt cum princípibus ſacerdótum, & magiſtrátibus, quemádmodùm illum tráderet eis. Et gavíſi ſunt, & pacti ſunt pecúniam illi dare: & ſpopondit. Et quærébat opportunitátem, ut tráderet illum ſine turbis. Venit autem dies Azymórum, in qua neceſſe erat occídi Paſcha. Et miſit Petrum & Joannem, dicens: Euntes paráte nobis Paſcha, ut manducémus. At illi dixérunt: Ubi vis parémus? Et dixit ad eos: Ecce introeúntibus vobis in civitátem, occurret vobis homo quidam ámphoram aquæ portans: ſequímini eum in domum, in quam intrat; & dicétis patrifamílias domus: Dicit tibi Magiſter: Ubi eſt diverſórium, ubi Paſcha cum diſcípulis meis mandúcem? Et ipſe oſtendet vobis cœnáculum magnum ſtratum; & ibi paráte. Euntes autem invenérunt ſicut dixit illis, & paravérunt Paſcha. Et cùm facta eſſet hora, diſcúbuit, & duódecim Apóſtoli cum eo. Et ait illis: Deſidério deſiderávi hoc Paſcha manducáre vobiſcum, ántequàm pátiar: dico enim vobis, quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. Et accepto cálice grátias egit, & dixit: Accípite, & divídite inter vos; dico enim vobis quòd non bibam de generatióne vitis, donec regnum Dei véniat. Et accepto pane, grátias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur; hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter & cálicem poſtquàm cœnávit, dicens: Hic eſt calix novum teſtamentum in sánguine meo, qui pro vobis fundétur: verúmtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa. Et quidem Fílius hóminis, ſecundùm quod definítum eſt, vadit: verúmtamen væ hómini illi, per quem tradétur. Et ipſi cœpérunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc factúrus eſſet. Facta eſt autem & conténtio inter eos, quis eórum viderétur eſſe major. Dixit autem eis: Reges géntium dominantur eórum; & qui poteſtátem habent ſupereos, benéfici vocantur: vos autem non ſic; ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrátor. Nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autem in médio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentatiónibus meis: & ego diſpóno vobis, ſicut diſpóſuit mihi Pater meus regnum, ut edátis & bibátis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeátis ſuper thronos judicantes duódecim tribus Iſrael. Ait autem Dóminus: Simon, Simon, ecce ſátanas expetívit vos, ut cribráret ſicut tríticum: ego autem rogávi pro te, ut non defíciat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Dómine, tecum parátus ſum

& in cárcerem & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantábit hódie gallus, donec ter ábneges nosse me. Et dixit eis: Quando misi vos sine sácculo, & pera, & calceamentis, numquid áliquid défuit vobis? At illi dixérunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sácculum, tollat; simíliter & peram; & qui non habet, vendat túnicam suam, & emat gládium. Dico enim vobis, quóniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impléri in me: Et cum iníquis deputátus est; étenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixérunt: Dómine, ecce duo gládii hìc. At ille dixit eis: Satis est. Et egressus ibat secundùm consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum & discípuli. Et cùm perveníssent ad locum, dixit illis: Oráte, ne intrétis in tentatiónem. Et ipse avulsus est ab eis quantùm jactus est lápidis; & pósitis génibus orábat, dicens: Pater, si vis, transfer cálicem istum à me: verúmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agónia, prolíxiùs orábat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram. Et cùm surrexísset ab oratióne, & veníssent ad discípulos suos, invénit eos dormientes præ tristítia, & ait illis: Quid dormítis? súrgite, oráte, ne intrétis in tentatiónem. Adhuc eo loquente, ecce turba; & qui vocabátur Judas, unus de Duódecim, antecedébat eos; & appropinquávit Jesu, ut oscularétur eum. Jesus autem dixit illi: Juda, ósculo Fílium hóminis tradis? Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futúrum erat, dixérunt ei: Dómine, si percútimus in gládio? Et percussit unus ex illis servum príncipis sacerdótum, & amputávit auriculam ejus déxteram. Respondens autem Jesus, ait: Sínite usque huc. Et cùm tetigísset aurículam ejus, sanávit eum. Dixit autem Jesus ad eos qui vénerant ad se príncipes sacerdótum, & magistrátus templi, & senióres: Quasi ad latrónem exístis cum gládiis & fústibus; cùm quotídie vobíscum fúerim in templo, non extendístis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrárum. Comprehendentes autem eum, duxérunt ad domum príncipis sacerdótum: Petrus verò sequebátur à longè. Accenso autem igne, in médio átrii, & circumsedéntibus illis, erat Petrus in médio eórum. Quem cùm vidísset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuísset intúita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negávit eum, dicens: Múlier, non novi illum. Et post pusillum álius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo, non sum. Et intervallo facto quasi horæ unius, álius quidam affirmábat, dicens: Verè & hic cum illo erat; nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, néscio quid dicis. Et contínuò, adhuc illo loquente, cantávit gallus. Et conversus Dóminus, respexit Petrum. Et recordátus est Petrus verbi Dómini, sicut díxerat: Quia priusquàm gallus cantet, ter me negábis. Et egressus foras Petrus flevit amárè. Et viri qui tenébant illum, illudébant ei, cædentes. Et velavérunt eum, & percutiébant fáciem ejus; & interrogábant eum, dicentes: Prophetíza, quis est qui te percussit? Etália multa blasphemantes dicébant in eum. Et ut factus est dies, convenérunt senióres plebis, & príncipes sacerdótum, & Scribæ, & duxérunt illum in concílium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis díxero, non cre-

détis mihi ; ſi autem & interrogávero, non reſpondébitis mihi, neque dimittétis. Ex hoc autem erit Fílius hóminis ſedens à dextris virtútis Dei. Dixérunt autem omnes : Tu ergo es Fílius Dei? Qui ait : Vos dícitis, quia ego ſum. At illi dixérunt : Quid adhuc deſiderámus teſtimónium? ipſi enim audívimus de ore ejus. Et ſurgens omnis multitúdo eórum, duxérunt illum ad Pilátum. Cœpérunt autem illum accuſáre, dicentes : Hunc invénimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tribúta dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe. Pilátus autem interrogávit eum, dicens : Tu es rex Judæórum? At ille reſpondens ait : Tu dicis. Ait autem Pilátus ad príncipes ſacerdótum, & turbas : Nihil invénio cauſæ in hoc hómine. At illi invaleſcébant, dicentes : Cómmovet pópulum, docens per univerſam Judæam, incípiens à Galilæa uſque huc. Pilátus autem áudiens Galilæam, interrogávit ſi homo Galilæus eſſet : & ut cognóvit quòd de Heródis poteſtáte eſſet, remíſit eum ad Heródem, qui & ipſe Jeroſólymis erat illis diébus. Heródes autem, viſo Jeſu, gavíſus eſt valdè. Erat enim cúpiens ex multo témpore vidére eum, eò quòd audíerat multa de eo, & ſperábat ſignum áliquod vidére ab eo fíeri. Interrogábat autem eum multis ſermónibus. At ipſe nihil reſpondébat. Stabant autem príncipes ſacerdótum & Scribæ conſtanter accuſantes eum. Sprevit autem illum Heródes cum exércitu ſuo ; & illúſit indútum veſte alba, & remíſit ad Pilátum. Et facti ſunt amíci Heródes & Pilátus in ipſa die : nam ánteà inimíci erant ad ínvicem. Pilátus autem, convocátis princípibus ſacerdótum, & magiſtrátibus, & plebe, dixit ad illos : Obtuliſtis mihi hunc hóminem, quaſi avertentem pópulum ; & ecce ego coram vobis intérrogans, nullam cauſam invéni in hómine iſto ex his in quibus eum accuſátis. Sed neque Heródes ; nam remíſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei : emendátum ergo illum dimittam. Neceſſe autem habébat dimíttere eis per diem feſtum, unum. Exclamávit autem ſimul univerſa turba, dicens : Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Qui erat propter ſeditiónem quamdam factam in civitáte, & homicídium, miſſus in cárcerem. Iterùm autem Pilátus locútus eſt ad eos, volens dimíttere Jeſum. At illi ſuccla-
Cap. 23. mábant, dicentes : Crucifíge, crucifíge eum. Ille autem tértiò dixit ad illos : Quid enim mali fecit iſte ? nullam cauſam mortis invénio in eo ; corrípiam ergo illum, & dimittam. At illi inſtábant vócibus magnis poſtulantes ut crucifigerétur : & invaleſcébant voces eórum. Et Pilátus adjudicávit fíeri petitiónem eórum. Dimíſit autem illis eum, qui propter homicídium & ſeditiónem miſſus fúerat in cárcerem, quem petébant : Jeſum verò trádidit voluntáti eórum. Et cùm dúcerent eum, apprehendérunt Simónem quemdam Cyrenenſem, venientem de villa ; & impoſuérunt illi crucem portáre poſt Jeſum. Sequebátur autem illum multa turba pópuli, & mulíerum, quæ plangébant & lamentabantur eum. Converſus autem ad illas Jeſus, dixit : Fíliæ Jerúſalem, nolíte flere ſuper me ; ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper fílios veſtros. Quóniam ecce vénient dies, in quibus dicent : Beátæ ſtériles, & ventres qui non genuérunt, & úbera quæ non lactavérunt. Tunc incípient dícere móntibus : Cádite ſuper nos ; & cóllibus : Operíte nos.

Quia

Quia ſi in víridi ligno hæc fáciunt, in árido quid fiet? Ducebantur autem & álii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et poſtquàm venérunt in locum, qui vocátur Calváriæ, ibi crucifixérunt eum; & latrónes, unum à dextris, & álterum à ſiniſtris. Jeſus autem dicébat: Pater, dimitte illis; non enim ſciunt quid fáciunt. Dividentes verò veſtimenta ejus, miſérunt ſortes. Et ſtabat pópulus ſpectans, & deridébant eum príncipes cum eis, dicentes: Alios ſalvos fecit; ſe ſalvum fáciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus. Illudébant autem ei & mílites accedentes, & acétum offérentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Judæórum, ſalvum te fac. Erat autem & ſuperſcríptio ſcripta ſuper eum lítteris Græcis, & Latínis, & Hebráicis: Hic eſt rex Judæórum. Unus autem de his, qui pendébant, latrónibus, blaſphemábat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos. Reſpondens autem alter increpábat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eádem damnatióne es. Et nos quidem juſtè, nam digna factis recípimus: hic verò nihil mali geſſit. Et dicébat ad Jeſum: Dómine, memento mei, cùm véneris in regnum tuum. Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi; hódie mecum eris in paradíſo. Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque in horam nonam. Et obſcurátus eſt ſol: & velum templi ſciſſum eſt médium.

Hìc in Miſſa majori dejicitur velum extenſum per Chorum, & aufertur.

Et clamans voce magna Jeſus, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpíritum meum. Et hæc dicens, expirávit.

Hic omnes proſtrati oſculantur terram.

Videns autem Centúrio quod factum fúerat, glorificávit Deum, dicens: Verè hic homo juſtus erat. Et omnis turba eórum, qui ſimul áderant ad ſpectáculum iſtud, & vidébant quæ fiébant, percutientes péctora ſua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulíeres quæ ſecútæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.

Et ecce vir nómine Joſeph, qui erat decúrio, vir bonus & juſtus (hic non conſénſerat consílio & áctibus eórum,) ab Arimathæa civitáte Judææ, qui expectábat & ipſe regnum Dei. Hic acceſſit ad Pilátum, & pétiit corpus Jeſu: & depósitum involvit síndone, & póſuit eum in monumento excíſo, in quo nondum quiſquam póſitus fúerat.

Offertorium. Trádidit in mortem ánimam ſuam, & cum ſcelerátis reputátus eſt; & ipſe peccáta multórum tulit, & pro tranſgreſſóribus rogávit. Is. 53.

Secreta.

TUam nobis, Dómine, miſericórdiam concíliet Agnus immaculátus, qui tollit peccáta mundi, qui ſe pro nobis offerre non déſinit, noſque apud te perpétuâ advocatióne defendit; júgiter immolátus in altári tuo, & numquam móriens; tanquam occíſus, & ſemper vivens, Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum. S. G.

Communio. Vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras, attrítus eſt propter ſcélera noſtra: diſciplína pacis noſtræ ſuper eum, & livóre ejus ſanáti ſumus. Is. 53.

Postcommunio. Orémus.

COrpus tuum, Dómine, pro nobis crucifixum édimus; & ſánguinem ſanctum tuum pro nobis effúſum bíbimus: fiat nobis, quæſumus, corpus tuum ad ſalutem, & ſanguis tuus in remiſſiónem peccatórum; Qui vivis. S. G.

ORATIO SUPER POPULUM.

Orémus.

Humiliáte cápĭtă vĕ̆stra Deo.

M. P. DEus, cujus bónitas hóminem cóndidit, juſtítia damnávit, miſericórdia redémit: te humíliter exorántibus concéde, ut, ſicut per inobediéntiam uníus hóminis à beáta regióne decidérunt, ita & per uníus obeditiónem ad æternam pátriam redíre mereantur; Per Dóminum.

Rub. FERIA QUINTA
in Cœna Domini.

PSALMI PŒNITENTIALES ET ABSOLUTIO PŒNITENTIUM.

Hodie poſt Nonam fit Abſolutio ſolemnis hoc modo. In Eccleſia Cathedrali D.D. Epiſcopus ſtolâ & pluviali rubei coloris & mitrâ pretioſâ, aut in ejus abſentia dignior poſt ipſum ſtolâ rubeâ ſuper habitum chori ornatus, procumbit in medio chori; & imponente Cantore, cantantur alternis, recto vocis tono, à Choro proſtrato, ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, ut ſuprà, pag. 38. *& ſeq. omiſſo* Glória Patri, *cum* ℣℣. *&c. poſt ſingulos Pſalmos. Quibus dictis cum Ant.* Intret, *&c. ſurgit D.D. Epiſcopus cum aſſiſtentibus, & cantat verſiculos & Orationes, ut infrà.*

In aliis Eccleſiis eodem modo fit Abſolutio à Præpoſito loci, ſtolâ rubeâ induto.

Pſal. 87. *Antiphona.* Intret orátio noſtra in conſpectu tuo, Dómine; inclína aurem tuam ad preces noſtras: parce, Dómine, parce pópulo tuo, quem redemiſti, Chriſte, pretióſo sánguine tuo; & ne in æternum iraſcáris nobis.

Joel. 2. Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter, *ſecretò. Celebrans ſurgit, & altâ voce cantat,* Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac ſervos tuos, Pſal. 85.

℟. Deus meus, ſperantes in te.

℣. Mitte eis auxílium de ſancto; Pſal. 19.

℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; Pſal. 101.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

ADeſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, & me, qui étiam miſericórdiâ tuâ primus indígeo, clementer exaudi; mihique, quem non electióne mériti, ſed dono grátiæ tuæ conſtituiſti hujus óperis miniſtrum: da fidúciam tui múneris exequendi; & ipſe, in noſtro miniſtério, quod tuæ pietátis eſt operáre; Per Chriſtum. S. R.

℟. Amen.

Orémus.

PRæſta, quæſumus, Dómine, his fámulis tuis dignum pœniténtiæ fructum; ut Eccléſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritáte deviárant peccáto, admiſſórum véniam conſequendo, reddantur innóxii; Per Chriſtum. S. R.

℟. Amen.

Orémus.

OMnípotens & miſéricors Deus, qui peccatórum indulgéntiam in confeſſióne céleri poſuiſti: ſuccurre lapſis, miſerére confeſſis; ut quos delictórum caténa conſtringit, miſerátio tuæ pietátis abſolvat; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. S. R.

℟. Amen.

Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, confiténtibus tibi his fámulis tuis, pro tua pietáte peccáta relaxa; ut non plus eis nóceat conſciéntiæ reátus ad pœnam, quàm indulgéntia tuæ pietátis proſit ad véniam; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. S. R.

℟. Amen.

Orémus.

S. R. DEus, humáni géneris benignísſime cónditor, & miſericordíſſime reformátor, qui hóminem invídiâ diáboli ab æternitáte dejectum, únici Fílii tui sánguine redemiſti: vivífica hos fámulos tuos, quos tibi nullatenùs mori desíderas; & quos non dereliquiſti dévios, aſſúme correctos: móveant pietátem tuam, quæſumus, Dómine, horum famulórum tuórum lacrymóſa ſuſpíria; tu eórum medére vulnéribus; tu jacéntibus manum pórrige ſalutárem; ne Eccléſia tua áliquâ ſui córporis portióne vaſtétur; ne grex tuus detrimentum ſuſtíneat; ne de famíliæ tuæ damno inimícus exultet; ne renátos lavácro ſalutári mors ſecunda poſsídeat: tibi ergo, Dómine, ſúpplices preces, tibi fletum cordis effúndimus: tu parce confiténtibus: ut ſic in hac mortalitáte peccáta ſua, te adjuvante, défleant, quátenùs in tremenda judícii die ſenténtiam damnatiónis æternæ evádant; & néſciant quod terret in ténebris, quod ſtridet in flammis; atque ab erróris via ad iter reverſi juſtítiæ, nequáquam vulnéribus ultrà ſaucientur: ſed íntegrum ſit eis atque perpétuum, & quod grátia tua cóntulit, & quod miſericórdia tua reformávit; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Celebrans, operto capite, & manu dextrâ extensâ ſuper Pœnitentes, Abſolutionem profert.

M. P. DOminus Jeſus Chriſtus, qui dixit diſcípulis ſuis, Quæcumque ligavéritis ſuper terram, erunt ligáta & in cœlis; & quæcumque ſolvéritis ſuper terram, erunt ſolúta & in cœlis; de quorum número me, quamvis indignum & peccatórem, miniſtrum tamen eſſe vóluit; intercedente gloriósâ Dei genitríce Maríâ, & beáto Michaéle Archángelo, & beáto Petro Apóſtolo, cui data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, & ómnibus Sanctis, ipſe vos abſolvat per miniſtérium noſtrum, ab ómnibus peccátis veſtris, quæcumque aut cogitatióne, aut locutióne, aut operatióne negligenter egiſtis: atque à vínculis peccatórum veſtrórum abſolútos perdúcere dignétur ad regna cœlórum; Qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat Deus.

℟. Amen.

Abſolutiónem ✠ & remiſſiónem ómnium peccatórum veſtrórum, ſpátium veræ pœniténtiæ, & emendatiónem vitæ tríbuat vobis omnípotens Deus. ℟. Amen.

[*Hodie in Eccleſia Cathedrali inter Miſſarum ſolemnia fit conſecratio Chriſmatis & Olei, prout notatur in Pontificali.*]

In Miſſa conſecrantur hodie duæ Hoſtiæ majores, quarum alteram ſumit Celebrans, alteram poſt Communionem defert in locum decenter ornatum, ut infrà notatur ſuo loco, pag. 143.

AD MISSAM. Rub.

SOLEMNE-MAJUS.

Non dicitur Pſalmus Júdica.

INTROITUS.

CHriſtus, cùm eſſet Fílius Dei, dídicit ex iis quæ paſſus eſt obediéntiam; & conſummátus, factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi cauſa ſalútis æternæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchíſedech. *PSALM.* Expectans expectávi Dóminum; * & intendit mihi. Chriſtus. Hebr. 5. Pſal. 39.

Dicitur Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, cujus Unigénitus, cùm dilexíſſet ſuos, in finem dilexit eos: da nobis hodiernum caritátis ejus ita tractáre myſtérium, & humilitátis exemplum ſectári; ut morienti pro peccátis noſtris confígi, & reſurgentem ad juſtificatiónem noſtram cónſequi mereámur eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

1. Cor. 11. FRatres; Conveniéntĭbŭs vobis in unum, jam non eſt domínicam cœnam mânducáre. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſúmit ad mânducandum. Et álĭŭs quidem éſurit, álius autem êbrius eſt. Numquid domos non habétis ad manducandum & bibendum? aut Eccléſĭăm Dei contémnitis, & confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hôc non laudo. Ego enim accépi à Dómino quod ĕt trádidi vobis: Quóniam Dóminus Jeſus in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens frêgit, & dixit: Accípite & manducáte; hoc eſt corpus meum quod prŏ vobis tradétur: hoc fácite in meam commemorâtiónem. Sĭmíliter & cálicem, poſtquàm cœnâvit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in mêo ſánguine. Hoc fácite quótĭĕſcumque bibétis, in meam commemorâtiónem. Quotieſcumque enim manducábitis panem hunc, ĕt cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, dônec véniat. Itaque quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálĭcĕm Dómini indignè; reus erit córporis & sânguinis Dómini. Probet autem sĕipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de câlice bibat. Qui enim mandúcat ĕt bibit indignè, judícium ſibi mandúcat & bibit, non dijúdicans côrpus Dómini. Ideò inter vos multi infirmi ĕt imbecilles, & dôrmiunt multi. Quòd ſi noſmetipſos dijŭdicarémus, non útique judîcarémur. Dum judicámur autem, ă Dómino corrípimur; ut non cum hŏc mundo damnémur.

Graduale. Non habémus Pontíficem, qui non poſſit cómpati infirmitátibus noſtris; tentátum autem per ómnia, pro ſimilitúdine abſque peccáto. ℣. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut miſericórdiam conſequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Hebr. 4.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 13. ANte diem feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus quia venit hora ejus ut tránſeat ex hŏc mundo ad Patrem, cùm dilexíſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit ĕos. Et cœna facta, cùm diábolus jam miſíſſet in cor, ut tráderet eum Judas Simónis Iſcariótæ: ſciens quia ómnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exívit, & ad Deum vadit; ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua; & cùm accepíſſet línteum, prăecinxit ſe: deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit laváre pedes diſcipulórum, & extérgere línteo quo erat præcĭnctus. Venit ergo ad Simónem Pĕtrum. Et dicit ei Pĕtrus: Dómine tu mihi lavas pedes? Rĕſpondit Jeſus, & dixit ĕi: Quod ego fácio, tŭ neſcis modò; ſcies autem pŏſteà. Dicit ei Pĕtrus. Non lavábis mihi pedes in ætĕrnum. Reſpondit ei Jesŭs: Si nŏn lávero te, non habébis partem mĕcum. Dicit ei Simon Pĕtrus: Dómine, non tantŭm pedes meos, ſed & manus & căput. Dicit ei Jesŭs: Qui lotus eſt, non índiget niſi ut pedes lavet, sĕd eſt

mundus totus ; & vos mundi eſtis, ſed non ŏmnes. Sciébat enim quiſnam eſſet quĭ tráderet eum ; proptéreà dixit, Non eſtis mundi ŏmnes. Poſtquàm ergo lavit pedes eórum, & accépit veſtĭmenta ſua ; cùm recubuiſſet íterùm, dixit ĕis : Scitis quid fécerim vobis ? Vos vocátis me, Măgiſter, & Dómine : & benè dícitis ; ſum ĕtenim. Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dóminus & Magiſter, & vos debétis alter altérius lăváre pedes ; exemplum enim dedi vobis, ut quemádmodùm ego fecĭ vŏbis, ita & vos faciátis.

Dicitur Credo.

Eph. 5. *Offertorium.* Chriſtus dilexit nos, & trádidit ſemetipſum pro nobis oblatiónem & hóſtiam Deo in odórem ſuavitátis.

Secreta.

M. A. IPſe tibi, quæſumus, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, ſacrifícium noſtrum reddat acceptum, qui diſcípulis ſuis in ſuî commemoratiónem hoc fíeri hodiernâ traditióne monſtrávit, Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter, Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs.

Præfatio hujus diei propria.

Intra actionem.

COmmunicantes, & diem ſacratíſſimum celebrantes, quo Dóminus noſter Jeſus Chriſtus pro nobis eſt tráditus : ſed & memóriam venerantes, in primis glorióſæ ſemperque Vírginis Maríæ, genitrícis ejuſdem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti ; ſed & beatórum Apoſtolórum ac Mártyrum tuórum Petri & Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joannis, Thomæ, Jacóbi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis & Thaddæi ; Lini, Cleti, Clementis, Xyſti, Cornélii, Cypriáni, Laurentii, Chrysógoni, Joannis & Pauli, Coſmæ & Damiáni, & ómnium Sanctórum tuórum ; quorum méritis precibuſque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio ; *Jungit manus* Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Tenens manus expanſas ſuper oblata, dicit:

Hanc ígitur oblatiónem ſervitútis noſtræ, ſed & cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus ob diem in qua Dóminus noſter Jeſus Chriſtus trádidit diſcípulis ſuis córporis & ſánguinis ſui myſtéria celebranda: quæſumus, Dómine, ut placátus accípias, dieſque noſtros in tua pace diſpónas, atque ab æterna damnatióne nos éripi, & in electórum tuórum júbeas grege numerári; *Jungit manus* Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quæſumus, *ſignat ter ſuper oblata* bene-✠dictam, aſcri-✠ptam, ra-✠tam, rationábilem, acceptabilemque fácere dignéris: *ſignat ſemel ſuper Hoſtiam* ut nobis Cor-✠pus, *& ſemel ſuper Calicem* & San-✠guis fiat dilectíſſimi Fílii tui *Jungit manus* Dómini noſtri Jeſu Chriſti.

Qui prídie quàm pro noſtra omniumque ſalúte paterétur, hoc eſt hódie, *accipit Hoſtiam* accépit panem in ſanctas ac venerábiles manus ſuas,

Cetera ut in Canone.

Cùm incipit, Pater noſter, *pulſantur omnes campanæ pro ultimo ſigno Veſperarum: nec ampliùs pulſantur uſque ad Sabbatum ſanctum.*

Dicitur Agnus Dei, *& pax datur. Factâ Communione Cleri & populi, Celebrans includit Hoſtiam in Craſtinum reſervandam, in Calice, quem patenâ & velo operit; deindè ſumit ablutionem, & purificat digitos, genuflectens antequam vadat ad cornu Epiſtolæ, & cùm redit ad medium Altaris.*

Luc. 22. *COMMUNIO.* Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobiscum, ántequàm pátiar.

[*Qui privatim celebrant, Missam terminant ut sequitur.*

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. CUstódi, Dómine, quos redemísti, factus ipse hóstia, qui Sacerdos; ipse prétium, qui Redemptor; & concéde, ut sicut in memóriam Passiónis tuæ temporáli cœnâ reficimur, ità satiári mereámur æternâ; Qui vivis & regnas.

Ite, Missa est.]

In Missa majori, *Celebrans dictâ Communione, genuflexus in infimo gradu Altaris, ter SS. Sacramentum incensat: accedit ad Altare, genuflectit, accipit in manibus SS. Sacramentum, & medius inter Diaconum & Subdiaconum, illud defert sub Baldachino ad locum præparatum, duobus Thuriferariis præeuntibus, & incensantibus, & duobus Clericis à lateribus baldachini faces accensas gerentibus. Interim Chorus cantat Hymnum* Pange lingua. *Cùm celebrans pervenit ad dictum locum, deponit SS. Sacramentum, ac collocat in arca seu Capsa ad hoc præparata. Mox genuflexus, ter SS. Sacramentum incensat. Quo facto omnes redeunt in chorum: ubi canuntur Vesperæ, sedentibus Celebrante ac Ministris in cornu Epistolæ, ibique Vesperas recitantibus.*

AD VESPERAS.

PSALMUS 114.

DIlexi, * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi; * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni; * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * miséricors Dóminus, & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; * quia Dóminus benefécit tibi:

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino, * in regióne vivórum.

Ant. 4. E. Occidétur Christus; & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Dan. 9.

PSALMUS 115.

CRédidi propter quod locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspectu Dómini mors Sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus; * ego servus tuus, & fílius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspectu omnis pópuli ejus, * in átriis Domûs Dómini, in medio tuî, Jerúsalem.

Ant. 8. G. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. Is. 53.

Psalmus 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi; * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Is. 53. *Ant.* 1. a. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquisque in viam suam declinávit; & pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

Is. 53. *Ant.* 2. D. Oblátus est, quia ipse vóluit; & iniquitátes multórum ipse portábit.

Psalmus 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres manuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & benè tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui sicut novellæ olivárum * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diebus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. 6. F. Unâ oblatióne consummávit in sempiternum sanctificátos. Hebr. 10.

Finitâ Antiphonâ, Celebrans surgit & imponit Antiphonam ad Magníficat, *indictam à Choristâ.*



Spi-ri- tus. 1. D.

Canticum, Magníficat.

Antiphona. Spíritus oris nostri Christus Dóminus captus est in peccátis nostris. Thre. 4.

Post Canticum Celebrans redit ad Altare, quod osculatus, dicit:

Dóminus vobiscum.

Postcommunio. Orémus.

CUstódi, Dómine, quos redemísti, factus ipse hóstia, qui Sacerdos; ipse prétium, qui Redemptor: & concéde, ut sicut in memóriam Passiónis tuæ temporáli cœnâ refícimur, ita satiári mereámur æternâ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus. M. P.

Ite, Missa est.

Post

Poſt Veſperas nulla alia dicitur Miſſa ; ſed denudantur Altaria , & auferuntur Crux , & candelabra , &c. & fit ablutio Altarium hoc modo.

Rub. *Itur proceſſionaliter in ſilentio , cum cruce & luminaribus , ad ſingula Altaria , incipiendo à majori. Ante quodlibet Altare cantatur Antiphona de Sancto , ſub cujus invocatione Altare eſt conſecratum : ac interim Celebrans , Alba indutus cum Stola rubea , miniſtrantibus Acolythis , aquam , deindè vinum fundit in modum crucis , in quamlibet crucem Altaris , ordine in ſequenti Figura deſcripto.*



Diaconus in ſtola rubea ſuper albam , & Subdiaconus in alba , aquam illam & vinum ramis buxeis per totum Altare diffundunt ; Acolythus autem poſteà linteo extergit. Poſt Antiphonam , pueri verſiculum canunt ſine neumate ; Choro reſpondente ; Celebrans cantat Collectas , quam brevi concluſione terminat.

Ubi non miniſtrant Diaconus & Subdiaconus , ipſe Celebrans aquam & vinum , ramo buxeo , per totum Altare diffundit , ac ſi deſit Acolythus , linteo extergit.

Proceſſione in Chorum reversâ , Diaconus induit dalmaticam & manipulum rubei coloris , & dicto flexis genibus in veſtiario , Munda cor meum, *&c. pergit in chorum , præcedentibus Thuriferario , Ceroferariis , Cruce , ac Subdiacono tunicâ rubeâ induto : librum Evangelii ferens , accedit ad dignio-rem chori , & flexis genibus , petit ab eo benedictionem , quâ acceptâ cantat ad Aquilam Evangelium* Ante diem Feſtum , *ſuprà , pag.* 140.

Poſt Evangelium fit lotio pedum pro conſuetudine cujuſque Eccleſiæ , à Præpoſito qui linteo præcinctus , nudo capite , flexis genibus , duodecim pauperum aut puerorum pedes lavat ; & mantili , quod ei miniſtrat genuflexus Diaconus , exterſos oſculatur. Interim cantantur à Clero Antiphonæ & Pſalmi , ut notantur in Proceſſionali.

Finitâ lotione pedum , Celebrans , lotis manibus , nudo adhuc capite cantat :

℣. Oſtende nobis , Dómine , miſericórdiam tuam ; *Chor.* ℟. Et ſalutáre tuum da nobis. Pſal. 84.

Kyrie , eléiſon. Chriſte , eléiſon. Kyrie , eléiſon.

Pater noſter , *ſecretò. Sacerdos ,*

Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Suſcépimus , Deus , miſericórdiam tuam ; ℟. In médio templi tui. Pſal. 47.

℣. Tu mandaſti , Dómine , ℟. Mandáta tua , cuſtodíri nimis. Pſal. 118.

℣. Dómine , exaudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. Pſal. 101.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Collecta. Orémus.

ADeſto , Dómine , quæſumus , officio ſervitútis noſtræ : & quia tu diſcípulis tuis pedes laváre dignátus es , ne deſpícias ópera mánuum tuárum , quæ nobis retinenda mandaſti ; ut ſicut exterióra abluuntur inquinamenta , ſic à te ómnium noſtrûm interióra laventur peccáta ; Qui vivis & regnas , Deus , per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen. M. A.

Niger cum oris rub.

FERIA SEXTA
IN PARASCEVE.

Horæ minores.

Poſt Nonam Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus cum caſula, dalmatica & tunica nigris, ſine luminaribus, cruce & incenſo, procedunt ad Altare coopertum unâ tantùm mappâ, quæ etiam anteriorem ejus partem involvat, omni lumine extincto; & ante illud genibus flexis aliquamdiù orant. Poſt orationem aſcendunt, & Celebrans Altare oſculatur in medio.

Deinde cantantur in Choro Lectiones & Tractus ſequentes, ſedentibus omnibus; ad Collectas verò ſtantibus.

Lector in habitu chori ordinario cantat ad Aquilam Chori Lectionem ſequentem, ſine titulo, in tono Lectionum.

LECTIO I.

Exod. 12. IN diébus illis; Dixit Dóminus ad Móyſen & Aaron in terra Ægypti: Menſis iſte, vobis princípium ménſium: primus erit in ménſibus anni. Loquímini ad univerſum cœtum filiórum Iſrael, & dícite eis: Décima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per famílias & domos ſuas. Sin autem minor eſt númerus ut ſuffícere poſſit ad veſcendum agnum; aſſúmet vícinum ſuum qui junctus eſt dómui ſuæ, juxta númerum animárum quæ ſuffícere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque mácula, máſculus, annículus: juxta quem ritum tollétis & hædum. Et ſervábitis eum uſque ad quartam décimam diem menſis hujus; immolabitque eum univerſa multitúdo filiórum Iſrael ad véſperam. Et ſument de sánguine ejus, ac ponent ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminâribus domórum, in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & ázymos panes, cum lactúcis agréſtibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantùm aſſum igni. Caput cum pédibus ejus & inteſtínis vorábitis: nec remanébit quidquam ex eo uſque manè. Si quid resíduum fúerit, igne comburétis. Sic autem comedétis illum. Renes veſtros accingétis, & calceamenta habébitis in pédibus, tenentes báculos in mánibus, & comedétis feſtinanter: eſt enim Phaſe (id eſt tránſitus) Dómini. Et transíbo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogénitum in terra Ægypti ab hómine uſque ad pecus: & in cunctis diis Ægypti fáciam judícia, ego Dóminus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus éritis: & vidébo sánguinem, & transíbo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percúſſero terram Ægypti. Habébitis autem hunc diem in monumentum: & celebrábitis eam ſolemnem Dómino in generatiónibus veſtris cultu ſempitĕrno.

TRACTUS. Deus, laudem meam ne tacúeris; quia os peccatóris, & os dolósi ſuper me apertum eſt. Locúti ſunt adversùm me linguâ dolósâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me: & expugnavérunt me gratìs. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi: ego autem orábam. Et poſuérunt adversùm me mala pro bonis, & ódium pro dilectióne mea. Adjuva me, Dómine Deus meus: ſalvum me fac ſecundùm miſericórdiam tuam. Pſal. 108.

Collecta.

Celebrans ſurgit, & ad Altare in cornu Epiſtolæ cantat:



O-remus.

Diaconus genuflectens dicit:



Flectamus genua.

Et interjectâ pausâ, per quam omnes genuflectunt, dicit:



Levate.

Si deſit Diaconus, ipſe Celebrans cantat: Flectámus génua. Leváte.

DEus juſte & miſéricors, qui Fílium tuum unigénitum pro nobis peccatóribus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum tradi voluiſti: da nobis ad aſpectum in cruce pendentis, compunctiónem cordis ſalutárem: ut qui peccando, vitæ auctórem interfécimus, pœnitendo, vitam ex morte ipsíus hauriámus; Per eumdem.

Alius Lector in habitu chori cantat in eodem tono, ad Aquilam Chori ſine titulo, ſequentem Lectionem.

Lectio II.

Is. 53. QUis crédidit audítui noſtro? & bráchium Dómini cui revelátum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpécies ei, neque decor: & vídimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderávimus eum; deſpectum, & novíſſimum virórum, virum dolórum, & ſcientem infirmitátem: & quaſi abſcónditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputávimus eum. Verè languóres noſtros ipſe tulit, & dolóres noſtros ipſe portávit: & nos putávimus eum quaſi lepróſum, & percuſſum à Deo, & humiliátum. Ipſe autem vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras, attrítus eſt propter ſcélera noſtra: diſciplína pacis noſtræ ſuper eum, & livóre ejus ſanáti ſumus. Omnes nos quaſi oves errávimus, unuſquiſque in viam ſuam declinávit; & póſuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium noſtrum. Oblátus eſt quia ipſe vóluit, & non apéruit os ſuum: ſicut ovis ad occiſiónem ducétur, & quaſi agnus coram tondente ſe obtumeſcet, & non apériet os ſuum. De angústia & de judício ſublátus eſt: generatiónem ejus quis enarrábit? quia abſciſſus eſt de terra vivéntium: propter ſcelus pópuli mei percuſſi eum. Et dabit ímpios pro ſepultúra, & dívitem pro morte ſua: eo quòd iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: ſi poſúerit pro peccáto ánimam ſuam, vidébit ſemen longævum, & voluntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quòd laborávit ánima ejus, vidébit & ſaturábitur: in ſciéntia ſua juſtificábit ipſe ſervus meus multos, & iniquitátes eórum ipſe portábit. Ideò diſpértiam ei plúrimos, & fórtium dívidet ſpólia, pro eo quòd trádidit in mortem ánimam ſuam, & cum ſcelerátis reputátus eſt: & ipſe peccáta multórum tulit, & pro tranſgreſſóribus rogávit.

Tractus. Eripe me, Dómine, ab hómine malo: à viro iníquo éripe me. Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: totâ die conſtituébant prælia. Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venénum áſpidum ſub lábiis eórum. Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris, & ab homínibus iníquis éripe me. Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos: abſcondérunt ſuperbi láqueum mihi. Et funes extendérunt in láqueum: juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi. Dixi Dómino: Deus

Pſal. 139.

meus es tu : exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ. Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli. Ne tradas me à deſidério meo peccatóri : cogitavérunt contra me ; ne derelinquas me, ne fortè exaltentur. Caput circúitus eórum : labor labiórum ipſórum opériet eos. Verúmtamen juſti confitébuntur nómini tuo : & habitábunt recti cum vultu tuo.

Dum finitur Tractus, Diaconus, nudatis priùs pedibus, dicit more ſolito, Munda cor meum ; *ſed non petit benedictionem : & poſt Tractum, ſtantibus omnibus, cantat Paſſionem, non in Ambone, ſed in Choro ſuper nudum pulpitum : non deferuntur luminaria, Crux, nec incenſum ; non ſignat ſe, neque Librum : incipit abſolutè.*

Páſſio Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm Joannem.

Joan. 18.

IN illo témpore ; Egreſſus eſt Jeſus cum diſcípulis ſuis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introívit ipſe, & diſcípuli ejus. Sciébat autem & Judas, qui tradébat eum, locum : quia frequenter Jeſus convénerat illuc cum diſcípulis ſuis. Judas ergo cùm accepiſſet cohortem, & à Pontifícibus & Phariſæis miniſtros ; venit illuc cum laternis, & fácibus, & armis. Jeſus ítaque ſciens ómnia quæ ventúra erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis : Quem quæritis ? Reſpondérunt ei : Jeſum Nazarénum. Dicit eis Jeſus : Ego ſum. Stabat autem & Judas, qui tradébat eum, cum ipſis. Ut ergo dixit eis, Ego ſum ; abiérunt retrorsùm, & cecidérunt in terram. Iterùm ergo interrogávit eos ; Quem quæritis ? illi autem dixérunt : Jeſum Nazarénum. Reſpondit Jeſus : Dixi vobis, quia Ego ſum : ſi ergo me quæritis, ſínite hos abíre. Ut implerétur ſermo quem dixit : quia Quos dediſti mihi, non pérdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gládium, eduxit eum : & percuſſit Pontíficis ſervum, & abſcídit aurículam ejus déxteram. Erat autem nomen ſervo, Malchus. Dixit ergo Jeſus Petro : Mitte gládium tuum in vagínam. Cálicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum ? Cohors ergo, & tribúnus, & miniſtri Judæórum comprehendérunt Jeſum, & ligavérunt eum ; & adduxérunt eum ad Annam primum : erat enim ſocer Cáiphæ, qui erat póntifex anni illíus. Erat autem Cáiphas, qui consílium déderat Judæis : quia expedit unum hóminem mori pro pópulo. Sequebátur autem Jeſum Simon Petrus, & álius diſcípulus. Diſcípulus autem ille erat notus pontífici, & introívit cum Jeſu in átrium pontíficis. Petrus autem ſtabat ad óſtium foris. Exívit ergo diſcípulus álius, qui erat notus pontífici, & dixit oſtiáriæ, & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla oſtiária : Numquid & tu ex diſcípulis es hóminis iſtíus ? Dicit ille : Non ſum. Stabant autem ſervi & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciébant ſe. Erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefáciens ſe. Póntifex ergo interrogávit Jeſum de diſcípulis ſuis, & de doctrína ejus. Reſpondit eis Jeſus : Ego palàm locútus ſum mundo : ego ſemper dócui in ſynagóga, & in templo, quò omnes Judæi convéniunt ; & in occulto locútus ſum nihil : quid me intérrogas ? Intérroga eos qui audiérunt quid locútus ſim ipſis : ecce hi ſciunt, quæ díxerim ego. Hæc autem cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrórum dedit álapam Jeſu, dicens : Sic reſpondes pontífici ? Reſpondit ei Jeſus : Si

malè

malè locútus ſum, teſtimónium pérhibe de malo; ſi autem benè, quid me cædis? Et miſit eum Annas ligátum ad Cáipham pontíficem. Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefáciens ſe. Dixérunt ergo ei: Numquid & tu ex diſcípulis ejus es? Negávit ille, & dixit: Non ſum. Dicit ei unus ex ſervis pontíficis, cognátus ejus cujus abſcídit Petrus aurículam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterùm ergo negávit Petrus: & ſtatim gallus cantávit. Addúcunt ergo Jeſum à Cáipha in prætórium. Erat autem manè: & ipſi non introiérunt in prætórium, ut non contaminarentur, ſed ut manducárent Paſcha. Exívit ergo Pilátus ad eos foràs, & dixit: Quam accuſatiónem affertis adversùs hóminem hunc? Reſpondérunt, & dixérunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſémus eum. Dixit ergo eis Pilátus: Accípite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicáte eum. Dixérunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interfícere quemquam. Ut ſermo Jeſu implerétur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moritúrus. Introívit ergo íterùm in prætórium Pilátus, & vocávit Jeſum, & dixit ei: Tu es Rex Judæórum? Reſpondit Jeſus: A temetipſo hoc dicis, an álii dixérunt tibi de me? Reſpondit Pilátus: Numquid ego Judæus ſum? Gens tua, & Pontífices tradidérunt te mihi: quid feciſti? Reſpondit Jeſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei útique decertárent ut non tráderer Judæis; nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit ítaque ei Pilátus: Ergo Rex es tu? Reſpondit Jeſus: Tu dicis quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimónium perhíbeam veritáti: omnis qui eſt ex veritáte, audit vocem meam. Dicit ei Pilátus: Quid eſt véritas? Et cùm hoc dixiſſet, íterùm exívit ad Judæos, & dicit eis: Ego nullam invénio in eo cauſam. Eſt autem conſuetúdo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis regem Judæórum? Clamavérunt ergo rursùm omnes, dicentes: Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilátus Jeſum, & flagellávit. Et mílites plectentes corónam de ſpinis, impoſuérunt cápiti ejus; & veſte purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, & dicébant: Ave, Rex Judæórum. Et dabant ei álapas. Exívit ergo íterùm Pilátus foras, & dicit eis: Ecce addúco vobis eum foràs, ut cognoſcátis quia nullam invénio in eo cauſam. (Exívit ergo Jeſus portans corónam ſpíneam, & purpúreum veſtimentum.) Et dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidiſſent eum Pontífices, & miniſtri, clamábant, dicentes: Crucifíge, crucifíge eum. Dicit eis Pilátus: Accípite eum vos, & crucifígite; ego enim non invénio in eo cauſam. Reſpondérunt ei Judæi: Nos legem habémus, & ſecundùm legem debet mori, quia Fílium Dei ſe fecit. Cùm ergo audiſſet Pilátus hunc ſermónem, magìs tímuit; & ingreſſus eſt prætórium íterùm, & dixit ad Jeſum: Unde es tu? Jeſus autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilátus: Mihi non lóqueris? neſcis quia poteſtátem hábeo crucifígere te, & poteſtátem hábeo dimíttere te? Reſpondit Jeſus: Non habéres poteſtátem adversùm me ullam, niſi tibi datum eſſet déſuper: proptéreà qui me trádidit tibi, majus peccátum habet. Et exinde quærébat Pilátus dimíttere eum. Judæi autem clamábant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amícus Cæſaris: omnis

enim qui ſe regem facit, contradícit Cæſari. Pilátus autem cùm audiſſet hos ſermónes, adduxit foràs Jeſum; & ſedit pro tribunáli, in loco qui dícitur Lithóſtrotos, Hebráicè autem Gábbatha. Erat autem Paraſcéve Paſchæ, hora quaſi ſexta; & dicit Judæis: Ecce Rex veſter. Illi autem clamábant: Tolle, tolle, crucifíge eum. Dicit eis Pilátus: Regem veſtrum crucífigam? Reſpondérunt Pontífices: Non habémus Regem, niſi Cæſarem. Tunc ergo trádidit eis illum, ut crucifigerétur. Suſcepérunt autem Jeſum, & eduxérunt. Et bájulans ſibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriæ, locum, Hebráicè autem Gólgotha, ubi crucifixérunt eum, & cum eo álios duos, hinc & hinc, médium autem Jeſum. Scripſit autem & títulum Pilátus, & póſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: Jeſus Nazarénus Rex Judæórum. Hunc ergo títulum multi Judæórum legérunt; quia propè civitátem erat locus ubi crucifixus eſt Jeſus. Et erat ſcriptum Hebráicè, Græcè, & Latínè. Dicébant ergo Piláto Pontífices Judæórum: Noli ſcríbere, Rex Judæórum; ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæórum. Reſpondit Pilátus: Quod ſcripſi, ſcripſi. Mílites ergo cùm crucifixiſſent eum, accepérunt veſtimenta ejus (& fecérunt quátuor partes, unicuique míliti partem), & túnicam. Erat autem túnica inconsútilis, déſuper contexta per totum. Dixérunt ergo ad ínvicem: Non ſcindámus eam, ſed ſortiámur de illa, cujus ſit. Ut Scriptúra implerétur, dicens: Partíti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſérunt ſortem. Et mílites quidem hæc fecérunt. Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcípulum ſtantem, quem diligébat, dicit matri ſuæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit diſcípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam diſcípulus in ſua. Poſteà ſciens Jeſus quia ómnia conſummáta ſunt, ut conſummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat póſitum acéto plenum. Illi autem ſpóngiam plenam acéto, hyſſópo circumponentes, obtulérunt ori ejus. Cùm ergo accepiſſet Jeſus acétum, dixit: Conſummátum eſt. Et inclináto cápite, trádidit ſpíritum.

Hîc omnes proſtrati, nudo capite, terram oſculantur: ſurgunt; & Diaconus proſequitur.

Judæi ergo, (quóniam Paraſcéve erat) ut non remanérent in cruce córpora Sábbato, (erat enim magnus dies ille Sábbati) rogavérunt Pilátum ut frangerentur eórum crura, & tollerentur. Venérunt ergo mílites, & primi quidem fregérunt crura, & altérius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Jeſum autem cùm veniſſent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura: ſed unus mílitum lánceâ latus ejus apéruit; & contínuò exívit ſanguis, & aqua. Et qui vidit, teſtimónium perhíbuit; & verum eſt teſtimónium ejus. Et ille ſcit quia vera dicit; ut & vos credátis. Facta ſunt enim hæc ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex eo. Et íterùm ália Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt. Poſt hæc autem rogávit Pilátum Joſeph ab Arimathæa, (eò quòd eſſet diſcípulus Jeſu, occultus autem propter metum Judæórum) ut tólleret corpus Jeſu. Et permíſit Pilátus. Venit ergo, & tulit corpus Jeſu. Venit autem & Nicodémus, qui vénerat ad Jeſum nocte primùm, ferens mixtúram myrrhæ & áloës, quaſi libras centum. Accepérunt ergo corpus Jeſu,

& ligavérunt illud línteis cum aromátibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelíre. Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus; & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam póſitus erat. Ibì ergo propter Paraſcéven Judæórum, quia juxtà erat monumentum, poſuérunt Jeſum.

Sacerdos non oſculatur librum, ſed finitâ Paſſione, ſtans in cornu Epiſtolæ cantat ſequentes Monitiones & Orationes: Monitiones, junctis manibus; Orationes verò, expanſis. Stant omnes in Choro, & monente Diacono, genua flectunt & ſurgunt. Orationes omnes terminantur majori concluſione.

Pro universali Ecclesia.



ORémus, dilectíſſimi nobis, pro Eccléſia ſancta Dei; ut eam Deus & Dóminus noſter pacificáre, adunáre, & cuſtodíre dignétur toto orbe terrárum, ſubjíciens ei principátus & poteſtátes; detque nobis, quiétam & tranquillam vitam degéntibus, glorificáre Deum Patrem omnipotentem.

Sacerdos extendens & jungens manus, caputque inc'inans, proſequitur, (*quod & in ſequentibus obſervatur.*)



O-remus.

Diaconus genuflectens dicit:



Flectamus genua.

Interjectâque morulâ, per quam omnes genuflectunt, ſurgens dicit:



Levate.

Quod & in ſequentibus obſervatur.

Oratio.

M. A. OMnípotens ſempiterne Deus, qui glóriam tuam ómnibus in Chriſto géntibus revelaſti: cuſtódi ópera miſericórdiæ tuæ; ut Eccléſia tua toto orbe diffúſa, ſtábili fide in confeſſióne tui nóminis perſevéret; Per eumdem Dóminum.

℟. Amen.

Pro Papa.

ORémus & pro beatíſſimo Papa noſtro *N.* ut Deus & Dóminus noſter, qui elégit eum in órdinem Epiſcopátûs, ſalvum atque incólumen cuſtódiat Eccléſiæ ſuæ ſanctæ, ad regendum pópulum ſanctum Dei.

Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

OMnípotens ſempiterne Deus, cujus judício univerſa fundantur: réſpice propítius ad preces noſtras, & electum nobis Antíſtitem tuâ pietáte conſerva; ut Chriſtiána plebs, quæ, te gubernátur auctóre, ſub tanto Pontífice, credulitátis ſuæ méritis augeátur; Per Dóminum. M. A.

℟. Amen.

Pro D. Episcopo.

[*Cùm D. Epiſcopus celebrat, prætermittit hanc Monitionem cum Oratione.*]

ORémus & pro reverendíſſimo in Chriſto Patre *N.* Pontífice noſtro, ut Dóminus noſter Jeſus Chriſtus dírigat eum ſecundùm cor ſuum ad regendum pópulum ſibi créditum in Eccléſia ſancta Dei.

Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

OMnípotens ſempiterne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro, & dírige eum ſecundùm tuam cleméntiam in viam ſalútis æternæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat; Per Dóminum. M. A.

℟. Amen.

Pro universis ordinibus.

ORémus & pro ómnibus Epíſcopis, Presbyteris, Diacónibus, Subdiacónibus, Acólytis, Exorciſtis, Lectóribus, Oſtiáriis, Confeſſóribus, Virgínibus, Víduis, Orphanis, & pro omni pópulo ſancto Dei.

Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

M. A. OMnípotens ſempiterne Deus, cujus Spíritu totum corpus Eccléſiæ ſanctificátur, & régitur: exaudi nos pro univerſis ordínibus ſupplicantes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter ſerviátur; Per Dóminum..... ejuſdem.

℟. Amen.

Pro Rege.

ORémus & pro Chriſtianiſſimo Rege noſtro *N.* ut Deus & Dóminus noſter det illi ſédium ſuárum aſſiſtrícem ſapiéntiam, quâ pópulum ſibi commiſſum gubernet in omni juſtítia & ſanctitáte, ad divínam glóriam, & ad noſtram perpétuam pacem.

Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui regnis ómnibus æternâ poteſtáte domináris: réſpice ad Francórum benígnus impérium; ut & Rex juſtè imperando, & pópulus fidéliter obediendo, ad glóriam tui nóminis, & regni tranquillitátem, unánimi pietáte conſpírent; Per Dóminum.

℟. Amen.

Pro Catechumenis.

ORémus & pro Catechúmenis noſtris, ut Deus & Dóminus noſter adapériat aures præcordiórum ipſórum, januamque miſericórdiæ; ut per lavácrum regeneratiónis, acceptâ remiſſióne ómnium peccatórum, & ipſi inveniántur in Chriſto Jeſu Dómino noſtro.

Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

OMnípotens ſempiterne Deus, M. A. qui Eccléſiam tuam novâ ſemper prole fœcundas: auge fidem & intellectum Catechúmenis noſtris; ut renáti fonte baptíſmatis, adoptiónis tuæ fíliis aggregentur; Per Dóminum.

℟. Amen.

Pro amovendis adversis.

ORémus, dilectíſſimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erróribus; morbos áuferat; famem depellat; apériat cárceres; víncula diſſolvat; peregrinántibus réditum, infirmántibus ſanitátem, navigántibus portum ſalútis indúlgeat.

Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

OMnípotens ſempiterne Deus, M. A. mœſtórum conſolátio, laboránium fortitúdo: pervéniant ad te preces de quacumque tribulatióne clamántium; ut omnes in neceſſitátibus ſuis miſericórdiam tuam ſibi gáudeant adfuiſſe; Per Dóminum.

℟. Amen.

Pro Hæreticis et Schismaticis.

ORémus & pro Hæréticis & Schiſmáticis; ut Deus & Dóminus noſter éruat eos ab erróribus univerſis, & ad ſanctam matrem Eccléſiam cathólicam atque apoſtólicam revocáre dignétur.

Orémus.

Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

M. A. OMnípotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & néminem vis perire, réſpice ad ánimas diabólicâ fraude deceptas; ut omni hæréticâ pravitáte depóſitâ, errántium corda reſipiſcant, & ad veritátis tuæ rédeant unitátem; Per Dóminum.

℟. Amen.

PRO JUDÆIS.

ORémus, & pro pérfidis Judæis; ut Deus & Dóminus noſter áuferat velámen de córdibus eórum, ut & ipſi agnoſcant Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum.

Orémus.

Hìc non dicitur Flectámus génua.

M. A. OMnípotens ſempiterne Deus, qui étiam Judáicam perfídiam à tua miſericórdia non repellis: exaudi preces noſtras, quas pro illíus pópuli obcæcatióne deférimus; ut ágnitâ veritátis tuæ luce, quæ Chriſtus eſt, à ſuis ténebris eruantur; Per eumdem.

℟. Amen.

PRO PAGANIS.

ORémus & pro Pagánis; ut Deus omnípotens áuferat iniquitátes à córdibus eórum; & relictis idólis ſuis, convertantur ad Deum vivum & verum, & únicum Fílium ejus Jeſum Chriſtum Deum & Dóminum noſtrum, qui vivit & regnat cum ipſo & Spíritu ſancto Deus.

Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

M. A. OMnípotens ſempiterne Deus, qui non mortem peccatórum, ſed vitam ſemper inquíris: ſúſcipe propítius oratiónem noſtram, & líbera eos ab idolórum cultúra, & ágggrega Eccléſiæ tuæ ſanctæ, ad laudem & glóriam nóminis tui; Per Dóminum.

℟. Amen.

ADORATIO CRUCIS.

Finitis Orationibus, Sacerdos, Diaconus & Subdiaconus vadunt ad ſedes ſuas, ubi Caſulam, Dalmaticam & Tunicam deponunt & denudant pedes, & ſtatim revertuntur ad Altare, in cujus ſuperiori gradu Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum genua flectit, versâ facie ad Chorum.

Interim Crux defertur proceſſionaliter in Chorum hoc ordine.

Præcedunt duo Cantores in Cappis rubeis; ſequuntur duo Diaconi Albis induti cum Stolis ac Manipulis rubeis, (vel ſi non adſint Diaconi, duo Clerici in Albis,) Crucem linteo coopertam geſtantes, versâ ad Chorum Crucifixi facie, alterâ manu Crucis brachia, alterâ pedem ſuſtentantes: eos ſequuntur duo Presbyteri in Cappis nigris, omnes nudis pedibus.

In ingreſſu Chori ordine prædicto genua flectunt, facie ad Crucem versâ; omnibus pariter in Eccleſia genuflexis.

Duo Presbyteri in Cappis nigris cantant Improperium ſequens:

POpule meus, quid feci tibi? aut quid moleſtus fui tibi? Reſponde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, eduxiſti me ut crucifígerer. Haccine reddis dómino tuo? Mich. 6. Marc. 15. Deut. 32.

Duo Cantores in Cappis rubeis cantant Triſagion ſequens.

AGios ô Theos, Agios íſchyros, Agios athánatos, eléiſon imas. M. P.

Chorus cantat, ſurgentibus Presbyteris, aliiſque Miniſtris, & versùs medium Chori procedentibus.

SAnctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális, miſerére nobis. M. P.

Iterùm in medio Chori genua flectunt ; & duo Presbyteri in Cappis nigris cantant ſecundùm Improperium.

Amos. 2. Deut. 8. 31. Pſal. 68. Deut. 32. EGo ſum qui duxi te in deſerto quadraginta annis, & cibávi te mannâ, & introduxi te in terram lacte & melle manantem ; & tu dediſti in eſcam meam fel. Hæccine reddis dómino tuo ?

Cantores in Cappis rubeis cantant Agios, *& Chorus*, Sanctus.

Dum Cantatur Sanctus, *ſurgunt Miniſtri & versùs Sanctuarium progrediuntur, ubi flectunt genua dum Presbyteri in Cappis nigris cantant tertium Improperium.*

Iſ. 5. Jer. 2. Pſal. 68. Deut. 32. QUid eſt quod débui ultrà fácere tibi, & non feci ? Ego plantávi te víneam electam, omne ſemen verum. Quómodò converſa es mihi in pravum, vínea aliéna ? In ſiti mea potaſti me acéto. Hæccine reddis dómino tuo ?

Cantores in Cappis rubeis cantant Agios, *& Chorus*, Sanctus.

Tum Diaconi procedentes ad Altare, Crucem tradunt Celebranti, qui eam diſcooperit, imponens Antiphonam.



Choro proſequente.

Ec-ce lignum Crucis, in quo ſalus mundi pependit ; veníte, adorémus.

Pſal. 66. *PSALM.* Deus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis : * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî.

Antiphonâ impoſitâ à Celebrante, Diaconi Crucem ſuper menſam paratam propè gradus Altaris tranſverſim ponunt, pedibus Crucifixi ad partem Epiſtolæ verſis ; moxque Celebrans ter per diverſa intervalla genuflectit, & poſt tertiam genuflexionem, Crucem adorat & oſculatur.

Eodem quo Celebrans ritu & ordine, Diaconus, ac deindè Subdiaconus, quos interim Sacerdos ſtans expectat, Crucem adorant ; & cum Celebrante revertuntur ad ſedes ſuas, ubi reſumptis calceamentis, ornamentis ſuis induuntur & ſedent.

Duo Presbyteri in Cappis nigris, deindè duo Diaconi, duo Cantores in Cappis rubeis, ac ceteri ſuo ordine, Crucem ſimiliter poſt trinam genuflexionem adorant & oſculantur.

Presbyteri & Cantores in Cappis, pòſt adoratam Crucem, in Veſtiario Cappas deponunt.

Diaconi in Albis, ponè Crucem flexis genibus remanent toto Adorationis tempore.

[*In minoribus Eccleſiis ubi deeſt numerus Sacerdotum ſufficiens, ut prædicta impleantur ; ipſe Celebrans poſt Orationes, præcedentibus duobus Clericis aut pueris Chori, aſſumit præ manibus Crucem, & eam coopertam deferens, cantat in Sanctuario, facie ad Chorum verſa, tria Improperia. Duo Clerici vel pueri cantant* Agios, *Chorus cantat* Sanctus.

Cetera perficiuntur in quantùm fieri poteſt ut ſuprà notatum eſt.]

Dum fit adoratio, cantantur in Choro Hymni Pange lingua, & Vexilla *ritu notato in Proceſſionnali.*

Finitâ Adoratione, ſurgit celebrans cum Miniſtris, & accedens ad Crucem, flexis genibus imponit Antiphonam.



Su-per omni- a.

Chorus flexis genibus proſequitur, ligna cedrórum tu ſola excélſior, in qua vita mundi pependit, in qua Chriſtus triumphávit, & mors mortem ſuperávit in æternum.

Interim Celebrans accipit Crucem & eam reponit in medio Altaris. Deindè in cornu Epiſtolæ lavat manus ; mox ad infimum gradum Altaris incipit Confíteor , &c. *Miniſtri reſpondent* Miſereátur tuî. *Deinde dicunt* Confíteor. *Sacerdos ,* Miſereátur & Indulgéntiam *tantùm : poſteà , ordinatâ , more ſolito , proceſſione , vadit ad locum ubi SS. Sacramentum repoſitum eſt.*

Interim veniunt illuc è Sacrario duo Thuriferarii , & Clerici quatuor , aut ſaltem duo cum facibus accenſis.

Cùm eò pervenit Sacerdos cum Miniſtris genibus flexis , SS. Sacramentum adorat : tum illud ter incenſat : deinde accepto calice , in quo reconditum eſt , revertitur ad Altare eo quo venit ordine , ſub baldachino ; duobus Thuriferariis continuè thuríficantibus , & Clericis à lateribus Sacerdotis faces geſtantibus.

Interim ad Altare accenduntur luminaria , poniturque Miſſale ad cornu Evangelii.

Cùm Sacerdos venerit ad Altare , ponit Calicem ſuper illud : deinde genibus flexis ter SS. Sacramentum incenſat ; & accedens explicat corporale , ſuper quod reponit ſacram Hoſtiam cum Patena.

Si tetigerit SS. Sacramentum , digitos abluit in aliquo vaſe , quos purificatorio tergit.

Intereà Diaconus infundit vinum in Calicem , & Subdiaconus aquam , quam Sacerdos non benedicit , ſed accipiens Calicem à Diacono , ponit ſuper Altare nihil dicens ; & Diaconus illum cooperit pallâ.

Poſteà Sacerdos voce ſolito minùs elatâ dicit junctis manibus :



Extenſis manibus proſequitur :

Chorus reſpondet :



Sacerdos ſub ſilentio dicto Amen, *eâdem vocis elevatione quâ dixit* Pater noſter, *abſolutè ſine* Orémus, *in tono Collectarum Miſſæ cantat :*

LIbera nos , quæſumus , Dómine , ab ómnibus malis , prætéritis , præſentibus , & futúris ; & intercedente beátâ & gloriósâ ſemperque M. P.

vírgine Dei genitríce Maríâ, cum beátis Apóſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & ómnibus Sanctis, *non ſignat ſe Patenâ*, da propítius pacem in diébus noſtris; ut ope miſericórdiæ tuæ adjúti, & à peccáto ſimus ſemper líberi, & ab omni perturbatióne ſecúri; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

Chorus. ℟. Amen.

Sacerdos, factâ profundiſſimâ inclinatione, SS. Sacramentum in dextera accipiens elevat ut videri poſſit à populo: deinde ſupra calicem dividit in tres partes, quarum minimam mittit in Calicem more ſolito, nihil dicens.

Non dicitur Pax Dómini, *nec* Agnus Dei, *neque pacis oſculum datur.*

Sacerdos junctis manibus ſuper Altare, & inclinatus dicit ſolam Orationem ſequentem.

PErcéptio Córporis tui, Dómine Jeſu Chriſte, quod ego indignus ſúmere præſúmo, non mihi provéniat in judícium & condemnatiónem; ſed pro tua pietáte proſit mihi ad tutamentum mentis & córporis, & ad medélam percipiendam; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. Amen.

Genuflectit, & accipit Patenam cum SS. Sacramento, dicens:

Panem cœleſtem accípiam, & nomen Dómini invocábo.

Percutit pectus ſuum, ter dicens:

Matt. 8. Dómine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo & ſanábitur ánima mea.

Poſteà ſignat ſe SS. Sacramento, dicens:

Corpus Dómini noſtri Jeſu Chriſti cuſtódiat ánimam meam in vitam æternam. Amen.

Et ſumit Corpus Domini.

Deinde, omiſſis omnibus quæ dici ſolent ante ſumptionem Calicis, vinum ſumit cum admixtâ Hoſtiæ particulâ: & factâ, ut mos eſt, ablutione digitorum, eâque ſumptâ, in medio Altaris inclinatus, & manibus junctis dicit:

Quod ore ſúmpſimus, Dómine, purâ mente capiámus; & de múnere temporáli fiat nobis remédium ſempiternum.

AD VESPERAS.

Dicto Quod ore, *&c. ceteris omnibus prætermiſſis, VESPERÆ dicuntur ſine cantu, & mediocri voce, à duobus Choris alternatim, ſedente interim Sacerdote cum Miniſtris in cornu Epiſtolæ, ſurgente verò ad Canticum.*

PSALMUS 123.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſrael: * niſi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos,* fortè vivos deglutiſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuiſſet nos.

Torrentem pertransívit ánima noſtra: * fórſitan pertranſiſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus eſt; * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Cùm vidiſſet Jeſus matrem, & diſcípulum ſtantem quem diligébat, dicit matri ſuæ: Múlier, ecce fílius tuus; deinde dicit diſcípulo: Ecce mater tua. Joan. 19.

PSALMUS 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſrael.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea : * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus * concídit cervíces peccatórum.

Confundantur & convertantur retrorsùm * omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priuſquàm evellátur, exáruit :

De quo non implévit manum ſuam qui metit ; * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant, Benedíctio Dómini ſuper vos ; * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Luc. 23. *Ant.* Erat ferè hora ſexta, & ténebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque in horam nonam ; & obſcurátus eſt ſol.

PSALMUS 139.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo : * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * totâ die conſtituébant prælia.

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpentis : * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris ; * & ab homínibus iníquis erípe me.

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos : * abſcondérunt ſuperbi láqueum mihi ;

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter ſcandalum poſuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu ; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ,

Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ, * obumbraſti ſuper caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me, ne derelinquas me ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum, * labor labiórum ipſórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes : in ignem dejícies eos : * in miſériis non ſubſiſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra : * virum injuſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindictam páuperum.

Verúmtamen juſti confitebuntur nómini tuo ; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Circa horam nonam clamávit Jeſus voce magnâ : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Matt. 27.

PSALMUS 140.

DOmine, clamávi ad te, exaudi me ; * intende voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo : * elevátio mánuum mearum, ſacrifícium veſpertínum.

Pone, Dómine, cuſtódiam ori meo, * & óſtium circumſtántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excuſandas excuſatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem ; * & non communicábo cum electis eórum.

Corrípiet me juſtus in miſericórdia, & increpábit me : * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea * in beneplácitis eórum.

Abſorpti ſunt juncti petræ júdices eórum : * áudient verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut craſſitúdo terræ erupta eſt ſuper terram, * diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecùs infernum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; in te ſperávi, *non áuferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi, * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * ſinguláriter ſum ego, donec tránſeam.

Joan. 19. *Ant.* Sciens Jeſus quia ómnia conſummáta ſunt, ut conſummarétur Scriptúra, dixit : Sítio.

PSALMUS 141.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Dóminum deprecátus ſum.

Effundo in conſpectu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipſum pronúntio.

In deficiendo ex me ſpíritum meum ; * & tu cognoviſti ſémitas meas.

In via hac quâ ambulábam * abſcondérunt láqueum mihi.

Conſiderábam ad déxteram, & vidébam : * & non erat qui cognóſceret me.

Périit fuga à me, * & non eſt qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, * dixi : Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam; * quia humiliátus ſum nimis.

Líbera me à perſequentibus me, * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam meam, ad confitendum nómini tuo : * me expectant juſti donec retríbuas mihi.

Joan. 19. *Ant.* Vas erat acéto plenum : illi autem ſpóngiam plenam acéto, hyſſópo circumponentes, obtulérunt ori ejus.

Ad Magníficat, *Antiphona.*

Joan. 19. Luc 23. Cùm accepiſſet Jeſus acétum, dixit : Conſummátum eſt. Et clamans voce magnâ, ait : Pater, in manus tuas commendo ſpíritum meum. Et inclináto cápite, trádidit ſpíritum.

Sacerdos ſtans ad Altare, dicit ſine Orémus.

ORATIO.

S. R. REſpice, quæſumus, Dómine, ſuper hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noſter Jeſus Chriſtus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis ſubíre tormentum; *ſecretò*, Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. Amen.

Redit in Veſtiarium cum Miniſtris.

SABBATO SANCTO.

Alb. *Hodie diſcoopertis imaginibus, ornantur Altaria, & ponitur Cereus magnus antè medium Altaris, extrà Sanctuarium, (vel ſi ſit uſus locorum) in Sanctuario, à parte Evangelii, propè Altare.*

Recitatis in Choro Horis minoribus, dum Celebrans cum Miniſtris ſeſe induit in Veſtiario, cantatur Litania prima ut notatur in Proceſſionali.

Interim ad portam Eccleſiæ excutitur ignis de ſilice, & ex eo accenduntur Carbones, qui in thuribulo reponendi ſunt Celebrans, ſuper Albam, Stolâ & Cappâ coloris albi indutus, cum Diacono & Subdiacono in ornamentis ejuſdem coloris, procedit ad Altare, præcedentibus Acolytho aquam benedictam, & Thuriferario Thuribulum vacuum geſtante, Clerico quinque grana incenſi

Cereo Paſchali inſigenda in bacili deferente, cum parvo Cereo non accenſo, Ceroferariis Cereos extinctos geſtantibus, Acolytho ſive Clerico in Cappa alba crucem ferente. Accedentes ad Altare omnes (exceptis Ceroferariis & Acolytho qui crucem geſtat) profundè inclinant, vel, ſi SS. Sacramentum in Altari reſideat, genua flectunt in infimo gradu. Finitâ Litaniâ itur Proceſſionaliter ad januam Eccleſiæ, ubi Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum, versâ facie ad Altare, novum ignem benedicit, ut ſequitur.

Celebrans, cantat in tono conſueto Orationum:

Dóminus vobiſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

M. P. DEus, qui per Fílium tuum angulárem ſcílicet lápidem caritátis igne fidélium tuórum mentes accendis, productum è sílice, noſtris profutúrum úſibus, novum hunc ignem ſan-✠ctífica; & concéde nobis ita per hæc feſta paſchália cœléſtibus deſidériis inflammári, ut ad perpétuæ claritátis Feſta, puris méntibus, pertíngere valeámus; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Celebrans aſpergit novum ignem aquâ benedictâ; & ex eo accenduntur Cerei Ceroferariorum, & inſuper parvus Cereus qui reſervatur ad accendendum Cereum Paſchalem, quibus accenſis, Celebrans dicit:

Orémus.

M. A. DOmine Deus, Pater omnípotens, lumen indefíciens, qui es cónditor ómnium lúminum, bénedic ✠ hoc lumen, quod à te ſanctificátum atque benedictum eſt, qui illuminaſti omnem mundum; ut ab eo lúmine accendámur, atque illuminémur igne claritátis tuæ; & ſicut illuminaſti Móyſen exeuntem de Ægypto, ita illúmines corda & ſenſus noſtros, ut ad vitam & lucem æternam pervenire mereámur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Tum benedicit grana incenſi Cereo Paſchali inſigenda, dicens:

Orémus.

DOmine Deus noſter, qui ſuſcepiſti múnera Abel, Noë & Abraham; ſacrifícium Aáron, Samuélis & Zacharíæ, & ómnium Sanctórum tuórum, incenſum iſtud bene-✠dícere, & de mánibus noſtris in odórem ſuavitátis recípere dignéris; ut omnes geſtantes, tangentes & venerantes illud, virtútem & auxílium Spíritûs ſancti percípere mereantur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Et aſpergit prædicta grana aquâ benedictâ. Mox redit Procceſſio in Chorum, Pueris cantantibus Hymnum Inventor rútili, *ut in Proceſſionali.*

Celebrans cum Miniſtris accedit ad Cereum Paſchalem, quem ſibi porrectum à Subdiacono Diaconus accendit: tùm Celebrans Cereum benedicit dicens ſine cantu:

Oratio. Orémus.

S. R. VEniat, quæſumus, Dómine, ſuper hunc incenſum Céreum larga tuæ benedictiónis ✠ infúſio, & hunc nocturnum ſplendórem invisíbilis regenerátor accende; ut non ſolùm ſacrifícium, quod hâc nocte litandum eſt, arcánâ lúminis tui admixtióne refúlgeat, ſed in quocumque loco ex hujus ſanctificatiónis myſtério áliquid fúerit deportátum, expulsâ diabólicæ fraudis nequítiâ, virtus tuæ majeſtátis aſſiſtat; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Celebrans aſcendit ad Altare, quod in medio oſculatur; mox Diaconus genuflexus antè eum, dicit: Jube domne, benè dícere. *Sacerdos.* Dóminus ſit in corde tuo & in lábiis tuis, ut dignè & competenter annúnties Paſchále præcónium. In nómine Patris, & Fí-✠lii, & Spíritûs ſancti.

℟. Amen.

Diaconus cum ceteris vadit ad pulpitum prope Cereum Paſchalem præparatum; ac primùm quinque grana incenſi Cereo infigit in modum Crucis hoc modo



Tum canit Præconium ſequens, ſtantibus omnibus eodem ordine quo ad Evangelium. Sacerdos ſtat ad Altare in cornu Epiſtolæ, versâ facie ad Diaconum.

Ubi unicus eſt Sacerdos, ipſe benedicto igne & incenſo ut ſuprà, ſumpto Diaconi habitu genuflexus in medio Altaris, ſubmiſsâ voce, dicit abſolutè:

Dóminus ſit in corde meo & in lábiis meis, ut dignè & competenter annúntiem Paſchále præcónium. Amen.



EXultet jam angelica turba cœlorum:



exultent di-vina my-ſte-ri a; & pro



tan-ti re-gis vi-ƈto-ri-a tu- ba in-



ſonet ſa-lu-ta-ris. Gau-de-at & tellus



tanti ir-radi-a-ta fulgo-ribus: & æterni



regis ſplendore il-luſtra-ta, toti-us or-



bis ſe ſen-ti-at a-mi-ſi- ſſe ca- li-



ginem. Læte-tur & mater Eccle-ſi-a tanti



luminis adornata fulgo-ri-bus: & ma-



gnis popu-lo-rum vo-ci-bus hæc au-



la re-ſul-tet. Qua propter aſtantes vos,



fratres ca-ri-ſſimi, ad tam miram hu-



jus ſanƈti luminis cla-ri-tatem, unâ



mecum, quæ-ſo, De-i omnipo-ten-tis



miſe-ricordi-am invo-ca- te. Ut qui



me, non meis meritis, intra Le-vi-ta-



rum numerum dignatus eſt aggregare,



luminis ſui clari tatem infundens,



Ce-re-i hujus laudem implere per-

fi-ci-at.


fi-ci-at. Per Do-minum noſtrum Je-
ſum Chriſtum Fi-li um ſu-um, qui cum
e- o vi-vit & regnat in u-ni-ta-te
Spiritûs ſancti Deus, per omni-a ſe-
cula ſe-cu-lo-rum. ℟. Amen. ℣. Domi-
nus vo-bi-ſcum. ℟. Et cum Spi-ri-tu
tu-o. ℣. Sur-ſum cor- da. ℟. Ha-be-
mus ad Domi-num. ℣. Gra-ti-as a-ga-
mus Domino De- o no-ſtro. ℟. Di-
gnum & juſtum eſt. Vere dignum
& ju-ſtum eſt, in-vi-ſi-bilem De-um
Patrem omni-po-tentem; Fi-liumque
e-jus u-nigenitum Dominum noſtrum
Je-ſum Chriſtum, to-to cordis ac men-
tis af-fe-ctu, & vocis mini-ſteri- o
perſona-re: qui pro nobis æ-terno Pa-
tri Adæ debitum ſolvit, & ve-teris


piaculi cau-ti- o-nem pi- o cru-o-re
deterſit. Hæc ſunt enim feſta paſcha-
li-a in quibus verus ille Agnus oc-
ci-ditur; cu-jus ſanguine poſtes fi-de-
li-um conſecrantur. Hæc nox eſt in
qua primùm patres noſtros fi-li-os
I-ſrael eductos de Æ-gypto, ma-re
rubrum ſicco ve-ſtigi-o tranſi-re fe-
ci-ſti. Hæc i-gitur nox eſt, quæ pec-
ca-torum te-nebras columnæ illumina-
ti- o-ne purgavit. Hæc nox eſt, quæ
hodi-e per u-niverſum mundum in
Chriſto credentes, à vi-ti-is ſe-culi,
& ca-li-gine peccatorum ſe-gre-ga-tos
reddit gra-ti-æ, ſo-ci-at ſancti-ta-ti.
Hæc nox eſt, in qua deſtructis vin-
cu-lis mortis, Chriſtus ab in-feris vi-

ctor aſcendit. Ni-hil e-nim no-bis

naſ- ci pro-fu-it, ni-ſi redimi pro-

fu-iſſet. O mi- ra cir- ca nos tu-

æ pi-e-ta- tis dignatio! O in-æ-

ſtimabilis di-le-cti-o ca-ri-ta-tis! ut

ſervum redimeres Fili-um tra-di-diſti!

O certè nece-ſſa rium Adæ pec-ca-

tum, quod Chri-ſti mor-te de-le-tum eſt!

O fe-lix culpa, quæ talem ac tan-

tum meruit ha-bere redemptorem. O

ve- re be-a-ta nox, quæ ſola meruit

ſcire tempus & horam, in qua Chri-

ſtus ab in-fe-ris re-ſur-re-xit. Hæc

nox eſt de qua ſcriptum eſt: Et nox

ſicut di-es illumi-na-bitur; &, Nox il-

luminati-o me-a in de-li-ci-is me-is.

Hujus i-gitur ſanctifica-ti-o noctis

fu-gat ſce le-ra, culpas lavat, & red-

dit innocentiam lap-ſis, & mœſtis

læti-tiam: fugat o-di-a, concordiam

parat, & cur-vat im-pe-ri-a. In hujus

i-gitur noctis gra-ti-a, ſuſcipe, ſancte

Pater, incenſi hujus ſacrifi-ci-um veſ-

per-tinum, quod ti-bi in hac Cere-i

oblati-one ſolemni, per miniſtrorum

manus, de ope-ri-bus a-pum, ſacro-

ſancta reddit Ec-cle-ſi-a. Sed jam co-

lumnæ hujus preconi-a novimus, quam

in honorem De-i ru-ti-lans i-gnis

accendit. Qui licet ſit di-viſus in par-

tes, mutu-a-ti tamen luminis detrimen-

ta non novit: a-li-tur e-nim liquenti-

bus ce-ris, quas in ſubſtanti-am pre-

ti-oſæ hu-jus lampadis apis ma-ter



Completo Cerei Præconio, Sacerdos & Ministri redeunt in Vestiarium, ubi, ornamentis albis depositis, sumunt ferialia violacei coloris, & cum duobus Ceroferariis revertuntur ad Altare.

Postquàm Sacerdos osculatus est Altare, cantantur in Choro quæ sequuntur, sedentibus omnibus ad Lectiones & Tractus, stantibus verò ad Orationes.

Sequentes Lectiones sine titulo cantantur in tono Lectionum ad Aquilam chori à Lectoribus in habitu chori ordinario.

Lectio I.

IN princípio creávit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inánis & vácua, & ténebræ erant super fáciem abyssi; & Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Gen. 1.

Deus lucem quòd eſſet bona, & dívíſit lucem à ténebris. Appellavitque lucem, Diem; & ténebras, Noctem. Factumque eſt véſperè & manè, dies unus. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in médio aquárum, & dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. Vocavitque Deus firmamentum, Cœlum. Et factum eſt véſperè & manè, dies ſecundus. Dixit verò Deus: Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum; & appáreat árida. Et factum eſt ita. Et vocávit Deus áridam, Terram; congregatióneſque aquárum appellávit Mária. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et ait: Gérminet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita. Et prótulit terra herbam virentem & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque fáciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundùm ſpéciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et factum eſt véſperè & manè, dies tértius. Dixit autem Deus: Fiant luminária in firmamento cœli, & dívidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & témpora, & dies, & annos, ut lúceant in firmamento cœli, & illúminent terram. Et factum eſt ita. Fecitque Deus duo luminária magna: lumináre majus, ut præeſſet diéi; & lumináre minus, ut præeſſet nocti; & ſtellas. Et póſuit eas in firmamento cœli, ut lucérent ſuper terram, & præeſſent diéi ac nocti, & divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et factum eſt véſperè & manè, dies quartus. Dixit étiam Deus: Prodúcant aquæ réptile ánimæ viventis, & volátile ſuper terram ſub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grándia, & omnem ánimam viventem atque motábilem, quam produxerant aquæ in ſpécies ſuas, & omne volátile ſecundùm genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Benedixitque eis, dicens: Créſcite, & multiplicámini, & repléte aquas maris; aveſque multiplicentur ſuper terram. Et factum eſt véſperè & manè, dies quintus. Dixit quoque Deus: Prodúcat terra ánimam viventem in génere ſuo, jumenta, & reptília, & béſtias terræ ſecundùm ſpécies ſuas. Factumque eſt ita. Et fecit Deus béſtias terræ juxta ſpécies ſuas, & jumenta, & omne réptile terræ in génere ſuo. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & ait: Faciámus hóminem ad imáginem & ſimilitúdinem noſtram; & præſit píſcibus maris, & volatílibus cœli, & béſtiis, univerſæque terræ, omníque réptili quod movétur in terra. Et creávit Deus hóminem ad imáginem ſuam: ad imáginem Dei creávit illum; máſculum & féminam creávit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Créſcite, & multiplicámini & repléte terram, & ſubjícite eam, & domináminí píſcibus maris, & volatílibus cœli, & univerſis animántibus quæ moventur ſuper terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem géneris ſui, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animántibus terræ, omníque vólucri cœli, & univerſis quæ moventur in terra, & in quibus eſt ánima vivens, ut hábeant ad veſcendum. Et factum eſt ita. Viditque Deus cuncta quæ fécerat; & erant valdè bona. Et Cap. 2.

factum

factum est vésperè & manè, dies sextus. Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornátus eórum. Complevitque Deus die séptimo opus suum quod fécerat, & requiévit die séptimo ab universo ópere quod patrărat.

Orémus.

S. R. DEus, qui mirabíliter creásti hóminem, & mirabíliùs redemísti: da nobis, quæsumus, contra oblectamenta peccáti, mentis ratióne persístere; ut mereámur ad æterna gáudia pervenire; Per Dóminum.

LECTIO II.

Exod. 14. IN diébus illis; Advénerat vigília matutína: & ecce respíciens Dóminus super castra Ægyptiórum per columnam ignis & nubis, interfécit exércitum eórum, & subvertit rotas cúrruum, ferebanturque in profundum. Dixérunt ergo Ægyptii: Fugiámus Israélem: Dóminus enim pugnat pro eis contra nŏs. Et ait Dóminus ad Móysen: Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus & équites eórum. Cùmque extendísset Móyses manum contra mare, reversum est primo dilúculo ad priórem locum; fugientibusque Ægyptiis occurrérunt aquæ, & involvit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reversæque sunt aquæ, & operuérunt currus & équites cuncti exércitûs Pharaónis, qui sequentes ingressi fúerant mare; nec unus quidem superfuit ex eis. Fílii autem Israel perrexérunt per médium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris. Liberavitque Dóminus in die illa Israel de manu Ægyptiórum. Et vidérunt Ægyptios mórtuos super littus maris, & manum magnam quam exercúerat Dóminus contra eos: timuitque pópulus Dóminum, & credidérunt Dómino, & Móysi servo ejus. Tunc cécinit Móyses & fílii Israel carmen hoc Dómino, & dixĕrunt:

TRACTUS. Cantémus Dómino; gloriósè enim magnificátus est: equum & ascensórem dejécit in mare. Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem. Iste Deus meus, & glorificábo eum: Deus patris mei, & exaltábo eum. Dóminus quasi vir pugnátor; Omnípotens nomen ejus. Cap. 15.

Orémus.

M. P. DEus, cujus antíqua mirácula étiam nostris séculis coruscáre sentímus; dum quod uni pópulo à persecutióne Ægyptíaca liberando, déxteræ tuæ poténtiâ contulísti, id in salútem Géntium per aquam regeneratiónis operáris: præsta, ut in Abrahæ fílios, & in Israelíticam dignitátem totíus mundi tránseat plenitúdo; Per Dóminum nostrum.

LECTIO III.

Is. 4. APprehendent septem mulíeres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedémus, & vestimentis nostris operiémur: tantúmmodò invocétur nomen tuum super nos; aufer oppróbrium nostrum. In die illa erit germen Dómini in magnificéntia & glória, & fructus terræ sublímis; & exultátio his qui salváti fúerint de Israël. Et erit: Omnis qui relictus fúerit in Sion, & resíduus in Jerúsalem, sanctus vocábitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerúsalĕm. Si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, & sánguinem Jerúsalem láverit de médio ejus in spíritu judícii, & spíritu ardóris. Et creábit Dóminus super omnem locum montis Sion, & ubi invocátus est, nubem per diem, & fumum & splendórem ignis flammantis in nocte: super omnem enim glóriam protéctio. Et tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æstu, &

in ſecuritátem, & abſconſiónem à túrbine, & à plúvia.

Is. 5. *Tractus.* Vínea facta eſt dilecto meo, in cornu fílio ólei. Et ſepívit eam, & lápides elégit ex illa, & plantávit eam electam. Et ædificávit turrim in médio ejus, & torcúlar extruxit in ea. Vínea enim Dómini exercítuum, domus Iſrael eſt.

Orémus.

M. P. OMnípotens ſempiterne Deus, qui per únicum Fílium tuum Eccléſiæ tuæ demonſtraſti te eſſe cultórem; omnem pálmitem, fructum in eódem Chriſto tuo, qui vera vitis eſt, afferentem clementer éxcolens, ut fructus áfferat amplióres: fidélibus tuis, quos velut víneam ex Ægypto per fontem baptiſmi tranſtuliſti, fac nullæ peccatórum ſpínæ præváleant; ut Spíritûs tui ſanctificatióne muníti, perpetuâ fruge ditentur; Per eumdem.... in unitáte ejuſdem.

Lectio IV.

Is. 55. OMnes ſitientes, veníte ad aquas; & qui non habétis argentum, properáte, émite, & comédite. Veníte, emíte abſque argento, & abſque ulla commutatióne vinum & lac. Quare appénditis argentum non in pánibus, & labórem veſtrum non in ſaturitáte? Audíte audientes me, & comédite bonum; & delectábitur in craſſitúdine ánima veſtra. Inclináte aurem veſtram, & veníte ad me: audíte, & vivet ánima veſtra; & fériam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericórdias David fidéles. Ecce teſtem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. Ecce gentem quam neſciébas, vocábis: & gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current, propter Dóminum Deum tuum, & Sanctum Iſrael; quia glorificávit te. Quærite Dóminum, dum inveníri poteſt; invocáte eum, dum prope eſt. Derelinquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas, & revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus; & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcendum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltátæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitatiónes meæ à cogitatiónibus veſtris. Et quómodò deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc ultrà non revértitur, ſed inébriat terram, & infundit eam, & germináre eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo; non revertétur ad me vácuum, ſed fáciet quæcumque vólui, & proſperábitur in his ad quæ miſi illud.

Orémus.

S. R. DEus, qui Eccléſiam tuam Géntium vocatióne ſemper multíplicas: concéde propítius, ut quos aquâ baptíſmatis ábluis, contínuâ protectióne tueáris; Per Dóminum.

[*In Eccleſiis in quibus non eſt Fons baptiſmalis, omittitur Tractus* Quemádmodum, *& ea omnia quæ ſequuntur uſque ad tertiam Litaniam excluſivè, quæ cantatur in Choro, dum Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus deponunt in Veſtiario ornamenta violacea, & ſumunt alba.*]

In Eccleſiis quæ habent fontes, dictâ præcedenti Oratione, Celebrans redit in Veſtiarium, ubi accipit ſtolam & cappam albi coloris, Diacono & Subdiacono ejuſdem coloris ornamenta accipientibus, & regreditur ad Altare ante finem Tractûs, qui debet cantari menſurâ gravi, à duobus Choriſtis in Cappis albis.

Pſal. 41. *Tractus.* Quemádmodum deſíderat cervus ad fontes aquárum, ita

desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, dum dícitur mihi quotidie: Ubi eſt Deus tuus?

Sacerdos in cornu Epiſtolæ, dicit:

Orémus.

M. A. OMnípotens ſempiterne Deus, réſpice propítius ad devotiónem pópuli renaſcentis, qui, ſicut cervus, aquárum tuárum éxpetit fontem, & concéde, ut fídei ipsíus ſitis, Baptíſmatis myſtério, ánimam corpuſque ſanctíficet; Per Dóminum.

Dictâ Oratione Celebrans deſcendit in planum, & medius inter Diaconum & Subdiaconum ſtat infrà gradum infimum altaris: interim cantatur in Choro ſecunda Litania eo modo qui præſcribitur in Proceſſionnali. Cùm dictum fuerit Sancta Dei génitrix, *proceditur ad fontes hoc ordine. Præcedit Clericus Cereum paſchalem deferens, ſequuntur Acolythi vel pueri, qui vas luſtrale vacuum, & Miſſale deferunt; Ceroferarii, Crucifer, Diaconus & Subdiaconus Olea ſancta deferentes, tum Celebrans & reliqui de Clero in ſuo ordine.*

Pervenientes in Baptiſterium omnes miniſtri ſiſtunt ſe circa fontem ut notatur in Ceremoniali.

Finitâ Litaniâ Sacerdos verſus ad Aquilonem, junctis manibus, dicit mediocri voce:

Dóminus vobiſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio. Orémus.

M. A. OMnípotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ pietátis tuæ myſtériis, adeſto ſacramentis: & ad creandos novos pópulos, quos tibi fons Baptíſmatis párturit, Spíritum adoptiónis emitte; ut quod noſtræ humilitátis gerendum eſt miniſtério, virtútis tuæ impleátur effectu; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus.

Extollens vocem, proſequitur junctis manibus:





Hìc Sacerdos dextrâ extensâ dividit aquam in modum Crucis, nihil extrà projiciendo, & manum linteo extergit.



Aquam

Aquam manu tangit, & linteo manum extergit.



Sit hæc ſancta & innocens creatu-ra,



li-bera ab omni impugnatoris incurſu,



& to-ti-us nequi-ti-æ purgata diſ-ceſſu.



Sit fons vivus, aqua regenerans, unda



pu-ri-fi-cans ut omnes hoc la-va-cro ſalu-



ti-fero diluendi, operante in e-is Spi-



ritu ſancto, per-fectæ purga-ti-o-nis in-



dulgentiam con-ſequantur.

Ter ſignum Crucis exprimit ſuper aquam dicens:



Unde benedi-co te, cre-a-tu-ra a-quæ,



per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ ve-



rum, per Deum ✠ ſanctum, per Deum



qui te in principi-o, verbo ſeparavit ab



a-ri-da; cujus Spi-ri-tus ſuper te fere-



batur: Qui te de paradiſo manare fecit,



& in quatuor flumini-bus totam terram



ri-ga-re præcepit.

Hìc manu effundit aquam in modum Crucis versùs quatuor mundi partes, eam ejiciendo extra Fontes, primò ad Septentrionem, ſecundò ad Meridiem, tertiò ad Occidentem, quartò ad Orientem, & linteo manum tergit.



Qui te in deſerto amaram, ſu-a-vi-tate



inditâ, fecit eſſe pota-bilem, & ſi-ti-en-



ti populo de petra produxit. Be-✠ nedi-



co te, & per Jeſum Chriſtum Filium e-



jus u-nicum Dominum noſtrum, qui te



in Cana Gali-læ-æ, ſigno admirabi-li



ſu-æ poten-ti-æ, convertit in vinum:



qui pedibus ſuper te ambulavit, & à Jo-



an-ne in Jordane in te baptizatus eſt:



qui te unà cum ſanguine de late-re ſu-o



produxit; & diſcipulis ſu-is juſſit ut cre-



dentes baptizarentur in te, dicens: I-



te, docete omnes gentes, baptizantes



e-os in nomine Patris, & Fi-li-i &



Spi-ri-tus ſancti.

Non dicitur Amen.

Hìc halat ter Sacerdos in aquam in modum Crucis, dicens ſemel ſubmiſsâ voce ſine cantu:

Hæc nobis præcepta ſervántibus, ✠ tu, Deus omnípotens, clemens adeſto, ✠ tu benignus aſpíra. ✠



Tu has ſimplices a-quas tu-o o-re benedi-



cito, ut præter naturalem emundati- o-



nem, quam lavandis poſſunt adhibere



cor-po-ribus, ſint e-ti-am puri-fi-can-



dis mentibus effi-caces.

Hîc Sacerdos paululùm dimittit Cereum in aquam, cantans:



Deſcendat in hanc plenitudinem fontis



virtus Spi-ri-tûs ſancti,

Deinde extractum Cereum de aqua, iterùm profundiùs mergit, repetens, ut ſuprà, Deſcendat in hanc plenitúdinem, *&c.*

Poſteà Cereum rursùs de aqua extractum tertiò immergens uſque ad fundum, tertiò repetit Deſcendat, *&c. ibique Cereum relinquens, proſequitur:*



Totamque hujus a-quæ ſubſtantiam, re-



generan-di fœcundet ef-fectu.

Tollit Cereum de aqua, & proſequitur:



Hîc omnium pecca-to-rum maculæ dele-



antur; hîc natura ad i-ma-gi-nem tuam



condita, & ad hono-rem ſui re-forma-



ta princi-pi-i, cunctis vetuſta-tis ſqua-



lo-ribus e-mundetur; ut omnis homo,



hoc ſacramentum regene-ra-ti-o-nis in-



greſſus, in veræ innocen-ti-æ novam in-



fanti-am renaſcatur. Per Dominum



noſtrum Jeſum Chriſtum Fi-lium tuum,



qui venturus eſt ju-di-care vi-vos & mor-



tu-os, & ſeculum per ignem. Amen.

Hìc de inclinato & ſtillante in aquam Cereo Sacerdos ter exprimit ſignum Crucis, dicens ſemel mediocri voce:

Sanctificétur, & fœcundétur fons iſte, in nómine Pa-✠tris & Fí-✠lii, & Spíritûs ✠ ſancti. ℟. Amen.

Extrahuntur guttæ ceræ, & aliquantùm aquæ in vas infunditur ad aſperſionem mox faciendam. Immiſcetur etiam ex eadem aqua cum alia in vaſis ad id præparatis contenta, unde hauriunt Fideles, & domum reportant.

Quibus peractis, infundat Sacerdos in aquam, quæ remanet in vaſe Fontium, de Oleo Cathecumenorum ter in modum Crucis, dicens ſemel:

Conjúnctio Olei unctiónis, & Aquæ baptíſmatis, fiat in nómine Pa-✠tris, & Fí-✠lii, & Spíritûs ✠ ſancti. ℟. Amen.

Tum infundat de Chrísmate ter in modum Crucis, dicens semel:

Conjúnctio Chrísmatis sanctificatiónis, & Olei unctiónis, & Aquæ baptísmatis, fiat in nómine Pa-✠tris, & Fí-✠lii, & Spíritûs ✠ sancti.

℟. Amen.

Caveat diligenter ne fiat aspersio de aqua Oleo sancto delibuta.

Peractâ benedictione Fontium, si qui fuerint baptisandi, more solito baptisentur.

Lavet deinde Sacerdos manus suas de aqua communi, quæ posteà projicitur in piscinam, & Baptisterium tegatur.

Deinde Sacerdos aspergit Altare Crucem, Clerum, & Populum. Interim duo Choristæ, in Cappis albis, cantant tertiam Litaniam, Choro repetente, ut in Processionali.

Factâ Aspersione, revertuntur omnes in Chorum eodem ordine quo venerant. Celebrans cum Ministris redit in Vestiarium ubi depositâ Cappâ accipit Casulam albam. Interim accenduntur luminaria, & ubi inchoatum fuerit Kyrie, eléison, *procedit Celebrans ad Altare cum Ministris, & ante infimum gradum dicto more solito* In nómine Patris, *dicit cum Ministris* Introíbo *& Psalmum* Júdica me, Deus *absque* Glória Patri : *tum ascendit ad Altare quod osculatur; & stans in medio dicit de more*, Kyrie, éléison, *cum Ministris.*

Finito Kyrie *in Choro, Celebrans intonat* Glória in excelsis, *ut in solemnibus-minoribus.*

Tunc pulsantur omnes campanæ.

Dóminus vobiscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Collecta. Orémus.

M. A. DEus, qui hanc sacratíssimam noctem glóriâ domínicæ resurrectiónis illustras : conserva in nova famíliæ tuæ progénie adoptiónis Spíritum quem dedisti ; ut córpore & mente renováta puram tibi exhíbeat servitútem ; Per eumdem Dóminum .... in unitáte ejusdem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Côlossenses.

Cap. 3. FRatres, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite ubi Christus est in dextĕrā Dei sedens ; quæ sursùm sunt sápite, non quæ sûper terram. Mórtŭi enim estis, & vita vestra est abscóndita cum Chrîsto in Deo. Cùm Christus apparúĕrit, vita vestra ; tunc & vos apparébitis cŭm ipso in glória.

Psal. 117. Allelúia, allelúia. ℣. Confitémini Dómino quóniam bonus : quóniam in séculum misericórdia ejus. Allelúia.

Psal. 116. *Tractus.* Laudáte Dóminum, omnes gentes ; laudáte eum, omnes pópuli. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, & véritas Dómini manet in æternum.

Ad Evangelium non portantur luminaria, sed tantùm incensum : petitur benedictio, & alia fiunt more solito.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 28. VEsperè sábbati, quæ lucescit ĭn prima sábbati, venit María Magdaléne, & áltera María vidére sepŭlchrum. Et ecce terræ motus factus est măgnus. Angelus enim Dómini dĕscendit de cœlo ; & accédens revolvit lápidem, & sedébat super ĕum. Erat autem aspectus ejŭs sicut fulgur ; & vestimentum ejus sicut nĭx. Præ timóre autem ejus extérrĭtĭ sunt custódes, & facti sunt velut mŏrtui. Respondĕns autem Angelus, dixit muliĕribus : Nolíte timére vos ; scio enim quòd Jesum, qui crucifíxus est, quæritis : non est hìc ; surrexit enim sicut dixit : veníte, & vidéte lo-

cum ubi pósĭtŭs erat Dóminus; & citò euntes, dícite discípulis ejus quia surrexit: & ecce præcédit vos in Galilæam; ibi eum vĭdĕbitis: ecce prædixi vobis.

Non dicitur Credo.

Dóminus vobiscum. Orémus.

Non dicitur Offertorium.

Ad Lavábo *non dicitur* Glória Patri.

Secreta.

S. R. SUscipe quæsumus, Dómine, & plebis tuæ, & tuórum hóstias renatórum; ut, & confessióne tui nóminis, & baptísmate renováti, sempiternam beatitúdinem consequantur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Præfatio Paschalis, in hac potíssimum nocte.

Intra Actionem, Communicantes & noctem sacratíssimam.

Hanc ígitur, *ut in Canone cum clausula particulari.*

Dicitur Pax Dómini sit semper vobiscum; *sed Pacis osculum non datur.*

Non dicitur Agnus Dei, *nec Communio. Dicuntur tres consuetæ Orationes secretò ante Communionem, quâ peractâ, Sacerdos dicit* Quod ore, *&*, Corpus tuum, *de more.*

Post Ablutiones, Celebrans imponit pro Vesperis Antiphonam quæ ei indicta fuit à Choristâ, ut sequitur. De 5. a.



Al-le- lu- ia.

Choristâ intonat Psalmum.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in æternum.

Non dicitur Glória Patri.

Antiphona. Allelúia, quóniam in æternum, Allelúia, misericórdia ejus, Allelúia, allelúia. Psal. 135.

Finitâ Antiphonâ, Sacerdos surgit, & imponit Antiphonam ad Magníficat *indictam à Choristâ.*



Cum tran-sis- set.

Cantatur Magníficat, *in cujus fine non dicitur* Glória Patri.

Antiphona. Cùm transísset sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme, emérunt arómata, ut venientes úngerent Jesum. Allelúia. Marc. 16.

Sacerdos redit ad Altare, quod in medio osculatus, vertitur ad populum, & cantat:

Dóminus vobiscum.

Postcommunio. Orémus.

S. R. DEus, qui nos per Paschále mystérium docuísti vetustátem vitæ relínquere, & in novitáte spíritûs ambuláre: præsta ut Unigénitus tuus per hoc sacramentum nobis vitam suam tríbuat, qui mortem nostram susscépit, & occídit; Qui tecum.

Dóminus vobiscum.

Ite; Missa est.

℟. Deo grátias.

Sacerdos dicto Pláceat, *&c. dat benedictionem & recitat Evangelium,* In princípio, *more solito.*



IN DIE SANCTO
PASCHÆ.
ANNUALE-MAJUS.

Alb.

Introitus.

1. Cor. 15. CHristus resurrexit à mórtuis, allelúia: absorpta est mors in victória: Allelúia: ubi est mors, victória tua? ubi est mors, stímulus tuus? Allelúia, allelúia, allelúia.

Psal. 92. *Psalm.* Dóminus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se. Glória. Christus.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui hodiernâ die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum, devictâ morte, reserásti: vota nostra, quæ præveniendo aspíras, étiam adjuvando prosequere; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 5. FRatres; Expurgáte vetus fermentum, ut sitis nova conspérsio, sicut êstis ázymi. Etenim Pascha nostrum immolâtus est Christus. Itaque epulémur, non in fermento véteri, neque in fermento malítiæ & nequítiæ; sed in ázymis sinceritátis & veritátis.

Psal. 117. *Graduale.* Hæc dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea. ℣. Confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in séculum misericórdia ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Qui tráditus est propter delicta nostra, resurrexit propter justificatiónem nostram. Allelúia. Rom. 4.

Prosa.

M. P. VIctimæ Pascháli laudes
Immolent Christiáni.
Agnus redémit oves:
Christus ínnocens Patri
Reconciliávit peccatóres.
Mors & vita duello
Conflixére mirando:
Dux vitæ mórtuus, regnat vivus.
Dic nobis, María,
Quid vidisti in via?
Sepulchrum Christi viventis,
Et glóriam vidi resurgentis;
Angelicos testes,
Sudárium & vestes.
Surrexit Christus spes mea;
Præcédet suos in Galilæa.
Scimus Christum surrexisse
A mórtuis verè:
Tu nobis, victor Rex, miserére.
Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 16. IN illo témpore, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme, ěmérunt arómata, ut venientes úngerent Jesŭm. Et valdè manè ună sabbatórum véniunt ad monumentum, orto jam sŏle. Et dicébant ad ĭnvicem: Quis revolvet nobis lápidem ab óstio monumenti? Et respicientes vidérunt revŏlútum lápidem; erat quippe

magnus vǎldè. Et introeuntes in monumentum, vidérunt júvenem sedentem in dextris, coopertŭm stola cándida, & obstupuĕrunt. Qui dicit ĭllis: Nolíte expavéscere; Jesum quæritis Nazarénum crucifixum: surrexit, non est hìc; ecce locus ubi posŭérunt eum: sed ite, dícite discípulis ejus, & Petro, quia præcédit vos in Galilæam; ibi eum vidĕbitis, sicut dixit vobis.

Dicitur Credo.

Psal. 117. *Offertorium.* Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me: Allelúia: non móriar, sed vivam, & narrábo ópera Dómini. Allelúia, allelúia.

Secreta.

M. P. EXultantes in Resurrectióne Jesu Christi spei nostræ, tibi, Deus, solemni sacrifício grátias ágimus: & eumdem Pascha nostrum immolátum, oblatúri & sumptúri, ázymos à te pétimus sinceritátis & veritátis; Per eumdem.

Præfatio Paschalis: in ea dicitur in hoc potíssimùm die.

Intra Actionem Communicantes *proprium, habetur inter Præfationes.*

Hanc ígitur, *cum clausula particulari. Et sic usque ad Sabbatum in Albis inclusivè.*

1. Cor. 5. *Communio.* Pascha nostrum immolátus est Christus: Allelúia: ítaque epulémur in ázymis sinceritátis & veritátis. Allelúia, allelúia, allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. A. SPíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infunde: ut quos sacramentis Paschálibus satiásti tuâ fácias pietáte concordes; Per Dóminum... in unitáte ejusdem.

FERIA SECUNDA in Albis. *Alb.*

SOLEMNE-MINUS.

Introitus.

EDuxit eos Dóminus de ténebris & umbra mortis: Allelúia: & víncula eórum disrúpit. Allelúia, allelúia. *Psalm.* Confitémini Dómino, quóniam bonus,* quóniam in séculum misericórdia ejus. Glória. Eduxit. Psal. 106. Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus, qui solemnitáte Pascháli mundo remédia contulísti: pópulum tuum, quæsumus, cœlesti dono proséquere; ut & perfectam libertátem cónsequi mereátur, & ad vitam proficiat sempiternam; Per Dóminum nostrum. S. R.

Léctio Actuum Apôstolórum.

IN diébus illis; Apériens Petrus os suum, dixit: Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incípiens enim à Galilæa post baptismum quod prædicávit Joannes, Jesum à Názareth, quómodò unxit eum Deus Spíritu sanctŏ, & virtúte: qui pertránsiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diábolo; quóniam Deus êrat cum illo. Et nos testes sumus ómnium, quæ fecit in regióne Judæórum, & Jĕrúsalem, quem occidérunt suspendêntes in ligno. Hunc Deus suscitávit tértia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni pópulo, sed téstibus præórdĭnátis à Deo; nobis, qui manducávimus & bíbimus cum illo, postquàm resurrêxit à mórtuis. Et præcépit nobis prædicáre pópulo, & tĕstificári quia ipse est, qui constitútus est à Deo judex vivórum & môrtuórum. Cap. 10.

Huic omnes Prophétæ teſtimónium pérhibent, remiſſiónem peccatórum accípere per nomen ejŭs ŏmnes qui credunt in eum.

Pſal. 117. *GRADUALE.* Hæc dies quam fecit Dóminus : exultémus, & lætémur in in ea. ℣. Dicat nunc Iſrael quóniam bonus, quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Act. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Deus patrum noſtrórum glorificávit Fílium ſuum Jeſum, quem ſuſcitávit à mórtuis. Allelúia.

PROSA VICTIMÆ, *ſuprà, p.* 173.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 24. IN illo témpore ; Duo ex diſcípulis Jeſu ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpátio ſtadiórum ſexaginta ab Jerúſalem, nómĭnĕ Emmaüs : & ipſi loquebantur ad ínvicem de his ómnibus quæ accĭderant. Et factum eſt dum fabularentur, & ſecum quæ-rérent ; & ipſe Jeſus appropinquăns ibat cum illis : óculi autem illórum tenebantur, ne eum agnŏſcerent. Et ait ad ĭllos ; Qui ſunt hi ſermónes, quos confertis ad ínvicem ambulantes, & eſtis triſtes ? Et reſpondens unus, cui nomĕn Cléophas, dixit ĕi : Tu ſolus peregrínus es in Jĕrúſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illa his diébus ? Quibus ille dĭxit : Quæ ? Et dixĕrunt : de Jeſu Nazaréno, qui fuit vir prophéta, potens in ópere & ſermóne, coram Deo ĕt omni pópulo, & quómodò eum tradidérunt ſummi ſacerdótes & príncipes noſtri in damnatiónem mortis, & crucifixérunt ĕum. Nos autem ſperabámus quia ipſe eſſet redemptúrŭs Iſrael : & nunc ſuper hæc ómnia, tértia dies eſt hódie quòd hæc facta sŭnt. Sed & mulíeres quædam ex noſtris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monumentum ; & non invento córpore ejus, venérunt dicentes ſe étiam viſiónem Angelórum vidiſſe, qui dicŭnt eum vívere : & abiérunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita invenérunt ſicut mulíeres dixérunt ; ipſum verò non invenĕrunt. Et ipſe dixit ad ĕos : O ſtulti, & tardi corde ad credendum in ómnibus quæ locúti ſunt Prophétæ ! Nonne hæc opórtŭĭt pati Chriſtum, & ita intráre in glóriam ſuam ? Et incípiens à Móyſe ĕt ómnibus Prophétis, interpretabátur illis, in ómnibus Scriptúris, quæ de ipſo ĕrant. Et appropinquavérunt căſtello quò ibant : & ipſe ſe finxit lóngiùs ĭre. Et coëgérunt illum, dicĕntes : Mane nobiſcum, quóniam ădveſperaſcit, & inclináta eſt jam dĭes. Et intrávit cum ĭllis. Et factum eſt, dum rĕcúmberet cum eis ; accépit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigébat ĭllis. Et aperti ſunt óculi eórum, & cognŏvérunt eum : & ipſe evánuit ex óculis eŏrum. Et dixérunt ad ĭnvicem : Nonne cor noſtrum ardĕns erat in nobis, dum loquerétur in via, & aperíret nobis Scriptúras ? Et ſurgentes eádem hora, regreſſi ſunt in Jĕrúſalem ; & invenérunt congregátos Undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes, quòd ſurrexit Dóminus verè, & appáruit Simŏni. Et ipſi narrábant quæ geſtă erant in via, & quómodò cognovérŭnt ĕum in fractióne panis.

Dicitur Credo.

Pſal. 4. *OFFERTORIUM.* Scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum ſuum : Allelúia : ſacrificáte ſacrifícium juſtítiæ & ſperáte in Dómino. Allelúia.

SECRETA.

M. P. SUſcipe, Dómine múnera, quæ in Fílii tui Reſurrectióne universális, ejus acquisíta sánguine, offert Eccléſia ; & præſta, ut quæ nunc Paſchále

gáudium temporáli ſolemnitáte célebrat, ad illa quæ æterna ſunt feſta, te adjuvante, pervéniat; Per eumdem.

Luc. 24. *COMMUNIO.* Accépit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, & porrigébat illis; & cognovérunt eum in fractióne panis. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. MEntes noſtras, Dómine, grátiâ tuæ Reſurrectiónis illuſtra; & cujus myſtérii veritátem, diſcípulis in fractióne panis comprobaſti, ejus in nobis virtútem, divíni Sacramenti participatióne, confirma; Qui vivis.

Alb. FERIA TERTIA
in Albis.
DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Col. 2. CONſepulti eſtis Chriſto in baptiſmo: Allelúia: in quo & reſurrexiſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit illum à mórtuis. Allelúia, allelúia.

Pſal. 105. *PSALM.* Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. Glória. Conſepulti.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui Eccléſiam tuam novo ſemper fœtu multíplicas: concéde fámulis tuis, ut ſacramentum vivendo téneant, quod fide percepérunt; Per Dóminum.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 13. IN diébus illis; Stans Pâulus ait: Deus ex ſémine David ſecundùm promiſſiónem eduxit Iſrael ſalvatórem Jeſum, prædicante Joanne ante fáciem adventus ejus baptiſmum pœniténtiæ omni pópulo Iſrael. Cùm impléret autem Joannes cursum ſuum, dicébat: Quem me arbitrámini eſſe, non ſum ego; ſed ecce venit poſt me, cujus non ſum dignus calcea-

menta pêdum ſólvere. Viri fratres, fílii géneris Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum ſalútis hujus mîſſum eſt. Qui enim habitábant Jerúſalem, & príncipes ejus, hunc ignorantes, & voces Prophetárum, quæ per omne ſábbatum leguntur, judicantes implevérunt; & nullam cauſam mortis invenientes in eo, petiérunt à Piláto ut interfîcerent eum. Cùmque conſummaſſent ómnia quæ de eo ſcripta erant; deponentes eum de ligno, poſuérunt eum in mônumento. Deus verò ſuſcitávit eum à mórtuis têrtia die. Qui viſus eſt per dies multos his, qui ſimul aſcénderant cum eo de Galilæa in Jerúſalem: qui uſque nunc ſunt teſtes êjus ad plebem. Et nos vobis annuntiámus eam, quæ ad patres noſtros repromíſſio facta eſt: quóniam hanc Deus adimplévit fíliis noſtris, reſúſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Fílius meus es tu, ego hódie génui te

GRADUALE. Hæc dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea. ℣. Dicant nunc, qui timent, Dóminum, quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. Pſal. 117.

Allelúia, allelúia. ℣. Grátias Deo Patri, qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum, & tránſtulit in regnum Fílii dilectiónis ſuæ, in quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus. Allelúia. Col. 1.

PROSA, VICTIMÆ, *ut ſuprà*, *pag.* 173.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 24. IN illo témpore; Stetit Jeſus in médio diſcipulórum ſuórum, & dicit eis: Pax vobis: Ego ſum, nolíte timére. Conturbáti verò & contérriti, exiſtimábant ſe ſpíritum vidére. Et dixit eis: Quid turbáti

eſtis,

eſtis, & cogitatiónes aſcendunt in corda veſtra? Vidéte manus meas & pedes, quia egŏ ipſe ſum: palpáte & vidéte quia ſpíritus carnem & oſſa non habet ſicut me vidétis habĕre. Et cŭm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pĕdes. Adhuc autem illis non credéntibus & mĭrántibus præ gáudio, dĭxit: Habétis hìc áliquid quod manducétur? At illi obtulérunt ei partĕm piſcis aſſi, & favum mĕllis. Et cùm manducaſsĕt coram eis, ſumens relíquias, dedit ĕis. Et dixit ad ĕos: Hæc ſunt verba quæ locútus ſum ad vos, cùm adhŭc eſſem vobiſcum; quóniam neceſſe eſt impléri ómnia quæ ſcripta ſunt in lege Móyſi, & Prophétis, & Pſalmis de mĕ. Tunc apéruit illis ſenſum, ut intĕlligerent Scriptúras; & dixit ĕis: Quóniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportébat Chriſtum pati, & reſúrgere à mórtŭis tértia die; & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remiſſiónem peccatórum in omnes gentes, incipiĕntibus ab Jeroſólyma. *Dicitur* Credo.

1. Petr. 3. *OFFERTORIUM.* Chriſtus ſemel pro peccátis noſtris mórtuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo; mortificátus quidem carne, vivificátus autem ſpíritu. Allelúia.

S. R. *SECRETA.*

DEus, qui pro ſalúte mundi ſacrifícium Paſchále feciſti: propitiáre ſupplicatiónibus & oblatiónibus noſtris; ut interpellans pro nobis Póntifex ſummus, nos per id quo noſtrî eſt símilis reconcíliet: & per id quo tibi eſt æquális, abſolvat Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Col. 3. *COMMUNIO.* Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſursùm ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in déxtera Dei ſedens: Allelúia: quæ ſursùm ſunt ſápite. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. IMpleátur in nobis, quæſumus, Dómine, Sacramenti Paſchális ſancta libátio, noſque de terrénis affĕctibus ad cœleſte tránsferat inſtitútum; Per.

FERIA QUARTA in Albis.

Alb.

DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

Matt. 25. VEníte, benedícti Patris mei: Allelúia: poſſidéte parátum vobis regnum à conſtitutióne mundi. Allelúia, allelúia, allelúia.

Pſal. 117. *PSALM.* Confitémini Dómino, quóniam bonus; * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. Glória. Veníte.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui nos reſurrectiónis domínicæ ánnuâ ſolemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut per temporália feſta quæ ágimus, perveníre ad gáudia æterna mereámur; Per eumdem Dóminum.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 3. IN diébus illis; Petrus reſpôndit ad pópulum: Viri Iſraelítæ, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrórum glorificávit Fílĭŭm ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante fáciem Piláti, judicante îllo dimitti. Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis, & petiſtis virum homicídam dŏnári vobis; auctórem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, cujus nos têſtes ſumus. Et in fide nóminis ejus, hunc, quem vos vidiſtis & noſtis, confirmávĭt nomen ejus: & fides, quæ per eum eſt, dedit íntegram ſanitátem iſtam in conſpectu ômnium veſtrum. Et nunc, fratres, ſcio quia per ignŏrántiam feciſtis, ſicut & prîncipes veſtri. Deus autem, quæ prænuntiávit per os ómnium

Prophetárum, patĭ Chriſtum ſuum, ſîc implévit. Pœnitémini ígitur, & convĕrtĭmini, ut deleantur peccáta veſtra.

Pſal. 117. *GRADUALE.* Hæc dies quam fecit Dóminus : exultémus, & lætémur in ea. ℣. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus eſt mihi in ſalútem.

Apoc. 19. Allelúia, allelúia. ℣. Regnávit Dóminus Deus noſter omnípotens : gaudeámus & exultémus, & demus glóriam ei. Allelúia.

PROSA, VICTIMÆ, *ut ſuprà*, *pag.* 173.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 21. IN illo témpore ; Manifeſtávit ſe íterùm Jĕſus diſcípulis, ad mare Tiberĭadis. Manifeſtávit autem sĭc. Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas qui dícitur Dídymus, & Nathánael qui erat à Cana Galilææ, & fĭlĭi Zebedæi & álii ex diſcípulis ejus dŭo. Dicit eis Simon Pĕtrus : Vado piſcări. Dicunt ĕi : Venímus & nos tĕcum. Et exiérunt, & aſcĕndérunt in navim : & illa nocte nihil prendidĕrunt. Manè autem facto, ſtetit Jĕſus in líttore : non tamen cognovérunt diſcípuli quia Jeſus ĕſt. Dixit ergo eis Jesŭs : Púeri, numquid pulmentárium habétis ? Reſpondérunt ĕi : Nŏn. Dicit ĕis : Míttite in déxteram năvígii rete, & inveniĕtis. Mĭſérunt ergo : & jam non valébant illud tráhere præ multitúdine pĭſcium. Dixit ergo diſcípulus ille quem diligébat Jeſus, Pĕtro : Dóminus ĕſt. Simon Petrus cùm audiſſet quiă Dóminus eſt, túnica ſuccinxit ſe, (erat enim nudus) & miſit ſe in măre. Alii autem diſcípuli navígio venérunt (non enim longè erant à terra, ſed quasĭ cúbitis ducentis) trahentes rete pĭſcium. Ut ergo deſcendérunt in terram, vidérŭnt prunas póſitas, & piſcem ſuperpóſitum, & pănem. Dicit eis Jesŭs : Afferte de píſcibus quos prendidiſtis nŭnc. Aſcendit Simon Petrus, & traxĭt rete in terram, plenum magnis píſcibus centum quinquaginta trĭbus. Et cŭm tanti eſſent ; non eſt ſciſſum rĕte. Dicit eis Jesŭs. Veníte, prandĕte. Et nemo audébat diſcumbéntium interrogáre eŭm : Tu quis es ? ſcientes quia Dóminus ĕſt. Et venit Jeſus, & áccipit paněm, & dat eis ; & piſcem ſimĭliter. Hoc jam tertiò manifeſtátus eſt Jeſus diſcípŭlĭs sŭis, cùm reſurrexiſſet à mórtuis.

Dicitur Credo.

Hebr. 10. *OFFERTORIUM.* Chriſtus unam pro peccátis ófferens hóſtiam, unâ oblatióne conſummávit in ſempiternum ſanctificátos. Allelúia.

SECRETA.

S. R. HIs Paſchálibus ſacrifíciis, confirma in nobis, Dómine, grátiam adeptæ redemptiónis : & qui nobis dediſti inítia ſanctæ fídei, ipſe cónferas & perfectiónem óperis, & plenitúdinem caritátis ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

1. Cor. 5. *COMMUNIO.* Pro ómnibus mórtuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mórtuus eſt & reſurrexit. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui redemptiónis noſtræ auctor es & ſalútis ; exaudi ſupplicántium voces ; & quos ad Paſchále myſtérium admíttere dignátus es, fac eos in hoc ſéculo tibi vívere, ut mereantur tecum in futúro regnáre ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Alb.

FERIA QUINTA.

in Albis.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Sap. 10. VIctrícem manum tuam, Dómine, laudavérunt páriter: Allelúia: quóniam Sapiéntia apéruit os mutórum, & linguas infántium fecit diſertas. Allelúia, allelúia. Pſal. 117. *PSALM.* Confitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. Glória Victrícem.

COLLECTA. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempiterne Deus, qui Paſchále ſacramentum in reconciliatiónis humánæ fœdere contuliſti; da méntibus noſtris: ut quod profeſſióne celebrámus, imitémur effectu; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 8. IN diébus illis; Angelus Dómini locútus eſt ad Philíppum dicens: Surge, & vade contra meridiánum, ad viam quæ deſcendit ab Jerúsalém in Gazam: hæc êſt deſerta. Et sûrgens ábiit. Et ecce vir Æthiops, eunúchus, potens Candácis regínæ Æthíopum, qui erat ſuper omnes gazas ejus; vénerat adoráre in Jerúſalem: & revertebátur ſedens ſuper currum ſuum, legenſque Iſaíam Prophétam. Dixit autem Spíritus Philippo: Accéde; & adjunge te ad cûrrum iſtum. Accurrens autem Philippus, audívit eum legentem Iſaíam Prophêtam, & dixit: Putaſne intélligis quæ legis? Quî ait: Et quómodo poſſum, ſi non áliquis oſténderit mihi? Rogavitque Philippum ut aſcénderet, & ſedêret ſecum. Locus autem Scriptúræ quam legébat, êrat hic: Tanquam ovis ad occiſiónem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non apéruit os ſuum; in humilitáte judícium ejus sublátum eſt: generatiónem ejus quis enarrábit? quóniam tollétur de terra vîta ejus. Reſpondens autem eunúchus Philîppo, dixit: Obſecro te, de quo Prophétă dicit hoc; de ſe, an de álio áliquo? Apériens autem Philippus os ſuum, & incípiens à ſcriptúra iſta, evangelizávit îlli Jeſum. Et dum irent per viam, venérunt ăd quamdam aquam; & âit eunúchus: Ecce aqua, quid próhibet me baptizári? Dixit âutem Philippus: Si credis ex toto côrde, licet. Et reſpôndens, ait: Credo Fílium Dei eſſe Jêſum Chriſtum. Et juſsit ſtare currum: & deſcendérunt uterque in aquam, Philippus, & eunúchus; & baptizâvit eum. Cum autem aſcendiſſent de aqua, Spíritus Dómini rápuit Philippum, & ámpliùs non vidit êum eunúchus. Ibat autem per viam sûam gaudens. Philippus autem inventus êſt in Azóto: & pertránſiens evangelizábat civitátibus cunctis, donec vĕníret Cæſaréam.

GRADUALE. Hæc dies quam fecit Dóminus: exultémus & lætémur in ea. ℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, hic factus eſt in caput ánguli: à Dómino factum eſt iſtud, & eſt mirábile in óculis noſtris. Pſal. 117.

Allelúia, allelúia, ℣. Deus ſuſcitávit Jeſum à mórtuis: hic eſt lapis reprobátus ab ædificántibus qui factus eſt in caput ánguli; & non eſt in álio áliquo ſalus. Allelúia. Act. 4.

PROSA, VICTIMÆ, *ut ſuprà, pag.* 173.

Sequéntia ſanctî Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 20. IN illo témpore; María ſtabat ad monŭmentum foris, plŏrans. Dum ergo fleret, inclinávit ſe, & proſpexit ĭn monumentum: & vidit duos Angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Jesŭ. Dicunt ei ĭlli: Múlier, quid ploras? Dicit ĕis: Quia tulerŭnt Dóminum meum, & néſcio ubi poſuérunt ĕum. Hæc cùm dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidĭt Jeſum ſtantem; & non ſciébat quia Jeſus ĕſt. Dicit ei Jesŭs: Múlier, quid ploras? quem quæris? Illa exíſtimans quia hortŭlánus eſſet, dicit ĕi: Dómine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dícito mihi ubi posŭiſti eum; & ego eum tŏllam. Dicit ei Jesŭs: Marĭa. Cŏnverſa illa, dicit ĕi: Rabóni (quod dicitur Magĭſter.) Dicit ei Jesŭs: Noli me tángere: nondum enim aſcendi ăd Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum vĕſtrum. Venit María Magdaléne annúntians diſcípulis quia vĭdi Dŏminum, & hæc dixit mihi.

Dicitur Credo.

Is. 35. *Offertorium.* Ambulábunt qui liberáti fúerint; & redempti à Dómino convertentur, & vénient in Sion cum laude; & lætítia ſempiterna ſuper caput eórum. Allelúia.

Secreta.

M. P. DEus, cui complácuit in Unigénito tuo reconciliáre ómnia, in quo condíderas univerſa; concéde nobis per hoc Paſchále ſacrifícium, ut qui in Chriſti morte redemptiónem habémus, perfectam ex ipsíus reſurrectióne juſtítiam conſequámur; Qui tecum.

Communio. Empti eſtis prétio magno: Allelúia: glorificáte & portáte Deum in córpore veſtro. Allelúia, allelúia. 1. Cor. 6.

Postcommunio. Orémus.

S. R. DIgnè nos tuo nómini famulári, quæſumus, Dómine, ſalutáris cibus & ſacer potus inſtítuant; ut renovatiónem conditiónis humánæ, quam myſtério cóntinent, in noſtris júgiter ſénſibus operentur; Per Dóminum.

FERIA SEXTA in Albis. Alb.

Semiduplex.

Introitus.

Pſal. 77. DEdúxit eos Dóminus in ſpe: Allelúia: & inimícos eórum opéruit mare. Allelúia, allelúia. *Psalm.* Atténdite, pópule Ibid. meus, legem meam: * inclináte aurem veſtram in verba oris mei. Glória. Edúxit.

Collecta. Orémus.

M. A. DEus, qui diverſitátem géntium in confeſſióne tui nóminis adunaſti: da ut renátis fonte baptíſmatis una ſit fides méntium, & píetas actiónum; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pêtri Apóſtoli.

1. Petr. 3. CAríſſimi, Chriſtus ſemel pro peccátis noſtris mórtuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos ŏfferret Deo; mortificátus quidem carne, vivificátus âutem Spíritu. In quo & his, qui in cárcere erant, ſpirítibus vénĭĕns prædicávit, qui incréduli fúerant aliquando, quando expectábant Dei patiéntiam in diébus Noe, cùm fabricarétur arca, in qua pauci, id eſt octo ánimæ ſalvæ factæ sûnt per aquam. Quod & vos nunc símilis formæ ſalvŏs facit baptiſma; non

carnis

carnis depoſitio ſórdium, ſed conſciéntiæ bonæ interrogátio in Deum per reſurrectiónem Jeſu Chriſti, qui eſt in déxtera Dei, deglútiens mortem, ut vitæ æternæ hæ̆rĕdes efficerémur.

Pſal. 117. *GRADUALE.* Hæc dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea. ℣. Confitébor tibi, Dómine, quóniam exaudísti me, & factus es mihi in salútem.

Col. 2. Allelúia, allelúia. ℣. In Chriſto Jeſu reſurrexiſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit illum à mórtuis. Allelúia.

PROSA, VICTIMÆ. 173.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 28. IN illo témpore; Undecim diſcípuli abiérunt ĭn Galilæam, in montem ubi conſtituérat illis Jesŭs. Et vidéntes eum, ădoravérunt: quidam autem dubitavĕrunt. Et accédens Jeſus lŏcútus eſt eis, dĭcens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in tĕrra. Euntes ergo, docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, & Fílii, ĕt Spíritus ſancti; docentes eos ſervare ómnia quæcumque mandávi vŏbis. Et ecce ego vobiſcum ſum ómnibus dĭĕbus, uſque ad conſummatiónem ſéculi.

Dicitur Credo.

Exod. 12. *OFFERTORIUM.* Habébitis hunc diem in monumentum, Allelúia: & celebrábitis eum ſolemnem Dómino in generatiónibus veſtris cultu ſempiterno. Allelúia.

SECRETA.

S. R. HOſtias pópuli tui, quæſumus, Dómine, placátus aſſúme, & mentes noſtras bonis opéribus ſemper informa; ut ad melióra júgiter tranſeuntes, Paſchále myſtérium ſtudeámus habére perpétuum; Per.

COMMUNIO. Si qua in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt, Allelúia: ecce facta ſunt ómnia nova. Allelúia. II. Cor. 9.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. COncéde, quæſumus omnípotens Deus, ut véterem cum ſuis áctibus hóminem deponentes, in illíus converſatióne vivámus, ad cujus nos ſubſtántiam his cœléſtibus myſtériis tranſtuliſti; Per eumdem Dóminum.

SABBATO IN ALBIS. *Alb.*

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Pſal. 104. EDúxit Dóminus pópulum ſuum in exultatióne, & electos ſuos in lætítia, Allelúia; ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus; & legem ejus requírant; Allelúia, allelúia. *PSALM.* Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus. Glória. Edúxit. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M A. COncéde, quæſumus omnípotens Deus, ut qui feſta Paſchália venerando égimus, per hæc contíngere ad gáudia æterna mereámur; Per.

Nulla fit Commemoratio.

Léctio Epíſtolæ beáti Pêtri Apóſtoli.

I. Pett. 2. CAríſſimi: Deponentes omnem malítiam, & omnem dolum, & ſimulatiónes, & invídias, & omnes detractiónes; ſicut modò géniti infantes, rationábile ſine dolo lac concupíſcite; ut in eo creſcátĭs in salútem: ſi tamen guſtaſtis quóniam dûlcis eſt Dóminus. Ad quem accedentes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem electum, & honŏrificátum: & ipſi tamquam lápides vivi ſuperædificámini, domus ſpirituális, ſacerdótium ſanctum, offerre ſpirituáles hóſtias,

acceptábiles Deo per Jêſum Chriſtum. Propter quŏd cóntinet Scriptúra ; Ecce pono in Sion lápidem ſummum angulárem, electum, pretióſum ; & qui credíderit in eum, non cônfundétur. Vobis ígĭtŭr honor credéntibus : non credéntibus autem, lapis quem reprobavérunt ædificantes, hic factus eſt in caput ánguli ; & lapis offenſiónis, & petra ſcándali, his qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & pôſiti ſunt. Vos autem genus electum, regále ſacerdótium, gens ſancta, pópulus acquĭſitiónis ; ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lûmen ſuum. Qui aliquando non pópulus, nunc autĕm pópulus Dei : qui non conſecúti miſericórdiam, nunc autem miſerĭcŏrdiam conſecúti.

Pſal. 117. *Graduale.* Hæc dies quam fecit Dóminus : exultémus, & lætémur in ea ℣. Confitémini Domino quóniam bonus : quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Eph. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Prædeſtinávit nos Deus in adoptiónem filiórum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propóſitum voluntátis ſuæ, in laudem glóriæ grátiæ ſuæ. Allelúia.

Prosa, Victimæ. 173.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 20. IN illo témpore ; Una ſábbati María Magdaléne venit manè, cùm adhuc ténebræ eſſent ăd monumentum : & vidit lápidem ſublátum à monumĕnto. Cucurrit ergo, & venit ad Simónem Petrum, & ad álium diſcípulum quem ămábat Jeſus, & dicit ĭllis : Tulérunt Dóminum dĕ monumento, & neſcímus ubi poſuérunt ĕum. Exiit ergo Petrus, & illĕ álius diſcípulus ; & venérunt ad monumĕntum. Currébant autem duo ſimul ; & ille álius diſcípulus præcucurrĭt cítiùs Petro, & venit primus ad monumĕntum. Et cùm ſe inclinaſſet, vidit pósĭtă linteámina, non tamen introĭvit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introívit ĭn monumentum ; & vidit linteámina póſita, & ſudárium quod fúerat ſuper caput ejus, non cum linteamínibus póſitum, ſed ſeparátim involútum in unum lŏcum. Tunc ergo introívit & ille diſcípulus, qui vénerat primus ad monumentum ; ĕt vidit, & crédidit : nondum enim ſciébant Scriptúram, quia oportébăt ĕum à mórtuis reſúrgere.

Dicitur Credo.

Offertorium. Convivificávit nos Deus, & conreſuſcitávit in Chriſto Jeſu, ut oſtenderet abundantes divítias grátiæ ſuæ in bonitáte ſuper nos. Allelúia. Eph. 2.

Secreta.

M. P. DEus miſericórdiæ ſempiternæ, qui in ipſo Paſchális feſti recurſu fidem ſacrátæ tibi plebis accendis ; auge per hæc veneranda myſtéria grátiam quam dediſti, ut dignâ omnes intelligéntiâ comprehendant, quo lavácro ablúti, quo Spíritu regeneráti, quo Sánguine ſunt redempti ; Per . . . in unitáte ejuſdem.

Galat. 3. *Communio.* Omnes fílii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Allelúia : quicumque enim in Chriſto baptizáti eſtis, Chriſtum induiſtis. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

S. G. DOmine Deus omnípotens, tuére fámulos tuos, quos juſſiſti renaſci ex aqua & Spíritu ſancto ; ut hujus virtúte ſacrifícii in illis proficiat grátia tua ſemper ; & quod, te donante, ſuſcepérunt, vitæ ſuæ integritáte cuſtódiant ; Qui vivis. . . . . in unitáte ejuſdem.

Alb.

DOMINICA IN ALBIS DEPOSITIS,

QUÆ EST PRIMA POST PASCHA.

SOLEMNE-MINUS.

INTROITUS.

I. Pett. 2. QUaſi modo géniti infantes, Allelúia ; rationábile ſine dolo lac concupíſcite ; ut in eo creſcátis in ſalútem. Allelúia, allelúia. Pſal. 80. *PSALM.* Exultáte Deo adjutóri noſtro : * jubiláte Deo Jacob. Glória. Quaſi modo.

COLLECTA. Orémus.

M. A. PRæſta, quæſumus omnípotens Deus, ut qui Paſchália feſta perégimus ; hæc, te largiente, móribus & vitâ teneámus ; Per.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Rom. 6. FRatres ; An ignorátis quia quicumque baptizáti ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipsíus baptizáti ſumus ? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem ; ut quómodò Chriſtus ſurrexit à mórtuis pĕr glóriam Patris, ità & nos in novitáte vitæ âmbulémus. Si enim complantáti facti ſumus ſimilitúdini mortis ejus, ſimul & reſurrectiônis érimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruátur corpŭs peccáti, & ultrà non ſerviâmus peccáto. Qui enim mórtuus eſt, juſtificátus eſt â peccáto. Si autem mórtui ſumus cum Chriſto, crédimus quia ſimul étiam vivémus cum Chriſto : ſcientes quod Chriſtus reſurgens ex mórtuis jăm non móritur, mors illi ultrà nôn dominábitur. Quod enim mórtuus eſt peccáto, mortuus eſt ſemel : quòd autem vivit, vîvit Deo. Ità & vos exiſtimáte, vos mórtuos quidèm eſſe peccáto, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Dômino noſtro. Non ergo regnet peccátum in veſtro mortáli córpore, ut obediátis concupiſcêntiis ejus. Sed neque exhibeátis membra veſtra arma iniquitátis peccáto ; ſed exhibéte vos Deo, tanquam ex mórtuis viventes, & membră vĕſtra arma juſtítiæ Deo.

Allelúia, allelúia. ℣. Vos aliquando non pópulus, nunc autem pópulus Dei ; qui non conſecúti miſericórdiam, nunc autem miſericórdiam conſecúti. I. Pett. 2.

Allelúia, allelúia. ℣. Virtútes annuntiétis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen ſuum. Allelúia. Ibid.

Dicitur PROSA, VICTIMÆ. 173.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 20. IN illo témpore : Cùm ſerò eſſet die illo, una ſabbatórum ; & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcípuli congregáti propter metŭm Judæórum : venit Jeſus, & ſtetit in médio, & dixit ĕis : Pax vŏbis. Et cŭm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & lătus. Gavíſi ſunt ergo diſcípuli, viſo Dŏmino. Dixit ergo eis ĭterum : Pax vŏbis. Sicŭt miſit me Pater, & ego mitto vŏs. Hæc cùm dixiſſĕt, inſufflávit : & dixit ĕis : Accípĭtĕ Spíritum ſanctum : quorum remiſéritis peccáta, remittuntur eis ; & quorum retinuéritis, retenta sŭnt. Thomas autem unus ex Duódecim, quĭ dícitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesŭs. Dixérunt ergo ei álii diſcĭpuli : Vídimus Dŏminum. Ille autem dixit ĕis : Niſi vídero in má-

nibus ejus fixúram clavórum, & mittam dígitum meum in locum clavórum, & mittam manum meam ĭn latus ejus, non crĕdam. Et poſt dies octo íterùm erant diſcípŭlĭ ejus intùs ; & Thomas cum ĕis. Venit Jeſus jánuis clauſis, ĕt ſtetit in médio, & dĭxit : Pax vŏbis. Deinde dicit Thŏmæ : Infer dígitum tuum huc, & vide manus meas ; & affer manum tuam, & mitte ĭn latus meum : & noli eſſe incrédulus, ſed fidĕlis : Rĕſpondit Thomas, & dixit ĕi : Dóminus meus, & Deus mĕus. Dixit ei Jesŭs : Quia vidiſti me, Thomă, credidiſti : beáti qui non vidérunt, & credidĕrunt. Multa quidem & ália ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipŭlórum ſuórum, quæ non ſunt ſcripta in libro hŏc. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credátis quia Jeſus eſt Chriſtŭs Fílius Dei : & ut credentes, vitam habĕătis in nómine ejus.

Dicitur Credo.

IV. Reg. 17. *Offertorium.* Dóminum Deum veſtrum, qui edúxit vos de terra Ægypti in fortitúdine magna, & in bráchio extento, ipſum timéte, & illum adoráte, & ipſi immoláte. Allelúia.

Secreta.

S. R. DEus miſéricors, qui renátis fonte baptíſmatis delictórum indulgéntiam tribuiſti ; quæſumus ut múnera noſtra clementer ſuſcípias, & recoléntibus noſtræ regeneratiónis inſígnia plenam adoptiónis grátiam largiáris ; Per Dóminum.

In Præfatione Paſchali dicitur, in hoc potíſſimùm glorióſiùs, *&c. uſque ad Aſcenſionem.*

Communicantes, *ut in Canone :* & Hanc ígitur, *ſine clauſula.*

Petr. 3. *Communio.* Cuſtodíte vos, ne excidátis à própria firmitáte : créſcite verò in grátia & in cognitióne Dómini noſtri, & Salvatóris Jeſu Chriſti. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

S. R. CLeméntiam tuam, Dómine, ſúpplices exorámus, ut Paſchális múneris ſacramentum, quo paſti ſumus, firmâ fide recolámus, ſpe deſiderémus intentâ, & perpétuâ dilectióne capiámus ; Per.

IN FERIIS TEMPORIS PASCHALIS.

Intra hanc Hebdomadam & ſequentes Temporis Paſchalis dicitur Miſſa de Dominica præcedenti cum Glória in excelſis, *& Orationibus de Cruce infrà notatis. Epiſtola & Evangelium ſingulis Feriis quartis & ſextis habentur propria. Non dicitur* Credo : *dicitur* Ite, Miſſa eſt.

In Feriis et Festis Simplicibus, *uſque ad Aſcenſionem excluſivè, poſt Collectam diei, & Commemorationes, ſi quæ faciendæ ſint, dicitur Collecta de Cruce*, Deus, qui pro nobis. *inter Orationes ad diverſa*, pag. cxxxviij.

FERIA QUARTA.

Alb. Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 2. IN diébus illis ; Stans Pêtrus, ait : Viri Iſraelítæ, audîte verba hæc : Jeſum Nazarénum, virum approbátum à Deo in vobis, virtútibus, & prodígiis, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in médio veſtri, ſicut & vos ſcitis ; hunc definíto consílio, & præſciéntia Dei tráditum, per manus iniquórum affigentes ĭnteremiſtis : quem Deus ſuſcitávit ſolútis dolóribus inferni, juxta quod impoſsíbile erat tenéri îllum ab eo. David enĭm dicit in eum : Providébam Dóminum in conſpectu meo ſemper ; quóniam à dextris eſt mihi ne commóvear : propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea, ínſuper & caro mea requieſcet in ſpe ; quóniam

non

non derelinques ánimam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem : notas mihi feciſti vias vitæ ; & replébis me jucunditáte cum fâcie tua. Viri fratres, líceat audenter dícere ad vos de patrĭarcha David, quóniam defunctus eſt, & ſepultus ; & ſepulcrum ejus eſt apud nos uſque in hodiêrnum diem. Prophéta ígitur cùm eſſet, & ſciret quia jurejurando juraſſet illi Deus de fructu lumbi ejus ſedére ſuper ſedem ejus ; próvidens locútus eſt de reſurrectióne Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corrûptiónem. Hunc Jeſum reſuſcĭtávit Deus, cujus omnĕs nŏs teſtes ſumus.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 28. IN illo témpore ; Exiérunt mulíeres citŏ de monumento cum timóre ĕt gáudio magno, currentes nuntiáre diſcípulis Jesŭ. Et ecce Jeſus ŏccurrit illis, dĭcens : Avĕte. Illæ autem acceſſérunt, & tenuérŭnt pedes ejus, & adoravérunt ĕum. Tunc ait illis Jesŭs : Nŏlíte timére : ite, nuntiáte frátribus meis ut eant in Galilæam ; ibi me vidĕbunt. Quæ cùm ábiiſſent, ecce quidam de cuſtódibus venérunt in civitátem, & núntiavérunt princípibus ſacerdótum ómnia quæ facta fŭerant. Et congregáti cum ſenióribus, consílio accepto, pecúniam copióſam dĕdérunt milítibus, dicĕntes : Dícite quia Diſcípuli ejus nocte venérunt, & furáti ſunt eum, nobis dormiĕntibus. Et ſi hoc audítŭm fúerit à præſide, nos ſuadébimus ei, & ſecúros vos faciĕmus. At illi, ăccepta pecúnia, fecérunt ſicut erant edŏcti. Et divulgátum eſt verbum iſtud apud Jŭdæos, uſque in hodiernum diem.

FERIA SEXTA.

Alb.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cor. 13. IN diébus illis ; Stans Pâulus ait : Nos vobis annuntiámus eam, quæ ad patres noſtros repromíſſĭŏ facta eſt ; quóniam hanc Deus adimplévit fíliis noſtris, reſúſcitans Jeſum, ſicut in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt : Fílius meus es tu, ego hódie gênui te. Quòd autem ſuſcitávit eum à mórtuis, ámpliùs jam non reverſúrum in corruptiónĕm, ita dixit : Quia dabo vobis ſancta Davîd fidélia. Ideòque ĕt áliàs dicit ; Non dabis Sanctum tuum vidére corrûptiónem. David enim in ſua generatióne cùm adminiſtraſſet volŭntáti Dei, dormívit, & appóſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corrûptiónem. Quem verò Deus ſuſcĭtávit à mórtuis non vidit corrûptiónem. Notum ígitur ſit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remíſſio peccatórum ănnuntiátur : & ab ómnibus quibus non potuiſtis in lege Móyſi juſtificári, in hoc omnis quĭ crĕdit, juſtificátur.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 16. IN illo témpore ; Mulíeres exeuntes, fugérunt dĕ monumento : invaſérat enim eas tremor & pavor ; & némini quidquam dixérunt : timébant ĕnim. Surgens autem Jeſus manĕ, prima ſábbati, appáruit primò Maríæ Magdalénæ, de qua ejécerat ſeptem dæmŏnia. Illa vadens, nuntiávit his, qui cŭm eo fúerant, lugéntibus, & flĕntibus. Et illi audientes quia víveret, & visŭs eſſet ab ea, non credidĕrunt. Poſt hæc autem, duóbus ex his ambulántibus oſtenſus eſt in ália effígie, ĕúntibus in villam : & illi euntes, nuntiavérŭnt cĕteris ; nec illis credidérunt.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Introitus.

Pſal. 99. INtroíte in conſpectu Dómini in exultatióne: Allelúia: pópulus ejus & oves páſcuæ ejus, introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis. Allelúia, allelúia. *Psalm.* Jubiláte Deo omnis terra: * ſervíte Dómino in lætítia. Glória. Introíte.

Collecta. Orémus.

M. A. DEus qui errántibus, ut in viam poſſint redíre juſtítiæ, veritátis tuæ lumen oſtendis, da cunctis qui chriſtiánâ profeſſióne cenſentur, & illa reſpúere quæ huic inimíca ſunt nómini, & ea quæ ſunt apta ſectári; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

Léctio Epíſtolæ beáti Pêtri Apóſtoli.

I. Petr. 2. CAríſſimi; Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis rĕlinquens exemplum, ut ſequámini veſtîgia ejus. Qui pĕccátum non fecit, nec inventus eſt dolus in ôre ejus. Qui cùm maledicerétur, non maledicébat: cùm paterétur, non cŏmminabátur: tradébat autem judicanti sê injuſtè. Qui peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum; ut peccátis mórtui, jŭſtítiæ vivámus: cujus livóre ſanâti eſtis. Erátis enim ſicŭt oves errantes: ſed converſi eſtis nunc ad paſtórem & ĕpĭſcopum animárum veſtrárum.

Pſal. 94. Allelúia, allelúia. ℣. Ipſe eſt Dóminus Deus noſter; & nos pópulus páſcuæ ejus, & oves manûs ejus.

Iſa. 40. Allelúia, allelúia. ℣. Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet; in bráchio ſuo congregábit agnos, & in ſinu ſuo levábit. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jeſus quibuſdam ex Phariſæis: Ego ſum paſtor bŏnus. Bonus paſtor ánimam ſuam dat pro óvibus sŭis. Mercenárius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves própriæ, videt lupum venientem, & dimittĭt oves, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit ŏves. Mercenárĭŭs autem fugit, quia mercenárius eſt, & non pértinet ad eum de ŏvibus. Egŏ ſum paſtor bonus; & cognoſco meas, & cognoſcunt me mĕæ. Sicut novit me Pater, & ego ăgnoſco Patrem; & ánimam meam pono pro óvibus mĕis. Et álias oves hábeo quæ non ſunt ĕx hoc ovíli: & illas oportet me addúcere, & vocem meam áudient; & fiet unum ŏvĭle, & unus paſtor.

Dicitur Credo.

Offertorium. Erátis ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad paſtórem & epíſcopum animárum veſtrárum. Allelúia. I. Petr. 2.

Secreta.

M. P. DEus pacis, qui eduxiſti de mórtuis paſtórem magnum óvium in ſánguine teſtamenti æterni Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum; hujus oblatiónis prétio, apta nos in omni bono, ut tuam faciámus voluntátem, fáciens in nobis quod pláceat coram te; Per eumdem.

Joan. 10. *Communio.* Ego ſum paſtor bonus; & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ; & ánimam meam pono pro óvibus meis. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

S. R. GRegem tuum, Paſtor bone, placátus intende, & oves tuas, pretióſi ſánguinis tui, quem ſúmpſimus, effuſióne redemptas, diabólicâ

non ſinas incurſióne lacerári ; Qui vivis & regnas.

FERIA QUARTA.

Alb.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 5.

FRatres ; Ut quid Chriſtus , cùm adhuc ĭnfirmi eſſémus , ſecundùm tempus pro ímpiis mórtuus eſt? Vix enim prŏ juſto quis móritur : nam pro bono fórſitan quis âudeat mori. Commendat autem caritátem ſuam Deus in nobis ; quóniam cùm adhuc peccatóres eſſémus , ſecundùm tempus Chriſtus pro nobĭs mórtuus eſt : multò ígitur magìs nunc juſtificáti in ſánguine ipsíus , ſalvi érimus ab îra per ipſum. Si enim cùm inimíci eſſémus, reconciliáti ſumus Deo per mortĕm Fílii ejus ; multò magìs reconciliáti , ſalvi érimus in vîta ipsíus. Nŏn ſolùm autem : ſed & gloriámur in Deo per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum , per quem nunc reconciliatĭŏnem accépimus.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 10.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus quibuſdam ex Phariſæis : Propterĕă me díligit Pater ; quia ego pono ánimam meam , ut íterùm ſumam ĕam. Nemo tollit eam à me : ſed ego pono eam à meipſo , & poteſtátem hábeo ponendi eam : & poteſtátem hábeo íterum ſŭmendi eam : hoc mandátum accépi à Patre mĕo. Diſſénſio íterùm facta eſt inter Judæos , propter ſermónes hŏs. Dicébant autem multi ex ĭpſis : Dæmónium habĕt , & inſánit : quid eum audítis ? Alii dicĕbant : Hæc verba non ſunt dæmónium habentis : numquid dæmónium poteſt cæcórŭm ŏculos aperíre.

FERIA SEXTA.

Alb.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 2.

FRatres ; Eum qui módico quàm Angeli minorátus eſt , vidémus Jeſum , propter paſſiónem mortis , glória & honórĕ coronátum : ut grátia Dei , pro ómnibus guſtâret mortem. Decébat enim eum , propter quem ómnia , & per quem ómnia , qui multos fílios ĭn glóriam addúxerat , auctórem ſalútis eórum per paſſiónem cônſummáre. Qui enim ſanctíficat , & qui săncti ficantur , ex ûno omnes. Propter quam cauſam non confúnditur fratres eos vŏcáre , dicens : Nuntiábo nomen tuum frátribus meis , in médio Eccléſiæ laudâbo te. Et íterùm : Ego ero fîdens in eum. Et íterùm ; Ecce ego , & púeri mei , quos dedit mîhi Deus. Quia ergo púeri communicavérŭnt carni & ſánguini ; & ipſe ſimíliter participávit eiſdem : ut per mortem deſtrúeret eum qui habébat mortis impérium , id eſt diábolum : & liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant sêrvitúti. Nuſquam enim Angĕlŏs apprehendit , ſed ſemen Abrahæ âpprehendit. Unde débuit per ómnia frátribus ſimilári , ut miſéricors fíeret & fidélĭs póntifex ad Deum ; ut repropitiáret delîcta pópuli. In eo enim , in quo paſſus eſt ipsĕ & tentátus , potens eſt & eis qui tĕntăntur auxiliári.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 23.

IN illo témpore ; Subſecútæ mulíeres , quæ cum Jeſu vénerant dĕ Galílæa , vidérunt monumentum , & quemádmodùm póſitum erat corpus ĕjus. Et revertentes paravérunt aró-

mătă, & unguenta: & Sábbato quidem
Cap. 24. ſiluérunt ſecundùm mandătum. Una autem ſábbati valdè dilúculo venérunt ad monumentum, portantes quæ păráverant arómata; & invenérunt lápidem revolútum à monumĕnto. Et ingreſſæ non invenérunt corpus Dómini Jesŭ. Et factum eſt, dum mente conſternátæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſtetérunt ſecus illas in veſte fulgĕnti. Cùm timérent autem, & declinárĕnt vultum in terrram, dixérunt ad ĭllas: Quid quæritis viventem cum mórtuis? Non eſt hĭc, ſed ſurrexit: recordámini quáliter locútus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet, dicens: Quia oportet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum, & crucifígi, & die tértia resŭrgere. Et recordátæ ſunt verbórum ĕjus. Et regreſſæ à monumento, nuntiavérunt hæc ómnia illis Undecim, & céteris ŏmnibus. Erat autem María Magdaléne, & Joanna, & María Jacóbi & céteræ, quæ cŭm eis erant, quæ dicébant ad Apóſtolos hæc. Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentŭm verba iſta: & non credidérunt ĭllis. Petrus autem ſurgens cucurrit ăd monumentum: & procumbens vidit linteámina ſola póſita, & ábiit ſecŭm mĭrans quod factum fúerat.

DOMINICA TERTIA
POST PASCHA.

Alb.

INTROITUS.

Iſa. 48. IN voce exultatiónis annuntiáte: Allelúia: audítum fácite hoc & efferte illud uſque ad extréma terræ: dícite: Redémit Dóminus ſervum ſuum Jacob. Allelúia, allelúia.

Pſal. 65. *PSALM.* Jubiláte Deo, omnis terra: pſalmum dícite nómini ejus: * date glóriam laudi ejus. Glória Patri. Vocem.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui, in Fílii tui humilitáte jacentem mundum erexiſti, fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam; ut quos perpétuæ mortis erípuiſti cáſibus, gáudiis fácias ſempiternis pérfrui; Per eumdem Dóminum noſtrum. M. A.

Léctio Epíſtolæ beáti Pêtri Apóſtoli.

CAríſſimi; Obſecro vos tanquam ádvenas & peregrínos abſtinére vos à carnálibus deſidériis quæ mílitant ádversùs ánimam, converſatiónem veſtram inter gentes hăbentes bonam: ut in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitâtiónis. Subjecti ígitur eſtóte omni humánæ creatúræ, propter Deum: ſive regi, quaſi præcellenti; ſive dúcibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactórum, laudĕm verò bonórum: quia ſic eſt voluntas Dei, ut benè facientes obmutéſcere faciátis imprudéntium hóminum ignorántiam; quaſi líberi, & non quaſi velámen habentes malítiæ libertátem: ſed ſicut sêrvi Dei. Omnes honoráte: fraternĭtátem dilígite: Deum timéte; regem honorîficáte. Servi, ſúbditi eſtóte in omni timóre dóminis, non tantùm bonis & modeſtis, sĕd étiam dyſcolis: hæc eſt enim grátia, ſi propter Dei conſciéntiam ſúſtinet quis trĭſtĭtias pátiens injuſtè. I. Petr. 2.

Allelúia, allelúia. ℣. Nonne opórtuit pati Chriſtum; & ita intráre in glóriam ſuam. Luc. 24.

Allelúia, allelúia. ℣. Iterùm vidébo vos, & gaudébit cor veſtrum, & gáudium veſtrum nemo tollet à vobis. Allelúia. Joan. 16.

Sequéntia

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 15. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis : Módicum , & jam non vidébitis me & íterùm módicum & vĭdébitis me : quia vado ad Pătrem. Dixérunt ergo ex diſcípulis ejus ad ĭnvicem : Quid eſt hoc quŏd dicit nobis : Módicum , & non vidébitis me : & íterùm módicum, & vidébitis me , & quia vado ad Patrem ? Dicébant ĕrgo : Quid eſt hoc quod dicit , módicum ? neſcímus quid lŏquitur. Cognóvit autem Jeſus quia volébant eum ĭnterrogáre , & dixit ĕis : De hoc quæritis intĕr vos quia dixi : Módicum , & non vidébitis me : & íterùm módicum , & vidébitis mĕ. Amen , amen dico vobis , quia plorábitis & flébitis vos , mundŭs autem gaudébit : vos autem contriſtabímini , ſed triſtítia veſtra vertétur in găudium. Múlier cùm parit triſtítiam habet , quia venĭt hora ejus ; cùm autem pepérerit púerum , jam non méminit preſſúræ propter gáudium , quia natus eſt homo in mŭndum. Et vos ígitur nunc quidem trĭſtítiam habétis : íterùm autem vidébo vos , & gaudébit cor veſtrum ; & gáudĭŭm vĕſtrum nemo tollet à vobis.

Dicitur Credo.

Jer. 31. *OFFERTORIUM.* Convertam luctum eórum in gáudium , & conſolábor eos , & lætificábo à dolóre ſuo , allelúia ; & pópulus meus bonis meis adimplébitur. Allelúia.

SECRETA.

M. P. HIs nobis , Dómine , myſtériis conferátur , quo terréna deſidéria mitigantes , diſcámus amáre cœleſtia ; Per Dóminum.

Iſai. 65. *COMMUNIO.* Non erunt in memória prióra , & non aſcendent ſuper cor , Allelúia : ſed gaudébitis , & exultábitis uſque in ſempiternum. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

INfirmitátem noſtram , quæſumus , Dómine , ſuſtentet hujus Sacramenti percéptio ; & in hac valle lacrymárum exulantes , cœléſtium bonórum promíſſio conſolétur ; Per.

FERIA QUARTA.

Alb.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. ad Cor. 15. FRatres ; Si Chriſtus prædicátur quòd reſŭrrexit à mórtuis , quómodo quidam dicunt in vobis , quóniam reſurréctio mortuórum non eſt ? Si autem reſurréctio mortŭórum non eſt : neque Chriſtus rêſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit , inánis eſt ergo prædicátio noſtra , inánis eſt ĕt fides veſtra : invenímur autem & falſi teſtes Dei ; quóniam teſtimónium díximus adversùs Deum , quòd ſuſcitáverit Chriſtum , quem non ſuſcitávit , ſi mórtui nôn reſurgunt. Nam ſi mórtŭĭ non reſurgunt , neque Chriſtus rêſurrexit. Quòd ſi Chriſtus nŏn reſurrexit , vana eſt fides veſtra , adhuc enim eſtis in peccâtis veſtris. Ergo & qui dormĭérunt in Chriſto , pêriérunt. Si in hac vita tantùm in Chriſto ſpĕrantes ſumus , miſerabilióres ſumus ômnibus homínibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mórtuis , primítĭæ dormiéntium : quóniam quidem per hóminem mors ; & per hóminem reſŭrrĕctio mortuórum.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 13. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis : Nunc clarificátŭs eſt Fílius hóminis ; & Deus clarificátus eſt in ĕo. Si Deus clarificátus eſt in

eo, & Deus clarificábit eum ĭn ſemetipſo : & contínuò clarificábit ĕum. Filióli, adhuc módicum vobiſcum sŭm. Quærétis me : & ſicut dixi Judæis, Quò ego vado, vos non poteſtis veníre ; & vobis dico mŏdò. Mandátŭm novum do vobis ; Ut diligátis ínvicem, ſicut dilexi vos, ut ĕt vŏs diligátis ínvicem.

FERIA SEXTA.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cor. 15. FRatres ; Sicut in Adam omnĕs moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivifîcabuntur. Unuſquiſque autem in sûo órdine. Prĭmítiæ, Chriſtus : deinde ii qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crêdidérunt. Dĕinde finis, cùm tradíderit regnum Deo & Patri, cùm evacuáverit omnem principátum, & poteſtátem, êt virtútem. Oportet autĕm illum regnáre, donec ponat omnes inimícos ſub pêdibus ejus. Noviſſima autem inimíca deſtrŭétur mors : ómnia enim ſubjécit ſub pêdibus ejus. Cùm autem dicat : Omnia sŭbjecta ſunt ei ; ſine dúbio, præter eum qui ſubjécit êi ómnia. Cùm autem ſubjecta fúĕrĭnt illi ómnia ; tunc & ipſe Fílius ſubjectus erit ei qui ſubjécit ſibi ómnĭa, ut ſit Deus ômnia in ómnibus. Alióquin quid fácient qui baptizantur pro mórtuis, ſi omnínò mórtui non reſurgunt ? ut quid & baptizantur pro illis ? ut quid & nos periclĭtămur omni hora.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 16. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis : Exívi à Patre, ĕt veni in mundum : íterùm relinquo mundum, & vado ad Pătrem. Dicunt ei diſcípuli ĕjus : Ecce nunc palàm lóqueris, & provérbĭŭm nullum dicis : nunc ſcimus quia ſcis ómnia, & non opus eſt tibi ut quis te intérroget : in hoc crédimus quia à Deo exĭſti. Reſpondit eis Jesŭs : Modŏ créditis ? Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergámini unuſquiſque in própria, & me ſolŭm relinquátis : & non ſum ſolus, quia Pater mecum ĕſt. Hæc lŏcútus ſum vobis, ut in me pacem habeătis. In mundo prĕſſúram habébitis : ſed cŏnfĭdite, ego vici mundum.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA. Ab.

INTROITUS.

Pſal. 97. CAntáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit : Allelúia : ſalvávit ſibi déxtéra ejus, & bráchium ſanctum ejus. Allelúia, allelúia. *PSALM.* Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, & exultáte, & pſállite. Glória. Cantáte.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui fidélium mentes uníus éfficis voluntátis ; da pópulis tuis, id amáre quod præcipis, id deſideráre quod promittis : ut inter mundánas varietátes ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gáudia ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Jacôbi Apóſtoli.

Cap. 1. CAríſſimi ; Omne datum óptimum, & omne donum perfectum deſúrſum eſt, deſcendens à Patre lúminum, apud quem non eſt tranſmutátio, nec viciſſitúdinis ôbumbrátio. Voluntáriè enim génuit nos verbŏ veritáris, ut ſimus inítium áliquod creatûra ejus. Sitis, fratres meĭ dilectitiſſimi : Sit auuem omnis homo velox ad audiendum ; tardus

autem ad loquendum, & târdus ad iram. Irā enim viri juſtítiam Dei non ôperátur. Propter quod abjicientes omnem immundítiam, & abŭdántiam malítiæ; in manſuetúdine ſuſcípite ínſitum verbum, quod poteſt sălvāre ánimas veſtras.

Joan. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Vado paráte vobis locum, & íterùm vénio, & accípiam vos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Adhuc módicum; & mundus me jam non videt: vos autem vidétis me, quia ego vivo, & vos vivétis. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 16. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Vado ad eum quĭ miſit me; & nemo ex vobis intérrogat me, Quò vadis? ſed quia hæc locótus ſum vobis, triſtítia implévit cor vĕſtrum. Sed ego veritátem dico vobis: Expedit vobis ŭt ego vadam; ſi enim non abíero, Paraclétus non véniet ad vos; ſi autem abíero, mittam eum ad vŏs. Et, cŭm vénerit illle, árguet mundum de peccáto, & de juſtítia, & de judĭcio. De peccáto quidem; quia non credidérunt in me: de juſtítia verò; quia ad Patrem vado, & jam non vĭdébitis me: de judício autem; quia princeps hujus mundi jam judicátus ĕſt. Adhuc multa hábĕŏ vobis dícere; ſed non poteſtis portáre mŏdò. Cùm autem vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnĕm veritátem: non enim loquétur à ſemetipſo; ſed quæcumque audiet loquétur, & quæ ventúra ſunt, annuntiábit vŏbis. Ille me clărificábit, quia de meo ăccipiet, & annuntiábit vobis.

Dicitur Credo.

Joel. 2. *Offertorium.* Laudábitis nomen Dómini Dei veſtri, qui fecit mirabília vobiſcum; & non confundétur pópulus meus in ſempiternum: & erit poſt hæc: Effundam Spíritum meum. Allelúia.

Secreta.

M. P. DEus, qui nos per hujus ſacrifícii veneranda commércia uníus ſummæ divinitátis partícipes éfficis, præſta, quæſumŭs, ur ſicut tuam cognóvimus veritátem, ſic eam dignis móribus aſſequámur; Per Dóminum.

Joan. 14. *Communio.* Non relinquam vos órphanos: véniam ad vos: Allelúia: in illo die vos cognoſcétis quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

AUge in nobis, Dómine, per hæc ſacra myſtéria, fructus bonórum óperum: ut qui, te redimente, libertátem filiórum ſumus adepti; te largiente, conſortes efficiámur in hæreditátis æternæ; Qui vivis & regnas.

FERIA QUARTA

Alb. Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cor. 15. FRatres; Seminátur corpŭs animále, ſurget corpus ſpîritále. Si eſt corpus animále, eſt & ſpiritále, ſicŭt ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Adam ĭn ánimam viventem, noviſſimus Adam in ſpíritum vivîficantem. Sed non priùs quod ſpiritále eſt, ſed quŏd animále: deinde quod ſpîritále. Primus homo dĕ terra, terrénus: ſecundus homo de cêlo, cœleſtis. Qualis terrénus, talĕs & terréni: & qualis cœleſtis, tales êt cœleſtes. Igitur, ſicut portávimus ĭmáginem terréni, portémus & imâginem cœleſtis. Hoc autĕm dico, fratres; quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidére non poſſunt, neque corrúptio incorrŭptēlam poſſidébit.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 15. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſùis : Manéte in me , & ego in vòbis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo , niſi mánſerit in vite ; ſic nec vos , niſi in me manſéritis. Ego ſum vitis , vos pálmites. Qui manet in me , & ego in eo , hìc fért fructum multum ; quia ſine me nihil poteſtis fácere. Si quis in me non mánſerit , mittétur forás ſicut palmes ; & areſcet , & cólligent eum , & in ignem mittent , & árdet. Si manſéritis in me , & verba mea ín vobis mánſerint ; quodcumque voluéritis petétis , & fiet vòbis. In hoc clarificátus eſt Pater meus , ut fructum plúrímùm afferátis , & efficiámini mei diſcípuli. Sicut dílexit me Pater , & ego dilexi vòs. Manéte in dilectióne méa. Si præcepta mea ſervavéritis , manébitis in dilectióne mea ; ſicut & ego Patris mei præcepta ſervávi , ét máneo in ejus dilectióne.

Alb. FERIA SEXTA.

Léctio Epíſtolæ beátí Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 14. FRatres ; Nemo noſtrùm ſibi vivit , & nemo sîbi móritur. Sive enim vívímùs , Dómino vívimus : ſive mórimut , Dômino mórimur. Sive ergo vívímùs , ſive mórimur , Dômini ſumus. In hoc enim Chriſtus mórtuus eſt , ét reſurrexit : ut & mortuórum & vívórum dominétur.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 3. IN illo témpore ; Joannes dixit diſcípulis sùis : Qui déſurſum venit , ſuper omnes ést. Qui eſt de terra , dé terra eſt , & de terra lóquitur. Qui dé cœlo venit , ſuper omnes ést. Et quod vidit , & audívit , hoc teſtátur : & teſtimónium ejus nemo áccipit. Qui accépit ejùs teſtimónium , ſignávit quia Deus verax ést. Quem enim miſit Deus , verbà Dei lóquitur : non enim ad menſúram dat Deus ſpíritum. Patér díligit Fílium ; & ómnia dedit in manu éjus. Qui credit in Fílium , habét vitam æternam : qui autem incrédulus eſt Fílio , non vidébit vitam , ſed irà Dei manet ſuper eum.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA. Alb.

Introitus.

EXaudi , Dómine , vocem meam quâ clamávi ad te : Allelúia : tibi dixit cor meum : Exquisívit te , fácies mea : fáciem tuam Dómine , requíram : ne avertas fáciem tuam à me. Allelúia , allelúia. Psa. 26. *Psalm.* Dóminus illuminátio mea , & ſalus mea : * quem timébo ? Glória. Exaudi. Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus , à quo bona cuncta procédunt ; largíre ſupplícibus tuis , ut cogitémus , te inſpirante , quæ recta ſunt ; & , te gubernante , éadem faciámus ; Per Dóminum noſtrum. M. P.

Léctio Epíſtolæ beáti Jacôbi Apóſtoli.

Cap. 1. CAríſſimi ; Eſtóte factóres verbi , & non audítóres tantùm , fallentes vôſmetipſos. Quia ſi quis audítor eſt verbi , & non factor ; hic comparábitur viro conſideranti vultum nativitátis ſuæ in ſpéculo : conſiderávit enim ſe , & ábiit ; & ſtatim oblítus eſt quâlis fúerit. Qui autem perſpéxerit in legem perfectam libertátis , & permánſerit in ea , non audítor

oblivióſus

oblivióſus factus, sĕd factor óperis; hic beátus in facto sûo erit. Si quis autem putat ſe religióſum eſſe, non refrénans linguam ſuam, ſed sĕdúcens cor ſuum, hujus vana êſt relígio. Relígio munda & immaculáta apud Deum ĕt Patrem, hæc eſt: Viſitáre pupillos & víduas in tribulatióne eórum, & immaculátum ſe cuſtŏdíre ab hoc ſéculo.

I. Petr 1. Allelúia, allelúia. ℣. Per Chriſtum fidéles eſtis in Deo, qui ſuſcitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deo.

Pſal. 31. Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus adjútor & protector noſter eſt: in eo lætábitur cor noſtrum, & in nómine ſancto ejus ſperávimus. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 16. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Amen, ămen dico vobis: ſi quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vŏbis. Uſque modò non petiſtis quidquam ĭn nómine meo: pétite, & accipiétis, ut gáudium veſtrum ſit plĕnum. Hæc in provérbiis locútus ſum vŏbis. Venit hora, cùm jam non in provérbĭis loquar vobis; ſed palàm de Patre annuntiábo vŏbis. In illo die in nómine meo petétis: & non dico vobis quia ego rogábŏ Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos quia vos me amaſtis, & credidíſtis quia ego à Deo exĭvi. Exívi à Patre ĕt veni in mundum; íterùm relinquo mundum, & vado ad Pătrem. Dicunt ei diſcípuli ĕjus: Ecce nunc palàm lóqueris, & provérbĭŭm nullum dicis: nunc ſcimus quia ſcis ómnia, & non opus eſt tibi ut quis te intérroget: in hŏc crĕdimus quia à Deo exiſti.

Dicitur Credo.

Offertorium. Benedícite, gentes Deum noſtrum, & audítam fácite vocem laudis ejus, qui póſuit ánimam meam ad vitam, & non dedit in commotiónem pedes meos: benedictus Deus, qui non amóvit oratiónem meam, & miſericórdiam ſuam à me. Allelúia. Pſal. 65.

Secreta.

SPíritum bonum da peténtibus te, Dómine; quo & accepta bona dignè tibi referámus, & te digna petámus in Nómine Unigéniti tui, ut gáudium noſtrum ſit plenum; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.... in unitáte ejuſdem. M. P.

Communio. In nómine tuo, Dómine, levábo manus meas: Allelúia, ſicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; & lábiis exultatiónis laudábit os meum. Allelúia. Pſal. 62.

Postcommunio. Orémus.

VIvíficet nos, quæſumus, Dómine, hujus participátio ſancta myſtérii; & Spíritus tuus ádjuvet infirmitátem noſtram; ut quæ recta ſunt in óculis tuis, & ardenter deſiderémus, & perſeveranter poſtulémus; Per Dóminum noſtrum.... in unitáte ejuſdem Spíritûs.

IN TRIDUO ROGATIONUM.

Missa ad Stationem Proceſſionis cantatur de Rogationibus, quodcumque Feſtum occurrat. Secunda Collecta dicitur pro Fructibus terræ, ut in Miſſa ſequenti.

Extra Proceſſionem Miſſa dicitur ſemper de officio diei.

Hoc triduo ſi occurrerit Feſtum ſimplex, fiet Commemoratio de eo ante Commemorationem de Cruce; ſi verò

(*Feriis tantùm*, II. & III.) *occurrerit Feſtum ſemiduplex aut ſuprà, ſecunda Collecta erit de Feria & Evangelium ejuſdem in fine Miſſæ.*

Si dicantur duæ Miſſæ, prima erit de officio ante Proceſſionem, altera de Rogationibus ad Stationem.

Si occurrat Feſtum à populo celebratum, ubi unica eſt Miſſa, ea dicitur de Feſto extrà Proceſſionem.

Feriâ ſecundâ & tertiâ, cùm fit de ea, Miſſa de Rogationibus Miſſa eſt Officii & Stationis.

Viol. # FERIA SECUNDA

in Rogationibus.

SIMPLEX.

INTROITUS.

Phil. 17. EXaudívit Dóminus de templo ſancto ſuo vocem meam, Allelúia : & clamor meus in conſpectu ejus, introívit in aures ejus, Ibid. Allelúia, allelúia. *PSALM.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea : * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Exaudívit.

Non dicitur Glória in excelſis.

COLLECTÆ. Orémus.

S. R. PRæſta, quæſumus, omnípotens & miſéricors Deus, ut qui in afflictióne noſtra de tua pietáte confídimus ; contra adverſa ómnia tuâ ſemper protectióne muniámur ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

PRO FRUCTIBUS TERRÆ. Orémus.

M. P. EFfúnde quæſumus, Dómine, Deus noſter benedictiónem tuam ſuper pópulum tuum ; ut, & dante te benignitátem, terra noſtra det fructus ſuos, & his collectis ad laudem & honórem ſancti tui nóminis utámur ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Jacôbi Apóſtoli.

Cap. 5. CAríſſimi ; Confitémini altérutrum peccáta veſtra, & oráte pro ínvicem ut ſalvémini : multùm enim valet deprecátio jûſti aſsídua. Elías homo erat símilis nobis paſsíbilis ; & oratióne orávit ut non plúeret ſuper terram, & non pluit annos tres, et menſes ſex : & rursùm orávit ; & cœlum dedit plúviam, & terra dedit frûctum ſuum. Fratres mei, ſi quis ex vobis erráverit à veritáte, & convérterit quis eum ; ſcire debet, quóniam qui converti fécerit peccatórem ab erróre viæ ſuæ, ſalvábit ánimam ejus à morte, & opériet multitúdinem peccatórum.

Tob. 13. Allelúia, allelúia. ℣. Confitémini Dómino ; & in conſpectu géntium laudáte eum : ipſe caſtigávit nos propter iniquitátes noſtras ; & ipſe ſalvábit nos propter miſericórdiam ſuam. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 11. IN illo témpore ; Ait Jeſus ad diſcípulos ſuos : Quis veſtrum habébit amícum, & ibit ad illum média nocte, et dicet illi : Amíce, cómmoda mihi tres panes ; quóniam amícus meus venit de via ad me ; & non hábeo quod ponam ante illum : & ille deintùs reſpondens dicat : Noli mihi moleſtus eſſe ; jam óſtium clauſum eſt, & púeri mei mecum ſunt in cubíli ; non poſſum súrgere, & dare tibi. Et ſi ille perſevéraverit pulſans : dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amícus ejus ſit ; propter improbitátem tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſários. Et ego dico vobis : Pétite, & dábitur vobis ; quærite, & inveniétis ; pulſáte, & aperiétur vobis. Omnis

enim qui petit áccipit ; & quĭ quærit ínvenit ; & pulſanti aperiĕtur. Quis autem ex vobis patrem petit panem ; numquid lápidem dabit illi ? aut piſcem ; numquid pro piſce ſerpentem dabit illi ? aut ſi petíerit ovum, numquid pórriget illi ſcorpiónem ? Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data darĕ fíliis veſtris ; quantò magìs Pater veſter de cœlo dabit ſpírĭtŭm bŏnum peténtibus ſe.

Iſai. 12. *Offertorium.* Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : converſus eſt furor tuus, & conſolátus es me. Allelúia.

Secretæ.

M. P. VOx clamantis Eccléſiæ, quæſumus, Dómine, hujus oblatiónis mérito, ad aures tuæ pietátis aſcendat ; ut perceptâ véniâ peccatórum, te fiat operante devóta, te protegente, ſecúra ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Pro Fructibus Terræ. Orémus.

M. P. VOta pópuli tui, Dómine, propítius réſpice ; ut per hæc dona, quæ tibi de frúctibus terræ offérimus, frúctuum nobis ubertátem ſulúbriter largiáris ; Per Dóminum.

Luc. 11. *Communio.* Pétite, & accipiétis, quærite, & inveniétis ; pulſáte, & aperiétur vobis : omnis enim qui petit áccipit ; & qui quærit ínvenit, & pulſanti aperiétur. Allelúia.

Postcommuniones. Orémus.

M. A. VOta noſtra, quæſumus, Dómine, pio favóre proſéquere ; ut dum dona tua in tribulatióne percípimus, de conſolatióne noſtra in tuo amóre creſcámus ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Pro Fructibus Terræ. Orémus.

M. P. LArgíre fidélibus tuis, quæſumus, omnípotens Deus, per hæc Sacraménta quæ ſúmpſimus, cóngruam terræ frúctuum ubertátem ; quibus temporáliter enutríti, ad æterna bona capeſſénda ſpirituálibus incrementis proficiant ; Per Dóminum.

Benedicámus Dómino.

FERIA TERTIA in Rogationibus.

Viol.

Miſſa, Exaudívit, *ut ſuprà* 194. *exceptis quæ ſequuntur.*

Collecta. Orémus.

S. R. EXcita, Dómine, tuórum corda fidélium ; ut ſacris intenta Doctrínis, quod precentur intélligant, & petendo perſeveranter obtíneant ; Per Dóminum.

Pro Fructibus terræ, Effunde quæſumus, *ut in Miſſa præcedenti.*

Léctio Epíſtolæ beatĭ Pauli Apóſtoli âd Timótheum.

I. Tim. 2. CAríſſime ; Obſecro primùm ómnium fíeri obſecratiónes, oratiónes, poſtulatiónes, gratiárum actiónes pro ómnibus homínibus, pro régibus & ómnibus qui in ſublimitáte ſunt ut quiétam & tranquillam vitam agámus in omni pietáte ĕt caſtitáte : hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſalvatóre noſtro Deo, qui omnes hómines vult ſalvos fíeri, & ad agnitiónem veritâtis veníre. Unŭs enim Deus : unus & mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetipſum pro ómnibus, teſtĭmŏnium tempóribus ſuis.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 11. IN illo témpore ; Factum eſt, cùm eſſet Jeſus in quodam loco orăns, ut ceſſávit, dixit unus ex diſcípulis

ejus ad ĕum : Dómine, docĕ nos oráre, sicut dócuit & Joannes discípulos sŭos. Et ait ĭllis : Cùm ŏrátis, dícite : Pater, sanctificétur nomen tŭum. Advéniat regnum tŭum. Panem nostrum quotidiánum da nobis hŏdie. Et dimitte nobis pĕccáta nostra : síquidem & ipsi dimíttimus omni debenti nŏbis. Et ne nos ĭndŭcas in tentatiónem.

Secreta.

S. R. SUscipe, Dómine, múnera quæ tuæ offérimus majestáti ; atque ut nos à malis ómnibus propitiátus erípias, iniquitátes nostras, pro quibus méritò afflígimur, placátus absólve ; Per Dóminum.

Pro Fructibus terræ, Vota pópuli, *ut suprà* 195.

Postcommunio. Orémus.

S. R. PRopitiáre pópulo tuo, Deus, quem tanti mystérii partícipem esse tribuísti : ut à suis pravitátibus liberátus, & toto corde tibi deserviat, & sub tua semper protectióne consístat ; Per Dóminum.

Pro Fructibus terræ, Largíre, fidélibus, *ut suprà* 195.

Benedicámus Dómino.

FERIA QUARTA in Rogationibus.

Alb. ## VIGILIA ASCENSIONIS.

Duplex-Minus.

Introitus.

Psal. 107. EXaltáre super cœlos, Deus, Allelúia : & super omnem terram glória tua, Allelúia, allelúia.

Ibid. *Psalm.* Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo & psallam in glória mea. Glória. Exaltáre.

Dicitur Glória in excelsis.

Collecta. Orémus.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut nostræ mentis inténtio, quò ventúræ solemnitátis gloriósus auctor ingréssus est, semper intendat ; & quò fide pergit, conversatióne pervéniat ; Per eumdem. M. A.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Ephésios.

Cap. 4. FRatres ; Unicuíque nostrŭm data est grátia secundùm mensúram donatiônis Christi. Propter quod dicit : Ascendens in altum captívam duxit căptivitátem ; dedit dôna homínibus. Quŏd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferióres partes terræ ? Qui descendit, ipse est, & qui ascendit supĕr omnes cœlos, ut implêret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem prophétas, álios verò Evangelístas, álios autem pastóres & doctóres, ad consummatiónem sanctórum, in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi ; donec occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei, in virum perfectum, in mensúram ætătis plenitúdinis Christi.

Joan. 16. Allelúia, allelúia. ℣. Exívi à Patre, & veni in mundum : íterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.

Psal. 23. Allelúia, allelúia. ℣. Attóllite portas príncipes vestras ; & elevámini, portæ æternáles ; & introíbit Rex glóriæ. Allelúia.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 17. IN illo témpore ; Sublevátis Jesus óculis in cœlum dĭxit : Pater venit hora ; clarífica Fílium tuum, ut Fílius tuus clărificet te ; sicut dedísti ei potestátem omnis carnis, ut omne quod dedísti ei, det eis vitam ætĕrnam. Hæc est autĕm vita æterna,

ut

ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Ego te clarificávi ſuper terram ; opus conſummávi, quod dediſti mihi ut fáciam : & nunc clarífica me tu, Pater, apud temetipſum, claritáte quam hábui, priuſquàm mundus eſſet, apud tĕ. Manifeſtávi nomĕn tuum homínibus, quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihĭ eos dediſti; & ſermónem tuum ſervavĕrunt. Nunc cognovérunt quia ómnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt; quia verba quæ dediſti mihĭ dedi eis: & ipſi accepérunt, & cognovérunt verè quia à te exívi, & credidérunt quia tu me misĭſti. Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, ſed pro his quos dĕdiſti mihi ; quia tui ſunt : & mea ómnia tua ſunt, & tua mea ſunt : & clarificátus ſum in ĕis. Et jam non ſum in mundo, & hi in mundŏ sŭnt, & ego ad te vénio.

Non dicitur Credo.

Joan. 17. *Offertorium.* Clarífica me tu, Pater, apud temetipſum, claritáte quam hábui, priuſquàm mundus eſſet apud te. Allelúia.

Secreta.

M. P. Sacrifícium, Dómine, pro veneranda Fílii tui, quam prævenímus, Aſcenſióne ſúpplices deférimus: præſta, ut & nos per ipſum his commérciis ſacroſanctis ad cœléſtia conſurgámus ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Præfatio Paſchalis.

Joan. 17. *Communio.* Pater, cùm eſſem cum eis, ego ſervábam eos quos dediſti mihi : nunc autem ad te vénio : non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. A. Tríbue, quæſumus, Dómine, ut per hæc ſancta quæ ſúmpſimus, illuc tendat noſtræ devotiónis affectus, quò tecum aſſumpta eſt noſtra ſubſtántia in Chriſto Jeſu Fílio tuo Dómino noſtro; Qui tecum vivit.

Ite Miſſa eſt.

Ad Stationem

Viol. *Missa*, Exaudívit, *ut ſuprà, exceptis quæ ſequuntur.*

Collecta. Orémus.

S. R. Domine Deus, qui ad hoc iráſceris ut ſubvénias ; ad hoc mináris ut parcas ; lapſis manum pórrige, & laborántibus multíplici miſeratióne ſuccurre : ut qui per te redempti ſunt, ad ſpem vitæ æternæ tuâ moderatióne ſerventur ; Per Dóminum noſtrum.

Pro Fructibus terræ, Effunde quæſumus, *ut ſuprà*, 194.

Léctio Epíſtolæ beáti Joânnis Apóſtoli.

I. Joan. 5. Cariſſimi ; Qui credit ĭn Fílium Dei, habet teſtimónium Dêi in ſe. Qui non credit Fílio, mendácĕm facit eum ; quia non credit in teſtimónium, quod teſtificátus eſt Deus de Fîlio ſuo. Et hoc eſt teſtimónium quóniam vitam æternam dedĭt nobis Deus ; & hæc vita in Fílio êjus eſt. Qui habet Fílĭŭm, habet vitam ; qui non habet Fílium, vîtam non habet. Hæc ſcribo vobis, ut ſciátis quóniam vitam habétis æternam, qui créditis in nómine Fîlii Dei. Et hæc eſt fidúcia quam hăbémus ad eum ; quia quodcumque petiérimus ſecundùm voluntátem ejus âudit nos. Et ſcimus quia audit nos, quicquĭd petiérimus, ſcimus quóniam habémus petitĭŏnes, quas poſtulámus ab eo.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 18. IN illo témpore ; Dicébat Jesus parábolam ad discípulos suos , quóniam oportet semper oráre , & non defícere, dícens: Judex quidam erat in quadam civitáte, qui Deum non timébat , & hóminem non reverebátur. Vídua autem quædam erat in civitáte illa, & veniébat ad eum dicens: Víndica me de adversário meo. Et nolébat per multum témpus. Post hæc autem dixit intra se : Etsi Deum non tímeo , nec hóminem revéreor ; tamen quia molesta est mihi hæc vídua , vindicábo illam , ne in novíssimo véniens sugillet me. Ait autem Dóminus. Audíte quid judex iniquitátis dicit. Deus autem non fáciet vindictam electórum suórum clamántium ad se die ac nocte, & patiéntiam habébit in illis ? Dico vobis , quia citò fáciet vindictam illórum. Verúmtamen Fílius hóminis véniens , putas invéniet fidem in terra !

Secreta.

TUére, quæsumus, Dómine, plebem tuam ; & de bonis tuis múnera tibi supplíciter offerentem , grátiæ cœlestis largitáte prosequere : ut visibílibus adjúta solátiis , ad invisibília bona prómptior incitétur ; Per Dóminum. S. R.

Pro Fructibus terræ , Vota pópuli tui , *ut suprà* , 195.

Postcommunio. Orémus.

DEus , qui fidélium précibus flécteris , & humílium confessióne placáris ; per hæc mystéria , quæsumus , conversis ad te propitiáre supplícibus : & quos feciſti iram intellígere castigantis , fac misericórdiam sentíre parcéntis ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum , qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus. S. R.

Pro Fructibus terræ , Largíre fidélibus , *ut suprà* 195.

Benedicámus Dómino.

Alb.

IN ASCENSIONE DOMINI.

ANNUALE-MAJUS.

Introitus.

Psal. 67. REgna terræ, cantáte Deo: psállite Dómino, qui ascendit super cœlum cœli, Allelúia. Dabit voci suæ vocem virtútis, Allelúia: magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus. Allelúia, allelúia.

Ibid. *Psalm.* Exurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus; * & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Glória. Regna.

Collecta. Orémus.

S. R. COncéde, quæsumus omnípotens Deus, ut qui hodiernâ die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cœlos ascendísse crédimus; ipsi quoque mente in cœléstibus habitémus; Per eumdem Dóminum.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Cap. 1. PRimum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere & docére, usque in diem, qua, præcípiens Apóstolis per Spíritum sanctum quos elégit, assúmptus est: quibus & præbuit seipsum vivum post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de rêgno Dei. Et convescens, præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris, quam audístis (inquit) per os meum: quia Joannes quidem baptizávit aqua, vos autem baptizabímini Spíritu sancto non post mûltos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant êum, dicentes: Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israel? Dixit âutem eis: Non est vestrum nosse témpora vel momenta, quæ Pater pósuit in suâ potestáte; sed accipiétis virtútem supervenientis Spíritus sancti in vos; & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa & Samaría, & usque ad últimum terræ. Et cùm hæc dixísset, vidéntibus illis, elevátus est, & nubes suscépit eum ab ôculis eórum. Cùmque intuerentur in cœlum éuntem illum; ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis, qui êt dixérunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assúmptus est ă vobis in cœlum, sic véniet, quemádmodum vidístis eum euntem in cœlum.

Allelúia, allelúia. ℣. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impléret ómnia. Eph. 4.

Allelúia, allelúia. ℣. Benedictus es, Dómine, in throno regni tui; & superlaudábilis, & superexaltátus in sécula. Allelúia. Dan. 3.

Prosa.

M. P. SOlemnis hæc festívitas
Novum instaurat gáudium,
Quâ perennis felícitas
Propónitur in præmium.
Christus, scandens in æthera
Mortis fregit poténtiam;
Sedens Patris in déxtera,
Jugem parat lætítiam.
Dies per multos sæpiùs
Suis vivus appáruit;

Et cómitum cor dúrius
Mitis Magíster árguit.
Suos per Gentes ímperat
Ferre salútis núntium ;
Sed non priùs quàm áfferat
Dei Virtus auxílium.
Discipulis mirántibus ,
Cœlo triumphans rédditur ;
Et subductus aspéctibus ,
Nube clarâ susćipitur.
Qui penetrávit ínferas ,
Domos Redemptor pácifer ,
Se fert in sedes súperas ,
Mundi suprémus árbiter.
Ab ascendente dúcitur
Regnatúra captívitas :
Palma victis asséritur ,
Mórtuis immortálitas.
Ut ascendit , sic véniet
Sedens in nubis sólio ;
Pœnâ malos afficiet
Judex , bonosque præmio.
Patri monstrat assíduè
Quæ dura tulit vúlnera :
Et sic pacis perpétuæ
Nobis exórat fœdera.
Nunc ánimis accípite
Parátum cœlo præmium ,
Ut membrórum cum cápite
Arctius sit consórtium.
Quos hìc órphanos déseris ,
Jesu , réspice cœlitùs :
Mitte nobis è súperis
Promissi dona Spíritûs.
Tibi devótis méntibus ,
Per te lucescat véritas :
Per te succensis córdibus ,
Divína flagret cáritas. Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 16. IN illo témpore ; Recumbéntibus Undecim appáruit Jesus ; & exprobrávit incredulitátem eórum , & dŭrítiam cordis : quia iis , qui víderant eum resurrexisse , non credidĕrunt. Et dixit ĕis : Euntes in mundum universum , prædicáte Evangélium omni creatúræ : Qui credíderit , & baptizátus fúerit , salvus erit ; qui verò non credíderit , condemnăbitur. Signa autem eŏs , qui credíderint , hæc sequĕntur. In nómine meo dæmónia ejícient ; linguis loquentur novis ; serpentes tollent ; & si mortíferum quid bíberint , nŏn eis nocébit ; super ægros manus impónent , & benè habĕbunt. Et Dóminus quidem Jesus postquàm locútus est eis , assumptŭs est in cœlum , & sedet à dextris Dĕi. Illi autem profecti , prædicăvérunt ubíque , Dómino cooperante , & sermónem confirmânte , sequéntibus signis.

Dicitur Credo.

Offertorium. Christus unam pro peccátis ófferens hóstiam , in sempiternum sedet in déxtera Dei. Allelúia , allelúia. Hebr. 10.

Secreta.

OBláta , Dómine , in hujus celebritáte mystérii , dona súscipe propítius ; & præsta illuc súbsequi Eccléstæ tuæ membra , quò caput nostrum princípiumque præcessit Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster ; Qui tecum vivit & regnat. S. R.

Præfatio de Ascensione ; usque ad Vigiliam Pentecostes exclusivè.

Intra Actionem Communicantes *proprium habetur inter Præfationes : & dicitur per Octavam tantùm.*

Communio. Habentes fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi , quam initiávit nobis viam novam & viventem , per velámen , id est carnem suam ; accedámus cum vero corde , in plenitúdine fídei. Allelúia. Hebr. 10.

Postcommunio. Orémus.

COncéde nobis , quæsumus , Dómine , per hæc mystéria quæ súmpsimus , tuæ pietátis auxílium , ut S. R.

ſecundùm tuam promiſſiónem, & tu nobiſcum ſemper máneas in terris, & nos tecum in cœlo vívere mereámur; Qui vivis & regnas... in unitáte Spíritûs ſancti.

Intra Octavam dicitur Miſſa ut in die, exceptis Epiſtolâ & Evangelio Feriæ VI. & Feriæ III. ſequentis.

Nulla fit Commemoratio de Cruce.

Si Feſtum Duplex occurrat, Miſſa dicitur de Feſto, cum Commemoratione Octavæ.

De Semiduplici & Simplici, fit tantùm Commemoratio.

Alb. FERIA SEXTA.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 1. FRatres; Non ceſſo grátias agens pro vobis, memóriam veſtri fáciens in oratiónibus meis: ut Deus Dómini noſtri Jeſu Chriſti pater glóriæ, det vobis ſpíritum ſapiéntiæ & revelatiónis in agnitióne ejus: illuminátós óculos cordis veſtri; ut ſciátis quæ ſit ſpes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditátĭs ejus in ſanctis; & quæ ſit ſuperéminens magnitúdo virtútis ejus in nos, qui crédimus ſecundùm operatiónem poténtiæ virtútis ejus, quam operátus eſt in Chriſto, ſúſcitans illum à mórtuis, & conſtítuens ad déxteram ſuam in cœléſtibus, ſupra omnem principátum, & poteſtátem, & virtútem, & dominatiónem, & omne nomen, quod nominátur, non ſolùm in hoc ſéculo, ſed étiam în futúro. Et ómnia ſubjécit sŭb pédibus ejus: & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccléſiam, quæ eſt corpus ipsíus, & plenitúdo ejus, qui ómnia ĭn ŏmnibus adimplétur.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 17. IN illo témpore; Sublevátis Jeſus óculis in cœlum, dĭxit: Pater ſancte, ſerva eos in nómine tuo quos dĕdiſti mihi; ut ſint unum, ſicut & nŏs. Cŭm eſſem cum eis, ego ſervábam eos in nómine tŭo. Quos dediſti mihĭ cuſtodívi: & nemo ex eis périit, niſi fílius perditiónis, ut Scriptúra impleătur. Nunc autĕm ad te vénio: & hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in ſemetĭpſis. Ego dedi eis ſermónem tuum, & mundus eŏs ódio hábuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mŭndo. Non rogo ut tollăs eos de mundo, ſed ut ſerves eos à mălo. Dĕ mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mŭndo. Sanctífica eos in verităte. Sermo tuus véritas ĕſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego misĭ eos in mundum: & pro eis ego ſanctífico meipſum; ut ſint & ipſi ſanctifĭcăti in veritáte. *Dicitur* Credo.

Alb. DOMINICA INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

INTROITUS.

Pſal. 44. THronus tuus, Deus, in ſéculum ſéculi: virga directiónis, virga regni tui: dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitátem; proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ conſórtibus tuis, Allelúia, allelúia. *PSALM.* Eructávit Ibid. cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi. Glória. Thronus.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, cujus Fílius in alta cœlórum potenter aſcendens, captivitátem noſtram ſuâ duxit virtúte captívam: tríbue, quæſumus, ut dona quæ diſcípulis ſuis cóntulit, largiátur & nobis; Qui tecum.

Léctio Epístolæ beáti Pêtri Apóstoli.

I. Petr. 4. CAríssimi ; Estóte prudentes , & vigiláte in ŏratiónibus : ante ómnia autem mútuam in vobismetipsis caritátem contínuam habentes ; quia cáritas óperit multitúdinem pêccatórum. Hospitáles ínvicem sine murmŭratióne: unusquisque , sicut accépit grátiam , in altérutrum illam administrántes , sicut boni dispensatóres multiformis grâtiæ Dei. Si quis lóquitur , quasi sermónes Dei : si quis minístrat , tamquam ex virtúte quam admĭnistrat Deus ; ut in ómnibus honorificétur Deus per Jesum Christum , cui est glória & impérium in sécula secŭlŏrum : Amen.

Hebr. 4. Allelúia , allelúia. ℣. Habentes Pontíficem magnum , qui penetrávit cœlos , Jesum Fílium Dei , teneámus confessiónem.

Hebr. 7. Allelúia , allelúia. ℣. Talis decébat ut nobis esset Póntifex , sanctus , innocens , impollútus , & excélsior cœlis factus. Allelúia.

Prosa , Solemnis hæc. 199.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 15. IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis sŭis ; Cùm vénerit Paraclétus , quem ego mittam vobis à Patre , Spíritum veritátis qui à Patre procédit ; ille testimónium perhĭbébit de me : & vos testimónium perhibébitis , quia ab inítio mecum ĕstis. Cap. 16. Hæc lŏcútus sum vobis , ut non scandalizĕmini. Absque synagógis fácient vos : sed venit hora ut omnis qui intérficit vos , arbitrétur obséquium se præstáre Dĕo. Et hæc fácient vobis , quia non novérunt Patrem , neque mĕ. Sed hæc lŏcútus sum vobis ; ut cùm vénerit hora eórum , reminiscămini quia ego dixi vobis.

Dicitur Credo.

Offertorium. Non in manu facta sancta Jesus introívit exemplária verórum , sed in ipsum cœlum , ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis. Allelúia. Hebr. 9.

Secreta.

DEus , ad cujus déxteram Majestátis in excelsis sedet misércors & fidélis Póntifex Jesus Christus , semper vivens ad interpellandum pro nobis : da nobis adíre cum fidúcia ad Thronum grátiæ ; ut misericórdiam consequámur , & grátiam inveniámus in auxílio opportúno ; Per eumdem.

Communio. Talem habémus Pontíficem , qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cœlis ; sanctórum minister , & tabernáculi veri , quod fixit Dóminus & non homo. Allelúia. Hebr. 8.

Postcommunio. Orémus.

QUæ ex altári tuo , Dómine , dona percépimus , accendant in córdibus nostris cœléstis pátriæ desidérium ; & quò præcursor pro nobis introívit Jesus , fáciant nos , ejus vestígia sectando , conténdere ; Per eumdem Dóminum.

FERIA TERTIA. Alb.

Missa ut in die , præter Epistolam & Evangelium.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Ephésios.

Cap. 2. FRatres ; Deus qui dives est in misericórdia , propter nímiam caritátem suam , qua dilexit nos ; & cùm essémus mórtui peccátis convivificávit nos in Christo , cujus grátia estis salváti , & conresuscitávit , & consedére fecit in cœléstibus ĭn Christo Jesu ; ut osténderet in séculis superveniéntibus abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Chrîsto Jesu. Grátia enim estis sal-

váti per fidem ; & hoc non ex vobis ; Dei enĭm donum est : non ex opéribus , ut ne quis glóriétur. Ipsíus enĭm sumus factúra creáti in Christo Jesu in opéribus bonis , quæ præparávĭt Dĕus , ut in illis ambulémus.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 17. IN illo témpore ; Sublevátis Jesus óculis in cœlum , dĭxit : Pater sancte , non pro eis rogo tantùm , quos dedisti mihi ; sed & pro eis qui creditúri sunt per verbum ĕórum in me : ut omnes unum sint , sicut tu , Pater , in me , & ego in te ; ut & ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus , quia tu me misĭsti. Et ego claritátem , quam dedisti mihĭ , dedi eis ; ut sint unum , sicut & nos unum sŭmus. Ego in eis , & tu in me : ut sint consŭmmáti in unum ; & cognoscat mundus quia tu me misisti , & dilexisti eos sicut & me dilexĭsti. Pater , quos dedisti mihi , volo ut ubi sum ego , & illi sint mecum ; ut vídeant claritátem meam , quam dĕdisti mihi : quia dilexisti me ante constitutiónem mŭndi. Pater juste , mundus te non cognóvit : ego autĕm te cognóvi : & hi cognovérunt, quia tu me misĭsti. Et notum feci eis nomen tuum ĕt notum fáciam ; ut diléctio qua dilexisti me , in ipsĭs sĭt , & ego in ipsis.

Dicitur Credo.

Alb. seu *Flav.*

FERIA QUINTA.

Octava Ascensionis.

DUPLEX-MAIUS.

Act. 1. *INTROITUS.* VIri Galilæi , quid statis aspicientes in cœlum ? Allelúia. Hic Jesus , qui assumptus est à vobis in cœlum , sic véniet , quemádmodum vidistis eum euntem in cœlum, Allelúia, allelúia. *PSALM.* Omnes gentes , pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis. Glória. Viri Galilæi. Psal. 46.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus , cujus Unigénitum in infirmitáte carnis veníse crédimus salvatórem , & in glória majestátis ventúrum júdicem expectámus ; fac nos eídem in déxtera tua regnanti casto timóre subjectos ; ut in conspectu judicantis , stare cum fidúcia mereámur ; Per eumdem.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 9. FRatres , Non in manufacta sancta Jesus introívit , exemplária verórum ; sed in ipsum cœlum , ut appáreat nunc vúltŭi Dei pro nobis : neque ut sæpè ófferat semetipsum , quemádmodum Póntifex intrat in sancta per síngulos annos in sánguine aliéno : alióquin oportébat eum frequenter pati ab orígine mundi : nunc autem semel in consummatióne seculórum , ad destitutiónem peccáti , per hóstiam sûam appáruit. Et quemádmodum statútum est homínibus semel mori , post hŏc autem judícium : sic & Christus semel oblátus est ad multórum exhaurienda peccáta ; secundò sine peccáto apparébit expectántĭbŭs sĕ in salútem.

Allelúia , allelúia. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis , donec ponam inimícos tuos , scabellum pedum tuórum. Psal. 109.

Allelúia , allelúia. ℣. Parávit Dóminus in judício thronum suum , & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte , judicábit pópulos in justítia. Allelúia. Psal. 9.

PROSA, SOLEMNIS hæc. 199.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 24. IN illo témpore ; Dixit Jeſus ad diſcípulos sŭos. Hæc ſunt verba quæ locútus ſum ad vos , cùm adhŭc eſſem vobiſcum ; quóniam neceſſe eſt impléri ómnia quæ ſcripta ſunt in lege Móyſi, & Prophétis, & Pſalmis de mĕ. Tunc apéruit illis ſenſum, ut intĕllígerent Scriptúras : & dixit ĕis : Quóniam ſic ſcriptum eſt , & ſic oportébat Chriſtum pati , & reſúrgere à mórtŭis tértia die ; & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remiſſiónem peccatórum in omnes gentes , incipiéntibus ab Jerosŏlyma. Vos autem teſtes eſtis hŏrum. Et ego mitto promiſſum Patrĭs mei in vos : vos autem ſedéte in civitáte , quoaduſque induámini virtúte ex ălto. Éduxit autem eos forăs in Bethániam : & elevátis mánibus ſuis benedixit ĕis. Et factum eſt , dum benĕdíceret illis ; receſſit ab eis , & ferebátur in cœlum. Et ipſi adorantes , regreſſi ſunt in Jerúſalem cŭm gáudio magno : & erant ſemper in templo , lăudântes & benedicentes Deum.

Dicitur Credo.

Hebr. 9. *Offertorium.* Chriſtus ſemel oblátus eſt ad multórum exhaurienda peccáta : ſecundò ſine peccáto apparébit expectántibus ſe in ſalútem. Allelúia.

Secreta.

M. P. SUſcipe, Dómine, in hac oblátione, obſéquium humilitátis noſtræ ; & concéde propítius , ut abnegantes ſeculária deſidéria , ſóbriè , & juſtè , & piè vivámus , expectantes beátam ſpem , & adventum glóriæ magni Dei , & ſalvatóris noſtri Jeſu Chriſti ; Qui tecum vivit & regnat.

Præfatio & Communicantes *ut in die.*

Communio. Ei qui potens eſt nos conſtitúere immaculátos in adventu Dómini noſtri Jeſu Chriſti , glória & impérium in ſécula ſeculórum. Allelúia. Judæ. ℣. 24. 25.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus , qui ad æternam vitam, Chriſti carne ac ſánguine nos réparas ; érige nos per hæc Sacramenta ad conſedentem in déxtera tua noſtræ ſalútis auctórem ; ut qui propter nos judicandus ádvenit, pro nobis judicatúrus advéniat idem Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum vivit & regnat.

FERIA SEXTA

Alò.

Poſt Octavam Aſcenſionis.

Miſſa ut in Dominica præcedenti, exceptis quæ ſequuntur.

[*Si occurrat Feſtum Duplex , vel Semiduplex , fit Commemoratio Feriæ per Collectam* , Deus qui nos.

Si Simplex , fit de eo Commemoratio.]

Collecta. Orémus.

M. P. DEus , qui nos Reſurectiónis & Aſcenſiónis Domínicæ ſolémnia celebráre feciſti : da fámulis tuis, ut & advenientis Spíritûs ſancti grátiam purificátis méntibus ſuſcípere mereámur; Per eumdem. . . . . in unitáte ejuſdem.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 6. FRatres ; Abrahæ promittens Deus , quóniam néminem hábuit , per quem jŭráret , majórem ; jurávit per ſemetîpſum , dicens : Niſi benedícens benĕdícam te, & multíplicans multíplicâbo te. Et ſic longănímiter ferens, adeptus eſt repromîſſiónem. Hómines enim per majórĕm ſui jurant : & omnis controvérſiæ eórum finis , ad confirmatiónem , eſt jûramentum.

mentum. In quo abundántiùs volens Deus oſténdere pollicitatiónis heré-dibus immobilitátem consílii ſui, interpósŭit jusjurandum; ut per duas res immóbiles, quibus impoſsíbile eſt mentíri Deum, fortíſſimum ſolátium habeámus, qui confúgimus ad tenendam propóſitam ſpem; quam ſicut ánchoram habémus ánimæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interióra veláminis; ubi præcurſor pro nobis introívit Jeſus, ſecundùm órdinem Melchíſedech Póntĭfex făctus in æternum.

Non dicitur PROSA.

Sequéntia ſanctī Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Omnis quicumque confeſſus fúerit me coram homínibus, & Fílius hóminis confitébitur illum corăm Angelis Dei: qui autem negáverit me coram homínibus, negábitur coram Angelis Dĕi. Et omnis qui dicit verbum in Fílium hóminis, remĭttétur illi: ei autem, qui in Spíritum ſanctum blaſphemáverit, non remittĕtur. Cùm autem indúcent vos in ſynagógas, & ad magiſtrátus ĕt poteſtátes; nolíte ſollíciti eſſe quáliter aut quid reſpondeátis, aut quid dicătis. Spíritus enim ſanctus docébit vos in ipſa hora, quid ŏpŏrteat vos dícere.

Non dicitur Credo.

SECRETA.

PRæſta, quæſumus, per hæc múnera quæ tibi offérimus, Dómine, ut qui peccatórum póndere prémimur; interpellante pro nobis ad déxteram tuam Mediatóre noſtro, miſericórdiæ tuæ múnere ſublevémur; Per eumdem Dóminum.

PRÆFATIO de Aſcenſione; Communicantes *verò ordinarium de Canone.*

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PUrífica nos, Dómine, cœléſtibus Sacramentis; & præſta ut unánimes in oratióne perſeverantes, Spirítui ſancto dignum in córdibus noſtris habitáculum præparémus; Per Dóminum.... in unitáte ejuſdem.

SABBATO IN VIGILIA PENTECOSTES.

LECTIONES.

Viol.

Poſt Sextam, Sacerdos, & Miniſtri ornamentis violaceis induti, nondum accenſis cereis, accedunt ad Altare, quod Sacerdos oſculatur in medio.

Tum Lectiones ſequentes cantantur ſine titulo in tono Lectionum, ad Aquilam Chori, à Lectoribus in habitu Chori ordinario. Sacerdos cantat Collectas in cornu Epiſtolæ.

LECTIO I.

Gen. 22. IN diébus illis, Tentávit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abrahăm. At ille reſpondit: Adſum. Ait illi: Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Iſaac: & vade in terram viſiónis; atque ibi ófferes eum in holocauſtum ſuper unum móntium quem monſtráverо tĭbi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit áſinum ſuum, ducens ſecum duos júvenes, & Iſaac fílium ſuum. Cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul; dixitque ad púeros ſuos: Expectáte hìc cum áſino: ego & puer illuc uſque properantes, poſtquàm adoravérimus, revertémur ad vŏs. Tulit quoque ligna holocauſti, & impóſuit ſuper Iſaac fílium ſuum: ipſe verò portábat in mánibus

ignem & gládium. Cùmque duo pérgerent ſimul, dixit Iſaac patri ſuo: Pater mĭ. At ille reſpondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: ubi eſt víctima holocauſti? Dixit autem Abraham: Deus providébit ſibi víctimam holocauſti, fili mĭ. Pergébant ergo páriter: & venérunt ad locum quem oſténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre; & déſuper ligna compóſuit: cùmque alligaſſet Iſaac fílium ſuum, póſuit eum in altáre ſuper ſtruem lignórum. Extenditque manum, & arrípuit gládium, ut immoláret fílium ſuum. Et ecce Angelus Dómini de cœlo clamávit, dicens: Abraham, Abrahăm. Qui reſpondit: Adſum. Dixitque ei: non extendas manum tuam ſuper púerum, neque fácias illi quidquam: nunc cognóvi quòd times Deum, & non pepercíſti unigénito fílio tuo propter mĕ. Levávit Abraham óculos ſuos, viditque poſt tergum aríetem inter vepres hærentem córnibus, quem aſſúmens óbtulit holocauſtum pro fílio. Appellávitque nomen loci illíus, Dóminus videt. Unde uſque hódie dícitur: In monte Dóminus vidébit. Vocávit autem Angelus Dómini Abraham ſecundò de cœlo, dicens: Per memetipſum jurávi, dicit Dóminus: quia feciſti hanc rem, & non pepercíſti fílio tuo unigénito propter me: benedícam tibi, & multiplicábo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arénam quæ eſt in líttore maris: poſſidébit ſemen tuum portas inimicórum ſuórum; & benedicentur in ſémine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ. Reverſus eſt Abraham ad púeros ſuos, abieruntque Berſabée ſimul, & habitávit ĭbi.

Non dicitur Dóminus vobiſcum; *& ſic in ſequentibus.*

Orémus.

DEus, qui in Abrahæ fámuli tui ópere, humáno géneri obediéntiæ exempla præbuíſti; concéde nobis, & noſtræ voluntátis pravitátem frángere, & tuórum præceptórum rectitúdinem in ómnibus adimplére; Per Dóminum. M. P.

Lectio II.

IN diébus illis; Scripſit Móyſes cánticum, & dócuit fílios Iſraël. Præcepitque Dóminus Jóſue filio Nun, & ait: Confortáre, & eſto robuſtus: tu enim introdúces fílios Iſrael in terram, quam pollícitus ſum; & ego ero tecum. Poſtquàm ergo ſcripſit Móyſes verba legis hujus in volúmine, atque complévit; præcépit Levítis, qui portábant arcam fœderis Dómini, dicens: Tóllite librum iſtum, & pónite eum in látere arcæ fœderis Dómini Dei veſtri; ut ſit ibi contra te in teſtimónium. Ego enim ſcio contentiónem tuam, & cervícem tuam duríſſimam. Adhuc vivente me, & ingrediente vobiſcum, ſemper contentiósè egiſtis contra Dóminum; quanto magìs cùm mórtuus fúero? Congregáte ad me omnes majóres natu per tribus veſtras, atque doctóres; & loquar audiéntibus eis ſermónes iſtos, & invocábo contra eos cœlum & terram. Novi enim quòd poſt mortem meam iníquè agétis, & declinábitis citò de via, quam præcépi vobis: & occurrent vobis mala in extrémo témpore, quando fecéritis malum in conſpectu Dómini, ut irritétis eum per ópera mánuum veſtrárum. Locútus eſt ergo Móyſes, audiente univerſo cœtu Iſrael, verba cárminis hujus, & ad finem uſque complĕvit. Deut. 31.

Tractus. Audíte cœli, quæ loquor; áudiat terra verba oris mei. Concreſcat ut plúvia doctrína mea; Deut. 32.

fluat ut ros elóquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper grámina; quia nomen Dómini invocábo. Date magnificéntiam Deo noſtro: Dei perfecta ſunt ópera, & omnes viæ ejus judícia. Deus fidélis, & abſque ulla iniquitáte, juſtus & rectus.

Orémus.

M. P. DEus, glorificátio fidélium, & vita juſtórum, qui per Móyſen fámulum tuum nos quoque modulatióne ſacri cárminis erudiſti: univerſis géntibus miſericórdiæ tuæ munus operáre, tribuendo beatitúdinem, auferendo terrórem: ut quod pronuntiátum eſt ad ſupplícium, in remédium transferátur æternum; Per Dóminum.

LECTIO III.

Ezec. 37. IN diébus illis; Facta eſt ſuper me manus Dómini, & edúxit me in ſpíritu Dómini; & dimíſit me in médio campi, qui erat plenus óſſibus; & circumduxit me per ea in gyro; erant autem multa valdè ſuper fáciem campi, ſiccáque vehementer. Et dixit ad me: Fili hóminis, putaſne vivent oſſa iſta? Et dixi: Dómine Deus, tu noſti. Et dixit ad me, Vaticináre de óſſibus iſtis, & dices eis: Oſſa árida, audíte verbum Dómini. Hæc dicit Dóminus Deus óſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpíritum, & vivétis. Et dabo ſuper vos nervos, & ſuccréſcere fáciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem; & dabo vobis ſpíritum, & vivétis; & ſciétis quia ego Dóminus. Et prophetávi ſicut præcéperat mihi. Factus eſt autem ſónitus, prophetante me, & ecce commótio: & acceſſérunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad junctúram ſuam. Et vidi, & ecce ſuper ea nervi & carnes aſcendérunt & extenta eſt in eis cutis déſuper, & ſpíritum non habébant. Et dixit ad me: Vatincináre ad ſpíritum, Vaticináre, fili hóminis; & dices ad ſpíritum: Hæc dicit Dóminus; A quátuor ventis veni, ſpíritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant. Et prophetávi ſicut præcéperat mihi: & ingreſſus eſt in ea ſpíritus, & vixérunt: ſteteruntque ſuper pedes ſuos exércitus grandis nimis valdè. Et dixit ad me: Fili hóminis, oſſa hæc univerſa, domus Iſrael ĕſt. Ipſi dicunt: Aruérunt oſſa noſtra, & périit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus. Proptéreà vaticináre, & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos veſtros, & edúcam vos de ſepulcris veſtris, pópulus meus: & indúcam vos in terram Iſraël. Et ſciétis quia ego Dóminus, cùm aperúero ſepulcra veſtra, & edúxero vos de túmulis veſtris, pópule meus; & dédero Spíritum meum in vobis, & vixéritis: & requiéſcere vos fáciam ſuper humum vĕſtram.

TRACTUS. Timébunt qui ab Occidente, nomen Dómini; & qui ab ortu ſolis, glóriam ejus: cùm vénerit quaſi flúvius violentus, quem Spíritus Dómini cogit. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dóminus: Spíritus meus, qui eſt in te, & verba mea quæ póſui in ore tuo, non recédent de ore tuo, & de ore ſéminis tui, & de ore ſéminis ſéminis tui, dicit Dóminus, ámodò & uſque in ſempiternum. Iſai. 59.

Orémus.

S. R. DEus, incommutábilis virtus, & lumen æternum; réſpice propítius ad totíus Eccléſiæ mirábile ſacramentum, & opus ſalútis humánæ, perpétuæ diſpoſitiónis effectu benignus operáre: totuſque mundus experiátur & vídeat dejecta érigi, inveteráta re-

novári ; & per ipſum redíre ómnia in íntegrum, à quo ſumpſére princípium ; Per Dóminum.

Lectio IV.

Bar. 3. AUdi Iſrael, mandáta vitæ : áuribus pércipe, ut ſcias prudéntiam. Quid eſt, Iſrael, quòd in terra inimicórum es ? Inveteraſti in terra aliéna ; coinquinátus es cum mórtuis ; deputátus es cum deſcendéntibus in infernum. Dereliquiſti fontem ſapiéntiæ. Nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes útique in pace ſempiterna. Diſce ubi ſit prudéntia, ubi ſit virtus, ubi ſit intellectus : ut ſcias ſimul ubi ſit longitúrnitas vitæ & victus, ubi ſit lumen oculórum, & păx. Quis invénit locum ejus ? & quis intrávit in theſauros ejus ? Ubi ſunt príncipes géntium, & qui dominantur ſuper béſtias, quæ ſunt ſuper terram ? qui in ávibus cœli ludunt ; qui argentum theſaurízant, & aurum, in quo confídunt hómines, & non eſt finis acquiſitiónis eórum ; qui argentum fábricant, & ſolíciti ſunt, nec eſt invéntio óperum illórum ? Exterminăti ſunt, & ad ínferos deſcendérunt, & álii loco eórum ſurrexérunt. Júvenes vidérunt lumen, & habitavérunt ſuper terram : viam autem diſciplínæ ignoravérunt, neque intellexérunt ſémitas ejus, neque fílii eórum ſuſcepérunt eam ; à fácie ipſórum longè facta eſt : non eſt audíta in terra Chánaan, neque viſa eſt in Themăn. Fílii quoque Agar, qui exquírunt prudéntiam quæ de terra eſt, negotiatóres Merrhæ, & Theman, & fabulatóres, & exquiſitóres prudéntiæ & intelligéntiæ : viam autem ſapiéntiæ neſciérunt, neque commemoráti ſunt ſémitas ejus. O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſiónis ejus ! Magnus eſt, & non habet finem ; excelſus & immenſus. Ibi fuérunt gigantes nomináti illi, qui ab inítio fuérunt, ſtatúra magna, ſcientes bellum. Non hos elégit Dóminus, neque viam diſciplínæ invenérunt ; proptéreà periérunt. Et quóniam non habuérunt ſapiéntiam, interiérunt propter ſuam inſipiéntiam. Quis aſcendit in cœlum, & accépit eam, & eduxit eam de núbibus? Quis transfretávit mare, & invénit illam & áttulit illam ſuper aurum electum ? Non eſt qui poſſit ſcire vias ejus, neque qui exquírat ſémitas ejus : ſed qui ſcit univerſa, novit eam, & adinvénit eam prudéntia ſua : qui præparávit terram in æterno témpore, & replévit eam pecúdibus & quadrupédibus : qui emittit lumen, & vadit : & vocávit illud, & obédit illi in tremóre. Stellæ autem dedérunt lumen in cuſtódiis ſuis, & lætátæ ſunt : vocátæ ſunt, & dixérunt, Adſumus : & luxérunt ei cum jucunditáte, qui fecit illas. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimábitur álius adversùs eum. Hic adinvénit omnem viam diſciplínæ, & trádidit illam Jacob púero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum homínibus converſátus ĕſt.

Hic accenditur Cereus Paſchalis.

Orémus.

S. R. DEus, qui nobis per Prophetárum ora præcepiſti temporália relínquere, atque ad æterna feſtináre : da fámulis tuis ; ut, quæ à te juſſa cognóvimus, implére cœleſti inſpiratióne valeámus ; Per Dóminum.

BENEDICTIO FONTIS.

Viol.

(*In Eccleſiis ubi non ſunt Fontes, prætermiſſis quæ ſequuntur, hìc incipitur ea Litania quæ tertia eſt Sabbato ſancto, ut in Proceſſionali.*

Ubi ſunt Fontes, dictâ præcedenti Collectâ, Celebrans redit in Veſtia-

rium,

rium, ubi accipit Stolam & Cappam rubei coloris, Diacono & Subdiacono ejusdem coloris ornamenta accipientibus, & regreditur ad Altare ante finem Tractûs, Quemádmodum, *qui debet cantari mensurâ gravi à duobus Choristis in cappis rubeis.*

Psal. 40. *Tractus.* Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum; ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívit ánima mea ad Deum, fortem, vivum: quando véniam & apparébo ante fáciem Dei? Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, dum dícitur mihi quotídie; Ubi est Deus tuus?

Sacerdos in cornu Epistolæ, dicit:

Dóminus vobiscum,

Orémus.

S. R. COncéde, quæsumus, omnípotens Deus; ut, qui solemnitátem doni sancti Spíritûs cólimus, cœléstibus desidériis accensi, fontem vitæ sitiámus Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum... in unitáte ejusdem.

Rub. *Postea à duobus Choristis in Cappis rubeis cantatur Litania quæ est secunda in Vigilia Paschæ, ut in Processionali. Cetera usque ad Collectam Missæ, ut Sabbato sancto, præter colorem ornamentorum.*

AD MISSAM.

Rub. *Finito* Kyrie *in Choro, Celebrans intonat* Glória in excelsis, *ut in solemnibus minoribus. Tunc pulsantur omnes Campanæ.*

Dóminus vobiscum.

Collecta. Orémus.

S. R. PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut claritátis tuæ super nos splendor effúlgeat; & lux tuæ lucis corda eórum, qui per grátiam tuam renáti sunt, sancti Spíritûs illustratióne confirmet; Per Dóminum... in unitáte ejusdem.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Cap. 19. IN diébus illis; Factum est, cùm Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragrátis superióribus pártibus veníret Ephesum, & invenírĕt quosdam discípulos: dixîtque ad eos: Si Spíritum sanctum accepístis credentes? At illi dixêrunt ad eum: Sed neque si Spíritus sanctus êst, audívimus. Ille vêrò ait: In quo ergo baptizáti estis? Quî dixérunt: In Joânnis baptísmate. Dixit âutem Paulus: Joannes baptizávit baptismo pœniténtiæ pópulum, dicens; In eum, qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent, hoc est, în Jesum. His audítis, baptizáti sunt in nómine Dômini Jesu. Et cùm imposuísset illis manus Paulus, venit Spíritus sanctŭs super eos; & loquebantur linguis, & prôphetábant. Erant autem omnes viri fêrè duódecim. Introgréssus autem synagógam, cum fidúcia loquebátŭr per tres menses, disputans, & sŭădens de regno Dei.

Allelúia, allelúia. ℣. Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in séculum misericórdia ejus. Allelúia. Psal. 117.

Tractus. Laudáte Dóminum omnes gentes: laudáte eum, omnes pópuli. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: & véritas Dómini manet in æternum. Psal. 116.

Ad Evangelium non portantur luminaria, sed tantùm incensum: petitur benedictio, & alia fiunt more solito.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 14. IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis sŭis: Si dĭlígitis me, mandáta mea servăte. Et ego rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis, ut máneat vobiscŭm in æternum, Spíritum veritátis, quem mundus non

poteſt accípere, quia non videt eum, nec ſcit ĕum. Vos autem cognŏſcétis eum; quia apud vos manébit, & in vobis ĕrit. Non rĕlinquam vos órphanos: véniam ad vŏs. Adhuc módicum: & mundus me jam non vĭdet. Vos autem vĭdétis me: quia ego vivo, & vos vivĕtis. In illo die vos cognoſcétis, quia ego ſum ĭn Patre meo; & vos in me, & ego in vŏbis. Qui habet mandáta mea, ĕt ſervat ea, ille eſt, qui díligit mĕ. Qui autem díligit me, diligétur à Patre meo: & ego díl̆ĭgăm ĕum, & manifeſtábo ei meipſum.

Non dicitur Credo.

Pſal. 103. *Offertorium.* Emitte Spíritum tuum, & creabuntur, & renovábis fáciem terræ: ſit glória Dómini in ſéculum. Allelúia.

Secreta.

S. R. HOſtias pópuli tui, quæſumus, Dómine, miſerátus intende: & ut tibi reddantur acceptæ, conſciéntias noſtras ſancti Spíritûs ſalutáris emundet adventus; Per Dóminum... in unitáte ejuſdem.

Præfatio, & Communicantes *de Pentecoſte:* Hanc ígitur *propria: & dicuntur uſque ad ſequens Sabbatum incluſivè.*

Communio. Qui in me credit, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit Jeſus de Spíritu quem acceptúri erant credentes in eum. Allelúia, allelúia. Joan. 7.

Postcommunio. Orémus.

M. P. CŒleſtibus nutrítos Sacramentis ſalvos fac nos, quæſumus, Dómine, per renovatiónem Spíritûs ſancti; ut juſtificáti grátiâ ipsíus, herédes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ; Per Dóminum... in unitáte ejuſdem.

Ite; Miſſa eſt.

[*In Miſſis privatis, factâ confeſſione de more, incipitur abſolutè à* Kyrie, eléiſon. *In medio Altaris.*]



IN DIE SANCTO
PENTECOSTES.
ANNUALE-MAJUS.

Rub.

INTROITUS.

Sap. 1. SPíritus Dómini replévit orbem terrárum, Allelúia: & hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, Allelúia, allelúia, allelúia.

Psal. 67. *PSALM.* Exurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus: * & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Glória. Spíritus.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui hodiernâ die corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére; Per Dóminum..... in unitáte ejusdem Spíritûs.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Cap. 2. CUm complerentur dies Pentecóstes, erant omnes páriter in éódem loco: & factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spíritus vehementis; & replévit totam domum ubi êrant sedentes. Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis, seditque suprà síngulos eórum: & repléti sunt omnes Spíritu sancto; & cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat êloqui illis. Erant autem in Jerúsalem habítantes Judæi, viri religiósi ex omni natióne quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce, convénit multitúdo, & mente cónfúsa est; quóniam audiébat unusquisque lingua sua îllos loquentes. Stupébánt autem omnes, & mirabântur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quómodò nos audívimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus! Parthi, & Medi, & Elamítæ, & qui hábitant Mesopotámiam, Judæam & Cappadóciam, Pontum & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Líbiæ quæ est circa Cyrénen, & ádvenæ Románi; Judæi quoque & Prosélýti, Cretes & Arabes; audívimus eos loquentes nostris línguis magnália Dei.

Allelúia, allelúia. ℣. Cùm vénerit Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem. Joan. 16.

Allelúia, allelúia. ℣. * Veni, sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium; & tui amóris in eis ignem accende. Allelúia.

M. P. *Hîc, tum ad Altare quàm in Choro, flectuntur genua, & sic per hebdomadam. M. P.

PROSA.

VENI, sancte Spíritus,
Et emitte cœlitùs
Lucis tuæ rádium.

Veni, pater páuperum;
Veni, dator múnerum;
Veni lumen córdium.

CONSOLATOR óptime,
Dulcis hospes ánimæ,
Dulce refrigérium.

In labóre réquies,
In æstu tempéries,
In fletu solátium.

O LUX beatíssima,
Reple cordis íntima
Tuórum fidélium.

Sine tuo númine,
Nihil est in hómine,
Nihil est innóxium.

LAVA quod eſt ſórdidum,
Riga quod eſt áridum,
Sana quod eſt ſáucium.
Flecte quod eſt rígidum,
Fove quod eſt frígidum,
Rege quod eſt dévium.
DA tuis fidélibus
In te confidéntibus
Sacrum ſeptenárium.
Da virtútis méritum,
Da ſalútis éxitum,
Da perenne gáudium.
Amen.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 14. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſŭis: Si quis díligit me, ſermónĕm meum ſervábit: & Pater meus díliget eum; & ad eum veniémus, & manſiónem apud eum faciĕmus. Qui nŏn díligit me, ſermónes meos non sĕrvat. Et ſermónem quem audiſtĭs non eſt meus; ſed ejus qui miſit me, Pătris. Hæc locútus ſum vobĭs, apud vos manens: Paraclétus autem Spíritus ſanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit ómnia, & ſúggeret vobis ómnia, quæcumque dixéro vŏbis. Pacem relinquo vobis, pacĕm meam do vobis: non quómodò mundus dat, ego do vŏbis. Non tŭrbétur cor veſtrum, neque formĭdet. Audiſtis quia egŏ dixi vobis; Vado, & vénio ad vŏs. Si diligerétis me, gauderétis útique, quiă vado ad Patrem; quia Pater major me ĕſt. Et nunc dixi vobis prĭuſquàm fiat; ut cùm factum fúerit, credătis. Jam non multa loquar vobĭſcum. Venit enim princĕps mundi hujus, & in me non habet quĭdquam. Sed ut cognoſcat mundus, quia díligo Patrem, & ſicut mandátum dedit mihĭ Păter, ſic fácio.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis à templo tuo, in Jerúſalem: tibi ófferent reges múnera. Allelúia. Pſal. 67.

SECRETA.

MUnera, quæſumus, Dómine, obláta ſanctífica, & corda noſtra ſancti Spíritûs illuſtratióne emunda; Per Dóminum ... in unitáte ejuſdem. S. R.

PRÆFATIO & Communicantes *de Pentecoſte:* Hanc ígitur *propria: & ſic uſque ad ſequens Sabbatum incluſivè.*

COMMUNIO. Qui confirmat nos in Chriſto, & qui unxit nos, Deus; qui & ſignávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus noſtris. Allelúia. II. Cor. 1.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Spíritus ſanctus divínis réparet ſacramentis, & ſui roris íntimâ aſperſióne fœcundet; Per Dóminum ... in unitáte ejuſdem Spíritûs. S. R.

FERIA SECUNDA. Rub.

SOLEMNE-MINUS.

INTROITUS.

NUnc ſolúti ſumus à lege mortis, in qua detinebámur, Allelúia; ita ut ſerviámus in novitáte ſpíritûs, & non in vetuſtáte lítteræ. Allelúia, allelúia. *PSALM.* Exultáte Deo adjutóri noſtro: * jubiláte Deo Jacob. Glória. Nunc. Rom. 7. Pſal. 80.

COLLECTA. Orémus.

DEus, totíus cónditor creatúræ, fámulos tuos, quos fonte renovaſti baptíſmatis, quoſque Spíritûs ſancti plenitúdine ſolidaſti, in adoptiónis ſorte fácias, quæſumus, dignanter aſcribi; Per Dóminum ... in unitáte ejuſdem.

Léctio

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 10. IN diébus illis; Apériens Petrus os sûum, dixit: Viri fratres, præcépit nobis Dóminus prædicáre pópulo, & tĕſtificári, quia ipſe eſt, qui conſtitútus eſt à Deo judex vivórum & môrtuórum. Huic omnes Prophétæ teſtĭmónium pérhibent, remiſſiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui crêdunt in eum. Adhuc loquente Petrŏ verba hæc, cécidit Spíritus ſanctus ſuper omnes qui audiêbant verbum. Et obſtupuérunt ex circumciſióne fidéles, quî vénerant cum Petro; quia & in natiónes grátia Spíritus ſancti effûſa eſt. Audiébant enim illos lŏquentes linguis, & magnificântes Deum. Tunc reſpôndit Petrus: Numquid aquam quis prohĭbére poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spíritum ſanctum accepérunt ſicut & nos? Et juſſit eos baptizári in nómĭnĕ Dŏmini Jeſu Chriſti.

Act. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Joannes baptizávit aquâ: vos autem baptizabímini Spíritu ſancto.

Allelúia, allelúia. ℣. Veni, ſancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium; & tui amóris in eis ignem accende. Allelúia.

Prosa. Veni, ſancte. 211.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 3. IN illo témpore; Dixit Jeſus Nicodĕmo. Amen, ămen dico tibi, niſi quis renátus fúerit ex aqua, & Spíritu ſancto, non poteſt introíre in regnum Dĕi. Quod natum eſt ex carnĕ, caro eſt; & quod natum eſt ex Spíritu, ſpíritus ĕſt. Non miréris quiă dixi tibi; Oportet vos naſci dĕnuò. Spíritus ubi vult ſpirat; & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniăt, aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spĭritu. Reſpondĭt Nicodémus, & dixit ĕi: Quómodò poſſunt hæc fíeri? Rĕſpondit Jeſus, & dixit ĕi: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignóras? Amen, ămen dico tibi; quia quod ſcimus lóquimur, & quod vídimus, teſtámur; & teſtimónium noſtrum non accĭpitis. Si terréna dixi vobĭs, & non créditis; quómodò, ſi díxero vobis cœléſtia, credétis? Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui dĕſcendit de cœlo, Fílius hóminis, qui eſt in cœlo. Et ſicut Móyſes exaltávit ſerpentem in deſerto, ita exaltári oportĕt Fílium hóminis; ut omnis qui credit in ipſum, non péreat; ſed hábeat vitam ætĕrnam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Fílium ſuum unĭgénitum daret: ut omnis qui credit in eum, non péreat, ſed hábeat vitam ætĕrnam. Non enim miſit Deus Fílium ſuum in mundum ŭt júdicet mundum; ſed ut ſalvétur mundus per ĭpſum. Qui credit in eum, nŏn judicátur: qui autem non credit, jam judicátus eſt, quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dĕi. Hoc eſt autem judícium; quia lux venit in mundum, & dilexérunt hómines magĭs ténebras quàm lucem: erant enim eórum mala ŏpera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantŭr ópera ejus: qui autem facit veritátem, venit ad lucem, ut manifeſtentur ópĕră ĕjus, quia in Deo ſunt facta.

Dicitur Credo.

Offertorium. Sanguis Chriſti qui per Spíritum ſanctum ſemetipſum óbtulit immaculátum Deo, emundábit conſciéntiam noſtram ab opéribus mórtuis, ad ſerviendum Deo viventi. Allelúia. Hebr. 9.

Secreta.

M. P. MUnera nostra, Dómine, sancti Spíritûs sacrentur adventu; per quem à peccátis ómnibus absolúti, adoptiónis tuæ fílii renascámur; Per Dóminum... in unitáte ejusdem.

I. Cor. 12. *Communio.* In uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, & omnes in uno Spíritu potáti sumus. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

S. R. OMnípotens sempiterne Deus, fac nos Spíritu sancto renátos, & Christi carne nutrítos, in regnum tuum introíre; ut eò pervéniat humílitas gregis, quò præcessit celsitúdo Pastóris; Qui tecum.... in unitáte ejusdem Spíritûs.

Rub. FERIA TERTIA.

DUPLEX-MAJUS.

Introitus.

Eccli. 24. TRansíte ad me, omnes qui concupíscitis me, & à generatiónibus meis implémini, Allelúia: Spíritus enim meus super mel dulcis, & heréditas mea super mel & favum. Allelúia, allelúia.

Psal. 41. *Psalm.* Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: *ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Glória. Transíte.

Collecta. Orémus.

S. R. DA, quæsumus, Eccléſiæ tuæ, miséricors Deus, ut sancto Spíritu congregáta, hostíli nullátenùs incursióne turbétur; Per... in unitáte ejusdem.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Cap. 8. IN diébus illis; Cùm audissent Apóstoli, qui erant Jerosólymis, quòd recepisset Samaría verbum Dei, misérunt ad eos Petrum êt Joannem. Qui cùm venissent, oravérunt pro ipsis, ut accípĕrĕnt Spíritum sanctum: nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantùm erant in nómine Dômini Jesu. Tunc imponébant manŭs super illos, & accipiĕbant Spíritum sanctum.

Allelúia, allelúia. ℣. Aúferam cor lapídeum de carne vestra, & dabo vobis cor cárneum; & éritis mihi in pópulum, & ego ero vobis in Deum. Ezec. 36.

Allelúia, allelúia. ℣. Veni, sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium; & tui amóris in eis ignem accende. Allelúia.

Prosa. Veni, sancte. 211.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jesus Pharisæis: Amen, ămen dico vobis; qui non intrat per óstium in ovíle óvium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & lătro. Qui autem intrat per óstium, pastor est ŏvium. Huic ostiárius áperit, & oves vocĕm ejus áudiunt, & próprias oves vocat nominátim, & edúcit ĕas. Et cùm próprias oves emíserit, antĕ eas vadit: & oves illum sequuntur; quia sciunt vocem ĕjus. Aliénum autem non sequuntur, sĕd fúgiunt ab eo; quia non novérunt vocem alienŏrum. Hoc provérbium dixĭt eis Jesus: illi autem non cognovérunt quid loquerétur ĕis. Dixit ergo eis ĭterùm Jesŭs: Amen, ămen dico vobis, quia ego sum óstium ŏvium. Omnes quotquot venérunt, furĕs sunt, & latrónes; & non audiérunt eos ŏves. Ego sum ŏstium. Per me si quis intrŏíerit, salvábitur: & ingrediétur & egrediétur, & páscua invĕniet. Fur non venit nisĭ ut furétur, & mactet, & pĕrdat. Ego veni, ut vităm hăbeant, & abundántiùs hábeant.

Dicitur Credo.

Ezec. 36. *Offertorium.* Spíritum meum ponam in médio vestrî ; & fáciam ut in præceptis meis ambulétis , & judícia mea custodiátis , & operémini. Allelúia.

Secreta.

M. P. Mitte , Dómine, quæsumus , Spíritum sanctum , qui & hæc múnera tuum nobis efficiat sacramentum , & ad hoc percipiendum corda nostra purificet ; Per.... in unitáte ejusdem.

Joan. 10. *Communio.* Ego veni , ut vitam hábeant , & abundántiùs hábeant. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. Ecclésiam tuam , quæsumus , Dómine, per hæc mystéria sanctífica ; & quod inter ipsa Evangélicæ prædicatiónis exórdia per Spíritum tuum operári dignátus es , nunc quoque in credéntium córdibus éodem Spíritu incessanter operáre ; Per Dóminum ... in unitáte ejusdem.

Rub. FERIA QUARTA *Quatuor Temporum.*

Duplex-Minus.

Introitus.

Deut. 33. Dominus de Sinaï venit ; in déxtera ejus ígnea lex : Allelúia : & qui appropinquant pédibus ejus , accípient de doctrína illíus. Allelúia , allelúia. Psal. 17. *Psalm.* Atténdite pópule meus , legem meam : * inclináte aurem vestram in verba oris mei. Glória. Dóminus.

Dicitur Glória in excelsis.

Non dicitur Dóminus vobiscum.

Collecta. Orémus.

S. R. Mentes nostras , quæsumus , Dómine , Paraclétus qui à te procédit, illúminet ; & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius veritátem ; Qui tecum ... in unitáte ejusdem.

Lectio sequens cantatur in tono Lectionum à Lectore in habitu Chori ordinario.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.

Cap. 31. Ecce dies vénient dicit Dóminus ; & fériam dómui Israel & dómui Juda fœdus novum : non secundum pactum , quod pépigi cum pátribus eórum , in die qua apprehendi manum eórum , ut edúcerem eos de terra Ægypti ; pactum quod írritum fecérunt ; & ego dominátus sum eórum , dicit Dóminus. Sed hoc erit pactum , quod fériam cum domo Israel post dies illos , dicit Dóminus : Dabo legem meam in viscéribus eórum , & in corde eórum scribam eam : & ero eis in Deum , & ipsi erunt mihi in pŏpulum.

Joan. 14. Allelúia , allelúia. ℣. Paraclétus Spíritus sanctus , quem mittet Pater in nómine meo ; ille vos docébit ómnia , quæcumque díxero vobis. Allelúia.

Dóminus vobiscum.

Collecta. Orémus.

M. P. Præsta , quæsumus , omnípotens & miséricors Deus , ut à nostris méntibus carnáles affectus Spíritus sanctus amóveat , & spirituália nobis dona potenter infundat ; Per Dóminum ... in unitáte ejusdem.

Pro Ordinandis. Eccléstæ tuæ , *infrà inter Orat. ad diverſ.* cxliv.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Cap. 2. In diébus illis ; Stans Petrus cum Undecim , levávit vocem suam , & locútus êst Judæis ; Viri Judæi , & qui habitátis Jerúsălĕm universi , hoc vobis notum sit , & áuribus percípite vêrba mea. Non enim , sicut vos æstimátis , hi ébrii sunt cùm sit hora diéi tértia ; sed hoc est , quod dictum est per Prophêtam Joel : Et erit in novíssimis diébus (dicit Dóminus) effundam de Spíritu meo

ſupĕr omnem carnem ; & prophetábunt fílii veſtri & fíliæ veſtræ, & júvenes veſtri viſiónes vidébunt, & ſenióres veſtri ſômnia ſomniábunt. Et quidem ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas, in diébus illis effundam de Spíritu meo, ĕt prophetábunt ; & dabo prodígia in cœlo ſursùm & ſigna in terra deorsùm, ſánguinem, & ignem, & vapôrem fumi. Sol convertétur in ténebras, ĕt luna in ſánguinem, ántequàm véniat dies Dómini magnus & mânifeſtus. Et erit ; Omnis quicumque invocáverit nomĕn Dŏmini, ſalvus erit.

Allelúia, allelúia. ℣. Veni, ſancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium ; & tui amóris in eis ignem accende. Allelúia.

Prosa. Veni, ſancte. 211.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore ; Dixit Jeſus Judæis : Nemo poteſt veníre ad me, niſi Pater, qui miſit mĕ, tráxerit eum : & ego reſſuſcitábo eum in novíſſimo dĭe. Eſt ſcriptŭm in Prophétis ; Et erunt omnes docíbiles Dĕi. Omnis qui audívit à Patre, & dídĭcĭt, venit ad me : non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Pătrem. Amen, ămen dico vobis : qui credit in me habet vitam ætĕrnam. Ego ſum panis vĭtæ. Patres veſtri manducavérunt mannă in deſerto, & mórtui sŭnt. Hic eſt panis dĕ cœlo deſcendens ; ut ſi quis ex ipſo manducáverit non moriătur. Ego ſum panis vivus, qui dĕ cœlo deſcendi : ſi quis manducáverit ex hoc pane, vivet in æternum ; & panis, quem ego dabo, caro meă ĕſt pro mundi vita.

Dicitur Credo.

Jer. 24. *Offertorium.* Dabo eis cor, ut ſciant me ; quia ego ſum Dóminus ; & erunt mihi in pópulum, & ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde ſuo. Allelúia.

Secreta.

EXórent te, miſéricors Deus, in hâc oblatióne, jejunántium preces ; & ad Unigénitum tuum Salvatórem noſtrum trahe nos virtúte Spíritûs tui, qui & mentes noſtras illuſtret, & promptas ad te efficiat voluntátes ; Per eumdem ... in unitáte ejuſdem.

Pro Ordinandis. Deus, qui miniſtrantibus, *infrà*, cxliv.

Communio. In miſericórdiis tuis multis, Dómine, Spíritum tuum bonum dediſti, qui docéret eos : Allelúia : & abundavérunt delíciis in bonitáte tua magna. Allelúia. II. Eſd. 9.

Postcommunio. Orémus.

HÆc nobis, Dómine, múnera ſumpta proficiant ; ut illo júgiter ferveámus Spíritu, quem Apóſtolis tuis ineffabíliter infudiſti ; Qui vivis ... in unitáte ejuſdem.

Pro Ordinandis. Bone Paſtor, *infrà*, cxliv.

FERIA QUINTA. *Rub.*

Semiduplex.

Introitus.

SPíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : Allelúia : propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua. Allelúia, allelúia. Pſal. 142.

Psalm. Dómine, exaudi oratiónem meam ; * áuribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua, exaudi me in tua juſtítia. Glória. Spíritus. Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus, qui Apóſtolis tuis ſanctum dediſti Spíritum : concéde plebi tuæ piæ petitiónis effectum ; ut quibus dediſti fidem, largiáris & pacem ; Per ... in unitáte ejuſdem. S. R.

Léctio

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 4. IN diébus illis; Diſcípuli unanímiter levavérunt vocem ad Dêum, dicentes: Dómine, convenérunt verè in civitáte iſta adversùs ſanctum púerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Heródes, & Póntius Pilátus, cum géntibus, & pópŭlĭs Iſrael, fácere quæ manus tua & consílium tuum decrevêrunt fíeri. Et nunc, Dómine, réſpice in minas eórum, & da ſervis tuis cum omni fidúcia loquī verbum tuum; in eo quòd manum tuam extendas ad ſanitátes & ſigna, & prodígia fíeri per nomen ſancti Fílii tûi Jeſu. Et cùm oraſſent, motus eſt locus, in quo erănt congregáti; & repléti ſunt omnes Spíritu ſancto, & loquebántur verbum Dei cûm fidúcia. Multitúdĭnĭs autem credéntium erat cor unum, ĕt ánima una: nec quiſquam eórum, quæ poſſidébat, áliquid ſuum eſſe dicébat; ſed erant illis ômnia commúnia. Et virtúte magna reddébant Apóſtoli teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſtī Dómini noſtri: & grátia magnă ĕrat in ómnibus illis.

Joan. 15. Allelúia, allelúia. ℣. Spíritus veritátis, quem ego mittam vobis à Patre, ille teſtimónium perhibébit de me; & vos teſtimónium perhibébitis.

Allelúia, allelúia. ℣. Veni, ſancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium; & tui amóris in eis ignem accende. Allelúia.

Prosa, Veni, ſancte. 211.

Sequéntia ſanctī Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 9. IN illo témpore; Convocátis Jeſus duódecim Apóſtolis, dedit illis virtútem & poteſtátem ſupĕr ómnia dæmónia, & ut languóres curărent. Et miſit illos prædicārĕ regnum Dei, & ſanáre infirmos. Et ait ad ĭllos: Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panĕm, neque pecúniam; neque duas túnicas habeătis. Et in quamcumque domum intravéritis, ibi manéte, & inde ne exeătis. Et quicumque non rĕcéperint vos; exeuntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum veſtrórum excútite in teſtimónium ſupra ĭllos. Egreſſi autem circuíbănt per caſtella, evangelĭzănte, & curantes ubíque.

Dicitur Credo.

Offertorium. Prædicavérunt ubíque, Dómino cooperante, & ſermónem confirmante, ſequéntibus ſignis. Allelúia. Marc. 16.

Secreta.

UT credámus ex toto corde verbo tuo, Dómine, da nobis per hæc ſacrifícia eumdem Spíritum veritátis quo repléti Apóſtoli tui, verbum fídei per totum orbem virtúte magnâ prædicárunt; Per... in unitáte ejuſdem.

Communio. Repléti ſunt omnes Spíritu ſancto; & loquebantur verbum Dei cum fidúcia: multitúdinis autem credéntium erat cor unum, & ánima una. Allelúia. Act. 4.

Postcommunio. Orémus.

DOmine, Deus noſter, qui Eccléſiæ fílios, & tuo veſci córpore, & tuum corpus éffici voluiſti: da nobis ſervāre unitátem ſpíritûs in vínculo pacis; ut ex mútua dilectióne, diſcípuli tui, & membra córporis tui ab ómnibus agnoſcámur; Qui vivis & regnas ... in unitáte ejuſdem.

FERIA SEXTA *Rub.*

Quatuor Temporum.

Semiduplex.

Introitus.

IN Chriſto Jeſu omnis ædificátio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Dómino, Allelúia, in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu. Allelúia, Eph. 2.

Pſal. 126. allelúia. *Psalm.* Niſi Dóminus ædificáverit domum : * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam. Glória. In Chriſto.

Dicitur Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

S. R. Adſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur adverſis ; Per Dóminum ... in unitáte ejuſdem.

Pro Ordinandis. Eccléſiæ tuæ, *infrà*, cxliv.

Léctio libri Sâpientiæ.

Cap. 1. Dilígite juſtítiam, qui judicâtis terram. Sentíte de Dómino in bonitáte, & in ſimplicitáte cordîs quærite illum ; quóniam invenítur ab his, qui non tentant illum : appáret autem eis, qui fidem hâbent in illum. Perverſæ enim cogitatiónes ſéparant à Deo : probáta autem virtus córripit insîpientes. Quóniam in malévolam ánimam non introíbit ſapiéntia, nec habitábit in córpore sûbdito peccátis. Spíritus enim ſanctus diſciplínæ éffúgiet fictum ; & áuferet ſe à cogitatiónibus, quæ ſunt ſine intellectu ; & corripiétur à ſuperveniente inîquitáte. Benignus eſt enim ſpíritus ſapiéntiæ, & non liberábit malédicum à lábiis ſuis ; quóniam renum illíus teſtis eſt Deus, & cordis illíus ſcrutátor eſt verus, & linguæ êjus audítor. Quóniam Spíritus Dómini replévit orbem terrárum : & hoc, quod cóntinet ómnia, ſciéntiam hâbet vocis. Propter hoc qui lóquitur iníqua, nón poteſt latére ; nec prætéribit illum corrípiens judícium.

Zach. 12. Allelúia, allelúia. ℣. Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatóres Jerúſalem, Spíritum grátiæ & precum.

Allelúia, allelúia. ℣. Veni, ſancte Spíritus ; reple tuórum corda fidélium ; & tui amóris in eis ignem accende. Allelúia.

Prosa. Veni, ſancte, 211.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 5. In illo témpore ; Factum eſt in una diérum, & Jeſus ſedébat dócens. Et erant Phariſæi ſedentes, & legis doctóres, qui vénerant ex omni caſtello Galilææ, & Judææ, & Jérúſalem : & virtus Dómini erat ad ſanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hóminem qui erat paralyticus : & quærébant eum inferre, & pónere ante eum. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcendérunt ſupra tectum ; & per tégulas ſummiſérunt eum cum lecto in médium ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit : Homo, remittuntur tibi peccáta tua. Et cœpérunt cogitáre Scribæ, & Phariſæi, dicentes : Quis eſt hic, qui lóquitur blaſphémias ? Quis poteſt dimittere peccáta, niſi ſolus Deus ? Ut cognóvit autem Jeſus cogitatiónes eórum reſpondens, dixit ad illos : Quid cogitátis in córdibus veſtris ? quid eſt facílius dícere : Dimittuntur tibi peccáta ; an dícere : Surge, & ámbula ? Ut autem ſciátis quia Fílius hóminis habet poteſtátem in terra dimittendi peccáta ; (ait paralytico) Tibi dico : Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacébat ; & ábiit in domum ſuam magníficans Deum. Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificábant Deum. Et repléti ſunt timóre, dicentes ; quia vidimus mirabília hódie.

Dicitur Credo.

Rom. 8. *Offertorium.* Quid orémus, ſicut oportet, neſcímus : ſed ipſe Spíritus póſtulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Allelúia.

Secreta.

S. R. SAcrifícia, Dómine, tuis oblàta conſpéctibus ignis ille divínus abſúmat, qui diſcipulórum Chriſti tui per Spíritum ſanctum corda ſuccendit; Per eumdem... in unitáte ejuſdem.

Pro Ordinandis. Deus qui miniſtrantibus, *infrà*, cxliv.

I. Joan. 4. *Communio.* In hoc cognóſcimus quóniam in Deo manémus, & ipſe in nobis, quóniam de ſpíritu ſuo dedit nobis. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

SAcramenti tui, Dómine, divína libátio, & únctio Spíritûs tui penetrália noſtri cordis infundat, & ſuî nos partícipes potenter efficiat; Per... in unitáte ejuſdem.

Pro Ordinandis. Bone Paſtor, *infrà*, cxliv.

Rub. ## SABBATO
Quatuor Temporum.
Semiduplex.

Introitus.

Rom. 5. CAritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris, Allelúia, per Spíritum ſanctum qui datus eſt nobis. Allelúia, allelúia.

Pſal. 87. *Psalm.* Dómine, Deus ſalútis meæ, * in die clamávi, & nocte coram te. Glória. Cáritas.

Dicitur Glória in excelſis.

Non dicitur Dóminus vobiſcum, *& ſic ante Collectas ſequentes.*

Collecta. Orémus.

S. R. MEntibus noſtris, quæſumus, Dómine, Spíritum ſanctum benignus infunde; cujus & ſapiéntiâ cónditi ſumus, & providéntiâ gubernámur; Per Dóminum... in unitáte ejuſdem.

Quinque ſequentes Lectiones cantantur, in tono Lectionum, à Lectoribus in habitu Chori ordinario.

Léctio Iſaíæ Prophétæ.

Cap. 61. SPíritus Dómini ſuper me, eo quòd únxerit Dóminus me: ad annuntiandum manſuétis miſit me; ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam, & clauſis apertiónem: ut prædicárem annum placábilem Dómino, & diem ultiónis Deo noſtro: ut conſolárer omnes lugentes: ut pónerem lugéntibus Sion; & darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro ſpíritu mœróris: & vocabuntur in ea fortes juſtítiæ, plantátio Dómini ad glorificandum. Et ædificábunt deſerta à ſéculo; & ruínas antíquas érigent, & inſtaurábunt civitátes deſertas, diſſipátas in generatiónem & generatiónem. Et ſtabunt aliéni, & paſcent pécora veſtra: & fílii peregrinórum agrícolæ & vinitóres veſtri erunt. Vos autem ſacerdótes Dómini vocabímini: Miniſtri Dei noſtri, dicétur vobis: fortitúdinem géntium comedétis, & in glória eárum ſuperbiétis. Pro confuſióne veſtra dúplici & rubóre, laudábunt partem ſuam: propter hoc in terra ſua duplícia poſſidébunt; lætítia ſempiterna erit eis. Quia ego Dóminus díligens judícium, & ódio habens rapínam in holocauſto: & dabo opus eórum in veritáte, & fœdus perpétuum fériam eis. Et ſcient in géntibus ſemen eórum, & germen eórum in médio populórum: omnes qui víderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dóminus.

Allelúia, allelúia. ℣. Veni, ſancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium; & tui amóris in eis ignem accende. Allelúia.

Collecta. Orémus.

ILlo nos igne, quæſumus, Dómine, Spíritus ſanctus inflammet, quem Dóminus noſter Jeſus Chriſtus miſit in terram, & vóluit vehementer accendi; Qui tecum ... in unitáte ejuſdem.

Léctio libri Levítici.

Cap. 23. IN diébus illis; Locútus eſt Dóminus ad Móyſen, dicens: Lóquere fíliis Iſrael, & dices ad eos: Numerábitis ab áltero die ſábbati, in quo obtuliſtis manípulum primitiárum, ſeptem hebdómadas plenas, uſque ad álteram diem expletiónis hebdómadæ ſéptimæ, id eſt, quinquaginta dies: & ſic offerétis ſacrifícium novum Dómino ex ómnibus habitáculis veſtris, panes primitiárum duos de duábus décimis símilæ fermentátæ, quos coquétis in primítias Dómini. Offeretiſque cum pánibus ſeptem agnos immaculátos annículos, & vítulum de armento unum, & aríetes duos; & erunt in holocauſtum cum libamentis ſuis, in odórem ſuavíſſimum Dómino. Faciétis & hircum pro peccáto; duoſque agnos annículos hóſtias pacificórum. Cùmque eleváverit eos ſacerdos cum pánibus primitiárum coram Dómino, cedent in uſum ejus. Et vocábitis hunc diem celebérrimum, atque ſanctíſſimum: omne opus ſervíle non faciétis in eo. Legítimum ſempiternum erit in cunctis habitáculis, & generatiónibus vĕſtris.

I. Cor. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Nos non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed ſpíritum qui ex Deo eſt, ut ſciámus quæ à Deo donáta ſunt nobis. Allelúia.

Collecta. Orémus.

S. R. DA nobis, quæſumus, Dómine, per grátiam Spíritûs ſancti, novam ſpirituális obſervántiæ diſciplínam: ut mentes noſtræ, ſacro purificante jejúnio, cunctis reddantur ejus munéribus aptióres; Per ... in unitáte ejuſdem.

Léctio libri Deuteronómii.

Cap. 26. IN diébus illis; Dixit Móyſes ad Iſrael: Cùm intráveris terram, quam Dóminus Deus tuus tibi datúrus eſt poſſidendam, & obtinúeris eam, atque habitáveris in ea: tolles de cunctis frúgibus tuis primítias, & pones in cartallo pergeſque ad locum, quem Dóminus Deus tuus elégerit, ut ibi invocétur nomen ejus: accedeſque ad ſacerdótem, qui fúerit in diébus illis, & dices ad eum: Profíteor hódie coram Dómino Deo tuo, quòd ingreſſus ſum in terram, pro qua jurávit pátribus noſtris, ut daret eam nobis. Suſcipienſque ſacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altáre Dómini Dei tui. Et loquéris in conſpectu Dómini Dei tui: Syrus perſequebátur patrem meum, qui deſcendit in Ægyptum, & ibi peregrinátus eſt in paucíſſimo número; crevitque in gentem magnam, ac robuſtam, & infinítæ multitúdinis. Afflixeruntque nos Ægyptii, & perſecúti ſunt imponentes ónera graviſſima: & clamávimus ad Dóminum Deum patrum noſtrórum; qui exaudívit nos, & reſpexit humilitátem noſtram, & labórem, atque angústiam: & eduxit nos de Ægypto in manu forti, & bráchio extento, in ingenti pavóre, in ſignis atque portentis: & introduxit ad locum iſtum, & trádidit nobis terram lacte & melle manantem. Et idcircò nunc óffero primítias frugum terræ, quam Dóminus dedit mihi. Et dimittes eas in conſpectu Dómini Dei tui, & adoráto Dómino Deo tuo. Et epuláberis in ómnibus bonis, quæ Dóminus Deus tuus déderit tibi, & dómui tuæ, tu & Levítes, & ádvena qui tecum ĕſt.

Allelúia,

II. Theſſ. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Grátias Deo, quòd elégerit vos in ſalútem, in ſanctificatióne Spíritûs, & in fide veritátis. Allelúia.

Collecta. Orémus.

M. P. QUibus, per Unigéniti tui conſórtium, fílios adoptiónis eſſe tribuiſti; largíre, Deus, per Spíritum ſanctum dona gratiárum: ut tantò ſe certiùs ad ſupernam hereditátem confídant eſſe ventúros, quantò in ejuſdem Spíritûs participatióne profécerint; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem.

Léctio libri Levítici.

Cap. 26. IN diébus illis; Locútus eſt Dóminus ad Móyſen, dicens: Lóquere fíliis Iſrael, & dices ad eos: Ego Dóminus Deus veſter: Non faciétis vobis idólum & ſcúlptile, nec títulos erigétis, nec inſignem lápidem ponétis in terra veſtra, ut adorétis eum: ego enim ſum Dóminus Deus veſter. Cuſtodíte ſábbata mea, & pavéte ad Sanctuárium meum: Ego Dóminus. Si in præceptis meis ambulavéritis, & mandáta mea cuſtodiéritis, & fecéritis ea; dabo vobis plúvias tempóribus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis árbores replebuntur. Apprehendet méſſium tritúra vindémiam, & vindémia occupábit ſementem: & comedétis panem veſtrum in ſaturitáte, & abſque pavóre habitábitis in terra veſtra. Dabo pacem in fínibus veſtris: dormiétis, & non erit qui extérreat. Auferam malas béſtias; & gládius non transíbit términos veſtros. Perſequémini inimícos veſtros, & corruent coram vobis. Perſequentur quinque de veſtris centum aliénos, & centum de vobis decem míllia: cadent inimíci veſtri gládio in conſpectu veſtro. Reſpíciam vos, & créſcere fáciam: multiplicabímini, & firmábo pactum meum vobiſcum. Comedétis vetuſtíſſima véterum, & vétera, novis ſuperveniéntibus, projiciétis. Ponam tabernáculum meum in médio veſtrî, & non abjíciet vos ánima mea. Ambulábo inter vos, & ero Deus veſter, voſque éritis pópulus mĕus.

II. Cor. 6. Allelúia, allelúia. ℣. Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, quóniam inhabitábo in illis, & ero illórum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus. Allelúia.

Collecta. Orémus.

M. P. LEgem tuam, quæſumus, Dómine, per Spíritum ſanctum ſcribe in córdibus noſtris: ut in ſémita judiciórum tuórum ambulantes, cœléſtia bona, quæ legis antíquæ promiſſiónibus adumbraſti, te donante, conſequámur; Per.... in unitáte ejuſdem.

Léctio Daniélis Prophétæ.

Cap. 3. IN diébus illis, Angelus Dómini deſcendit cum Azária, & ſóciis ejus, in fornácem: & excuſſit flammam ignis de fornáce, & fecit médium fornácis quaſi ventum roris flantem: & non tétigit eos omnínò ignis, neque contriſtávit, nec quidquam moléſtiæ íntulit. Tunc hi tres quaſi ex uno ore laudábant, & glorificábant, & benedicébant Deum in fornáce, dicĕntes:

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Benedictus es, Dómine Deus patrum noſtrórum, & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſécula. Allelúia.

Dóminus vobiſcum.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui tribus púeris mitigaſti flammas ígnium; concéde propítius, ut nos fámulos tuos, non exúrat flamma vitiórum; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

Pro Ordinandis Eccléſiæ tuæ, *infrà inter Orationes ad diverſa, pag.* cxliv.

[*In Miſſa, in qua fit Ordinatio, loco Collectarum quæ hîc notantur pro Ordinandis, dicuntur quæ habentur in Pontificali; vel infrà, inter Orationes ad diverſa, N°. 43. p.* cxliv.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

II. Cor. 3. FRatres, Epíſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in córdibus noſtris, quæ ſcitur, & légitur ăb ómnibus homínibus: manifeſtáti quòd epíſtola eſtis Chriſti, miniſtráta à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spíritu Dei vivi; non in tábulis lapídeis, ſed in tábulis côrdis carnálibus. Fidúciam autem talem habémus pĕr Chriſtum ad Deum: non quòd ſufficientes ſimus cogitáre áliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficiéntia noſtra ex Dêo eſt. Qui & idóneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, nŏn líttera, ſed ſpíritu, líttera enim occídit, ſpíritus âutem vivíficat. Quòd ſi miniſtrátio mortis lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória; ita ut non poſſent inténdere fílii Iſrael in fáciem Móyſi, propter glóriam vultus ejus, quæ ĕvacuátur: quómodò non magìs miniſtrátio ſpíritus erit in glória? Nam ſi miniſtrátio damnatiónĭs glória eſt, multò magìs abundat miniſtérium juſtîtiæ in glória. Nam nec glorificátum eſt, quod clárŭĭt in hac parte, propter excellêntem glóriam. Si enim quod evacuátur, pĕr glóriam eſt; multò magìs quŏd mănet, in glória eſt.

II. Cor. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Non dedit nobis Deus Spíritum timóris, ſed virtútis, & dilectiónis, & ſobrietátis. Allelúia.

Prosa. Veni, ſancte, 211.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 4. IN illo témpore; Deſcendit Jeſus in Caphárnaum civitátĕm Galilææ, ibíque docébat illos săbbatis. Et ſtupébant in dŏctrína ejus, quia in poteſtáte erat ſermo ipsĭus. Et in ſynagóga erat homo habens dæmónium immundum, & exclamávit voce magna, dĭcens: Sine, quid nobis, & tibi, Jeſu Nazaréne? veniſti pérdere nos? ſcio te quis ſis, Sanctus Dĕi. Et increpávĭt illum Jeſus, dĭcens: Obmuteſce, & exi ab ĕo. Et cùm projeciſſet illum dæmónium in médium; éxiit ab illo, nihilque illum nŏcuit. Et factŭs ĕſt pavor in ómnibus, & colloquebantur ad ínvicem, dicĕntes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtáte & virtúte ímperat immundis ſpirítibus, & éxeunt? Et divulgabátŭr fama de illo in omnem locum regiŏnis. Surgens autem Jeſus dĕ ſynagóga, introívit in domum Simŏnis. Socrus autem Simónis tenebátŭr magnis fébribus; & rogavérunt illum pro ĕa. Et ſtans ſuper illam, impĕrávit febri: & dimíſit ĭllam. Et contínuò ſurgens miniſtrábat ĭllis. Cùm autem ſol occidiſſet, omnes qui habébant infirmŏs váriis languóribus, ducébant illos ad ĕum. At ille síngŭlĭs manus impónens, curábat ĕos. Exíbant autem dæmónia à multis, clamántia & dicéntia, quia tu es Fílius Dĕi. Et íncrepans non ſinébăt ea loqui, quia ſciébant ipſum eſſe Chrĭſtum. Facta autem die, egreſſus ibat in dĕſertum locum, & turbæ requirébant eum, & venérunt uſque ad ipſum; & detinébant illum, ne diſcéderet ab ĕis. Quibus ille ait: Quia & áliis civitátibus oportet me evangelizárĕ regnum Dei; quia ídeò miſſus sŭm. Et erăt prædicans in ſynagógis Galilææ.

Dicitur Credo.

Rom. 8. *OFFERTORIUM.* Spíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus fílii Dei: ſi autem fílii & herédes. Allelúia.

SECRETA.

M. P. VIrtúte ſancti Spíritûs, Dómine, múnera noſtra ſanctífica; & eódem inſpirante, fac nos tibi ſemper & devótam gérere voluntátem, & majeſtáti tuæ ſincéro corde ſervíre; Per ... in unitáte ejuſdem.

Pro Ordinandis, Deus, qui miniſtrantibus. *infrà*, cxliv.

Jer. 32. *COMMUNIO.* Dabo eis cor unum, ut tímeant me: fériam cum eis pactum ſempiternum; & non déſinam eis benè fácere, & timórem meum dabo in corde eórum, ut non recédant à me. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui Eccléſiam tuam lúmine Spíritûs ſancti régere, & grátiâ fovére non déſinis: dignáre eam, per hæc ſacra myſtéria, novis miſericórdiæ tuæ efféctibus conſolári; ut & júgiter in ejus ſinu tibi ſérviat unanímitas ſancta fidélium, & ad ipſam infidélium multitúdo populórum unitáte fídei congregétur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem Spíritûs.

Pro Ordinandis, Bone Paſtor, *infrà*, cxliv.



Rub. seu Fulv.

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

IN FESTO

SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

SOLEMNE-MAJUS.

[*Ubi dicuntur duæ Miſſæ, minus ſolemnis dicitur de Dominica : ſine Commemoratione Trinitatis : ſolemnior verò, de Trinitate, ſine Commemoratione Dominicæ.*]

INTROITUS.

Pſal. 32. MIſericórdiâ Dómini plena eſt terra ; Verbo Dómini cœli firmáti ſunt, & Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Ibid. *PSALM.* Exultáte, juſti, in Dómino ; * rectos decet collaudátio. Glória. Miſericórdiâ.

COLLECTA. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempiterne Deus, qui dediſti fámulis tuis in confeſſióne veræ fídei, æternæ Trinitátis glóriam agnóſcere, & in poténtia majeſtátis, adoráre Unitátem : quæſumus, ut ejuſdem fídei firmitáte, ab ómnibus ſemper muniámur adverſis ; [Per.]

Ubi dicitur unica Miſſa, fit Commemoratio Dominicæ ſub una concluſione, Deus in te ſperántium, *ut infrà 226.*

Léctio Epíſtolæ beáti Joânnis Apóſtoli.

I. Joan. 1. CAríſſimi ; Omnis, qui credit quóniam Jĕſus eſt Chriſtus, ex Deo nâtus eſt. Et omnis qui díligĭt eum qui génuit, díligit & eum qui natus êſt ex eo. In hoc cognóſcimus quóniam dilígĭmŭs natos Dei, cùm Deum diligámus, & mandáta ejus fâciámus. Hæc eſt enim cáritas Dei, ut mandáta ejus cŭſtodiámus : & mandáta ejus grâvia non ſunt. Quóniam omne quod natum eſt ex Deŏ, vincit mundum : & hæc eſt victória, quæ vincit mundum, fîdes noſtra. Quis eſt, quĭ vincit mundum, niſi qui credit quóniam Jeſus eſt Fílius Dei ? Hic eſt qui venit per aquam & ſánguĭnĕm, Jeſus Chriſtus ; non in aqua ſolùm, ſed in âqua & ſánguine. Et Spíritus eſt, qui teſtificátur, quóniam Chrîſtus eſt véritas. Quóniam tres ſunt, qui teſtimónium dant in cœlo ; Pater, Verbum, ĕt Spíritus ſanctus : & hi tres ûnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimónium dant in terra ; ſpíritus, ĕt aqua, & ſanguis : & hi tres ûnum ſunt. Si teſtimónium hóminum accípimus, teſtimónium Dei majus eſt : quóniam hoc eſt teſtimónium Dei quŏd majus eſt ; quóniam teſtificátus eſt de Fîlio ſuo. Qui credit in Fílĭŭm Dĕi, habet teſtimónium Dei in ſe.

GRADUALE. Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, & magnitúdinis ejus non eſt finis. ℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua ; & ſancti tui benedícant tibi. Pſal. 144.

Allelúia, allelúia. ℣. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui eſt, & qui ventúrus eſt. Allelúia.

PROSA.

M. P.

Prosa.

OS ſuperbum conticeſcat :
Simplex fides acquieſcat
Dei magiſtério.

Unum Deum adorámus ;
Tres perſónas prædicámus
In uno myſtério.

Molis expers, & mens totus,
In ſe manens, ſe beátus,
Sibi Deus ſúfficit.

Eſt in Deo totum quod eſt ;
Quod eſt Deus, totus hoc eſt :
Mens narrando déficit.

Ante tempus, tempus ſupplet ;
Extra locum, locum implet ;
Ipſe locus ómnium.

Cuncta creat increátus ;
Mutat cuncta non mutátus ;
Agens, ſervat ótium.

Et quâ ſapit, eſt ſapiéntia ;
Et, quâ juſtus, ipſa juſtítia ;
Vita, virtus, bónitas.

Non egentem cujuſquam cólimus :
In hoc ſumus, movémur, vívimus,
Quo ſtat univérſitas.

Deum verum, ut non divídimus,
Tres in uno Perſónas crédimus,
Patrem, Verbum, Spíritum.

Una ſimplex Tres ſunt ſubſtántia :
Mens aſſenſum ad hæc myſtéria
Det ſecúra ſúbditum.

Patris Verbum è plenitúdine,
Par imágo, lumen de lúmine,
Idem Deus náſcitur.

Natum Pater, Patrem intúitus
Natus amat : hinc Deus Spíritus
Ex ambóbus óritur.

Hæc illa Trínitas,
In cujus nómine
Vetus iníquitas
Vitáli flúmine
Nobis ablúitur.

Nobis credéntibus
Nunc eſt myſtérium ;
Lux eſt vidéntibus :
O ! ſpes in præmium
Quando mutábitur !

Quem fide nóvimus,
Amóre cólimus :
Unus Deus,
Amor meus,
Cor totum ímpleat.

Tres unum dícimus,
Et læti cánimus :
Hâc plebs tota
Fide mota
In unum coeat.

Quos te propter feciſti, Dómine,
Tuâ fingens dignos imágine,
Ad te ſuſpirámus.

Vultûs tui ſignáti lúmine,
Tuo cœlis beandi Númine,
Fac tibi vivámus.

O Æterna, ſpes noſtra, Trinitas ;
Tuos inter quam mandas, únitas
Tuam imitétur.

Hujus eſto tu ſolus vínculum ;
Per te nunc ſtet ; poſt actum ſéculum
In te conſummétur.

Amen.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, & Fílii, ét Spíritus ſancti, docentes eos ſervare ómnia quæcumque mandávi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum ómnibus diébus, uſque ad conſummatiónem ſéculi. Cap. 28.

Dicitur Credo.

Offertorium. Dómine Deus, ómnium creátor, juſtus & miſéricors, qui ſolus es bonus, & omnípotens, & æternus : áccipe ſacrifícium pro univerſo pópulo tuo ; & cuſtódi partem tuam, & ſanctífica. II. Mac. 1.

Secreta.

S. R. SAnctífica, quæſumus, Dómine, per Unigéniti tui virtútem, hujus oblatiónis hóſtiam; & cooperante Spíritu ſancto, per eam noſmetipſos tibi pérfice munus æternum; [Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem Spíritûs ſancti Deus.]

Præfatio de Trinitate.

Eph. 2. *Communio.* Qui aliquando erámus longè, facti ſumus propè in ſánguine Chriſti, per quem habémus acceſſum in uno Spíritu ad Patrem. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DOmine Deus, Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis patérnitas in cœlo & in terra nominátur: da nobis ſacro múnere recreátis, virtúte corroborári per Spíritum tuum in interiórem hóminem, & ſcire ſupereminentem ſciéntiæ caritátem Chriſti; ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei; [Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem.]

In fine Miſſæ, ubi unica dicitur, legitur Evangelium Dominicæ, ut infrà.

AD MISSAM DE DOMINICA.

Introitus.

Rub. seu Fulv. DOmine, in miſericórdia tua ſperávi; exultábit cor meum in ſalutári tuo: cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

Pſal. 12. *Psalm.* Uſquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem? * úſquequò avertis fáciem tuam à me? Glória.

Ibid. Dómine.

Collecta. Orémus.

M. A. DEus, in te ſperántium fortitúdo, adeſto propítius invocatiónibus noſtris: & quia ſine te nihil poteſt mortális infírmitas, præſta auxílium grátiæ tuæ; ut in exequendis mandátis tuis, & voluntáte tibi, & actióne placeámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus; per ómnia ſécula ſeculórum.

Léctio Epíſtolæ beáti Joânnis Apóſtoli.

1. Joan. 4. CAríſſimi; Deŭs cáritas eſt; & qui manet in caritáte, in Deo manet, & Dêus in eo. In hoc perfecta eſt cáritas Dei nobiſcum, ut fidúciam habeámus ĭn die judícii; quia ſicut ille eſt, & nos ſumus ĭn hoc mundo. Timor non eſt ĭn caritáte; ſed perfecta cáritas foràs mittit timórem, quóniam timor pœnam habet. Quĭ autem timet, non eſt perfectus in cârităte. Nos ergo dilĭgámus Deum; quóniam Deus prior dilêxit nos. Si quis díxerit quóniam Díligo Deum, & fratrĕm ſuum óderit, mêndax eſt. Qui enim non díligit fratrĕm ſuum quem videt; Deum, quem non videt, quómodò poteſt dilígere? Et hoc mandátum habémus à Deo, ut qui díligĭt Dĕum, díligat & fratrem ſuum.

Pſal. 40. *Graduale.* Ego dixi: Dómine, miſerére meî; ſana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

Pſal. 113. Allelúia, allelúia. ℣. Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino: adjútor eórum & protector eórum eſt. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 6. IN illo témpore; dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Eſtóte mĭſericordes, ſicut & Páter veſter miſéricors ĕſt. Nolíte judicáre, & non judicabímini: nolíte condemnáre, & non condemnabĭmini. Dimíttite, & dimittĕmini. Date & dábitur vŏbis. Menſúram bonam, & confertam, & coagitátam, & ſupĕreffluentem dabunt in ſinum vĕſtrum. Eádem quippe menſúra, quă menſi fuéritis, remetiétur vŏbis. Dicébat autem illis & ſimilitŭdinem: Numquid poteſt cæcus cæcum dúcere? nonne ambo in fóveam cadunt? Non eſt diſcípŭlŭs ſuper magiſtrum, perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter ĕjus. Quid autem vides feſtúcam in óculo fratris tui; trabem autem, quæ in óculo tuo eſt, non consíderas? aut quómodò potes dícere fratri tuo: Frater, ſine ejíciam feſtúcam dĕ óculo tuo, ipſe in óculo tuo trabem non videns? Hypócrita, éjice primùm trabem dĕ óculo tuo; & tunc perſpícies ut edúcas fĕſtŭcam de óculo fratris tui.

Dicitur Credo.

Pſal. 5. *OFFERTORIUM.* Intende voci oratiónis meæ, Rex meus, & Deus meus; quóniam ad te orábo, Dómine.

SECRETA.

M. P. DEſcendat, Dómine, in hæc benedictiónis tuæ ſacrifícia coæternus Paraclétus; ut oblatiónem, quam tibi de tua terra fructificante porrígimus, cœleſti permutatióne, te ſanctificante, ſumámus; Per Dóminum.... in unitáte ejuſdem.

Pſal. 9. *COMMUNIO.* Narrábo ómnia mirabília tua; lætábor, & exultábo in te; pſallam nómini tuo, Altíſſime.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. A. TAntis, Dómine, repléti munébus, præſta, quæſumus, ut ſalutária dona capiámus, & à tua numquam laude ceſſémus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

IN FERIIS

Rub. ſeu Fulv. à Trinitate uſque ad Adventum.

Intra hanc Hebdomadam & ſequentes uſque ad Adventum, quando dicenda eſt Miſſa de Feria, & propria non aſſignatur, reſumitur Miſſa de Dominicâ præcedenti, ſine Glória in excelſis & Credo. *In fine*, Benedicámus Dómino. *Epiſtola & Evangelium habentur propria ſingulis Feriis* IV & VI. *& dicuntur ſecundùm Rubricam ſuprà. pag.* 3.

IN FERIIS ET SIMPLICIBUS *uſque ad Adventum, ſecunda Collecta dicitur ad poſcenda ſuffragia Sanctorum,* A cunctis, *infrà, p.* cxl.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beáti Joânnis Apóſtoli.

I. Joan. 4. CAríſſimi; Dilĭgámus nos ínvicem; quia cáritas ex Dêo eſt. Et omnis, qui díligit, ex Deo natus eſt, & cognôſcit Deum. Qui non díligit, nŏn novit Deum; quóniam Deus câritas eſt. In hoc appáruit cárĭtăs Dei in nobis, quóniam Fílium ſuum unigénitum miſit Deus in mundum, ut vivâmus per eum. In hoc eſt cáritas; non quaſi nos dilĕxérimus Deum, ſed quóniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Fílium ſuum propitiatiónem pro peccâtis noſtris. Caríſſimi, ſi ſic Deus dĭlexit nos, & nos debémus altêrutrum dilígere. Deum nemo vîdit unquam. Si dilĭgámus ínvicem, Deus in nobis manet,

& cáritas ejus in nobis perfécta eſt. In hoc cognóſcimus quóniam in eo manémus, ět ipſe in nobis, quóniam de Spíritu ſuo dêdit nobis. Et nos vídimus, & tĕſtificámur quóniam Pater miſit Fílium ſuum ſalvatôrem mundi. Quiſquis confeſſus fúerit quóniam Jeſus ĕſt Filius Dei, Deus in eŏ mănet, & ipſe in Deo.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 7. IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Nolítĕ judicáre, ut non judicĕmini. In quo enim judício judicavéritis, jŭdicabímini; & in qua menſúra menſi fuéritis, remetiétur vŏbis. Quid autem vides feſtúcam in ócŭlŏ fratris tui; & trabem in óculo tuo non vides? aut quómodò dicis fratri tuo: Sine ejíciam feſtúcam dĕ óculo tuo: & ecce trabs eſt in óculo tuo? Hypócrita, éjice primùm trabem dĕ óculo tuo; & tunc vidébis ejícere feſtúcam de óculo fratris tŭi. Nolíte dare ſanctum cánibus, neque mittátis margarítas veſtrăs ante porcos; ne fortè conculcent eas pédibus ſuis, & cŏnvĕrſi dirumpant vos.



IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Rub. seu Fulv.

ANNUALE-MAJUS.

INTROITUS.

Psal. 80. CIbávit eos Dóminus ex ádipe frumenti; Allelúia; & de petra, melle saturávit eos. Allelúia, allelúia, allelúia. *PSALM.* Exultáte Deo adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob. Glória. Cibávit.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui nobis sub Sacramento mirábili, passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis & Sánguinis tui sacra mystéria venerári ; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus, Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

I. Cor. 11. FRatres ; Ego accépi à Dómino quod ět trádidi vobis ; quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens frêgit, & dixit : Accípite, & manducáte ; Hoc est corpus meum quod prŏ vobis tradétur : hoc fácite in meam commemorâtiónem. Símíliter & cálicem, postquàm cœnâvit, dicens : Hic calix novum testamentum est in mêo sánguine. Hoc fácite, quótĭĕscumque bibétis, in meam commemorâtiónem. Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, ět cálicem bibétis ; mortem Dómini annuntiábitis, dônec véniat. Itaque quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálĭcĕm Dómini indignè ; reus erit córporis & sânguinis Dómini. Probet autem sĕipsum homo ; & sic de pane illo edat, & de câlice bibat. Qui enim mandúcat ět bibit indignè, judícium sibi mandúcat & bibit, non dĭjŭdicans corpus Dómini.

GRADUALE. Oculi ómnium in te sperant, Dómine, & tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. Psal. 144.

Allelúia, allelúia. ℣. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus : qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, in me manet, & ego in eo. Allelúia. Joan. 6.

PROSA.

S. Thomæ Aqui. LAuda, Sion, salvatórem,
Lauda ducem & pastórem
In hymnis & cánticis.
Quantùm potes, tantùm aude ;
Quia major omni laude,
Nec laudáre súfficis.
Laudis thema speciális,
Panis vivus & vitális
Hódie propónitur ;
Quem in sacræ mensa cœnæ
Turbæ fratrum duodénæ
Datum non ambígitur.
Sit laus plena, sit sonóra,
Sit jucunda, sit decóra
Mentis jubilátio.
Dies enim solemnis ágitur,
In qua mensæ prima recólitur
Hujus institútio.
In hac mensa novi Regis,
Novum Pascha novæ legis,
Phase vetus términat.

Vetustátem nóvitas,
Umbram fugat véritas,
Noctem lux elíminat.
Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In suî memóriam.
Docti sacris institútis,
Panem, vinum, in salútis
Consecrámus hóstiam.
Dogma datur Christiánis,
Quòd in carnem transit panis,
Et vinum in sánguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animósa firmat fides,
Præter rerum órdinem.
Sub diversis speciébus,
Signis tantùm, & non rebus,
Latent res exímiæ.
Caro cibus; sanguis potus;
Manet tamen Christus totus
Sub utráque spécie.
A Sumente non concísus,
Non confractus, non divísus,
Integer accípitur.
Sumit unus, sumunt mille:
Quantùm isti, tantùm ille;
Nec sumptus consúmitur.
Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inæquáli
Vitæ vel intéritûs.
Mors est malis, vita bonis:
Vide paris sumptiónis
Quàm sit dispar éxitus.
Fracto demùm Sacramento,
Ne vacilles, sed memento
Tantùm esse sub fragmento,
Quantùm toto tégitur.
Nulla rei fit scissúra,
Signi tantùm fit fractúra,
Quâ nec status nec statúra
Signáti minúitur.

Versus sequens ter dicitur hodie & die Octavâ.

* Ecce Panis Angelórum,
Factus cibus viatórum,
Verè panis filiórum,
Non mittendus cánibus.
In figúris præsignátur,
Cùm Isaac immolátur,
Agnus Paschæ deputátur,
Datur manna pátribus.
Bone Pastor, panis vere,
Jesu, nostrî miserére;
Tu nos pasce, nos tuére,
Tu nos bona fac vidére
In terra vivéntium.
Tu, qui cuncta scis & vales,
Qui nos pascis hîc mortáles,
Tuos ibi commensáles,
Cohærédes & sodáles
Fac sanctórum cívium. Amen.

* *Ad hunc Versum in Missâ majori,* Celebrans cum Ministris flectit genua in ora suprema gradûs; Chorus autem stat versus Altare usque ad finem Prosæ.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

In illo témpore; Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro meâ verè est cibus, & sanguis meus verè est pótus. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem; in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui mandúcat me, & ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt: qui mandúcat hunc pánem, vivet in æternum. *Dicitur* Credo. Cap. 6.

Offertorium. Sacerdótes Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus: incensum enim Dómini, & panes Dei sui offerunt, & ideò Sancti erunt. Allelúia. Levit. 21.

Secreta.

Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, unitátis & pacis propítius dona concéde, quæ sub oblátis munéribus mysticè designantur; Per.

Præfat. propria per totam Octavam.

Communio. Angelórum escâ nutrivisti pópulum tuum; & panem de cœlo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem, & omnis sapóris suavitátem. Allelúia. Sap. 16.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. FAc nos, quæsumus, Dómine, divinitátis tuæ sempiternâ fruitióne repléri, quam pretiósi córporis & sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

DIEBUS INTRA OCTAVAM.

Missa dicitur ut in die festo, præter Epistolam & Evangelium, quæ propria sunt singulis diebus.

Nulla fit Commemoratio, nisi occurrat Festum Duplex-Minus, aut infrà. Ad Prosam, Strophe, Ecce panis. *semel dicitur.*

FERIA SEXTA.

Rub. seu Fulv.

Léctio líbri Géneſis.

Cap. 14. IN diébus illis; Egressus est rex Sodomórum in occursum Abram, postquàm reversus est à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis. At verò Melchísedech rex Salem próferens panem & vinum, (erat enim sacerdos Dei altíssimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creávit cœlum & terram; & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in mánibus tuis sunt. Et dedit ei décimas ex ómnibus.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 26. IN illo témpore; Cœnantibus discípulis, accépit Jesus panem & benédixit, ac fregit, deditque discípulis suis, & ait: Accípite, & comédite: Hoc est corpus meum. Et accípiens cálicem, grátias egit; & dedit illis, dicens: Bíbite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundétur in remissiónem peccatorum. Dico autem vobis; non bibam ámodo de hoc genímine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

Dicitur Credo.

SABBATO.

Rub. seu Fulv.

Léctio líbri Exodi.

Cap. 12. IN diébus illis; Dixit Dóminus ad Móysen & Aaron: Loquímini ad universum cœtum filiórum Israel, et dícite eis: Décima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per famílias & dómos suas. Sin autem minor est número, ut sufficere possit ad vescendum agnum; assúmet vicínum suum, qui junctus est dómui suæ, juxta número animárum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque mácula, másculus, annículus; juxta quem ritum tollétis & hædum: & servábitis eum usque ad quartam-décimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitúdo filiórum Israel ad vésperam; & sument de sánguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domórum, in quibus cómedent illum: & edent carnes nocte illa assas igni, & ázymos panes cum lactúcis agréstibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igni: caput cum pédibus ejus, & intestínis vorábitis; nec remanébit quidquam ex eo ûsque manè. Si quid résíduum fúerit, igne cómburétis. Sic autem comédétis illum: renes vestros accingétis, & calceamenta habébitis in pédibus, tenentes báculos in mánibus; & comedétis festinanter. Est enim phase, id est tránsitus, Dómini.

Sequéntia ſanctî Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jeſus turbis Judæŏrum : Qui mandúcat me, & ipſe vivet propter mĕ. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcĕndit. Non ſicut manducavérunt patres veſtri manna, ĕt mórtui ſunt : qui mandúcat hunc panem, vivet in ætĕrnum. Hæc dixit in ſynăgóga docens, in Capharnaŭm. Multi ergo audientes ex dĭſcípulis ejus, dixĕrunt : Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audíre ? Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurárent de hoc dĭſcípuli ejus, dixit ĕis : Hoc vos ſcandalízat ? Si ergo vidéritis Fílium hóminis aſcendentem ubi erat priùs ? Spíritus eſt, qui vivíficat ; caro nŏn prodeſt quidquam : verba, quæ ego locútus ſum vobis, ſpíritus & vita sŭnt. Sed ſunt quidam ex vobis, qui non crĕdunt. Sciébat enim ab initio Jeſus qui eſsĕnt non credentes, & quis traditúrus eſſet ĕum. Et dicĕbat : Proptéreà dixi vobis, quia nemo poteſt vĕníre ad me, niſi fúerit ei datum à Patre mĕo. Ex hoc multi diſcipulórum ejus abĭérunt retrò : & jam non cum illo ambulăbant. Dixit ergo Jeſus ad Duŏdecim : Numquid & vos vultis abíre ? Reſpondit ergo ei Simon Pĕtrus : Dómine, ad quem íbimus ? verba vitæ æternæ habes : & nos credídimus, & cognóvimus quia tu ĕs Chrîſtus Fílius Dei.

Dicitur Credo.

Rub. ſeu Fulv. DOMINICA
Intra Octavam Corporis Christi, quæ eſt II. poſt Pentecoſten.

Introitus.

Pſal. 22. PAraſti, Deus, in conſpectu meo menſam adversùs eos qui tríbulant me. Calix meus inébrians quàm præclárus eſt ! & miſericórdia tua ſubſequétur me ómnibus diébus vitæ meæ. *Psalm.* Dóminus regit me, & nihil mihi déerit : * in loco páſcuæ ibi me collocávit. Glória. Paraſti. Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus, qui Eccléſiam tuam pretióſo córpore & ſánguine tuo mirabíliter réficis ; infunde in eam Spíritum vivificantem : ut cœleſtis participatióne myſtérii, de te vivens in terris, tecum vívere mereátur in cœlis ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte ejuſdem.

Léctio Epíſtolæ beátî Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

1. Cor. 10. FRatres ; Calix benedictiónis, cui benedícimus, nonne communicátio ſánguinis Chriſti eſt ? ĕt panis quem frángimus, nonne participátio Córporis Dómini eſt ? Quóniam unus panis, unum corpŭs multi ſumus, omnes qui de uno pane partîcipámus. Vidéte Iſrael sĕcundùm carnem : nonne qui edunt hóſtias, partícipes ſunt altáris ? Quid ergo ? dico quòd idólis immolátum ſit áliquid ? aut quòd idólum ſit áliquid ? ſed quæ ímmolant gentes, dæmóniis immolant, êt non Deo. Nolo autem vos ſócios fíeri dæmôniórum. Non poteſtis cálicem Dómini bíbere, & cálicem dæmoniórum : non poteſtis menſæ Dómini partícĭpĕs ĕſſe, & menſæ dæmoniórum.

Graduale. Memóriam fecit mirabílium ſuórum miſéricors & miſerátor Dóminus ; eſcam dedit timéntibus ſe. ℣. Memor erit in ſéculum teſtamenti ſui ; virtútem óperum ſuórum annuntiábit pópulo ſuo. Pſal. 110.

Allelúia, allelúia. ℣. Juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætítia. Allelúia. Pſal. 67.

Prosa. Lauda, Sion, *pag.* 229.

Sequéntia

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 14. IN illo témpore ; Dixit Jesus cuídam de simul discúmbéntibus cum ipso in domo Príncipis Pharisæórum : Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocávit múltos. Et misit servum suum hora cœnæ, dícere invitátis ut venírent, quia jam paráta sunt ómnia. Et cœpérunt simul omnes excusáre. Primus dixit ei : Villam emi, & necesse hábeo exíre, & vidére illam : rogo te, habe me excusátum. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, & eo próbáre illa : rogo te, habe me excusátum. Et álius dixit : Uxórem duxi, & ídeò non possum veníre. Et réversus servus, nuntiávit hæc dómino suo. Tunc irátus paterfamílias, dixit servo suo : Exi citò in platéas, & vicos civitátis : & páuperes, ac débiles, & cæcos, & claudos intróduc huc. Et ait sérvus : Dómine, factum est ut imperásti, & adhuc locus est. Et ait Dóminus sérvo : Exi in vias, & sepes : & compelle intráre, ut impleátur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virórum illórum, qui vocáti sunt, gustábit cœnam meam.

Dicitur Credo.

Prov. 9. *Offertorium.* Sapiéntia immolávit víctimas suas, míscuit vinum, & propósuit mensam suam. Veníte, comédite panem meum, & bíbite vinum quod míscui vobis. Allelúia.

Secreta.

PRæsta nobis, Dómine, ad cœleste convívium invitátis, ut non detineámur circa terréstria, sed curis seculáribus expediti, spiritáles mensæ sacræ delícias toto mentis desidério consectémur ; Per Dóminum.

Psal. 21. *Communio.* Edent páuperes, & saturabuntur ; & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum : vivent corda eórum in séculum séculi. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

QUæsumus, omnípotens Deus, ut inter ejus membra in cœlis numerémur, cujus córpori in terris communicámus & sánguini : Qui tecum vivit & regnat in unitáte. M. P.

FERIA SECUNDA.

Rub. seu Fulv.

Léctio libri Exodi.

Cap. 16. IN diebus illis ; Manè ros jácuit per circúitum castrórum. Cùmque operuísset superfíciem terræ ; appáruit in solitúdine minútum, & quasi pilo tusum in similitúdinem pruínæ súper terram. Quod cùm vidíssent fílii Israel, dixérunt ad ínvicem : Manhu ? quod significat : quid est hoc ? Ignorábant énim quid esset. Quibus ait Móyses : Iste est panis, quem Dóminus dedit vobis âd vescendum. Hic est sermo, quem præcépit Dóminus : Cólligat unusquisque ex eo quantùm sufficit ad vescendum ; gomor per síngula cápita, juxta número animárum vestrárum, quæ hábitant in tabernáculo, sîc tollétis. Feceruntque ita fílii Israel, & collegérunt álius plus, âlius minus. Et mensi sunt ad mensúram gomor : nec qui plus collégerat, hábuit ámplius, nec qui minus paráverat, réperit minus ; sed sínguli juxta id quod édere potérant, congregavérunt.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 6. IN illo témpore ; Dixit Jesus turbis Judæórum : Operámini non cibum qui périt, sed qui permanet in vitam æternam, quem Fílius hóminis dabit vobis. Hunc enim Pater signávit Deus. Dixérunt ergo ad eum : Quid faciémus, ut operémur ópera Dei ? Respondit Jesus, & dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credátis in eum quem

misit ille. Dixérunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum, ut videámus, & credámus tibi ? quid operáris ? Patres nostri maducavérunt manna in desérto, sicut scriptum est ; Panem de cœlo dedit eis manducáre. Dixit ergo eis Jesus : Amen, ámen dico vobis ; Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo vérum. Panis enim Dei est, qui dé cœlo descendit, & dat vitam múndo. Dixérunt ergo ad éum : Dómine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jesus : Egó sum panis vitæ : qui venit ad me, non esúriet ; & qui credit in in mé, non sítiet unquam.

Dicitur Credo.

FERIA TERTIA.

Rub. seu Fulv.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cap. 16.

ANgelórum esca nutrivisti pópulum tuum, Dómine ; & parátum panem de cœlo præstitisti illis sine labóre, omne delectamentum in se habentem, & omnis sapóris suavitátem. Substántia enim tua dulcédinem tuam, quam in fílios habés, ostendébat ; & deférviens uniuscujusque voluntáti, ad quod quisque volébat, convértebátur. Nix autem & glácies sustinébant vim ignis, & nón tabescébant : ut scirent quóniam fructus inimicórum exterminábat ignis ardens in grándine & plúvia coruscans. Hic autem íterum ut nutrírentur justi, étiam suæ virtútis oblítus est Creatúra enim tibi factóri deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos : & lénior fit ad benefaciendum pro his qui in te confídunt. Propter hoc & tunc in ómnia transfiguráta, ómnium nutríci grátiæ tuæ deserviébat, ad voluntátem eórum, qui à te désiderábant, ut scirent filii tui, quos dilexisti, Dómine, quóniam non nativitátis fructus pascunt hómines, sed sermo tuus hos, qui in te credíderint, conservat. Quod enim ab igne non póterat exterminári, statim ab exíguo rádio solis calefactum tabescébat : ut notum ómnibus esset, quóniam oportet prævenire solem ad benedictiónem tuam, & ad ortum lucis te adoráre.

Sequéntia sancti Evangélii secundum Joánnem.

IN illo témpore ; Murmurábant Judæi de Jesu, quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui dé cœlo descendi ; & dicébant : Nonne hic est Jesus fílius Joseph, cujus nos nóvimus patrem & matrem ? Quómodo ergo dicit hic : Quia de cœlo descendi ? Respondit ergo Jesus, & dixit eis : Nolíte murmuráre in ínvicem. Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit mé, tráxerit eum : & ego resuscitábo éum in novíssimo die. Cap. 6.

Dicitur Credo.

FERIA QUARTA.

Rub. seu Fulv.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

II. Cor. 6.

FRatres ; Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte ? aut quæ societas luci ad ténebras ? Quæ autem convéntio Christi ad Bélial ? aut quæ pars fidéli cum infidéli ? Qui autem consensus templo Dei cum idólis ? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quóniam inhabitábo in illis, & ambulábo inter eos ; & ero illórum Deus, & ipsi erunt mihi pópulus. Propter quod exíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus ; & immundum né tetigéritis : & ego re-

cípiam vos; & ero vobis in patrem; & vos éritis mihi in fílios & fílias,
Cap. 7. dicit Dôminus omnípotens. Has ergo habentes promissiónes, caríssimi, mundémus nos ab omni inquinamentŏ carnis & spíritus, perficientes sanctificatiŏnem in timóre Dei.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jesus Judæis: Egŏ sum panis vivus, qui de cœlo descĕndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivĕt in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vĭta. Litigábant ergo Jŭdæi ad ínvicem, dicĕntes: Quómodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesŭs: Amen, ămen dico vobis: Nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis, & bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vŏbis. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, habĕt vitam æternam: & ego resuscitábŏ ĕum in novíssimo die.

Dicitur Credo.



Rub. seu Fulv.

OCTAVA CORPORIS CHRISTI, ET FESTUM SACERDOTII,

EJUSDEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

SOLEMNE-MINUS.

INTROITUS.

Malac. 1. AB ortu solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus; & in omni loco sacrificátur & offertur nómini meo oblátio munda, quia magnum est nomen meum in géntibus, dicit Dóminus exercítuum. Psal. 49. *PSALM.* Deus deórum Dóminus locútus est,* & vocávit terram à solis ortu usque ad occásum. Glória. Ab ortu solis.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui ad majestátis tuæ glóriam, & géneris humáni salútem, Unigénitum tuum summum constituísti Sacerdótem, eíque ad sacrificandum tibi hóstiam mundam Sacerdótes Ministros sociásti; præsta ut omnes qui vocatióne tam sanctâ dignáti sunt, altári tuo devótè ministrent, & seipsos hóstiam vivam & sanctam offerre mereantur; Per eumdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 7. FRatres; Reprobátio fit præcédentis mandáti, propter infirmitátem ejus, & inutîlitátem. Nihil enim ad perfectum ădduxit lex: introdúctio verò melióris spei, per quam proximâmus ad Deum. Et quantùm est non sine jurejurando (álii quidem sine jurejurando sacerdótes facti sunt; hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum: Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: tu es sacerdŏs in æternum:) in tantùm melióris testamenti sponsor factus êst Jesus. Et álii quidem plures facti sunt sacerdótes, idcirco quòd morte prohiberentŭr permanére: hic autem, eo quòd máneat in æternum, sempiternum habet sâcerdótium. Unde & salváre in perpétuum potest accedentes per semĕtipsum ad Deum, semper vivens ad interpellândum pro nobis. Talis enim decébat ut nobis essĕt Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus à peccatóribus, & excélsiŏr cœlis factus: qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, priùs pro suis delictis hóstias offerre, deinde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seipsum ôfferendo. Lex enim hómines constítuit sacerdótes infirmĭtátem habentes: sermo autem jurisjurandi qui post legĕm ĕst, Fílium in æternum perfectum.

GRADUALE. Melchísedech Rex Salem, prótulit panem & vinum: erat enim sacerdos Dei altíssimi. ℣. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. Gen. 14. Psal. 109.

Allelúia, allelúia. ℣. Christus in consummatióne seculórum, ad destiHebr. 9.

tutiónem

tutiónem peccáti, per hóstiam suam appáruit. Allelúia.

Prosa. Lauda, Sion, 229.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 22. IN illo témpore; Venit dies azymórum, in qua necesse erat occídi Pascha; & misit Jesus Petrum & Joannem dícens: Euntes paráte nobis Pascha, ut manducémus. At illi dixérunt: Ubi vis parémus? Et dixit ad eos: Ecce introeúntibus vobis in civitátem, occurret vobis homo quidam, ámphoram aquæ portans: sequímini eum in domum, in quam intrat. Et dicétis patrifamílias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversórium, ubi Pascha cum discípulis meis mandúcem? Et ipse ostendet vobis cœnáculum magnum stratum; & ibi paráte. Euntes autem invenérunt sicut dixit illis, & paravérunt Pascha. Et cùm facta esset hora, discúbuit, & duódecim Apóstoli cum eo. Et ait illis: Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobiscum, ántequàm pátiar: dico enim vobis, quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. Et áccepto cálice, grátias egit, & dixit: Accípite, & divídite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatióne vitis, donec regnum Dei véniat. Et áccepto pane, grátias egit, & fregit, & dedit eis, dícens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Similiter & cálicem, postquàm cœnávit, dícens: Hic est calix novum testamentum in sánguine meo, qui pro vobis fundétur.

Dicitur Credo.

I. Petr. 2. *Offertorium.* Ad Christum accedentes lápidem vivum, & ipsi tamquam lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum.

Secreta.

S. R. DEus, qui legálium differéntias hostiárum unius sacrifícii perfectióne sanxisti: áccipe sacrifícium à devótis tibi fámulis; & pari benedictióne sicut múnera Abel, sanctífica; M. P. ut Christo Sacerdóti & víctimæ per fidem adunáti, nosmetipsos tibi hóstiam viventem, sanctam, & beneplacentem exhibére valeámus; Per eumdem.

Communio. I. Cor. 11. Hoc corpus quod pro vobis tradétur: hic calix novum testamentum est in meo sánguine, dicit Dóminus: hoc fácite, quotiescumque súmitis, in meam commemoratiónem. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui corpus & sánguinem tuum esse voluisti humánæ salútis prétium, Eccléstæ tuæ sacrifícium, & nostræ infirmitátis alimentum; præsta, quæsumus, ut hæc sancta, quæ in tuî commemoratiónem nos súmere præcepisti, sempiternam nobis redemptiónem operentur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

FERIA SEXTA.

Rub. seu Fulv.

Hâc die, si fiat Officium de Feria, loco Missæ de Dominicâ, dicitur Missa pro reparatione injuriarum illatarum Christo in sanctissimo Sacramento; quæ reperitur inter Missas votivas, p. lxiv. *Celebratur ritu feriali, sine* Glória in excelsis *& sine* Credo: *& dicitur in fine* Benedicámus Dómino.

Rub. seu Fulv.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN,

IN FESTO

SS. CORDIS D. N. J. C.

SOLEMNE-MAJUS.

[*Ubi dicuntur duæ Missæ, minus solemnis dicitur de Dominica sine Comm. SS. Cordis: solemnior verò, de SS. Corde sine Comm. Dom. sed cum Commemoratione SS. Cordis B. M. V. sub eâdem conclusione.*]

INTROITUS.

Matt. 11. VEníte ad me, omnes qui laborátis, & oneráti estis, & ego refíciam vos: tóllite jugum meum super vos, & díscite à me quia mitis sum & húmilis corde. *PSALM.* Psal. 135. Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in æternum misericórdia ejus. Glória. Veníte.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DOmine Jesu Christe, qui ineffábiles tui Cordis divítias Eccléstæ sponsæ tuæ, singulári dilectiónis benefício, aperíre dignátus es; concéde propítius, ut grátiis cœléstibus ex hoc dulcíssimo fonte manántibus, corda nostra ditári ac recreári mereantur; [Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.]

Fit commemoratio Dominicæ occurrentis, deindè SS. CORDIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

M. P. CLementíssime Deus, qui ad peccatórum salútem & miserórum perfúgium, Cor immaculátum beátæ Maríæ Vírginis divíni Cordis Fílii tui Jesu Christi caritáti & misericórdiæ participáre voluísti; concéde, ut, qui hujus dulcíssimi & amantíssimi Cordis memóriam ágimus, ejusdem beátæ Vírginis méritis & intercessióne, secundùm Cor Jesu inveníri mereámur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Ephésios.

Cap. 3. FRatres; Flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis & in terra nominátur, ut det vobis secúndùm divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per Spíritum ejus in ínteriórem hóminem; Christum habitáre per fidem in côrdibus vestris. In caritáte radicáti & fundáti, ut posítis compreháendere cum ómnibus sanctis quæ sit latitúdo & longitúdo, & sublímitas ĕt profundum: scire étiam supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitûdinem Dei. Ei autem qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus aut intellígimus, secúndùm virtútem quæ operátur in nobis; ipsi glória in Eccléstia, & in Christo Jesu in omnes generatiónes séculi seculŏrum. Amen.

GRADUALE. Hauriétis aquas in gáudio, de fóntibus salvatóris: cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit: annuntiáte hoc in universa terra. ℣. Unus mílitum lánceâ latus Jesu apéruit; & contínuò exívit sanguis & aqua. Isai. 12. Joan. 19.

Apoc. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Grátia vobis à Jesu Christo, qui dilexit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo. Allelúia.

Prosa.

FAs sit, Christe, mystéria,
Amóris tui pándere,
Fas sit alta sacrária
Cordis tui detégere.
Hîc puræ mentes háuriunt
Æternæ fontes grátiæ;
Abscónditos repériunt
Thesáuros sapiéntiæ.
Templum in penetrálibus
Sibimet Numen cónsecrat,
In quo votis perénnibus
Parentem natus óbsecrat.
Ardet altári médio
Agnus replétus grátiâ;
Hîc amóris incéndio
Litátur jugis hóstia.
Datur vita, patet via,
Apéritur & véritas,
Quâ nobis & fit pérvia,
Et gustátur felícitas.
Qui sitítis justítiam,
Rebus spretis fallácibus:
Plenam hauríte grátiam
De Cordis Christi fóntibus.
Hîc floret innocéntia,
Hîc inflammátur Cáritas:
Hîc reis datur vénia,
Hîc sanátur infírmitas.
Hîc casta spirant lília
Quibus nitescunt vírgines:
Hîc unguntur ad prælia
Mox coronandi púgiles.
Terræ cedant divítiæ
Mundi cedant inánia:
Nostræ Christus delíciæ,
Nobis Christus est ómnia.
Castis amícum méntibus
Jesu Cor amantíssimum,
Puris amandum córdibus,
In corde regnet ómnium.

Jesu, qui lux de lúmine,
Plenus es sapiéntiâ;
De Cordis plenitúdine,
Da fluat in nos grátia.
Qui candor es, fac méntibus,
Lux una nostris fúlgeas:
Qui Cáritas es, córdibus
Ignis consúmens árdeas.
Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

IN illo témpore; Judæi, quóniam Paraséve erat, ut non remanérent in cruce córpora Sábbato, (erat enim magnus diĕs ille Sábbati) rogavérunt Pilátum ut frangerentur eórum crura, & tollerĕntur. Venérŭnt ergo mílites; & primi quidem fregérunt crura, & altérius qui crucifixus est cum ĕo. Ad Jesum autem cùm veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérŭnt ejus crura; sed unus mílitum lánceâ latus ejus apéruit; & contínuò exívit sanguis & ăqua. Et qui vidit testĭmónium perhíbuit; & verum est testimónium ĕjus. Et ille scit quia vera dicit: ut & vos credătis. Facta sunt enim hæc ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex ĕo. Et íterùmália Scriptúra dicit vidĕbŭnt in quem transfixérunt. Cap. 19.

Dicitur Credo.

Offertorium. Christus diléxit nos, & trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem, & hóstiam Deo in odórem suavitátis. Eph. 5.

Secreta.

COrdibus nostris, omnípotens Deus, Spíritum & unctiónem dilectíssimi Fílii tui Jesu benignus infunde; ut nos uno spíritu & uno corde cum ipso unam eamdemque Hóstiam immolantes, tibi étiam nosmetipsos munus æternum offerre mereámur; [Per eumdem ... in unitáte ejusdem.] M. P.

De SS. Corde B. M. V.

M. P. DEus cujus majestáti Beatíssima Virgo María immaculátam hóstiam immaculáta præsentávit : eum qui in Corde ipsíus ardébat , in nostris córdibus accende Caritátis ignem, quo páriter mundáti eamdem tibi hóstiam ófferre digni habeámur Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum ; Qui tecum.

Præfatio de SS. Corde.

Gal. 2. *Communio.* Vivo, jam non ego, vivit verò in me Christus , qui diléxit me , & trádidit semetipsum pro me. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. EXaudi , quæsumus , clementíssime Pater , preces famíliæ tuæ toto corde tibi prostrátæ ; & præsta , ut amantíssimi Cordis dilecti Fílii tui in hoc sacramento immensa cáritas, cordis nostri íntima magìs ac magìs pénetrans , divínum in nobis semper áugeat fervórem : [Per eumdem.]

De SS. Corde B. M. V.

M. P. DOmine Jesu Christe , qui de Virgináli úteri thálamo procédens, in ejusdem intemerátæ Vírginis Corde suáviter ac perpétuò quievísti : quæsumus , ut , peractis córporis & sánguinis tui Mystériis , júgiter in córdibus nostris habitáre dignéris ; Qui vivis & regnas.

In fine Missæ , ubi unica dicitur , legitur Evangelium Dominicæ ut infrà.

AD MISSAM DE DOMINICA.

Introitus.

Rub. seu Fulv. Psal. 24. REspice in me , & miserére meî , Dómine , quóniam únicus & pauper sum ego : vide humilitátem meam & labórem meum , & dimitte universa delicta mea. Ibid. *Psalm.* Ad te , Dómine , levávi ánimam meam : * Deus meus , ĭn te confído , non erubescam. Glória. Réspice.

Collecta. Orémus.

S. R. PRotector in te sperántium Deus, sine quo nihil est válidum , nihil sanctum : multíplica super nos misericórdiam tuam ; ut , te rectóre , te duce , sic transeámus pèr bona temporália , ut non amittámus æterna ; Per Dóminum.

I. Petr. 5. Léctio Epístolæ beáti Pêtri Apóstoli. CAríssimi ; Humiliámini sub pótenti manu Dei , ut vos exaltet in témpore visĭtatiónis ; omnem solicitúdinem vestram projicientes in eum , quóniam ipsi cura êst de vobis. Sóbrii estóte , & vigiláte ; quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens cícŭĭt, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide ; scientes eamdem passiónem ei , quæ in mundo est , vestræ fraternitâti fieri. Deus autem omnis grátiæ , qui vocávit nos in æternam suam glóriam ĭn Christo Jesu , módicum passos ipse perficiet, confirmábit, solîdabitque. Ipsi glória, & impérium in sécula secŭlŏrum. Amen.

Eph. 6. *Graduale.* Non est nobis colluctátio adversùs carnem & sánguinem , sed contra spirituália nequítiæ in cœléstibus. ℣. Tu scis , Dómine , quæ cógitant in nos : quómodò potérimus subsístere ante fáciem eórum , nisi tu , Deus , ádjuves nos. I. Mac. 3.

Psal. 61. Allelúia , allelúia. ℣. In Deo salutáre meum , & glória mea : Deus auxílii mei , & spes mea in Deo est. Allelúia.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 15. IN illo témpore ; Erant appropinquantes Jesu publicáni ĕt peccatóres ut audírent ĭllum. Et murmurábant Pharisæi ĕt Scribæ , dicentes : quia Hic peccatóres récipit & mandú-

cat

cat cum illis. Et ait ad illos parábolam iſtam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves; & ſi perdíderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ períerat, donec invéniat eam? Et cùm invénerit eam, impónit in húmeros ſuos gaudens; & véniens domum, cónvocat amícos & vicínos, dicens illis: Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ perierat. Dico vobis, quòd ita gáudium erit in cœlo ſuper uno peccatóre pœniténtiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non índigent pœnitentia. Aut quæ múlier habens drachmas decem, ſi perdíderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec invéniat? & cùm invénerit, cónvocat amícas & vicínas, dicens: Congratulámini mihi, quia invéni drachmam quam perdideram. Ità dico vobis; Gáudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatóre pœniténtiam agente.

Dicitur Credo.

Pſal. 118. *OFFERTORIUM.* Errávi ſicut ovis quæ périit: quære ſervum tuum, Dómine, quia mandáta tua non ſum oblítus.

SECRETA.

M. P. ECcléſiæ tuæ, Dómine, múnera ſúſcipe propítius, & vota clemens exaudi; ut, qui ímpiâ pravitáte mentis elongant ſe à te, non péreant; ſed tuâ converſi grátiâ, à láqueis inimíci reſipiſcant; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Ezec. 34. *COMMUNIO.* Ego paſcam oves meas, dicit Dóminus; quod perierat requíram; & quod abjectum erat redúcam; & quod confractum fúerat alligábo; & quod infirmum fúerat, conſolidábo.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus miſéricos, qui, uno peccatóre converſo, máximum facis gáudium in cœlis habéri: da fidélibus tuis hujus virtúte ſacramenti, & tibi Paſtóri bono inviolabíliter adhærére; & de réditu perditárum óvium, cum gratiárum actióne lætári. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

FERIA QUARTA.

Kub. ſeu Fulv.

Léctio Epiſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cap. 2. FRatres; Non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed Spíritum qui ex Deo eſt; ut ſciámus quæ à Deo dónata ſunt nobis: quæ & lóquimur non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in doctrína Spíritus, ſpirituálibus ſpirituália cómparantes. Animális autem homo non pércipit ea quæ sunt Spíritus Dei: ſtultítia enim eſt illi, & non poteſt intellígere; quia ſpirituáliter exáminátur. Spirituális autem júdicat ómnia, & ipſe à némine jûdicátur. Quis enim cognóvit ſenſum Dómini, qui ínſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habémus. Et ego, fratres, Cap. 5. non pótui vobis loqui quaſi ſpirituálibus, ſed quâſi carnálibus. Tamquam párvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poterátis: ſed nec nunc quidem poteſtis; adhuc enim carnáles eſtis.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Marcum.

Cap. 2. IN illo témpore; Scribæ & Phariſæi videntes quia manducáret Jeſus cum publicánis et peccatóribus, dicébant diſcípulis ejus: Quare cum publicánis & peccatóribus mandúcat & bibit Magiſter veſter? Hoc audíto Jeſus, ait illis: Non neceſſe habent ſani médico, ſed qui malè habent:

non enim veni vocáre juſtos, ſed peccatŏres. Et erant diſcípuli Joannis & Phariſæi jejunantes, & véniunt, & dicunt illi: Quare diſcípuli Joannis & Phariſæórum jejúnant, tui autem diſcípuli non jejúnant? Et ait illis Jesŭs: Numquid poſſunt fílii nuptiárum, quámdiu ſponſus cum illis eſt, jejunáre? Quanto témpore habĕnt ſecum ſponſum, non poſſunt jejunăre. Vénient autem dies cùm auferétur ăb eis ſponſus; & tunc jejunábunt in illis diĕbus. Nemo aſſumentum panni rudis áſſuit veſtĭmento véteri: alióquin aufert ſupplementum novum à véteri, & major ſciſſúra fit. Et nemo mittit vinum novum ĭn utres véteres; alióquin dirumpet vinum utres, & vinum effundétur, & utres perĭbunt: ſed vinum novum in utrĕs nŏvos mitti debet.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 5.

FRatres; Chriſtus cùm eſſet Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ paſſus eſt, ŏbediéntiam: & conſummátus, factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi, cauſa ſalútis æternæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchîſedech: De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretábĭlĭs ad dicendum: quóniam imbecilles facti eſtis ad âudiendum. Etenim cùm deberétis magiſtri eſſe propter tempus, rursùm indigétis ut vos doceámini quæ ſint elementa exórdii sĕrmónum Dei; & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non sôlido cibo. Omnis enim, qui lactis eſt párticeps, expers eſt sĕrmónis juſtítiæ; párvulus ênim eſt. Perfectórum autem ĕſt sólidus cibus; eórum, qui pro conſuetúdine exercitátos habĕnt sĕnſus ad diſcretiónem boni ac mali.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

IN illo témpore; Dixit Jeſus turbis Judæŏrum: Cui símiles dicam hómines generatiónis hujus? & cui símiles ſunt? Símiles ſunt púeris ſedéntibus in foro, & loquéntibus ad ínvĭcĕm, & dicĕntibus: Cantávimus vobis tíbiis, & non ſaltaſtis; lamentávimus, & non plorăſtis. Venit enim Joannes Baptiſta, neque mandúcans panem, nequĕ bibens vinum; & dícitis, Dæmónium hăbet. Venit Fílius hóminis măndúcans & bibens; & dícitis, Ecce homo devorátor & bibens vinum, amícus publicanórum & peccatŏrum. Et juſtificáta eſt ſapiĕntia ab ómnibus fíliis ſuis. Cap. 7.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu Fulv.

Introitus.

DOminus illuminátio mea & ſalus mea; quem timébo? Dóminus protector vitæ meæ; à quo trepidábo? Qui tríbulant me inimíci mei, ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt. *Psalm.* Si conſiſtant adversùm me caſtra: * non timébit cor meum. Glória Patri. Dóminus. Pſal. 26. Ibid.

Collecta. Orémus.

DA nobis, quæſumus, Dómine, ut & mundi curſus pacíficè nobis tuo órdine dirigátur, & Eccléſia tua tranquillâ devotióne lætétur; Per. S. R.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

FRatres; Exíſtimo quòd non ſunt condignæ paſſiónes hujus témporis ad fŭtúram glóriam, quæ revelâbitur in nobis. Nam expectátĭŏ creatúræ revelatiónem filiórum Dĕi expectat. Vanitáti enim creatúra ſubjecta eſt non volens, ſed propter Cap. 8.

eum qui ſubjécĭt eam in ſpe : quia & ipſa creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis , in libertátem glóriæ filiôrum Dei. Scimus enim quòd omnis creatúră ingemiſcit, & párturit ûſque adhuc. Non ſolŭm autem illa, ſed & nos ipſi primítias Spíritus habentes, & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectantes, redemptĭŏnem córporis noſtri.

Pſal. 119. *GRADUALE.* Heu mihi ! quia incolátus meus prolongátus eſt : habitávi cum habitántibus Cedar ; multùm íncola fuit ánima mea. ℣. Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, oblivióni detur déxtera mea : adhæreat lingua mea fáucibus meis, ſi non memínero tuî.

II. Cor. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Scimus quóniam, ſi terreſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur , quòd ædificatiónem ex Deo habémus , domum non manufactam , æternam in cœlis. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 5. IN illo témpore ; Cùm turbæ irrúerent in Jeſum , ut audírĕnt verbum Dei , & ipſe ſtabat ſecùs ſtagnum Genéſarĕth. Et vidit duas naves ſtantĕs ſecùs ſtagnum : piſcatóres autem deſcénderant , & lavábant rĕtia. Aſcendens autem in unam navim quæ erat Simónis , rogávit eum à terra redúcere pusĭllum. Et ſedens docébat de navícula tŭrbas. Ut ceſſávĭt autem loqui , dixit ad Simŏnem : Duc in altum , & laxáte rétia veſtra in captŭram. Et rĕſpondens Simon , dixit ĭlli : Præceptor , per totam noctem laborantĕs , nihil cépimus ; in verbo autem tuo laxábo rĕte. Et cŭm hoc feciſſent , concluſérunt píſcium multitúdinem copióſam : rumpebátur autem rete eŏrum. Et annuérunt ſóciis qui erant ĭn ália navi , ut venírent & adjuvárent ĕos. Et venérunt , & implevérŭnt ambas navículas , ita ut penè mergerĕntur. Quod cùm vidérĕt Simon Petrus , prócidit ad génua Jeſu , dĭcens : Exi à me , quia homo peccátor ſum , Dŏmine. Stupor enim circumdéderat eum , & omnes qui cum illo erant , in captúră píſcium quam céperant ; ſimíliter autem Jacóbum & Joannem , fílios Zebedæi , qui erant ſócii Simŏnis. Et ait ad Simónem Jesŭs : Noli timére ; ex hoc jam hómines eris căpiens. Et ſubductis ăd terram návibus , relictĭs ŏmnibus ſecúti ſunt eum.

Dicitur Credo.

Apoc. 15. *OFFERTORIUM.* Magna & mirabília ſunt ópera tua, Dómine. Quis non timébit te ; & magnificábit nomen tuum ? Omnes gentes vénient, & adorábunt in conſpectu tuo.

SECRETA.

M. P. OBlatiónibus noſtris , quæſumus, Dómine , placáre ſuſceptis ; & ad te noſtras étiam rebelles compelle propítius voluntátes ; Per.

Pſal. 102. *COMMUNIO.* Bénedic , ánima mea , Dómino , qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus , qui replet in bonis deſidérium tuum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PRæſtent nobis , quæſumus , Dómine , Sacramenta cœléſtia quæ ſúmpſimus , ut ad præceptórum tuórum lucem cuncta noſtra dirigátur operátio ; & nihil de nobis præſumentes , omnem labóris fructum ad tui nóminis glóriam húmili confeſſióne referámus ; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio libri Eccléſiaſtici.

Cap. 2. QUi timent Dóminum , non erunt incredíbĭlĕs verbo illíus ; & qui díligunt illum , conſervábunt vîam illíus. Qui timent Dóminum , inquírent quæ benĕplácita ſunt ei ;

& qui díligunt eum, replebuntur lêge ipsíus. Qui timent Dóminum, præparábŭnt corda ſua, & in conſpectu illíus ſanctificábunt ânimas ſuas. Qui timent Dóminum, cuſtódiunt mandáta illíus, & patiéntiam habébunt uſque ad inſpectiónem ĭllíus, dicentes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in mânus hóminum. Secundùm enim magnĭtúdinem ipsíus, ſic & miſericórdia ĭllĭus cum ipſo eſt.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 4. IN illo témpore; Cùm audiſſet Jeſus quòd Joannes tráditus eſſet, ſeceſsĭt in Galilæam; & relicta civitáte Názareth, venit, & habitávit in Caphárnaum marítima, in fínibus Zabúlon ĕt Néphthalim, ut adimplerétur quod dictum eſt per Iſaíam prophétam: Terra Zabúlon, & terra Néphthalim, via maris trans Jordánem, Galilæa géntium, pópulus qui ſedébat in ténebris, vidit lucem magnam; & ſedéntibus in regióne umbræ mortis, lux orta eſt ĕis. Exinde cœpit Jĕſus prædicáre & dĭcere: Pœnĭténtiam ágite; appropinquávĭt ĕnim regnum cœlórum.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cor. 4 FRatres; Véniam ad vos citò, sĭ Dóminus volúerit: & cognoſcam non ſermónem eórum qui inflati ſunt, sêd virtútem. Non enim in ſermónĕ eſt regnum Dei, ſed în virtúte. Quid vultis? in virga véniam ad vos, an in caritáte & ſpíritu manſuetúdinis? Cap. 5. Omnínò audítur inter vos fornicátio, & talis fornicátio, qualis nĕc inter gentes, ita ut uxórem patris ſui âliquis hábeat. Et vos ĭnflati eſtis; & non magis luctum habuiſtis, ut tollátur de médio veſtrum qui hoc ôpus fecit. Ego quidem abſens córpore, præſens autem ſpíritu, jam judicávi ut præſens, eum, qui ſic operátus eſt, in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, congregátis vobis & meo ſpíritu, cum virtúte Dómĭnĭ noſtri Jeſu, trádere hujúſmodi ſátanæ in intéritum carnis, ut ſpíritus ſalvus ſit in die Dómĭnĭ nŏſtri Jeſu Chriſti.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 1. IN illo témpore; Ingrediuntur diſcípuli Căphárnaum: & ſtatim ſábbatis ingreſſus Jeſus in ſynagógam, docébat ĕos. Et ſtupébant ſuper dŏctrína ejus: erat enim docens eos, quaſi poteſtátem habens, & non ſicut Scrĭbæ. Et erat in ſynagóga eórum homo ĭn ſpíritu immundo; & exclamávit, dĭcens: Quid nobis, & tibi, Jeſu Nazaréne? Veniſti pérdere nos? ſcio qui ſis, Sanctus Dĕi. Et comminátus eſt ei Jeſus, dĭcens: Obmuteſce, & exi de hŏmine. Et diſcerpens eum ſpíritus immundus, & exclámăns voce magna, éxiit ab ĕo. Et mĭráti ſunt omnes, ita ut conquírerent inter ſe, dicĕntes: Quidnam eſt hoc? quænam doctrína hæc nova? quia in poteſtáte étiam ſpirítibus ĭmmundis ímperat, & obédiunt ĕi. Et proceſſit rumor ejus ſtatim in omnem regĭŏnem Galilææ.

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu Fulv.

INTROITUS.

Levit. 19. SAncti eſtóte, quia ego ſanctus ſum, Dóminus Deus veſter: cuſtodíte ómnia præcepta mea; & univerſa judícia, & fácite ea: ego Dóminus. Pſal. 80. *PSALM.* Exultáte Deo adjutóri noſtro: *jubiláte Deo Jacob. Glória. Sancti.

COLLECTA.

Collecta. Orémus.

M. A. DEus, qui diligéntibus te bona inviſibília præparaſti : infunde córdibus noſtris tui amóris affectum ; ut, te in ómnibus & ſuper ómnia diligéntes, promiſſiónes tuas, quæ omne deſidérium ſúperant, conſequámur ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

Léctio Epíſtolæ beáti Pêtri Apóſtoli.

I. Petr. 3. CAríſſimi ; Omnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, miſericórdes, modeſti, húmiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledícto, ſed è contrário bĕnedicentes ; quia in hoc vocáti eſtis, ut benedictiónem hereditáte poſsîdeátis. Qui enim vult vitam dilígere, & dies vĭdére bonos, coérceat linguam ſuam à malo, & lábia ejus ne loquântur dolum. Declínet à malo, & fáciat bonum ; inquírat pacem, & sĕquátur eam : quia óculi Dómini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eórum : vultus autem Dómini ſuper faciêntes mala. Et quis eſt quĭ vobis nóceat, ſi boni æmulatóres fuéritis ? Sed & ſi quid patímini propter juſtîtiam, beáti. Timórem autem eórum nĕ timuéritis, & non cônturbémini. Dóminum autem Chriſtum ſanctifĭcâte in córdibus veſtris.

Pſal. 118. *Graduale.* Tu mandaſti, Dómine, mandáta tua cuſtodíri nimis : útinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas juſtificatiónes tuas. ℣. In toto corde meo exquisívi te : ne repellas me à mandátis tuis.

Pſal. 105. Allelúia, allelúia. ℣. Beáti qui cuſtódiunt judícium, & fáciunt juſtítiam in omni témpore. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis : Dico vobis, quia niſi abundáverit juſtítia veſtra plus quàm Scribárum & Pharĭſæórum, non intrábitis in regnum cœlŏrum. Audiſtis quia dictŭm eſt antíquis : Non occídes ; qui autem occíderit, reus erit judĭcio. Ego autĕm dico vobis : quia omnis, qui iráſcitur fratri ſuo, reus erit judĭcio. Qui autem díxerit fratrĭ ſuo, Raca ; reus erit concĭlio. Qui autĕm díxerit, Fátue ; reus erit gehénnæ ĭgnis. Si ergo offers munus tuum ad altáre, & ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid ădversùm te : relinque ibi munus tuum ante altáre, & vade priùs reconciliári fratri tuo ; & tŭnc vĕniens ófferes munus tuum. Cap. 5.

Dicitur Credo.

Pſal. 18. *Offertorium.* Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda ; & judícia ejus dulcióra ſuper mel & favum : étenim ſervus tuus cuſtódit ea.

Secreta.

S. R. PRopitiáre, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris ; & has oblatiónes famulórum, famularumque tuárum, benignus aſſúme, ut quod sínguli obtulérunt ad honórem nóminis tui, cunctis proficiat ad ſalútem ; Per.

I. Petr. 3. 3. Iſa. 8. *Communio.* Dóminum Chriſtum ſanctificáte in córdibus veſtris & erit vobis in ſanctificatiónem.

M. P. *Postcommunio.* Orémus.

DEus, veræ beatitúdinis auctor atque largítor : dírige nos in viam juſtítiæ, quibus dediſti pignus hæreditátis æternæ ; ut teſtimónia legis tuæ ſincéris córdibus exquirentes, quæ tibi ſunt plácita & veráciter intellígere valeámus, & fidéliter adimplére ; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

Rub. seu Fulv.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 7.

AN ignorátis, fratres, (ſciéntibus enĭm legem loquor) quia lex in hómine dominátur, quanto témpore vivit? Nam quæ ſub viro eſt múlier, vivente viro, allĭgáta eſt legi: ſi autem mórtuus fúerit vir ejus, ſolúta eſt à lêge viri. Igitur, vivente viro, vocábitur adúltera, ſi fúerit cŭm álio viro: ſi autem mórtuus fúerit vir ejus, liberáta eſt à lege viri; ut non ſit adúltera, ſi fúerit cum âlio viro. Itaque, fratres mei, & vos mortificáti eſtis legi pĕr corpus Chriſti, ut ſitis altérius, qui ex mórtuis reſurrexit, ut fructificêmus Deo. Cùm enim eſſémus in carne, paſſiónes peccatórum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificárent morti: nunc autem ſolúti ſumus à lege mortis, in qua detinebámur; ita ut ſerviámus in novitáte ſpíritus, & non in vetuſtâte lítteræ. Quid ergo dicémus? lex peccátum eſt? Abſit. Sed peccátum non cognóvĭ, niſi per legem: nam concupiſcéntiam neſciébam, niſi lex díceret; Non côncupiſces. Occaſióně autem accepta, peccátum per mandátum operátum eſt in me omnem concûpiſcéntiam. Sine legĕ enim peccátŭm mórtuum erat: ego autem vivébam ſine lege aliquando; ſed cùm veniſſet mandátum, peccâtum revixit. Ego autem mórtuus ſum: & inventum eſt mihi mandátum, quod erat ad vitam, hoc êſſe ad mortem. Nam peccátum occaſióne acceptă per mandátum, ſeduxit me, & per îllud occídit. Itaque lĕx quidem ſancta, & mandátum ſanctum, & jûſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccátum: ut appáreat peccátum, per bonum operátŭm eſt mihi mortem, ut fiat ſupra modum peccans pĕccătum per mandátum.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 5.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Audiſtis quia dictŭm eſt antíquis; Non mœchăberis. Ego autĕm dico vobis, quia omnis qui víderit mulíerem ad concupiſcendum eam, jam mœchátus eſt eam in corde sŭo. Quòd ſi óculus tuus dexter ſcandalízat te, érue eum, ĕt prójice abs te: éxpedit enĭm tibi ut péreat unum membrórum tuórum, quàm totum corpus tuum mittátur in gehĕnnam. Et ſi déxtera manus tua ſcandalízat te, abſcíde eam, ĕt prójice abs te: éxpedit enim tibi ut péreat unum membrórum tuórum, quàm totum corpus tuum eat in gehĕnnam. Dictum eſt autem; Quicumque dimíſerit ŭxórem ſuam: det ei libellum repŭdii. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimíſerit uxórem ſuam, excepta fornicatiónis cauſa, facĭt eam mœchári; & qui dimiſsăm dŭxerit, adúlterat.

FERIA SEXTA.

Rub. seu Fulv.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

FRatres; Scimus quia lex ſpiritŭális eſt: ego autem carnális ſum, venúmdatus sûb peccáto. Quod enim ópĕrŏr, non intélligo: non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, îllud fácio. Si autem quod nolŏ, illud fácio: conſéntio legi, quóniam bôna eſt. Nunc autem jam non egŏ óperor illud, ſed quod hábitat in mê peccátum. Scio enim quia nŏn hábitat in me, hoc eſt in carne mêa, bonum. Nam vellĕ, ádjacet mihi; perfícere autem bonum, nôn invénio.

Cap. 7.

Non enim quod volŏ bonum, hoc fácio; ſed quod nolo mâlum, hoc ago. Si autem quod nolŏ, illud fácio: jam non ego óperor illud, ſed quod hábitat in mê, peccátum. Invénio ígitur legem, volenti mihi fácere bonum, quóniam mihĭ malum ádjacet: condelector enim legi Dei ſecundùm interiôrem hóminem. Vídeo autem áliam legem in membris meis, repugnantem legĭ mentis meæ, & captivantem me in lege peccáti, quæ eſt in mêmbris meis. Infélix ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? Grátia Dei per Jeſum Chriſtum Dôminum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſérvĭŏ legi Dei; carnĕ ăutem legi peccáti.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 5. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Audiſtis quia dictŭm eſt ántiquis; Non perjurábis, reddes autem Dómino juramenta tŭa. Ego autem dico vobis, non juráre omnínò, neque per cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus; neque per Jeroſólymam, quia cívitas ĕſt magni regis; neque per caput tuum juráveris, quia non potes unum capillum album fácere, aut nĭgrum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt: Non, non: quod autem his abŭndántiùs eſt, à malo ĕſt. Audiſtis quiă dictum eſt; Oculum pro óculo, & dentem pro dĕnte. Ego autem dico vobis non rĕſiſtere malo; ſed ſi quis te percúſſerit in déxteram maxillam tuam, præbe illi & ălteram. Et ei, qui vult tecum judício conténdere, & túnĭcăm tuam tóllere, dimitte ei & pällium. Et quicumque te angariávĕrĭt mille paſſus, vade cum illo & ália dŭo. Qui petĭt à te, da ei: & volenti mutuári ă tĕ, ne avertáris.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu Fulv.

Introitus.

Pſal. 27. DOminus fortitúdo plebis ſuæ, & protector ſalvatiónum Chriſti ſui eſt: ſalvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hereditáti tuæ; & rege eos uſque in æternum. *Psalm.* Ad te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas à me: * ne quando táceas à me, & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum. Glória. Dóminus. Ibid.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, cujus providéntia in ſuî diſpoſitióne non fállitur; te ſúpplices exorámus, ut nóxia cuncta ſubmóveas, & ómnia nobis profutúra concédas; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

II. Cor. 9. FRatres; Qui parcè ſémĭnăt, parcè & metet; & qui séminat in benedictiónibus, de benedictiônibus & metet. Unuſquiſque prout deſtinávit in corde ſuo, non ex triſtítia, aut ex nĕceſſitáte; hílarem enim datórem dîligit Deus. Potens eſt autem Deus omnem grátiam abundárĕ fácere in vobis; ut in ómnibus ſemper omnem ſufficiéntiam habentes, abundétis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt; Diſperſit, dedit paupéribus: juſtítia ejus manet in ſêculum ſéculi. Qui autem adminiſtrat ſemĕn ſeminanti; & panem ad manducandum præſtábit, & multiplicábit ſemen veſtrum, & augébit incrementa frugum juſtítiæ veſtræ: ut in ómnibus locupletáti, abundétis in omnem ſimplicitátem quæ operátur per nos gratiárum actĭŏnem Deo.

Pſal. 32. *GRADUALE.* Ecce óculi Dómini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus, ut alat eos in fame. ℣. Anima noſtra ſúſtinet Dóminum, quóniam adjútor & protector noſter eſt: in nómine ſancto ejus ſperávimus.

Pſal. 104. Allelúia, allelúia. ℣. Lætétur cor quæréntium Dóminum: quærite Dóminum, & confirmámini, quærite fáciem ejus ſemper. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 8. IN illo témpore; Cùm turba multa eſſet, nec habérent quŏd manducárent; convocátis diſcípulis, ait illis Jesŭs: Miſéreor ſuper turbam, quia ecce jam tríduò ſúſtinent me, nec habĕnt quod mandúcent; & ſi dimíſero eos jejúnos in domum ſuam, deficient in via; quidam enim ex eis de longè venĕrunt. Et reſpondérunt ei diſcípuli sŭi: Unde illos quis póterit hìc ſaturáre pánibus in ſolitúdine? Et interrogávit ĕos: Quot panes habétis? Qui dixĕrunt: Sĕptem. Et præcépit turbæ diſcúmbere ſuper tĕrram. Et accípiens ſeptem panes, grátias agens fregit, & dabat diſcípulis ſuis ut appónerent; & apposuérunt tŭrbæ. Et habébant pĭſcículos paucos; & ipſos benedixit, & juſſit appŏni. Et manducavérunt, & ſatŭráti ſunt; & ſuſtulérunt quod ſuperáverat de fragmentis, ſeptem ſpŏrtas. Erant autem qui manducáverant, quaſi quátŭŏr mĭllia: & dimíſit eos.

Dicitur Credo.

Pſal. 9. *OFFERTORIUM.* Sperent in te qui novérunt nomen tuum; quóniam non dereliquiſti quærentes te, Dómine. Pſállite Dómino qui hábitat in Sion; quóniam non eſt oblítus clamórem páuperum.

SECRETA.

HÆc múnera noſtræ ſervitútis exhibentes, omnipoténtiam tuam implorámus, Dómine; ut nobis, & temporális vitæ ſubsídium, & ſpirituális tríbuas incrementum; quo ſic mutabília dona capiámus, ut per hæc ad incommutabília pervenire valeámus; Per Dóminum.

Pſal. 33. *COMMUNIO.* Guſtáte & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus: beátus vir qui ſperat in eo.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DA nobis, quæſumus, Dómine, in hac terra deſerta & inaquóſa, ita verbi & Sacramenti tui guſtáre dulcédinem; ut pane benedictiónis, quem præparas inquiréntibus te, & frangis eſuriéntibus, à te júgiter nutríri mereámur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Tuer.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 6. FRatres; Non regnet peccátum in veſtro mŏrtáli córpore, ut obediátis concupiſcêntiis ejus. Sed neque exhibeátis membra veſtra arma iniquitátis peccáto: ſed exhibéte vos Deo, tamquam ex mórtuis viventes; & membra veſtra arma juſtîtiæ Deo. Peccátum enim vobis nŏn dominábitur: non enim ſub lege eſtis, sêd ſub grátia. Quid ergo? peccábimus, quóniam non ſumus ſub lege, ſed ſub grâtia? Abſit. Neſcítis quóniam cui exhibétis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cuĭ obedítis, ſive peccáti ad mortem, ſive obeditiónis ad juſtítiam? Grátias autem Deo, quòd fuiſtĭs ſervi peccáti, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrínæ in quam trâditi eſtis. Liberáti autem à pĕccăto, ſervi facti eſtis juſtítiæ.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 15. IN illo témpore ; Dimiſſa turba, aſcendit Jĕſus in navículam : & venit in fines Mágedăn. Et acceſſérunt ad eum Phariſæi & Saddŭcæi 16. tentantes : & rogavérunt eum ut ſignum de cœlo oſténderet ĕis. A't ille reſpondens, ait ĭllis : Facto véſpere dícitis ; Serénum erit : rubicundŭm ĕſt enim cœlum : & manè ; Hódie tempeſtas, rútilat enim triſte cœlum. Fáciem ergo cœli dijudĭcáre noſtis : ſigna autem témporum non poteſtis ſcire ? Generátio mala & adúltĕrà ſignum quærit : & ſignum non dábitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophĕtæ. Et relictis ĭllis, ábiit.

FERIA SEXTA.

Léctio lîbri Regum.

IV. Cap. 4. IN diébus illis ; Vir quidam venit de Baalſalíſa, déferens viro Dei Eliſéo panes prĭmitiárum, viginti panes hordeáceos, & frumentum novum in pêra ſua. At îlle dixit : Da pópulo, ut cômedat. Reſponditque ei minîſter ejus : Quantum eſt hoc, ut appónam centum viris ; Rurſum îlle ait : Dă pópulo, ut cómedat : hæc enim dicit Dóminus ; Cómedent, êt ſupérerit. Póſuit ítăquĕ coram eis : qui comedérunt ; & ſŭpĕrfuit juxta verbum Dómini.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 16. IN illo témpore ; Cùm veniſſent diſcípuli Jĕſu trans fretum, oblíti ſunt panes accĭpere. Qui dixit ĭllis : Intuémini, & cavéte à fermento Phariſæórum & Sadducæŏrum. At illi cogitábănt intra ſe dicentes ; quia panes non accĕpimus. Sciĕns autem Jeſus, dĭxit : Quid cogitátis intră vŏs módicæ fídei, quia panes non habétis ? Nondum intellígitis, neque recordámini quinque panum in quinque míllia hóminum, & quot cóphinos ſumpſiſtis ? neque ſeptem panum in quátuor míllia hóminum, & quot ſportas ſumpſiſtis ? Quare non intellígitis, quia non de panĕ dixi vobis ; Cavéte à fermento Phariſæórum, & Sadducæórum ? Tunc intellexérunt, quia non díxerit cavendum à fĕrmento panum, ſed à doctrína Phariſæŏrum & Sadducæórum.

DOMINICA SEPTIMA

Rub. ſeu Fulv.

POST PENTECOSTEN.

INTROITUS.

Pſal. 118. LUcerna pédibus meis verbum tuum, Dómine, & lumen ſémitis meis : jurávi & ſtátui cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ. *PSALM.* Beáti immaculáti in via, * Ibid. qui ámbulant in lege Dómini. Glória. Lucerna.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus virtútum, cujus eſt totum quod eſt óptimum ; ínſere pectóribus noſtris amórem tui nóminis, & præſta in nobis religiónis augmentum : ut quæ ſunt bona nútrias ; ac pietátis ſtúdio, quæ ſunt nutríta cuſtódias ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 6. FRatres ; Humánum dico, propter infirmitátĕm carnis veſtræ : ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervíre immundítiæ, & iniquitáti ad iniquitátem ; ita nunc exhibéte membra veſtra ſervíre juſtítiæ, in ſanctificâtiónem. Cùm enim ſervi ĕſſétis peccáti, líberi fuîſtis juſtítiæ. Quem ergo fructum habuiſtĭs tunc in illis, in quibus nunc erubéſcitis ? nam finis illôrum mors eſt. Nunc verò liberáti à peccáto, ſervi autĕm

facti Deo, habétis fructum veſtrum in ſanctificatiónem, finem verò vîtam æternam. Stipéndia enim pĕccáti, mors: grátia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Jĕsŭ Dómino noſtro.

Pſal. 118. *GRADUALE.* Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes: ſed non ut lex tua, Dómine: ómnia mandáta tua véritas. ℣. Poſuérunt peccatóres láqueum mihi; & de mandátis tuis non errávi.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Bonum mihi lex oris tui, Dómine, ſuper míllia auri & argenti. Allelúia.

Sequéntia ſanctī Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 7. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Atténdite à falſis prophétis, qui véniunt ad vos in veſtimentis óvium, intrínſecus autem sŭnt lupi rapáces: à frúctibus eórum cognoſcétis ĕos. Numquid cólligunt dĕ ſpinis uvas, aut de tríbulis ficus? Sic omnis arbor bona fructŭs bonos facit; mala autem arbor malos fructus făcit. Non poteſt arbor bona malŏs fructus fácere, neque arbor mala bonos fructus făcere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonŭm, excidétur, & in ignem mittĕtur. Igitur ex frúctibus eórum cognoſcétis ĕos. Non omnis, qui dicit mihi, Dómine, Dómine, intrábit ĭn regnum cœlórum: ſed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe ĭntrăbit in regnum cœlórum.

Dicitur Credo.

Col. 1. *OFFERTORIUM.* Ambulétis dignè Deo, per ómnia placentes in omni ópere bono fructificantes, & creſcentes in ſciéntia Dei; in omni virtúte confortáti ſecundùm poténtiam claritátis ejus.

SECRETA.

FAmulos tuos, Dómine, ad altáre ſanctum ſupplíciter accedentes, grátia tua ab omni circumventióne erróris, & peccáti contagióne cuſtódiat: ſit in corde eórum fides, in actu piétas, in lingua véritas, in ópere juſtítia: ut voluntátem tuam facientes, fructus bonos áfferant in vitam æternam; Per Dóminum.

Pſal. 118. *COMMUNIO.* Concupívi ſalutáre tuum, Dómine; & lex tua meditátio mea eſt: vivet ánima mea & laudábit te.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

REge nos Spíritu tuo, quæſumus; Dómine, quos paſcis córpore tuo; ut te non verbo, neque linguâ, ſed ópere & veritáte Dóminum confitentes, intráre mereámur in regnum cœlórum. Qui vivis... cum Deo Patre in unitáte ejuſdem.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beátī Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 2. FRatres; Non eſt accéptio perſonárum âpud Deum. Quicumque enim ſine lege peccavérunt, ſinĕ lege períbunt: & quicumque in lege peccavérunt, per legem judîcabuntur. Non enim auditóres legis juſtī sŭnt apud Deum, ſed factóres legis juſtifîcabuntur. Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturáliter ea, quæ legis ſunt, fáciunt; ejúſmodi legem non habentes, ipsĭ ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in córdibus ſuis, teſtimónium reddente illis conſciéntia ipſórum, & inter ſe ínvicem cogitatiónibus accuſántibus, aut étiam defendéntibus, in die, cùm judicábit Deus occulta hóminum, ſecundùm Evangélium meum, per Jêſum Chriſtum. Si autem tu Judæus cognomináris, &

requieſcis in lege, & gloriáris in Deo, & noſti voluntátem ejus, & probas utilióra, ĭnſtructus per legem; confídis teipſum eſſe ducem cæcórum, lumen eórum qui in ténebris ſunt, eruditórem inſipiéntium, magiſtrum infántium, habentem formam ſciéntiæ, & veritâtis in lege. Qui ergo álium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furáris: qui dicis non mœchandum, mœcháris: qui abomináris idóla, ſacrĭlégium facis: qui in lege gloriáris, per prævaricatiónĕm lĕgis Deum inhonóras.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 7. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Multi mihi dicent ĭn illa die; Dómine, Dómine, nonne in nómine tuo prophetávimus, & in nómine tuo dæmónia ejécimus, & in nómine tuo virtútes multas fécimus? Et tunc confitébor illis, quia nunquăm novi vos; diſcédite à me, qui operámini iniquitătem. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilábitur viro ſapienti, qui ædificávit domum ſuăm ſupra petram: & deſcendit plúvia, & venérunt flúmina, & flavérunt venti, & irruérunt in domum illam, & non cécidit; fundáta enim erat ſuper pĕtram. Et omnis, qui audit verba mea, hæc & non facit ea, símilis erit viro ſtulto, qui ædificávit domum ſuăm ſuper arénam; & deſcendit plúvia, & venérunt flúmina, & flavérunt venti, & irruérunt in domum illam, & cécidit, & fuit ruína illíus măgna. Et factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper dŏctrína ejus: erat enim docens eos ſicut poteſtátem habens, & non ſicut Scribæ ĕŏrum & Phariſæi.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio Epíſtolæ beáti Jacôbi Apóſtoli.

Cap. 2. CAríſſime; Tu credis quóniăm unus eſt Deus: benè facis: & dæmones credunt, & côntremiſcunt. Vis autem ſcire, ŏ homo inánis, quóniam fides ſine opéribus mórtua eſt? Abraham pater noſter, nonne ex opéribus juſtifĭcátus eſt, ófferens Iſaac fílium ſuum ſuper altáre? Vides quóniam fides cooperabátur ŏpéribus illíus: & ex opéribus fides conſummáta eſt? Et ſuppléta eſt Scrĭptúra, dicens: Crédidit Abraham Deo, & reputátum eſt illi ad juſtítiam, & amícus Dei appellâtus eſt. Vidétis quóniam ex opéribus juſtifĭcátur homo, & non ex fide tantùm? Simíliter & Răhab méretrix, nonne ex opéribus juſtificáta eſt, ſuſcípiens núntios, & ália via ejíciens? Sicut enim corpus ſine ſpírĭtŭ mórtuum eſt, ita & fides ſine ŏpĕribus mórtua eſt.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jeſus Phariſæis: Aut fácite árborem bonam, & fructum ejus bonum: aut fácite árborem malam, & fructŭm ejus malum: síquidem ex fructu arbor agnŏſcitur. Progénies viperárum, quómodò poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? ex abundántia enim cordis os lŏquitur. Bonus homo de bono theſaurŏ profert bona: & malus homo de malo theſauro profert măla. Dico autem vobis, quóniam omne verbum otióſum, quod locútĭ fúerint hómines, reddent ratiónem de eo in die judĭcii. Ex verbis enim tuis jŭſtificáberis, & ex verbĭs tŭis condemnáberis.

Rub. ſeu *Fulv.*

DOMINICA OCTAVA
POST PENTECOSTEN.
INTROITUS.

Pſal. 129. SI iniquitátes obſerváveris, Dómine; Dómine, quis ſuſtinébit? quia apud te propitiátio eſt; & propter legem tuam, ſuſtínui te, Dómine. *PSALM.* De profundis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaudi vocem meam. Glória. Si iniquitátes.

COLLECTA. Orémus.

S. R. LArgíre nobis, quæſumus, Dómine, ſemper ſpíritum cogitandi quæ recta ſunt, propítius, & agendi: ut qui ſine te eſſe non póſſumus, ſecundùm te vívere valeámus; Per.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 8. FRatres; Debitóres ſumus, non carni, ut ſecundùm cârnem vivámus. Si enim ſecundùm carnem vixéritis, moriémini: ſi autem ſpíritu facta carnis mortificavêritis, vivétis. Quicumque enim Spíritu Dei aguntur, ii ſunt fílii Dei. Non enim accepiſtis ſpíritum ſervitútis íterum in timóre; ſed accepiſtis ſpíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abbâ (Pater.) Ipſe enim Spíritus teſtimónium reddit ſpírítui noſtro, quòd ſumus fîlii Dei. Si autem fílii, & hærédes; hærédes quidem Dei, coherédes autem Chriſti: ſi tamen cŏmpătimur, ut & conglorificémur.

Pſal. 79. *GRADUALE.* Dómine, Deus virtútum, converte nos, & oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus, ℣. Non diſcédimus à te: vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Pſal. 102. Allelúia, allelúia. ℣. Miſerátor & miſéricors Dóminus, longánimis & multùm miſéricors, non in perpétuum iraſcétur. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 16. IN illo témpore; Dicébat Jeſus & ad diſcípulos ſŭos: Homo quidam erat dives, qui hăbebat víllicum; & hic diffamátus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipsĭus. Et vŏcávit illum, & ait ĭlli: Quid hoc áudio de te? redde ratiónem villicatiónis tuæ; jam enim non póteris villicăre. Ait autem víllĭcŭs intra ſe; Quid fáciam, quia dóminus meus aufert à me villicatiónem? fódere non váleo, mendicáre erubĕſco. Scio quid fáciam, ut cùm amótus fúero à villĭcatióne, recípiant me in domos sŭas. Convocátis ítaque síngulis debitóribŭs dómini ſui, dicébat prĭmo: Quantùm debes dómino meo? At ille dĭxit: Centum cados ŏlei. Dixitque ĭlli: Accipe cautĭónem tuam, & ſede citò, ſcribe quinquagĭnta. Deinde álii dĭxit: Tu verò quantùm debes? Qui ăit: Centum coros trĭtici. Ait ĭlli: Accĭpĕ lítteras tuas, & ſcribe octogĭnta. Et laudávit dóminus víllicum iniquitátis, quia prŭdenter feciſſet: quia fílii hujus ſéculi prudentióres fíliis lucis in generatióne ſua sŭnt. Et ego vobis dico: Fácite vobis amícos de mammóna iniquitátis: ut, cùm defecéritis, recípĭănt vŏs in æterna tabernácula.

Dicitur Credo.

Dan. 4. *OFFERTORIUM.* Peccáta tua eleemóſynis rédime, & iniquitátes tuas miſericórdiis páuperum. Hebr. 13. Tálibus hóſtiis promerétur Deus.

SECRETA.

M. P. SUſcipe, quæſumus, Dómine, múnera, quæ tibi de tua largitáte deférimus; ut hæc ſacroſancta myſtéria, grátiæ tuæ operante virtúte, & præſentis vitæ nos converſatióne ſanctíficent, & ad gáudia ſempiterna perdúcant; Per.

COMMUNIO.

Pſal. 26. *COMMUNIO.* Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SIt nobis, Dómine, reparátio mentis & córporis cœleſte myſtérium; ut ſimus ejus in glória coherédes, cui, mortem ipsíus annuntiando, compátimur; Per eumdem Dóminum.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 15. FRatres; Nunc proficiſcar in Jĕrúſalem, miniſtrâre ſanctis. Probavérunt enim Macedónia & Achaía collatiónem áliquam fácere in páuperes ſanctórum qui ſunt in Jerûſalem. Plácŭĭt enim eis: & debitóres sûnt eórum. Nam ſi ſpirituálium eórum partícipes factĭ ſunt gentíles; debent & in carnálibus miniſtrâre illis. Hoc igitur cùm conſummávero, & aſſignávero eĭs fructum hunc: per vos proficiſcar în Hiſpániam. Scio autem quóniăm véniens ad vos, in abundántia benedictiónis Evangélii Chrîſti véniam. Obſecro ergo vos, fratres, per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per caritátĕm ſancti Spíritus, ut adjuvétis me in oratiónibus veſtris pro me ad Deum, ut líberer ab infidélibus qui ſunt in Judæa, & obſéquii mei oblátio accepta fiat in Jerúſalem ſanctis, ut véniam ad vos in gáudio per voluntátem Dei, & refrîgerer vobiſcum. Deus autem pacis ſit cum ómnĭbŭs vŏbis: Amen.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 16. IN illo témpore; Dicébat Jeſus & ad diſcípulos sŭos: Qui fidélis eſt in mínimo, & in majóri fĭdélis eſt; & qui in módico iníquus eſt, & in majóri iníquus ĕſt. Si ergo in iníquo mammóna fidélĕs non fuiſtis; quod verum eſt, quis credet vobis? Et ſi in aliéno fidélĕs non fuiſtis; quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Nemo ſervus poteſt duóbus dóminis ſervíre: aut enim unum ódiet, ĕt álterum díliget: aut uni adhærébit; & alterum contĕmnet. Non poteſtis Deo ſervíre, & mammŏnæ. Audiébant autem ómnia hæc Phariſæi, quĭ erant avári: & deridébant ĭllum. Et ait ĭllis: Vos eſtis, qui juſtificátis vos coram homínibus; Deus autem novĭt corda veſtra: quia quod homínibus altŭm ĕſt, abominátio eſt ante Deum.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Phîlippenſes.

Cap. 4. FRatres; Gavíſus ſum in Dómino vehementer, quóniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentíre, ſicut & sĕntiebátis: occupáti âutem erátis. Non quaſi propter pĕnúriam dico: ego enim dídici, in quibus ſum, ſuffîciens eſſe. Scio & humiliári; ſcio ĕt abundáre; (ubíque & in ómnibus inſtitútus ſum) & ſatiári, & eſuríre, & abundáre, & penûriam pati. Omnia poſſum in eo, qui mê confortat. Verúmtămĕn benè feciſtis, communicantes tribulatiôni meæ. Scitis autem & vos Philippenſes, quòd in princípio Evangélii, quando profectus ſum à Macedónia, nulla mihi Eccléſia communicávit in ratióne dati & acceptĭ, niſi vos ſoli: quia & Theſſalónicam ſemel & bis in uſum mîhi miſiſtis. Non quiă quæro datum, ſed requíro fructum abundantem in ratiône veſtra. Hábeo autem ómnĭă, & abundo: replétus ſum, acceptis ab Epaphródito quæ

miſiſtis, odórem ſuavitátis hóſtiam acceptam, placêntem Deo. Deus autem meus ímpleat omne deſidérium veſtrum, ſecundùm divítias ſuas; in glória in Chriſto Jeſu. Deo autem & Patri noſtro glória in ſécula ſecŭlŏrum: Amen.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 11. IN illo témpore; Rogávit Jeſum quidăm Phariſæus, ut pránderet apud sĕ. Et ingreſſus recŭbuit. Phariſæus autem cœpit intră sĕ réputans dícere, quare non baptizátus eſſet ante prăndium. Et ait Dóminus ad ĭllum: Nunc vos Phariſæi, quod déforis eſt cálicis & cătíni, mundátis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapína, & iniquitāte. Stulti, nonne qui fecit quŏd déforis eſt, étiam id, quod deintus eſt, fecit? Verumtamen quod ſúpereſt, date ĕleemóſynam: & eccĕ ŏmnia munda ſunt vobis.

Rub. ſeu Fulv.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Introitus.

Dan. 3. JUſtus es in ómnibus quæ feciſti nobis, Dómine: peccávimus enim, recedentes à te; & nunc quærimus fáciem tuam: ne confundas nos: ſed fac nobiſcum ſecundùm multitŭdinem miſericórdiæ tuæ, & da

Pſal. 59. glóriam nómini tuo. *Pſalm.* Deus, repuliſti nos, & deſtruxiſti nos; * irátus es, & miſertus es nobis. Glória. Juſtus.

Collecta. Orémus.

M. P. PAteant aures miſericórdiæ tuæ, Dómine, précibus ſupplicántium: & ut peténtibus deſideráta concédas; fac eos, quæ tibi ſunt plácita poſtuláre; Per.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cor. 10. NOlo vos ignoráre, fratres, quóniam patres noſtri omnes ſub nube fuérunt, & omnes mare tranſiérunt, & omnes in Móyſe baptizáti ſunt in nube, & in mari; & omnes eamdem eſcam ſpiritálem manducavérunt, & omnes eumdem potum ſpirĭtálem bibérunt: (bibébant autem de ſpiritáli, conſequente eos petra; petra autem êrat Chriſtus.) Sed non in plúribus eórum beneplácitum eſt Deo; nam proſtráti ſunt în déſerto. Hæc autem in figúră facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malórum, ſicut & illi concûpiérunt. Neque idolólatræ efficiámini; ſicut quidam ex ipſis; quemádmŏdŭm ſcriptum eſt: Sedit pópulus manducáre & bíbere, & ſurrexêrunt lúdere. Neque fornicémur; ſicut quidam ex ipſis fornicáti ſunt, & cecidérunt una die viginti trîa míllia. Neque tĕntémus Chriſtum; ſicut quidam eórum tentavérunt, & à ſerpéntibus pêriérunt. Neque mŭrmuravéritis; ſicut quidam eórum murmuravérunt & periérunt ab extermînatóre. Hæc autem ómnia in figúra contingébant illis: ſcripta ſunt autem ad correptiónem noſtram, in quos fines ſeculórum dêvenérunt. Itaque qui ſe ĕxíſtimat ſtare, vîdeat ne cadat. Tentátio vos non apprehendat nîſi humána. Fidélis autem Deus eſt, qui non patiétur vos tentári ſuprā ĭd quod poteſtis, ſed fáciet étiam cum tentatióne prŏvĕntum, ut poſsítis ſuſtinére.

Pſal. 73. *Graduale.* Memor eſto, Dómine, congregatiónis tuæ, quam poſſediſti ab inítio. ℣. Redemiſti virgam hereditátis tuæ, mons Sion, in quo habitaſti in eo.

Pſal. 30. Allelúia, allelúia. ℣. In te, Dómine, ſperávi: non confundar in

æternum : in juſtítia tua líbera me : inclína ad me aurem tuam ; accélera ut éruas me. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 19. IN illo témpore ; Ut appropinquávit Jeſus Jĕrúſalem , videns civitátem , flevit ſuper illam , dĭcens : Quia ſi cognoviſſes & tu , & quidem in hac die tua , quæ ăd pacem tibi : nunc autem abſcóndita ſunt ab óculis tŭis. Quia vénient dies in te ; & circúmdabunt te inimíci tui vallo , & circúmdabunt te , & coanguſtábunt te úndique ; & ad terram proſternent te , & fílios tuos qui in te ſunt ; & non relinquent in te lápĭdĕm ſuper lápidem : eò quòd non cognóveris tempus viſitatiónis tŭæ. Et ingreſſus in templum , cœpit ejícere vendentes in illŏ , & ementes , dicens ĭllis : Scriptum eſt ; quia domus mea domus oratiónis eſt ; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latrŏnum. Et erat docens quŏtĭdie in templo.

Dicitur Credo.

Pſal. 27. *Offertorium.* Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ , dum oro ad te ; dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum : cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Secreta.

S. R. DEus , qui in ſanctis hábitas , & pia corda non déſeris ; líbera nos , hujus oblatiónis mérito , à terrénis deſidériis , & cupiditáte carnáli ; ut nullo in nobis regnante peccáto , tibi ſoli Dómino líberis méntibus ſerviámus ; Per.

II. Mac. 14. *Communio.* Sancte ſanctórum , ómnium Dómine , conſerva in æternum impollútam domum iſtam.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DOmine Jeſu , qui hunc locum inhábitas , pro nobis in témpore precátor opportúnus , cum Patre exaudítor æternus ; da nobis per hæc tua ſancta quæ ſúmpſimus , ut orátio noſtra per te offerátur Patri , & per te acceptétur à Patre , cum quo vivis & regnas in unitáte Spíritûs ſancti , Deus.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu *Fulv.*

Léctio Epíſtolæ beatĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 2. INexcuſábilis es , o homo ômnis , qui júdicas. In quo enim júdicas álterum , tĕipſum condemnas : éadem enim âgis quæ júdicas. Scimus enim quóniam judícium Dei eſt ſecundùm veritátem in eos qui tâlia agunt. Exíſtimas autem hoc , o homo , qui júdicas eos qui tália agunt , ĕt facis ea , quia tu effúgies judícium Dei ? An divítias bonitátis ejus , & patiéntiæ , & longanimitátis contemnis ? ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœnitentiam te addúcit ? Secundùm autem durítiam tuam , & impœnitens cor , theſaurízas tibi iram in die iræ , & revelatiónis juſti judícii Dei , qui reddet unicuíque ſecundŭm ópera ejus : iis quidem , qui ſecundùm patiéntiam boni óperis , glóriam , & honórem , & incorruptiónem quærunt , vitam æternam : iis autem , qui ſunt ex contentióne , & qui non acquieſcunt veritáti , credunt autem iniquitáti , ira & îndignátio. Tribulátio , & angúſtia in omnem ánimam hóminis operantis malum , Judæĭ primùm , & Græci : glória autem , & honor , & pax omni operanti bonum , Judæŏ prĭmùm , & Græco.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 21. IN illo témpore ; Quibuſdam dicéntibus de templo , quòd bonis lapídibus & donis ŏrnátum eſſet ,

dixit Jesŭs : Hæc, quæ vidétis ; vénient dies in quibus non relinquétur lapis super lápidem, qui non destruătur. Interrogavérŭnt autem illum, dicĕntes : Præceptŏr, quando hæc erunt, & quod signum cùm fíeri incípient ? Qui dĭxit : Vidéte ne seducámini : multi enim vénient in nómine meo, dicentes quia Ego sum ; & tempus ăppropinquávit : nolítĕ ergo ire post eos.

FERIA SEXTA.

Rub. seu Fulv.

Léctio Epístolæ beatĭ Pauli Apóstoli âd Romános.

Cap 9.

FRatres ; Veritátem dico in Christo, non méntior, testimónium mihi perhibente conscientia mea ĭn Spíritu sancto : quóniam tristítia mihi magna est, & contínuus dolor côrdi meo. Optábam enim ego ipse anáthema esse à Christo pro frátribus meis, qui sunt cognáti mei secundùm carnem, qui sunt Israelítæ, quorum adóptio est filiórum, & glória, & testamentum, & legislátio, & obséquĭŭm, & promissa : quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super ómnia Deus benedictus in sêcula : Amen. Non autem quòd excíderit vêrbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelítæ : neque qui semen sunt Abrahæ, omnes fílii : sed in Isaac vocábĭtŭr tibi semen : id est, non qui fílii carnis, hi fílii Dei ; sed qui fílii sunt promissiónis, æstimântur in sémine. Promissiónis enĭm verbum hoc est ; Secundùm hoc tempus véniam ; & erit Sâræ fílius. Non solŭm autem illa ; sed & Rebecca ex uno concúbitu habens, Isaac pâtris nostri. Cùm enim nondum nati fuissent, aut áliquid boni egissent, aut mali, (ut secundùm electiónem propósitum Dei manéret) non ex opéribus, sed ex vocantĕ dictum est ei : Quia major sérviet minóri, sicut scriptum est ; Jacob dilexi, Esau autem ôdio hábui. Quid ergo dicémus ? Numquid iníquitas apud Dêum ? Absit. Móysi enim dicit ; Miserébŏr cujus miséreor : & misericórdiam præstábo cujus mîserébor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserĕntis est Dei.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 13.

IN illo témpore ; Cùm egrederétur Jesus de templo, ait illi unus ex discípulis sŭis : Magister, áspice quales lápides, & quales structŭræ. Et rĕspondens Jesus, ait, ĭlli : Vides has omnes magnas ædificatiónes ; non relinquétur lapis super lápidem, qui non destruătur. Et cùm sedéret in monte Olivárŭm contra templum, interrogábant eum separátim Petrus, & Jacóbus, & Joannes, & Andrĕas : Dic nobis quandŏ ista fient ; & quod signum erit, quando hæc ómnia incípient consummári ? Et rĕspondens Jesus, cœpit dícere ĭllis : Vidéte ne quĭs vos sedúcat : multi enim vénient in nómine meo, dicentes, quia Ego sum ; & multos sedŭcent. Cùm audiéritis autem bella, & opiniónes bellórum, nĕ timuéritis : oportet enim hæc fíeri : sed nondum fĭnis. Exurget enim gens contra gentem, & regnŭm super regnum ; & erunt terræ motus per loca, & fămes. Inítium dolórum hæc. Vidéte autem vosmetĭpsos. Tradent enim vos in concíliis : & in synagógĭs vapulábitis, & ante præsides, & reges stábitis propter me, in testimónium ĭllis. Et in omnes gentes primùm oportet prædĭcări Evangélium.

Rub. ſeu *Fulv.*

DOMINICA DECIMA
POST PENTECOSTEN.

INTROITUS.

Pſal. 54. DOminus exáudiet vocem meam : rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi ; & humiliábit illos, qui eſt antè ſécula : jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet. Ibid. *PSALM.* Exaudi, Deus, oratiónem meam ; & ne deſpexeris deprecatiónem meam ; * intende mihi, & exaudi me. Glória. Dóminus.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui omnipoténtiam tuam parcendo máximè & miſerando manifeſtas : multíplica ſuper nos miſericórdiam tuam ; ut ad tua promiſſa currentes, cœléſtium bonórum fácias eſſe conſortes ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cor. 12. FRatres ; Scitis quóniam cŭm gentes eſſétis, ad ſimulácra muta prout ducebâmini euntes. Ideò notŭm vobis fácio, quòd nemo in Spíritu Dei loquens, dicit anâthema Jeſu. Et nemo poteſt dícĕrĕ, Dóminus Jeſus, niſi in Spîritu ſancto. Diviſiónes verò gratĭárum ſunt ; idem âutem Spíritus. Et diviſiónes miniſtratĭónum ſunt, idem âutem Dóminus. Et diviſiónes operatĭónum ſunt ; idem verò Deus, qui operátur ômnia in ómnibus. Unicuíque autem datur manifĕſtátio Spíritus ad utîlitátem. Alii quidem per Spíritum datur ſermo ſapiéntiæ ; álii autem ſermo ſciéntiæ ſecundùm ĕumdem Spíritum : álteri fides in eódem Spíritu ; álii grátia ſanitátum in uno Spíritu : álii operátio virtútum, álii prophetía, álii diſcrétio ſpirítuum, álii génera linguárum, álii interpretâtio ſermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atquĕ idem Spíritus, dívĭdĕns sĭngulis prout vult.

GRADUALE. Miſéricors Dóminus, & juſtus : humiliátus ſum, & liberávit me. ℣. Quóniam excelſus Dóminus, & humília réſpicit, & alta à longè cognoſcit. Pſal. 114. Pſal. 137.

Allelúia, allelúia. ℣. Ad quem reſpíciam, dicit Dóminus, niſi ad paupérculum & contrítum ſpíritu, & trementem ſermónes meos ? Allelúia. Iſai. 66.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 18. IN illo témpore ; Dixit Jeſus & ad quoſdam, qui in ſe confidébant tanquam juſti, & aſpernăbantur céteros, parábolam ĭſtam : Duo hómines aſcendérunt in templŭm ut oárent : unus Phariſæus & alter Publicănus. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orăbat : Deus, grátias ago tibi, quia non ſum ſicut céteri hóminum, raptóres, ĭnjuſti, adúlteri ; velut étiam hic Publicănus. Jejúnŏ bis in ſábbato : décimas do ómnium quæ poſsĭdeo. Et Publicánus à longè ſtans, nolébat nec óculos ad cœlum leváre ; ſed percutiébat pectŭs ſuum, dicens : Deus, propítius eſto mihi peccatŏri. Dico vobis, Deſcendit hic juſtificátus in domŭm ſuam ab illo : quia omnis qui ſe exaltat, humiliábitur : & qui ſe hŭmĭliat, exaltábitur.

Dicitur Credo.

Judit. 9. *OFFERTORIUM.* Superbi ab inítio non placuérunt tibi, Dómine, ſed humílium & manſuetórum ſemper tibi plácuit deprecátio. Deus cœlórum, exaudi me deprecantem, & de tua miſericórdia præſumentem.

SECRETA.

HUjus mérito ſacrifícii, quæſumus, Dómine, benedíctio in tuos fidéles copióſa deſcendat; & quam humílibus ac ſubjectis córdibus grátiam éxpetunt, lárgiter conſequantur; Per Dóminum.

Pſal. 30. *COMMUNIO.* Exultábo & lætábor in miſericórdia tua, Dómine; quóniam reſpexiſti humilitátem meam, ſalvaſti de neceſſitátibus ánimam meam.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

TRíbuant nobis hæc Sacramenta, Deus, ſincéram cordis humilitátem, per quam & peccatóres ad juſtítiam, reformas, & juſtos próvehis ad glóriam; Per.

Rub. ſeu Fulv. FERIA QUARTA.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cor. 12. FRatres; Sicut corpus unum eſt, & membra habet multa, ómnia aùtem membra córporis, cùm ſint multa, unum tamĕn corpus ſunt: îta & Chriſtus. Etenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti ſumus, ſive Judæi, ſive Gentíles, ſive ſervĭ, ſive líberi: & omnes in uno Spíritu potâti ſumus. Nam & corpus non eſt unum mêmbrum, ſed multa. Si díxerit pes: Quóniam non ſum manus, nŏn ſum de córpore: num ídeò non eſt de córpore? Et ſi díxerit auris: Quóniam non ſum óculus, nŏn ſum de córpore: num ídeò non eſt de córpore? Si totum corpus óculus; ubi audítus? sĭ totum audítus; ubi odorátus? Nunc autem pósŭit Deus membra, unumquodque eórum in córpore sîcut vóluit. Quod ſi eſſent ómnĭă unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multă quidem membra, unum âutem corpus. Non poteſt autem óculus dícere mánui; Opera tuă non indígeo: aut íterùm caput pédibus; Non eſtis mihi nêceſſării. Sed multò magìs quæ videntur membra córporis infirmióra eſſe, neceſſarióra ſunt: & quæ putámus ignobilióra membra eſſe córporis, his honórem abundantĭórem circúmdamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiórem honeſtâtem habent. Honeſta autem noſtra nŭllíus egent: ſed Deus temperávit corpus, ei, cui déerat, abundantiórem tribuendo honórem; ut non ſit ſchiſma in córpore, ſed idipſum pro ínvicem ſolîcita ſint membra. Et ſi quid pátitur unum membrum, compatiuntŭr ómnia membra, ſive gloriátur unŭm mĕmbrum, congaudent ómnia membra.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 10. IN illo témpore; Offerébănt Jeſu párvulos, ut tángeret ĭllos. Diſcípuli autem comminabantur offerĕntibus. Quos cùm vidéret Jeſus, ĭndignè tulit, & ait ĭllis: Sínite párvulos veníre ad me, & ne prohibŭéritis eos: tálium enim eſt regnum Dĕi. Ămen dico vobis; Quiſquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in ĭllud. Et cŏmplexans eos, & impónens manus ſupĕr ĭllos, benedicébat eos.

Rub. ſeu Fulv. FERIA SEXTA.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 11. FRatres; Quámdiu ego ſum Géntium Apóſtolus, miniſtérium meum honŏrificábo, ſi quómodò ad æmulandum próvocem carnem meam, & ſalvos fáciam âliquos ex illis. Si enim amíſſio eórum, reconcilĭátio eſt mundi: quæ aſſúmptio, niſi vita ex mórtuis? Quòd ſi delibátio ſanctă

eſt, & maſſa : & ſi radix sâncta, & rami. Quòd ſi áliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſócius radícis & pinguédinis olívæ factus es ; noli gloriári advêrsùs ramos. Quòd sĭ gloriáris : non tu radícem portas, ſed râdix te. Dices ergo ; Fracti ſunt rami ut êgo ínſerar. Benè : propter incredulitátem frâcti ſunt. Tu autĕm fide ſtas : noli altùm sâpere, ſed time. Si enim Deus naturálibus ramĭs non pepercit ; ne fortè nec tîbi parcat. Vide ergo bonitátem, & ſeverĭtátem Dei : in eos quidem, qui cecidérunt, ſeveritátem ; in te autem bonitátem Dei, ſi permánſeris in bonitáte : alióquin & tu êxcidéris. Sed & illi, ſi non permánſerint in incredulitátĕ, inſerentur : potens eſt enĭm Dĕus íterùm inſérere illos.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 17. IN illo témpore : Dixit Dóminus Apŏſtolis : Quis veſtrum habens ſervum arantem, aut paſcentem, qui regreſſo de agrŏ dicat illi : Statim tranſi, recumbe : & non dicat ei ; Para quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi donec manducem & bibam, & poſt hæc tu manducábis & bibes ? Numquid grátiam habĕt ſervo illi, quia fecit quæ ei imperáverat ? Non pŭto. Sic & vos, cùm fecéritis ómnia quæ præcepta ſunt vobis, dícite : Servi inútiles ſumus ; quod debúĭmŭs făcere, fecimus.

Rub. ſeu *Fulv.* DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

INTROITUS.

Exod. 15. QUis símilis tuî in fórtibus, Dómine ? Quis símilis tuî, magníficus in ſanctitáte, terríbilis atque laudábilis, & fáciens mirabília ? *PSALM.* Exaltábo te, Deus meus Rex : * & benedícam nómini tuo in ſéculum, & in ſéculum ſéculi. Glória. Quis símilis. Pſal. 44.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui abundántiâ pietátis tuæ, & mérita ſúpplicum excédis, & vota, effunde ſuper nos miſericórdiam tuam ; ut dimittas quæ conſciéntia métuit, & adjícias quod orátio non præſúmit ; Per. S. R.

Léctio Epíſtolæ beatĭ Pauli Apóſtoli ad Phîlippenſes.

Cap. 1. FRatres ; Grátias ago Deo meo in omni memória veſtri, ſemper in cunctis oratiónibus meis prŏ ómnibus vobis ; cum gáudio deprecatiónem fáciens ; ſuper communicatióne veſtra in Evangélio Chriſti, à prima die ûſque nunc. Cŏnfídens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet uſque in diem Chrîſti Jeſu. Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentíre prŏ ómnibus vobis ; eò quòd hábeam vos in corde, & in vínculis meis, & in defenſióne & confirmatióne Evangélii, ſócios gáudii mei ômnes vos eſſe. Teſtis enĭm mihi eſt Deus, quómodò cúpiam omnes vos in viſcéribus Jêſu Chriſti. Et hoc oro, ut cáritas veſtra magìs ac magìs abundet in ſciéntia & ĭn omni ſenſu ; ut probétis potióra, ut ſitis ſincéri & ſine offenſa in diem Chriſti, repléti fructu juſtítiæ per Jeſum Chriſtum, ĭn glŏriam & laudem Dei.

GRADUALE. Audítui meo, Dómine, dabis gáudium & lætítiam. ℣. Dómine, lábia mea apéries ; & os meum annuntiábit laudem tuam. Pſal. 50.

Allelúia, allelúia. ℣. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. Allelúia. Pſal. 65.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 7. IN illo témpore; Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad marĕ Galilææ inter médios fines Decapŏleos. Et addúcunt eĭ surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut impónat illi mănum. Et apprehendens eum de turba seorsùm, misit dígitos suos in ăurículas ejus; & éxpuens, tétigit linguam ĕjus. Et suspíciens ĭn cœlum, ingémuit, & ait ĭlli: Ephphétha, quod est Adaperĭre. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solútum est víncŭlŭm linguæ ejus, & loquebátur rĕctè. Et præcépit illis, ne cui dĭcerent. Quanto autem eis præcipiébat, tanto magìs plŭs prædicábant: & eò ámpliùs admirabantur, dicĕntes: Benè ómnia fecit; & surdos fecit ăudĭre, & mutos loqui.

Dicitur Credo.

Psal. 144. *Offertorium.* Generátio & generátio laudábit ópera tua, Dómine; & poténtiam tuam pronuntiábunt: magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, & mirabília tua narrábunt.

Secreta.

S. R. TIbi, Dómine, sacrifícia dicáta reddantur, quæ sic ad honórem nóminis tui deferenda tribuisti, ut éadem, remédia nostra fíeri præstáres; Per Dóminum.

Psal. 68. *Communio.* Ego sum pauper & dolens: salus tua, Deus, suscépit me. Laudábo nomen Dei cum cántico, & magnificábo eum in laude.

Postcommunio. Orémus.

PRovéniat nobis ex hoc sacrifício, Dómine, tuæ pietátis auxílium; ut & córdium nostrórum aures ad obediendum verbo tuo júgiter aperiantur; & ad glorificandum nomen tuum linguæ solvantur; Per.

FERIA QUARTA.

Rub. seu Fulv.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 28. SUsurro & bilinguis maledictus: multos enim turbábit pâcem habentes. Lingua tértia multos commóvit, & dispersit illos de gente in gentem: civitátes murátas dívitum destruxit, & domos magnatórum effódit: virtútes populórum concídit, & gentes fórtes dissolvit. Lingua tértia mulíeres virátas ejécit, & privávit illas lăbóribus suis: qui réspicit illam, non habébit réquiem, nec habébit amícum, in quo rêquiescat. Flagelli plaga lívórem facit; plaga autem linguæ commînuet ossa. Multi cecidérunt ĭn ore gládii, sed non sic quasi qui interiérunt per lînguam suam. Beátus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracúndiam illíus non transívit, & qui non attraxit jugum illíus, & in vínculis ejus non est ligátus: jugum enim illíus, jugum férreum est; & vínculum illíus, vínculum æreum est. Mors illíŭs, mors nequíssima; & útilis pótiùs ĭnfĕrnus quàm illa.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 9. IN illo témpore; Obtulérunt Jesu hóminem mutum, dæmónium habĕntem. Et ejecto dæmónio, lŏcútus est mutus; & mirátæ sunt turbæ, dicĕntes: Numquam appáruit sic in Israël. Pharisæi autem dicĕbant: In príncipe dæmoniórum éjicit dæmones. Et circuíbat Jesus omnes civitátes & castella, docens in synagógis eórum, & prædicans Evăngélium regni; & curans omnem languórem, & omnem infirmitătem. Videns autem turbas, mĭsertus est eis; quiæ erant vexáti, & jacentes sicut oves non habentes pastŏrem. Tunc dicit discípulis sŭis: Messis quidem multa, operárĭi

autem

autem pauci ; rogáte ergo Dóminum meſſis, ut mittat opĕrărios in meſſem ſuam.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio Epíſtolæ beáti Jacôbi Apóſtoli.

Cap. 3.

NOlíte plures magiſtri fíĕrĭ, fratres mei, ſcientes quóniam majus judîcium ſúmitis. In multis enim offêndimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic pĕrfectus eſt vir : poteſt étiam freno circumdúcere tôtum corpus. Si autem equis frena in ora míttimus ad conſentĭendum nobis ; & omne corpus illórum circumférimus. Ecce & naves, cùm magnæ ſint, & à ventîs válidis minentur, circumferuntur à módico gubernáculo ubi ímpetus dirigêntis volúerit. Ita & lingua módicum quidĕm membrum eſt, & mâgna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam ſilvam incendit! & linguă ignis eſt, univérſitas inîquitátis. Lingua conſtitúitur in membris noſtris, quæ mácŭlăt totum corpus, & inflammat rotam nativitátis noſtræ, inflammáta â gehenna. Omnis enim natúra beſtiárum, & vólucrum, & ſerpéntium, & ceterórum domantur, & dómita ſunt à natúra humána : linguam autem nullus hóminum dŏmáre poteſt : inquiétum malum, plena venêno mortífero. In ipſa benedícĭmŭs Deum & Patrem : & in ipſa maledícimus hómines, qui ad ſimilitúdinem Dei fâcti ſunt. Ex ipſo ore procédit benedictio, & mâledíctio. Non oportet, fratrĕs mĕi, hæc ita fíeri.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 15.

IN illo témpore ; Jeſus venit ſecus marĕ Galilææ : & aſcendens in montem ſedébat ĭbi. Et acceſſérunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, débiles, ĕt álios multos : & projecérunt eos ad pedes ejus ; & curávit eos : ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes ; & magnifĭcăbant Deum Iſrael.

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu Fulv.

INTROITUS.

DEus in loco ſancto ſuo, Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo : ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ. *PSALM.* Exurgat Deus, & diſſi- Ibid. pentur inimíci ejus : * & fúgiant, qui odérunt eum, à fácie ejus. Glória. Deus.

Pſal 67.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens & miſéricors Deus, de cujus múnere venit ut tibi à fidélibus tuis dignè & laudabíliter ſerviátur : tríbue, quæſumus, nobis, ut ad promiſſiónes tuas ſine offenſióne currámus ; Per Dóminum.

M. P.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

FRatres ; Juſtificáti ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum noſtrŭm Jeſum Chriſtum ; per quem & habémus acceſſum per fidem in grátiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriámur in ſpe glóriæ filiôrum Dei. Non ſolùm autem, ſed & gloriámur in tribulatiónibus ; ſcientes quòd tribulátio patiéntiam operátur ; patiéntia autem probatiónem, probátio verò ſpem ; ſpes autĕm non confundit : quia cáritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris per Spírĭtŭm ſănctum, qui datus eſt nobis.

Cap. 5.

GRADUALE. Diligámus nos ínvicem, quia cáritas ex Deo eſt, & omnis qui díligit, ex Deo natus eſt, &

1. Joan. 4.

cognoſcit Deum. ℣. Non diligámus verbo, neque linguâ, ſed ópere & veritáte.

I. Joan. 3.

Allelúia, allelúia. ℣. Beáti miſericordes, quóniam ipſi miſericórdiam conſequentur. Allelúia.

Matt. 5.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 10.

IN illo témpore; Converſus Jeſus ad diſcípulos ſuos, dixit: Beáti óculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt; & audíre quæ audítis, & non audiérunt. Et ecce quidam legiſperítus ſurrexit tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidébo? At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? quómodò legis? Ille reſpondens, dixit: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex ómnibus víribus tuis, & ex omni mente tua; & próximum tuum ſicut teipſum. Dixitque illi: Recte reſpondiſti: hoc fac, & vives. Ille autem volens juſtificáre ſeipſum, dixit ad Jesum: Et quis eſt meus próximus? Suſcípiens autem Jeſus, dixit: Homo quidam deſcendébat ab Jerúſalem in Jéricho, & íncidit in latrónes, qui étiam deſpoliavérunt eum: & plagis impósitis abiérunt, ſemivívo relicto. Accidit autem ut ſacerdos quidam deſcénderet eádem via; & viſo illo prætérivit. Simíliter & Levíta, cùm eſſet ſecus locum, & vidéret eum, pertránſiit. Samaritánus autem quidam iter fáciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericórdia motus eſt. Et approprians, alligávit vúlnera ejus, infundens óleum & vinum; & impónens illum in jumentum ſuum, duxit in ſtábulum, & curam ejus egit. Et áltera die prótulit duos denários, & dedit ſtabulário, & áit: Curam illíus habe; & quodcumque ſupererogáveris, ego cùm redíero, reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuiſſe illi, qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit miſericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac ſimíliter.

Dicitur Credo.

Offertorium. In omni virtúte tua dílige eum qui te fecit: ſacrifícium ſanctificatiónis ófferes Dómino; & páuperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio & benedíctio tua. Eccli. 7.

Secreta.

QUi hæc dona converſúrus eſt in carnem & ſánguinem Chriſti, corda noſtra convertat omnípotens Spíritus tuus, Dómine; & tuæ répleat abundántiâ caritátis; qua & te Dóminum Deum noſtrum, & amícum in te, & inimícum propter te diligámus; Per eumdem.... in unitáte ejuſdem.

Communio. Abundáre fáciat Dóminus caritátem veſtram in ínvicem, & in omnes; ad confirmanda corda veſtra in ſanctitáte, ante Deum & Patrem noſtrum. I. Theſſ. 3.

Postcommunio. Orémus.

TUi nobis, Dómine, commúnio ſacramenti, & purificatiónem cónferat, & tríbuat unitátem; Per Dóminum. M. P.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio Epíſtolæ beáti Jacôbi Apóſtoli.

Cap. 2.

CAríſſimi; Quicumque totam legem ſerváverit, offendat autem in uno, factus eſt ômnium reus. Qui enim dixit, Non mœcháberis, dixit & Nôn occídes. Quòd ſi non mœcháberis, occídes autem; factus es tranſgréſſor legis. Sic loquímini, & ſic fácite, ſicut per legem libertátis incipientes jûdicári. Judícium enim ſine

misericórdia illi, qui non fecit mĭsericórdiam: superexaltat autem misericôrdia judícium. Quid próderit, fratres mei, si fidem quis dicăt se habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides salváre eum? Si autem frater & soror nudi sint; & indígeant victu quotidiáno, dicat autem aliquis ĕx vobis illis; Ite in pace, calefacímini & saturámini: non dedéritis autem eis, quæ necessária sŭnt cŏrpori, quid próderit?

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 10. IN illo témpore; Cùm egressus esset Jĕsus in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogábat ĕum: Magister bone, quid fáciam ut vitam æternam percípiam? Jesus autem dixit ĕi: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Dĕus. Præcepta nosti: Ne adúlteres, Ne occídas, Ne furéris, Ne falsum testimónium díxeris, Ne fraudem féceris, Honóra patrem tuum & mătrem. Aˇt ille respondens, ait ĭlli: Magister, hæc ómnia obsérvávi à juventúte mĕa. Jesus autem intúitus eum, dílexit eum, & dixit ĕi: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, & da paupéribus, & habébis thĕsaurum in cœlo: & veni, séquere mĕ. Qui contristátus in verbŏ, ábiit mœrens: erat enim habens multas possessiŏnes. Et circŭmspíciens Jesus, ait discípulis sŭis: Quàm difficilè, qui pĕcúnias habent, in regnum Dei introíbunt! Discípuli autem obstupescébant in verbis ĕjus. At Jesus rursùs respondens, ait ĭllis: Filíoli, quàm dĭfficile est, confidentes in pecúniis, in regnum Dei introíre! Facílius est, camélum per foráměn acus transíre, quàm dívitem intráre in regnum Dĕi. Qui magis ădmirabantur, dicentes ad semetĭpsos: Et quis potest salvus fíeri? Et íntuens illos Jesus, ăit: Apud hómines impossíbile est, sed nŏn apud Deum: ómnia enim possibília sŭnt apud Deum.

FERIA SEXTA.

Rub. seu Fulv.

Léctio Epístolæ beáti Joânnis Apóstoli.

I. Joan. 3. NOlíte mirári, fratres, si ôdit vos mundus. Nos scimus quóniam transláti sumus dĕ morte ad vitam, quóniam dilîgimus fratres. Qui non dĭlĭgĭt, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicîda est. Et scitis, quóniam omnis homicída non habet vitam æternam in semetîpso manentem. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam prŏ nobis pósuit: & nos debémus pro frátribus ânimas pónere. Qui habúerit substántiam hujus mundi, & víderit fratrem suum necessitátem habére, & cláuserit víscĕră sua ab eo; quómodò cáritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbŏ neque lingua; sed ópere & vêritáte. In hoc cognóscimus quóniam ex verĭtáte sumus: & in conspectu ejus suadébimus côrda nostra. Quóniam si reprehénděrĭt nos cor nostrum: major est Deus cordĕ nŏstro, & novit ómnia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 12. IN illo témpore: Accessit unus de Scribis, qui audíerat Sadducæos conquirentes; & videns quóniam benè illis rĕspónderit Jesus, interrogávit eum quod esset primum ómnium mandătum. Jesus autem respondit ĕi: Quia primum ómnium mandátum est: Audi Israel; Dóminus Deus tuus, Deŭs unus est: & díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtúte tŭa. Hoc

eſt primum mandătum. Secundum autĕm símile eſt illi : Díliges próximum tuum tamquàm teĭpſum. Majus horum áliud mandátum non ĕſt. Et ait illi Scrĭba : Benè, Magiſter, in veritáte dixiſti, quia unus eſt Deus, & non eſt álĭŭs præter eum : & ut diligátur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota ánima ; & ex tota fortitúdine ; & dilígere próximum tanquam ſeipſum, majus eſt ómnibus holocautomátibus & ſacrifíciis. Jeſus autem videns quòd ſapientĕr reſpondiſſet : dixit ĭlli : Non es longè à regno Dĕi. Et nemo jam ăudĕbat eum interrogáre.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu *Fuiv.*

INTROITUS.

Pſal. 73. USquequò, Deus, irrítat adverſárius nomen tuum in finem ? Ne avertátur húmilis factus confúſus ; pauper & inops laudábunt nomen tuum : Exurge, Deus, Ibid. júdica cauſam tuam. *PSALM.* Ut quid, Deus, repulíſti in finem ? * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ ? Glória. Uſquequò, Deus.

COLLECTA. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempiterne Deus, da nobis fídei, ſpei, & caritátis augmentum : & ut mereámur áſſequi quod promittis, fac nos amáre quod præcipis ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Gálatas.

Cap. 3. FRatres ; Quóniam in lege nemo juſtificátur apud Deum, manĭfeſtum eſt ; quia juſtus ex fide vivit. Lex autem nŏn eſt ex fide ; ſed, Qui fécerit ea, vîvet in illis. Chriſtus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt ; Maledictus omnis quĭ pendet in ligno : ut in géntibus benedíctio Abrahæ fíeret in Chriſto Jeſu, ut polliçitatiónem Spíritus accipiâmus per fidem. Fratres (ſecundŭm hóminem dico) tamen hóminis confirmátum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſûperórdinat. Abrahæ dictæ ſunt prŏmiſſiónes, & sêmini ejus. Non dicit : Et ſemínibus, quaſi in multis ; sĕd quaſi in uno : Et ſémini tuo, quî eſt Chriſtus. Hŏc autem dico, teſtamentum confirmátum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non írritum facit ad evacuandam promîſſiónem. Nam ſi ĕx lege heréditas, jam non ex promîſſióne. Abrahæ autem per repromiſſiónem donâvit Deus. Quid ígitur lex ? Propter tranſgreſſiónes póſita eſt, donec veníret ſemĕn, cui promíſerat, ordináta per Angelos in manu mediatóris. Mediátor autem ŭnius non eſt : Deus autem ûnus eſt. Lex ergo adversùs promiſſa Dêi ? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vĭvificáre, verè ex lege êſſet juſtítia. Sed conclúſit Scriptúra ómnĭă ſub peccáto, ut promíſſio ex fide Jesŭ Chrĭſti darétur credéntibus.

GRADUALE. Miſérere noſtrî, Deus ómnium, & réſpice nos, & oſtende nobis lucem miſeratiónum tuárum. ℣. Neque enim in juſtificatiónibus noſtris proſtérnimus preces ante fáciem tuam, ſed in miſeratiónibus tuis multis. Eccli. 36. Dan. 9.

Allelúia, allelúia. ℣. Salvos nos fac, Dómine Deus noſter ; ut confiteámur nómini ſancto tuo, & gloriémur in laude tua. Allelúia. Pſal. 105.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 17. IN illo témpore ; Dum iret Jeſus in Jĕrúſalem, transíbat per médiam Sámaríam, & Galilæam. Et cùm ingrederétur quoddam caſtellum, occurrérunt ei decĕm viri leprósi, qui ſtetérunt

térunt à longè, & levavérunt vocem, dicéntes : Jeſu præceptor, miſerére nóſtri. Quos ut vidit, dixit: Ite oſténdite vos ſacerdótibus. Et factúm eſt, dum irent, mundáti sunt. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundátus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce mágnificans Deum; & cécidit in fáciem ante pedes ejus, grátias ágens. Et hic erat Samarítanus. Reſpondéns autem Jeſus, dixit : Nonne decem mundáti ſunt? & novem ubi ſunt? Non eſt inventus qui redíret, & darét glóriam Deo, niſi hic alienígena. Et ait illi : Surge, vade; quia fidés tua te ſalvum fecit.

Dicitur Credo.

Pſal. 115. *Offertorium.* Sacrificábo hóſtiam laudis, & nomen Dómini invocábo : vota mea Dómino reddam in conſpectu omnis pópuli ejus.

Secreta.

S. R. Offérimus tibi, Dómine, hóſtiam placatiónis & laudis, humíliter implorantes, ut & eam placábili pietáte reſpícias, & offeréntium preces clementi largitáte exáudias; Per.

Pſal. 102. *Communio.* Bénedic, ánima mea, Dómino, & ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus: noli obliviſci omnes retributiónes ejus.

Postcommunio. Orémus.

S. R. Cœléſtibus, Dómine, donis ſatiátos, quæſumus, ut & voluntáte piè rectéque vivendi, & virtúte atque efficácia perficiendi, nos júgiter donáre dignéris; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cor. 5. Fratres; Scripſi vobis in epíſtola; Ne commiſceámini fórnicáriis. Non útique fornicáriis hujus mundi, aut avaris, aut rapácibus, aut idólis ſerviéntibus : alióquin debuerátis de hoc mundo êxiiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis non commiſcéri; ſi is, qui frater nominátur, eſt fornicátor, aut avárus, aut idólis ſérviens, aut maléDicus, aut ebriósus, aut rapax : cum ejúſmodi nec cíbum súmere. Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicáre? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicátis? Nam eos, qui foris ſunt, Deus júdicábit. Auferte malum ex vôbis ipſis. Audet áliquis veſtrum habens negótium adversùs álterum, judicári apud iníquos, & non apud ſanctos? An neſcítis quóniam ſancti de hoc mundo judicábunt? Et ſi in vobis judicábitur mundus; indigni eſtis qui de mínimis judicétis? Neſcítis quóniam Angelos judicábimus? quanto magis ſeculária? Seculária ígitur judícia si habuéritis : contemptíbiles qui ſunt in Eccléſia, illos conſtitúite ad júdicandum. Ad verecúndiam vêſtram dico. Sic non eſt inter vos ſápiens quiſquam, qui poſſit judicáre inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre júdicio contendit : & hoc apud infidéles? Jam quidem omnínò delictum eſt in vobis, quòd judícia habétis înter vos. Quare non magis injúriam accípitis? quare non magis fraudem patímini? Sed vos injúriam fácitis, & fraudátis : êt hoc frátribus. An neſcítis quia iníqui regnum Dei non poſſidébunt? Cap. 6.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Márcum.

Cap. 1. In illo témpore; Venit ad Jeſum leprósus déprecans eum : & genu flexo dixit ei : Si vis, potes me mundáre. Jeſus autem miſertus ejus, extendit manum ſuam; & tangens eum, ait illi : Volo; mundáre. Et cùm dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundátus eſt. Et comminátus eſt ei, ſtatimque éjécit illum, & dicit ei : Vide, némini díxeris : ſed vade, oſ-

tende te príncipi ſacerdótum, & offer pro emundatióne tua, quæ præcépit Móyſes, in teſtimónium illis. At ille egreſſus cœpit prædicáre, & diffámáre ſermónem; ita ut jam non poſſet manifeſtè introíre in civitátem, ſed foris in deſertis locis eſſet: & conveniébant ad eum úndique.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 4.

FRatres; Vivus eſt ſermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti; & pertingens uſque ad diviſiónem ánimæ ac ſpíritus, compágum quoque ac medullárum, & diſcrétor cogitatiónum & intentiônum cordis. Et non eſt ulla creatúra invisíbilis in cónſpectu ejus: ómnia autem nuda & aperta ſunt óculis ejus, ad quem nôbis ſermo. Habentes ergo pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jéſum Fílium Dei; teneámus confeſſiónem. Non enim habémus pontíficem, qui non poſſit cómpati infirmitátibus noſtris; tentátum autem per ómnia, pro ſimilitúdine âbſque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut miſericórdiam conſequámur, & grátiam invéniámus in auxílio opportúno.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 12.

IN illo témpore; Secúti ſunt Jeſum multi, & curávit eos omnes: & præcépit eis ne manifeſtum eum fácerent. Ut adimplerétur quod dictum eſt per Iſaíam prophétam, dicentem: Ecce puer meus quem elégi, dilectus meus in quo bene complácuit ánimæ meæ: ponam ſpíritum meum ſuper eum, & judícium géntibus nuntiábit: non contendet, neque clamábit, neque áudiet áliquis in platéis vocem ejus: arúndinem quaſſátam non confringet, & linum fúmigans non extínguet, donec ejíciat ad victóriam judícium: & in nómine ejus gentes ſperábunt.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu Fulv.

INTROITUS.

GAudéte in Dómino ſemper; íterùm dico, gaudéte, nihil ſollíciti ſitis; ſed in omni oratióne & obſecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes veſtræ innoteſcant apud Deum. *PSALM.* Dóminus regit me, & nihil mihi déerit: * in loco páſcuæ ibi me collocávit. Glória. Gaudéte.

Phil. 4.

Pſal. 22.

COLLECTA. Orémus.

CUſtódi, Dómine; quæſumus, Eccléſiam tuam propitiatióne perpétuâ: & quia ſine te lábitur humána mortálitas; tuis ſemper auxíliis, & abſtrahátur à nóxiis, & ad ſalutária dirigátur; Per Dóminum.

S. R.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Gálatas.

Cap. 5.

FRatres; Spíritu ambuláte, & deſidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupíſcit ádversùs ſpíritum; ſpíritus autem advérsùs carnem. Hæc enim ſibi ínvicem adverſantur; ut non quæcumque vultis, illa fáciátis. Quòd ſi ſpíritu ducímini, non éſtis ſub lege. Manifeſta ſunt autem ópera carnis, quæ ſunt fornicátio, immundítia, impudicítia, luxúria, idolórum ſérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, diſſenſiónes, ſectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, comeſſatiónes, et his ſimília; quæ prædíco vobis, ſicut prædixi, quóniam qui tália agunt, regnum Dei non cónſequentur. Fructus

autem Spíritus eſt cáritas, gáudium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, manſuetúdo, fides, modéſtia; continêntia, cáſtitas. Adversùs hujúſmodi nôn eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixérunt cŭm vĭtiis & concupiſcéntiis.

Pſal. 33. *GRADUALE.* Timéte Dóminum, omnes ſancti ejus, quóniam non eſt inópia timéntibus eum. ℣. Dívites eguérunt & eſuriérunt: inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono.

Pſal. 70. Allelúia, allelúia. ℣. Dómine, ſpes mea à juventúte mea: de ventre matris meæ tu es protector meus: in te cantátio mea ſemper. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Nemo poteſt duóbus dóminis ſervĭre. Aut enim unum ódio habébit, ĕt álterum díliget; aut unum ſuſtinébit, & álterum contĕmnet. Non poteſtĭs Deo ſervíre, & mammŏnæ. Ideò dico vobis, Ne ſolíciti ſitis ánimæ veſtræ quĭd manducétis, neque córpori veſtro quid induămini. Nonne ánima plŭs eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum? Reſpícite volatília cœli, quóniam non ſerunt, neque metunt, nequĕ cóngregant in hórrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magìs pluris eſtis illis? Quis autĕm veſtrum cógitans poteſt adjícere ad ſtatúram ſuam cúbitum unum? Et de veſtimento quid ſolíciti eſtis? Conſideráte lília agrĭ quómodò creſcunt: non labórant, neque nĕnt. Dicŏ autem vobis, quóniam nec Sálomon in omni glória ſua coopertus eſt ſicut unum ex ĭſtis. Si autem fœnum agri, quod hódie eſt, & cras in clíbanum míttĭtŭr, Deus ſic veſtit: quantò magìs vos módicæ fídei? Nolíte ergo ſolícĭtĭ eſſe, dicentes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia gentes inquĭrunt. Scit enim Pater veſter, quia his ómnibus indigĕtis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & jŭſtítiam ejus: & hæc ómnia adjicientur vobis.

Dicitur Credo.

I. Petr. 5. *OFFERTORIUM.* Humiliámini ſub potenti manu Dei, omnem ſolicitúdinem veſtram projicientes in eum, quóniam ipſi cura eſt de vobis.

SECRETA.

SUſcipe, quæſumus, Dómine, quas offérimus tibi preces & hóſtias; & præſta, ut omnem ſolicitúdinem noſtram in te projicientes, regnum tuum & juſtítiam tuam toto corde quærámus; Per Dóminum.

Pſal. 72. *COMMUNIO.* Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid vólui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

AUgeant in córdibus noſtris, Dómine, cœléſtia alimenta famem & ſitim juſtítiæ: & qui nos ad regnum tuum vocáre dignáris, præſta ut, omni de temporálibus abjectâ ſolicitúdine, firma ſit in nobis fides inviſibílium, & expectátio futurórum; Per.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Timótheum.

I. Tim. 6. CAríſſime; Divítibus hujus ſéculi præcipe non ſublímè ſápere, neque ſperáre in incerto divitiárum; ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis ómnia abundè ad fruendum) benè ágere, dívites fíeri in bonis opéribus, fácilè tribúere, communicáre, theſaurizáre

ſibi fundamentum bonŭm in futúrum, ut apprehendant vêram vitam. O Timóthee, depósitum cuſtódi, devítans profánas vocum novitátes, & oppoſitiónes falsĭ nóminis ſciéntiæ, quam quidam promittentes, circa fidem êxcidérunt. Grátĭă tĕcum: Amen.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 12. IN illo témpore; Ait Jeſu quidam de tŭrba: Magiſter, dic fratri meo ut dívidat mecum hereditătem. At ille dixit ĭlli: Homo, quis me conſtítuit júdicem aut diviſórem ſuper vos? Dixitque ad ĭllos: Vidéte, & cavéte ab omnĭ avarítia; quia non in abundántia cujuſquam vita ejus eſt, ex his quæ pŏſſidet. Dixit autem ſimilitúdinem ad illos, dĭcens: Hóminis cujuſdam dívitis úberes fructus ager áttulit; & cogitábăt intra ſe dicens: Quid fáciam, quia non hábeo quò cóngregem fructus meos? Et dĭxit: Hoc fáciam; Déſtruam hórrea mea, & majóra fáciam; & illuc congregábo ómnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea; & dicăm ánimæ meæ, Anima, habes multa bona póſita in annos plúrimos: requieſce, cómede, bibe, epulăre. Dixit autem illi Dĕus: Stulte, hac nocte ánimam tuăm répetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt? Sic eſt qui ſibi theſăurĭzat, & non eſt in Deum dives.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beatĭ Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 13. FRatres; Cáritas fraternitátis mâneat in vobis. Et hoſpitalitátem nolítĕ obliviſci, per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hoſpîtio receptis. Mementóte vinctórum, tanquăm ſimul vincti; & laborantium, tanquam & ipſi in côrpore morantes. Honorábile cŏnnúbium in ómnibus, & thorus immâculátus. Fornicatóres enim; & adúlteros judicâbit Deus. Sint mores ſine avarítia, cŏntenti præſéntibus: ipſe enim dixit: Non te déſeram, neque dêrelinquam. Ita ut confídenter dicámus: Dóminus mihi adjútor: non tĭmĕbo quid fáciat mihi homo.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 9. IN illo témpore; Docébat Jeſus dĭſcípulos ſuos, & dicébat ĭllis: Quóniam Fílius hóminis tradétur in manus hóminum, & ŏccídent eum, & occíſus tértia die reſŭrget. At illi ignŏrábant verbum, & timébant interrogáre ĕum. Et venérunt Caphárnaŭm. Qui cŭm domi eſſent interrogábat ĕos: Quid in via tractabátis? At illi tacĕbant. Síquidem in via intĕr ſe diſputáverant, quis eórum major ĕſſet. Et réſidens vŏcávit Duódecim, & ait ĭllis: Si quis vult primus eſſe, erit ómnium noviſſimus & ómnium miniſter. Et accípiens púerum, ſtátuit eum ĭn médio eórum: quem cùm complexus eſſet, ait ĭllis: Quiſquis unum ex hujúſmodi púeris recéperit in nómĭnĕ meo, me récipit: & quicumque me ſuſcéperit, non me ſúſcipit, ſed eum, qui miſit mĕ. Reſpondĭt illi Joannes, dĭcens: Magiſter, vídimus quemdam in nómine tuo ejicientem dæmónia; qui nŏn ſéquitur nos, & prohibúimus ĕum. Jeſus autem ăit: Nolíte prohibére ĕum. Nemo eſt enim qui fáciat virtútem ĭn nómine meo, & poſſit citò malè loqui de mĕ. Qui enim non eſt ădversùm vos, pro vobis ĕſt. Quiſquis enim potum déderit vobis cálicem aquæ in nómine meo, quiă Chriſti eſtis; amen dicŏ vŏbis, non perdet mercédem ſuam.

Rub. ſeu Fulv.

DOMINICA XV.
POST PENTECOSTEN.
INTROITUS.

Pſal. 12. ILlúmina, Dómine, óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; nequando dicat inimícus meus, Ibid. Præválui adversùs eum. *PSALM.* Uſquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem? * úſquequò avertis fáciem tuam à me? Glória. Illúmina.

COLLECTA. Orémus.

S. R. ECcléſiam tuam, Dómine, miſerátio continuáta mundet & múniat: & quia ſine te non poteſt ſalva conſíſtere, tuo ſemper múnere gubernétur; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Gálatas.

Cap. 5. FRatres; Sĭ ſpíritu vívimus, ſpíritu & âmbulémus. Non efficiámur inánĭs glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem învidéntes. Fratres; & ſi præoccupátus fúerit homo in áliquo delicto; vos, qui ſpirituáles eſtis, hujúſmodi inſtrúite in ſpírĭtŭ lenitátis, consíderans teipſum, ne & tû tentéris. Alter altérĭŭs ónera portáte, & ſic adimplébitis lêgem Chriſti. Nam ſi quis exíſtimat ſe áliquid eſſe, cŭm nihil ſit, ipſe sê ſedúcit. Opus autem ſuum probĕt unuſquiſque; & ſic in ſemetipſo tantùm glóriam habébit, & nôn in áltero. Unuſquiſque enim onus sûum portábit. Commúnicet autem, is qui catechizátur verbo, ei qui ſe cathechízat, in ômnibus bonis. Nŏlíte erráre; Deus non îrridétur. Quæ enim ſemĭnáverit homo, hæc & metet. Quóniam qui ſéminat in carne ſua, de carne & metet cŏrruptiónem: qui autem ſéminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vîtam æternam. Bonum autem facientes, non dĕficiámus: témpore enim ſuo meténus non defîcientes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxĭmĕ autem ad doméſticos fídei.

GRADUALE. Dómine Deus miſerátor & miſéricors, réſpice in me, & miſerére meî; ſalvum fac fílium ancillæ tuæ. ℣. Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília: tu es Deus ſolus. Pſal. 85.

Allelúia, allelúia. ℣. Poſuiſti, Dómine, lácrymas meas in conſpectu tuo: ecce cognóvi quóniam Deus meus es. Allelúia. Pſal. 55.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 7. IN illo témpore; Ibat Jeſus in civitátem, quæ vŏcátur Naïm: & ibant cum eo diſcípuli ejus, & turba copiŏſa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis; ecce defunctus efferebátur fílius únicus matris ſuæ; & hæc vídua erat: & turba civitátis multa cum ĭlla. Quam cùm vĭdiſſet Dóminus, miſericórdia motus ſuper eam, dixit ĭlli: Noli flĕre. Et acceſſit, & tétigit lŏculum. (Hi autĕm qui portábant, ſtetĕrunt.) Et ăit: Adoleſcĕns, tibi dico, Sŭrge. Et reſédit quĭ erat mórtuus, & cœpit lŏqui. Et dedit illum matri sŭæ. Accépit autĕm omnes timor: & magnificábant Deum, dicĕntes: Quia Prophéta magnus ſurréxit in nobis; & quia Deus visĭtăvit plebem ſuam.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudatiónes tibi; quóniam eripuiſti ánimam meam de morte, ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium. Pſal. 55.

SECRETA.

M. P. ECcléſiæ tuæ, Dómine, gémitus & preces, hoc ſacrifício placátus exaudi; ut quæ de ſuórum contriſtátur ſpiritáli morte filiórum, de eórum ad grátiam reſurrectióne lætétur; Per.

Psal. 65.

Communio. Veníte, & vidéte ópera Dei, qui pósuit ánimam meam ad vitam.

Postcommunio. Orémus.

S. R. MEntes nostras & córpora posídeat, quæsumus, Dómine, doni cœléstis operátio; ut non noster sensus in nobis, sed júgiter ejus prævéniat effectus; Per Dóminum.

Rub. seu Fulv.

FERIA QUARTA.

Léctio Actuum Apóstolórum.

Cap. 9. IN diébus illis; Factum est ut Petrus, dum pertransíret universos, deveníret ad sanctos, qui habitâbant Lyddæ. Invénit autem ibi hóminem quemdam nómine Ænéam, ab annis octo jacentem in grabáto, qui erat pâralyticus. Et ait îlli Petrus: Ænéa, sanat te Dóminus Jesus Christus: surge, & stêrne tibi. Et contínuò surréxit. Et vidérunt eum omnes, qui habitábant Lyddæ & Saronæ; qui convérsi sûnt ad Dóminum. In Joppe autem fuit quædam discípula, nómine Tabítha, quæ interpretáta dîcitur Dorcas. Hæc erat plena ópéribus bonis, & eleemósynis, quas fáciébat. Factum est autem in diébus illis, ut infirmáta môrerétur. Quam cùm laviſſent, posuérunt eam în cœnáculo. Cùm autem propè esset Lydda ad Joppen; discípuli audientes quia Petrus esset in ea, misérunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigritéris veníre ûsque ad nos. Exurgens autem Petrus vênit cum illis. Et cùm advenisset, duxérunt illum in cœnáculum: & circumstetérunt illum omnes víduæ flentes, & ostendentes ei túnicas & vestes, quas faciébat îllis Dorcas. Ejectis autem ómnibus foras, Petrus ponens génua, orávit; & conversus ad corpus, dixit: Tabîtha, surge. At illa apérûit óculos suos; & viso Pêtro, resédit. Dans autem illi manum, erêxit eam. Et cùm vocasset sanctos, & víduas, assignávit êam vivam. Notum autem factum est per universam Joppen: & credidérunt multi in Dómino.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Marcum.

Cap. 12. IN illo témpore; Dicébat Jesus turbis in doctrína sua: Cavéte à Scribis, qui volunt in stolis ambuláre, & salutári in foro, & in primis cáthedris sedére in synagógis, & primos discúbitus in cœnis; qui dévorant domos viduárum sub obtentu prolixæ oratiónis: hi accípient prolíxius judicium. Et sedens Jesus contra gazophylácium, aspiciébat quómodò turba jactáret æs in gazophylácium, & multi dívites jactábant multa. Cùm venisset autem vídua una pauper, misit duo minúta, quod est quadrans: & cónvocans discípulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quóniam vídua hæc pauper plus ómnibus misit, qui misérunt in gazophylácium. Omnes enim ex eo, quod abundábat illis, misérunt: hæc verò, de penúria sua, ómnia quæ hábuit misit totum victum suum.

Rub. seu Fulv.

FERIA SEXTA.

Léctio Actuum Apóstolórum.

Cap. 20. IN diébus illis; Profectus est Paulus, ut iret in Mâcedóniam. Cùm autem perambulasset partes illas, & exhortátus eos fuisset multo sermóne, venit ad Græciam; ubi cùm fecisset menses tres, factæ sunt illi insídiæ à Judæis navigatúro in Syriam: habuitque consílium ut reverterétur per Mâcedóniam. Comitátus est autem eum Sópater Pyrrhi Beroænsis; Thessalonicénsium verò Aristarchus, & Secundus, & Gáius Derbæus, & Timótheus; Asiáni verò, Týchicus & Trophimus. Hi cùm præcessissent, susti-

nŭérunt nos Tróade : nos verò navigávimus poſt dies azymórum à Philippis, & vénimus ad eos Tróadem in diébus quinque, ubi demoráti ſumus diêbus ſeptem. Una autem ſábbati cùm conveniſſémus ad frangendum panem, Paulus diſputábat cum eis, profĕctúrus in cráſtinum ; protraxitque ſermónem uſque in mêdiam noctem. Erant autem lámpades copiósæ in cœnáculo, ubi erámus côngregáti. Sedens autem quidam adoleſcens nómine Eutychus ſuper feneſtram, cùm mergerétur ſomno gravi, diſputantĕ diu Paulo, ductus ſomno cécidit de tértio cœnáculo deorsùm, & ſublâtus eſt mórtuus. Ad quem cùm deſcendiſſet Paulus, incúbŭit ſuper eum ; & complêxus dixit : Nŏlíte turbári ; ánima enim ipsíus in îpſo eſt. Aſcendens autem, frangenſque panem, & guſtans, ſatiſque allocútŭs uſque in lucem, ſic profêctus eſt. Adduxérunt autĕm púerum viventem ; & conſolátĭ sŭnt non mínimè.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 5. IN illo témpore ; Dixit Jeſus Judæis : Non poſſum ego à meipſo fácere quĭdquam. Sicut áudio, júdico : & judícium meŭm juſtum eſt : quia non quæro voluntátem meam, ſed voluntátem ejus qui miſit mĕ. Si ego teſtimónium perhíbĕŏ de meipſo, teſtimónium meum non eſt vĕrum. Alius eſt qui teſtimónĭŭm pérhibet de me ; & ſcio quia verum eſt teſtimónium, quod pérhibet de mĕ. Vos miſiſtĭs ad Joannem : & teſtimónium perhíbuit verităti. Ego autem non ab hómine teſtĭmónium accípio : ſed hæc dico ut vos ſalvi sĭtis. Ille erat lucernă ardens & lucens : vos autem voluiſtis ad horam exultáre in luce ĕjus. Ego autem hábeo teſtimónium majus Joănne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perfíciam ea ; ipſa ópera, quæ ego fácio, teſtimónium pérhibent de me, quia Pater miſit me : & qui miſit me Pater, ipſe teſtimónium pĕrhíbuit de me ; neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpéciem ejus vidĭſtis. Et verbum ejus non habétis ĭn vobis manens ; quia quem miſit ille, huic vos non crĕditis. Scrutámini Scriptúras, quia vos putátis in ipſis vitam ætĕrnam habére : & illæ ſunt, quæ teſtimónium pérhibent de me ; & non vultis veníre ad me, ut vitam habeătis. Claritátem ab homínibus non accĭpio. Sed cŏgnóvi vos, quia dilectiónem Dei non habétis in vŏbis. Ego veni in nómine Patris mei, & non ăccípitis me : ſi álius vénerit in nómine ſuo, illum accipiĕtis. Quómodò vos poteſtis crédere, qui glóriam ăb ínvicem accípitis ; & glóriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis ? Nolíte putáre quia ego accuſatúrŭs sĭm vos apud Patrem : eſt qui accúſat vos Móyſes, in quo vos ſperătis. Si enim crederétĭs Móyſi, crederétis fórſitan & mihi : de me enim ille ſcrĭpſit. Si autem illíŭs lítteris non créditis : quómodò verbĭs mĕis credétis ?

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu *Fulv.*

INTROITUS.

Pſal. 85. MIſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die ; quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te. *PSALM.* Inclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me : * quóniam inops & pauper ſum ego. Glória. Miſerére. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

S. R. TUa nos, quæſumus, Dómine, grátia ſemper & prævéniat & ſequátur ; ac bonis opéribus júgiter præſtet eſſe intentos ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 3. FRatres ; Peto ne deficiátis in tribulatiónĭbŭs meis pro vobis : quæ eſt glôria veſtra. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis patérnitas in cœlis & in terra nominátur, ut det vobis ſecundùm divítias glóriæ ſuæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Chriſtum habitáre per fidem ĭn córdibus veſtris ; in caritáte radicáti & fundáti, ut poſsítis compreháendere cum ómnibus ſanctis, quæ ſit latitúdo, & longitúdo, & ſublímitas, & profundum ; ſcire étiam ſupereminentem ſciéntiæ caritátem Chriſti, ut impleámini in omnem plenitûdinem Dei. Ei autem qui potens eſt ómnia fácere ſuperabundanter quàm pétimus aut intellígimus, ſecundùm virtútem, quæ opĕrátur in nobis ; ipſi glória in Eccléſia, & in Chriſto Jeſu, in omnes generatiónes ſéculi ſecŭlŏrum : Amen.

Pſal. 72. *Graduale.* Tenuiſti, Dómine, manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxiſti me, & cum glória ſuſcepiſti me. ℣. Ecce, qui elongant ſe à te, perĭbunt ; perdidiſti omnes qui fornicantur abs te : mihi autem adhærére Deo bonum eſt.

Pſal. 113. Allelúia, allelúia. ℣. Non nobis, Dómine, non nobis ; ſed nómini tuo da glóriam. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 14. IN illo témpore ; Cùm intráret Jeſus in domum cujuſdam príncipis Phariſæórum ſábbato mandŭcáre panem, & ipſi obſervábant ĕum. Et ecce homo quidam hydrópicus erat ante ĭllum. Et reſpondens Jeſus dixit ad Legiſperítos ĕt Phariſæos, dĭcens : Si licet ſábbato curáre? At illi tacuĕrunt. Ipſe verò apprehenſum sănávit eum, ac dimĭſit. Et rĕſpondens ad illos, dĭxit : Cujus veſtrum áſinus aut bos ĭn púteum cadet, & non contínuò éxtrahet illum die ſábbati? Et non póterant ad hæc reſpondére ĭlli. Dicébat autem & ad invitátos paráboIam, intendens quómodò primos ăccúbitus elígerent, dicens ad ĭllos : Cùm invitátus fúeris ad núptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honorátior te ſit invitátus ab illo : & véniens is qui te & illum vocávit, dicat tibi ; Dă huic locum : & tunc incípias cum rubóre novíſſimum locum tenĕre. Sed cùm vocátus fúeris, vade, recumbe in novíſſimo loco, ut, cùm vénerit qui te invitávĭt, dicat tibi : Amíce, aſcende ſupĕriùs. Tunc erit tibi glória coram ſimŭl diſcumbéntibus : quia omnis qui ſe exaltat, humiliábitur ; & qui ſe hŭmĭliat, exaltábitur.

Dicitur Credo.

Pſal. 17. *Offertorium.* Pópulum húmilem ſalvum fácies, Dómine ; & óculos ſuperbórum humiliábis : quóniam quis Deus præter Dóminum?

Secreta.

M. P. HÆc hóſtia, quæſumus, Dómine, emundet noſtra delicta ; & ſacrifícium celebrandum, ſubditórum tibi córpora menteſque ſanctíficet ; Per Dóminum.

Matt. 11. *Communio.* Veníte ad me, omnes qui laborátis, & oneráti eſtis : & ego refíciam vos.

Postcommunio. Orémus.

S. G. GRátias tibi ágimus, omnípotens Deus, qui refeciſti nos pane cœleſti & póculo ſpiritáli ; cleméntiam tuam implorantes, ut per infuſiónem Spíritûs ſancti tui, in quibus cœleſtis cibi virtus introívit, ſinceritátis grátia perſevéret ; Per... in unitáte ejuſdem.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio libri Ecclêſiaſtæ.

Cap. 5.

AVárus non implébitur pecúnia: & qui amat divítias, fructum nŏn cápiet ex eis: & hoc êrgo vánitas. Ubĭ multæ ſunt opes, multi & qui cômedunt eas. Et quid prodĕſt poſſeſſóri, niſi quòd cernit divítias óculis ſuis? Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſivĕ multum cómedat: ſatúritas autem dívitis non ſinit êum dormíre. Eſt & ália infírmitas péſſima, quăm vidi ſub ſole; divítiæ conſervátæ in malum dômini ſui. Péreunt enim in afflictĭóne péſſima: generávit fílium, qui in ſumma egeſtâte erit. Sicut egreſſus eſt nudus de útero matris ſuæ, sĭc revertétur; & nihil áuferet ſecum de labôre ſuo. Miſerábĭlĭs prorsùs infírmitas: quómodò venit, ſic rêvertétur. Quid ergo prodeſt ei quòd laborávit in ventum? Cunctis diébus vitæ ſuæ cómedit in ténebris & in curis multis, & in ærŭmna atque triſtítia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 14.

IN illo témpore; Dicébat Jeſus ei qui ſe invităverat: Cùm facis prándium aut cœnam, noli vocáre amícos tuos, neque fratres tuos, neque cognátos, neque vĭcínos dívites; ne fortè te & ipſi reinvítent, & fiat tibi retribŭtio. Sed cùm facis convívium, voca páuperes, débĭlĕs, claudos, & cæcos; & beátus eris, quia non habent retribúere tibi: retribuétur enim tibi in reſurrectióne juſtŏrum. Hæc cùm audiſſet quidam de ſimŭl diſcumbéntibus, dixit ĭlli: Beátus, qui manducábĭt pănem in regno Dei.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio libri Provêrbiórum.

Cap. 28.

QUi ámbulat ſimplícĭtĕr, ſalvus erit; qui perverſis gráditur viis, côncidet ſemel. Qui operátur terram ſuam, ſatĭábitur pánibus; qui autem ſectátur ótium, replébitur êgeſtáte. Vir fidélĭs multùm laudábitur: qui autem feſtínat ditári, non êrit ínnocens. Qui cognoſcit in judício fáciem, nŏn benè facit: iſte & pro buccella panis deſerit vêritátem. Vir, qui feſtínat ditári, ĕt áliis ínvidet, ignórat quod egeſtas ſupervêniet ei. Qui córripit hóminem, grátiam póſteà invéniĕt apud eum, magìs quàm ille qui per linguæ blandimênta décipit. Qui ſúbtrahit áliquid à patre ſuo, & à matre, & dicit hoc nŏn eſſe peccátum; párticeps homicîdæ eſt. Qui ſe jactat & dilátăt, júrgia cóncitat: qui verò ſperat in Dômino, ſanábitur. Qui confídit in corde ſuŏ, ſtultus eſt: Qui autem gráditur ſapienter, ĭpſe ſalvábitur. Qui dat páuperi, nŏn indigébit: qui déſpicit deprĕcántem, ſuſtinébit penúriam.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 3.

IN illo témpore; introívit Jeſus ĭn ſynagógam; & erat ibi homo habens manum ăridam. Et obſervábant eum, sĭ ſábbatis curáret, ut accuſárent ĭllum. Et ait hómini habenti manum ăridam: Surge in mĕdium. Et dicit ĕis: Licet ſábbatis benefácere, an malè? ánimam ſalvam fácere, an pérdere? At illi tacĕbant. Et circumſpíciens eos cum ira, contriſtátus ſuper cæcitátĕ cordis eórum, dicit hŏmini: Extende manum tŭam. Et extendit, & reſtitúta eſt manus ĭlli. Exeuntes autem Phariſæi, ſtatim cum

Herodiánis consílium faciébant adversùs eum, quómŏdŏ eum pérderent: Jeſus autem cum diſcípŭlis sŭis ſeceſſit ad mare.

Rub. ſeu *Fulv.*

DOMINICA XVII.
POST PENTECOSTEN.

INTROITUS.

Pſal. 17. DIligam te, Dómine, fortitúdo mea; Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum,

Ibid. & liberátor meus. *PSALM.* Deus meus, adjútor meus; * & ſperábo in eum. Glória. Díligam.

COLLECTA. Orémus.

S. R. SAncti nóminis tui, Dómine timórem páriter & amórem fac nos habére perpétuum; quia numquam tuâ gubernatióne deſtítuis, quos in ſoliditáte tuæ dilectiónis inſtítuis; Per.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 4. FRatres; Obſecro vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne qua vŏcáti eſtis; cum omni humilitáte & manſuetúdine, cum patiéntia, ſupportantes ínvicem in caritáte, ſolíciti ſerváre unitátem ſpíritus in vínculo pacis. Unum corpus ĕt unus ſpíritus, ſicut vocáti eſtis in una ſpe vocatiônis veſtræ. Unus Dŏmĭnŭs, una fides, ûnum baptiſma. Unus Deus & Pater ómnium, qui eſt ſuper omnes, & pĕr ŏmnia, & in ómnibus nobis.

Pſal. 144. *GRADUALE.* Cuſtódit Dóminus omnes diligentes ſe, & omnes peccatóres diſperdet. ℣. Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet, & ſalvos fáciet eos.

Rom. 8. Allelúia, allelúia. ℣. Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 22. IN illo témpore; Phariſæi audientes quòd ſiléntium impoſuiſſet Jeſus Sadducæis, convĕnérunt in unum; & interrogávit eum unus ex eis legis doctor, tentans ĕum: Magiſter quod eſt mandátum magnum in lege? Ait illi Jesŭs; Díliges Dóminum Deum tuum ex totŏ corde tuo, & in tota ánima tua, & in tota mente tŭa. Hoc eſt máximum & primum mandătum. Secundum autĕm símile eſt huic: Díliges próximum tuum, ſicut teĭpſum. In his dŭóbus mandátis univerſa lex pendet, & prophĕtæ. Congregátis autem Phariſæis, interrogávit eos Jeſus, dĭcens: Quid vobis vidétur de Chriſto? cujus fílius eſt? Dicunt ĕi: Davĭd. Ait ĭllis: Quómodò ergo David in ſpíritu vocat eŭm Dóminum, dicens; Dixit Dóminus Dómino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimícos tuos ſcabellum pedum tuórum? Si ergo David vocăt eum Dóminum, quómodò fílius ejus eſt? Et nemo póterat ei reſpŏndére verbum: neque auſus fuit quiſquam ex illa die eŭm ămpliùs interrogáre. *Dicitur* Credo.

Iſai. 56. *OFFERTORIUM.* Qui adhærent Dómino, ut colant eum, & díligant nomen ejus, lætificábo eos in domo oratiónis meæ: holocauſta eórum, & víctimæ eórum placébunt mihi ſuper altári meo.

SECRETA.

M. P. SUſcipe, Dómine, ſacrifícium, cujus te voluiſti dignanter immolatióne placári; & præſta, ut hujus operatióne mundáti, beneplácitum tibi noſtræ mentis offerámus affectum; Per Dóminum.

I. Joan. 4. *COMMUNIO.* Deus cáritas eſt, & qui manet in caritáte, in Deo manet, & Deus in eo.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. DEus, qui nos vivíficis ſacramentis, in terris adhuc póſitos, cœléſtium rerum facis eſſe conſortes; te, quæſumus, in iſta quâ vívimus nos vitâ guberna, ut ad illam in qua ipſe es lucem perdúcas; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beáti Joânnis Apóſtoli.

I. Joan. 3. CAríſſimi; Si cor noſtrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum; & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo: quóniam mandáta ejus cuſtodímus, & ea, quæ ſunt plácita coram êo, fácimus. Et hoc eſt mándátum ejus; Ut credámus in nómine Fílii ejus Jeſu Chriſti, & diligámus altérutrum, ſicut dedit mandâtum nobis. Et qui ſervat mandáta ejus, in illo manet, ět ipſe in eo: & in hoc ſcimus quóniam manet in nobis dě Spíritu quem dedit nobis.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 23. IN illo témpore; Dicébat Jeſŭs: Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypócritæ; quia cláuditis regnum cœlórŭm ante hómines: vos enim non intrátis, nec introeuntes sínitis intrăre. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypócritæ; quia coméditis domos viduárum, oratiónĕs longas orantes: propter hoc ámplius accipiétis judĭcium. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypócritæ; quia circúitis mare & áridam, ut faciátis unum proſélytum: & cùm fúerit factus, fácitis eum fílium gehennæ duplo quàm vŏs. Væ vobĭs, duces cæci, qui dícitis: Quicumque juráverit per templum, nihil eſt: qui autem juráverit in auro templi, dĕbet. Stulti & cæci: quid enim majus eſt, aurum, an templum quod ſanctíficat aurum? Et, Quicumque juráverit in altárĭ, nihil eſt: quicumque autem juráverit in dono quod eſt ſuper illud, dĕbet. Stulti & cæci: quid enim majus eſt, donum, an altáre quod ſanctíficat donum? Qui ergo jurat in altári, jurat in eo, & in ómnibus quæ ſuper illud ſunt: & quicumque juráverit in templo, jurat in illo, & in eo quĭ hábitat in ipſo: & qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & ĭn ĕo qui ſedet ſuper eum.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beáti Joânnis Apóſtoli.

II. Joan. 17. SEnior Electæ dóminæ, & natis ejus, quos ego díligo in veritáte; & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognovérŭnt veritátem, propter veritátem quæ pérmanet in nobis, & nobiſcum erit în æternum. Sit vobiſcum grátia, miſericórdia, pax à Deo Patre, & à Chriſto Jĕſu Fílio Patris, in veritáte & câritáte. Gavíſus ſum valdè, quóniam invéni de fíliis tuis ambulantes ĭn veritáte, ſicut mandátum accêpimus à Patre. Et nunc rogo te, dómina, non tanquam mandátum novŭm ſcribens tibi, ſed quod habúimus ab inítio, ut diligâmus altérutrum. Et hæc eſt cáritas, ut ambulémus ſecundùm mandâta ejus. Hoc eſt enim mandátum, ut quemádmodum audiſtis ab inítio, in eŏ ambulétis: quóniam multi ſeductóres exiérunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor, & ântichriſtus. Vidéte voſmetipſos, ne perdátis quæ opĕráti eſtis: ſed ut mercédem plenam accîpiátis. Omnis qui recédit, & non pérmanet in doctrína Chriſtĭ, Deum non habet: qui pérmanet in doctrína, hic & Patrem & Fîlium habet. Si quis

venit ad vos, & hanc dŏctrínam non affert, nolíte recípere eum in domum, nec Ave êi dixéritis. Qui enim dicit illi Ave, commúnicat opéríbŭs ĕjus malignis.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 23. IN illo témpore; Dicébat Jesŭs: Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypócritæ, qui decimátis mentham, & anéthum, & cyminum; & reliquiſtis quæ gravióra ſunt legis, judícium, & miſerĭcórdiam, & fidem: hæc opórtuit fácere, & illa non omĭttere. Duces cæci, excŏlantes cúlicem, camélum autem glutiĕntes. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypócritæ, quia mundátis quod déforis eſt cálĭcĭs, & parópſidis: intus autem pleni eſtis rapína, & immundĭtia. Phariſæe cæce, munda priùs quod intus eſt cálĭcĭs, & parópſidis, ut fiat id, quod déforis eſt, mŭndum. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypócritæ; quia símiles eſtis ſepulcris dealbátis, quæ áforis parent homínibus ſpecióſa, intus verò plena ſunt óſſibus mortuórum, ĕt omni ſpurcítia: ſic & vos áforis quidem parétis homínibus juſti; intus autem pleni eſtis hўpŏcriſi & iniquitáte.

Rub. ſeu Fulv. ## DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

INTROITUS.

Pſal. 85. INclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me: ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te: miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die.

Ibid. *PSALM.* Lætífica ánimam ſervi tui, * quóniam ad te, ánimam meam levávi. Glória. Inclína.

COLLECTA.

S. R. Orémus. DIrigat corda noſtra, quæſumus, Dómine, tuæ miſeratiónis operátio; quia tibi ſine te placére non póſſumus; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cor. 1. FRatres; Grátias ago Deo meo ſemper pro vobis in grátia Dei quæ data vobis in Chriſto Jeſu: quòd in ómnibus dívites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſciéntia, ſicut teſtimónium Chriſti confirmátŭm eſt in vobis: ita ut nihil vobis deſit in ulla grátia, expectántibus revelatiónem Dómini noſtri Jeſu Chriſti; qui & confirmábit vos uſque in finem ſine crímine, in die adventus Dómĭnĭ nŏſtri Jeſu Chriſti.

Pſal. 27. *GRADUALE.* In Deo ſperávit cor meum, & adjútus ſum: & reflóruit caro mea, & ex voluntáte mea confitébor ei. ℣. Omnia oſſa mea dicent, Pſal. 34. Dómine, quis símilis tibi?

Pſal. 145. Allelúia, allelúia. ℣. Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipsíus, qui fecit cœlum & terram. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 9. IN illo témpore; Aſcendens Jeſus in navícŭlăm, transfretávit, & venit in civitátem sŭam. Et ecce offerébant ei paralyticum jacentem in lĕcto. Et videns Jĕſus fidem illórum, dixit paralўtico: Cŏnfíde, fili, remittuntur tibi peccáta tŭa. Et ecce quidam de Scribis dixérŭnt intra ſe: Hic blaſphĕmat. Et cùm vidiſſet Jeſus cogitatiónes eórum, dĭxit: Ut quid cogitátis mala in córdibus veſtris? quid eſt facílius dícere? dimittuntur tibi pĕccáta tua; an dícere: Surge & ámbula? Ut autem ſciátis quia Fílius hóminis habet poteſtátem in terra dimĭttendi peccáta; tunc ait paralўtico: Surge, tollĕ lectum tuum, & vade in domum tŭam. Et ſurrexit, & ábiit in domum sŭam. Videntes autem turbæ timuérunt, & glorificavérunt Deum, qui dedit poteſtátĕm tălem homínibus.

Dicitur

Dicitur Credo.

Psal. 39. *OFFERTORIUM.* Expectans expectávi Dóminum, & intendit mihi; & exaudívit preces meas; & immísit in os meum cánticum novum, carmen Deo nostro.

SECRETA.

M. P. PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris; & has pópuli tui oblatiónes benignus assúme: &, ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio; præsta ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur; Per Dóminum.

Psal. 29. *COMMUNIO.* Dómine, Deus meus, clamávi ad te, & sanásti me. Psállite Dómino, sancti ejus; & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SEntiámus, Dómine, quæsumus, tui perceptióne Sacramenti subsídium mentis & córporis; ut in utróque salváti, cœléstis remédii plenitúdine gloriémur; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

Rub. seu Fulv. Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

II. Cor. 5. FRatres; Cáritas Christi urget nos; æstimantes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt: & pro ómnibus mórtuus est Christus; ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est, & rêsurrexit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndùm carnem. Etsi cognóvimus secundùm carnem Christum: sed nunc jâm non nóvimus. Si qua ergo in Christo novă creatúra: vétera transiérunt; ecce facta sunt ômnia nova. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum; & dedit nobis ministérium reconciliâtiónis. Quóniam quidem Deus erat inChristo mundum reconcílians sibi, non réputans illis délicta ipsórum; & pósuit in nobis verbum reconciliâtiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortânte per nos. Obsécrámus pro Christo, reconciliâmini Deo. Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis péccátum fecit, ut nos efficerémur justítiă Dei in ipso.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 4. IN illo témpore; Circuíbat Jesus totam Galilæam, docens in synagógis eórum, & prædicans Evăngelium regni; & sanans omnem languórem, & omnem infirmitátem in pópulo. Et ábiit opínio ejus in totam Syriam, & obtulérunt ei omnes malè habentes, váriis languóribus & tormentis comprehensos, & qui dæmónia habébant, & lunáticos, & paralyticos, & cŭrávit eos: & secútæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decápoli, & de Jerosólymis & de Jŭdæa, & de trans Jordánem.

FERIA SEXTA.

Rub. seu Fulv. Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Côlossenses.

Cap. 3. FRatres; Mortificáte membra vestra, quæ sunt super terram; fornicatiónem, immundítiam, libídinem, concupiscéntiam malam, & avarítiam, quæ est símulăcrórum sérvitus: propter quæ venit ira Dei super fílios incredulitátis; in quibus & vos ambulástis aliquando, cùm viverêtis in illis. Nunc autem depónĭtĕ & vos ómnia; iram, indignatiónem, malítiam, blasphémiam, turpem sermónem de ôre vestro. Nolíte mentíri ínvicem, expoliantes vos véterem hóminem cum áctibus suis, & induentes novum, eum qui renovátur in agnitiónem, secundùm imáginem

ejus qui crĕávit illum : ubi non eſt Gentílis & Judæus, circumcíſio & præpútium, Bárbarus & Scytha, ſervus & liber : sĕd ŏmnia & in ómnibus Chriſtus.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 9. IN illo témpore; Acceſſérunt ad Jeſum diſcípuli Joannis, dicĕntes: Quare nos & Phariſæi jejŭnámus frequenter; diſcípuli autem tui non jejúnant? Et ait illis Jesŭs: Numquid poſſunt fílii ſponſi lugére, quámdiu cum illis eſt ſponſus? Vénient autem dies cùm auferétur ab eis ſponſus : & tunc jejunăbunt. Nemo autem immittit commiſſúram panni rudis in veſtĭmentum vetus : tollit enim plenitúdinem ejus à veſtimento ; & pejor ſciſſúra fĭt. Neque mittunt vinum novum ĭn utres véteres ; alióquin rumpuntur utres, & vinum effúnditur, & utres pĕreunt. Sed vinum novum in utres novŏs mittunt, & ambo conſervantur.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu Fulv.

INTROITUS.

Psal. 36. SAlus juſtórum à Dómino, & protector eórum in témpore tribulatiónis : & adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos, quia ſperavérunt in eo. *PSALM.* Noli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris facientes iniquitátem. Glória. Salus.

Ibid.

COLLECTA. Orémus.

S. R. OMnípotens & miſéricors Deus, univerſa nobis adverſántia propitiátus exclúde ; ut mente & córpore páriter expediti, quæ tua ſunt, líberis méntibus exequámur ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 4. FRatres ; Renovámini ſpírĭtŭ mentis veſtræ ; & indúite novum hóminem, qui ſecundùm Deum creátus eſt in juſtítia & ſanctitáte vêritátis. Propter quod deponentes mendácium, loquímini veritátem unuſquiſque cŭm próximo ſuo ; quóniam ſumus ĭnvicem membra. Iraſcímini, & nolîte peccáre. Sol non óccidat ſuper iracúndiam veſtram. Nolíte locum dâre diábolo. Qui furabátur, jăm non furétur ; magìs autem labóret, operando mánibus ſuis quod bonum eſt, ut hábeat undĕ trĭbuat neceſſitátem patienti.

Prov. 1. *GRADUALE.* Vocávi & renuiſtis ; extendi manum meam, & non fuit qui aſpíceret. ℣. Propter hoc, dicit Dóminus, ecce ſervi mei cómedent ; & vos eſuriétis, bibent, & vos ſitiétis : lætabuntur, & vos confundémini.

Isai. 65.

Jac. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, & herédes regni, quod repromíſit Deus diligéntibus ſe. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 22. IN illo témpore ; Reſpondens Jeſus dixit íterùm in parábolis princípibus ſacerdótum ĕt Phariſæis, dĭcens : Símile factum eſt regnum cœlórŭm hómini regi, qui fecit núptias fílio sŭo. Et miſit ſervos ſuos vocáre invĭtátos ad núptias ; & nolébant venĭre. Iterùm miſit álios ſervos, dĭcens : Dícĭtĕ invitátis ; Ecce prándium meum parávi ; tauri mei, & altília occíſa ſunt, & ómnia paráta : veníte ad nŭptias. Illi autem neglexérunt ; & abiérunt, álius in villam ſuam, álius verò ad negotiatiónem ſuam, réliqui verò tenuérunt ſervos ejus, & contu-

méliis affectos occidĕrunt. Rex autem cùm audiſſet, ĭrátus eſt; & miſſis exercítibus ſuis, pérdidit homicídas illos, & civitátem illórum ſuccĕndit. Tunc ait ſervis sŭis: Núptiæ quidem părátæ ſunt, ſed qui invitáti erant, non fuérunt dĭgni. Ite ergo ăd éxitus viárum, & quoſcumque invenéritis, vocáte ad nŭptias. Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregavérunt omnes quos invenérŭnt, malos & bonos: & implétæ ſunt núptiæ diſcumbĕntium. Intrávit autem rex ut vidérĕt diſcumbentes, & vidit ibi hóminem non veſtítum veſte nuptiăli. Et ait ĭlli: Amíce, quómŏdŏ huc intraſti, non habens veſtem nuptiálem? At ille obmŭtuit. Tunc dixit rex miníſtris: Ligátis mánibus & pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres; ibi erit fletus ĕt ſtridor déntium: multi enim ſunt vŏcăti, pauci verò electi.

Dicitur Credo.

Pſal. 147. *OFFERTORIUM.* Lauda Jerúſalem, Dóminum: lauda Deum tuum, Sion; quóniam benedixit fíliis tuis in te.

SECRETA.

S. R. ADeſto, Dómine, ſupplicatiónibus & hóſtiis noſtris; & nihil de ſua conſciéntia præſumentibus ineffábili miſeratióne ſuccurre: ut, quod non habet fidúcia meritórum, tua cónferat lárgitas immenſa donórum; Per Dóminum.

Pſal. 118. *COMMUNIO.* Tu mandaſti mandáta tua cuſtodíri nimis; útinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas juſtificatiónes tuas.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. TUa nos, Dómine, medicinális operátio, per hæc ſancta quæ ſúmpſimus, & à noſtris perverſitátibus clementer expédiat, & tuis ſemper fáciat inhærére mandátis; Per.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu *Fulv.* Léctio libri Provêrbiórum. Cap. 1.

COnvertímini ad correptiónem meam: en próferam vobis ſpíritum meum, & oſtendam vobis vêrba mea. Quia vocávi, ĕt renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit quî aſpíceret. Deſpexiſtis omne cŏnsílium meum, & increpatiónes meas nêglexiſtis. Ego quoque in intéritu veſtro ridébo ĕt ſubſannábo, cùm vobis id, quod timebâtis, advénerit. Cùm irrúerit repentína calámitas, & intéritus quaſi tempeſtas ingrúerit: quando vénerit ſuper vos tribulátiŏ, & angúſtia: tunc invocábunt me, & non exáudiam; manè conſurgent, & non invénient me: eò quòd exóſam habúerint diſciplínam, & timórem Dómini non ſuſcéperint, nec acquiéverint consílio meo, & detráxerint univĕrſæ correptióni meæ.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 10. FActum eſt in una diérum, docente Jeſu pópulum in templo, & Evangelizante, convenérunt príncipes ſacerdótum, & Scribæ cŭm ſenióribus; & aiunt dicentes ad ĭllum: Dic nobis in qua poteſtáte hæc facis? aut quis eſt, qui dedit tibi hanc poteſtátem? Reſpondĕns autem Jeſus, dixit ad ĭllos: Interrogábo vos & egŏ unum verbum, reſpondéte mĭhi: Baptiſmus Joannis de cœlo erat, an ex homínibus? At illi cogitábant intră ſe, dicentes: Quia ſi dixérimus, De cœlo; dicet, Quare ergo non credidiſtis illi? ſi autem dixérimus, Ex homínibus; plebs univerſa lapidábit nos: certi ſunt enim Joannem Prophétam ĕſſe. Et reſpondérunt ſe neſcíre unde ĕſſet. Et Jeſus ait ĭllis: Neque ego dico vobis in qua potĕſtăte hæc fácio.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv. Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 1. FRatres; Benedictus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictióne ſpirituáli in cœléſtibus in Chriſto, ſicut elégit nos in ipſo ante mundi conſtitutiónem, ut eſſémus ſancti & immaculáti in conſpectu ejus in cáritáte. Qui prædeſtinávit nos in adoptiónem filiórum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propóſitum voluntátis ſuæ, in laudem glóriæ grátiæ ſuæ, in qua gratificávit nos in dilecto Fílio ſuo. In quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum, ſecundùm divítias grátiæ ejus, quæ ſuperabundávit in nobis, in omni ſapiéntĭă & prudéntia; ut notum fáceret nobis ſacramentum voluntátis ſuæ, ſecundùm beneplácitum ejus, quod propóſuit in eo, in diſpenſatióne plenitúdinis témporum, inſtauráre ómnia in Chriſto, quæ in cœlis eſt, & quæ in terra sûnt, in ipſo. In quo étiam & nos ſorte vocáti ſumus, prædeſtináti ſecundùm propóſitum ejus, qui operátur ómnia ſecundùm consílium volŭntátis ſuæ; ut ſimus in laudem glóriæ ejus nos, qui ante ſperâvimus in Chriſto. In quo & vos, cùm audiſſétis verbum veritátis, (Evangélium sălútis veſtræ) in quo & credentes ſignáti eſtis Spíritu promiſſiónis ſancto, qui eſt pignus hereditátis noſtræ, in redemptiónem acquiſitĭŏnis, in laudem glóriæ ipsíus.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 3. IN illo témpore; Dixit Joannes diſcípulis sŭis: Qui accépit Chriſtĭ teſtimónium, ſignávit quia Deus verax ĕſt. Quem enim miſit Deus, verbă Dei lóquitur: non enim ad menſúram dat Deus Spĭritum. Patĕr díligit Fílium: & ómnia dedit in manu ĕjus. Qui credit in Fílium, habĕt vitam æternam: qui autem incrédulus eſt Fílio, non vidébit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ĕum. Ut ergo cognóvit Jeſus quia audiérunt Phariſæi quòd Jeſus plures diſcípulos facit & baptízăt, quàm Joannes; (quamquam Jeſus non baptizáret, ſed diſcípuli ejus) relíquit Judæam, & ábĭit ĭterùm in Galilæam. *Cap. 4.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu Fulv.

INTROITUS.

EXaudi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: adjútor meus eſto; ne derelinquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus. *PSALM.* Dóminus illumináti mea, & ſalus mea: * quem timébo? Glória. Exaudi. *Pſal. 26.* *Ibid.*

COLLECTA. Orémus.

LArgíre, quæſumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus & pacem; ut páriter ab ómnibus mundentur offenſis, & ſecúrâ tibi mente deſérviant; Per Dóminum. *S. R.*

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

VIdéte, fratres, quómodò cautè ambulétis: non quaſi inſipientes, ſed ŭt ſapientes: redimentes tempus, quóniam dies mâli ſunt. Proptéreà nolíte fíĕrĭ imprudentes; ſed intelligentes quæ ſit volûntas Dei. Et nolíte inebriári vino, in quŏ eſt luxúria; ſed implémini Spíritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & *Cap. 5.*

hymnis,

hymnis , & cánticis ſpirituálibus , cantantes & pſallentes in córdibus veſtris Dómino , grátias agentes ſemper pro ómnibus in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti , Dêo & Patri. Subjecti ínvicem in timóre Chriſti.

Pſal. 29. *GRADUALE.* Audívit Dóminus , & miſertus eſt meî : Dóminus factus eſt adjútor meus. ℣. Convertiſti planctum meum in gáudium mihi ; & circumdediſti me lætítiâ.

Pſal. 30. Allelúia , allelúia. ℣. Viríliter ágite , & confortétur cor veſtrum , omnes qui ſperátis in Dómino. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 4. IN illo témpore ; Erat quidam régulus , cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Hic cùm audiſſet quia Jeſus adveníret à Judæa in Galilæam , ábiit ad eum ; & rogábat eum ut deſcénderet , & ſanáret fílium ejus : incipiébat enim mori. Dixit ergo Jeſus ad eum : Niſi ſigna , & prodígia vidéritis , non créditis. Dicit ad eum régulus : Dómine , deſcende priuſquàm moriátur fílius meus. Dicit ei Jesus : Vade , fílius tuus vivit. Crédidit homo ſermóni , quem dixit ei Jeſus , & ibat. Jam autem eo deſcendente , ſervi occúrrérunt ei , & nuntiavérunt dicentes , quia fílius ejus viveret. Interrogábat ergo horam ab eis , in qua mélius habuerit. Et dixérunt ei , quia Heri hora ſéptima relíquit eum febris. Cognóvit ergo pater , quia illa hora erat , in qua dixit ei Jeſus ; Fílius tuus vivit. Et crédidit ipſe , & domus ejus tota.

Dicitur Credo.

Pſal. 33. *OFFERTORIUM.* Magnificáte Dóminum mecum ; & exaltémus nomen ejus in idipſum : exquisívi Dóminum , & exaudívit me.

SECRETA.

COncéde nobis , omnípotens Deus , hujus oblatiónis mérito , munus tuæ benedictiónis , qui noſtræ cónſcius es infirmitátis ; & qui nobis ſupplicandi præſtas affectum , tríbue conſolatiónis auxílium ; Per Dóminum. S. R.

COMMUNIO. Vota mea reddam in conſpectu timéntium Dóminum ; & ánima mea illi vivet , & ſemen meum ſérviet ipſi. Pſal. 21.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

QUæſumus , Dómine Deus noſter , ut quos divínis reparáre non déſinis ſacramentis , tuis non deſtítuas benignus auxíliis ; Per. M. P.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 28. IN diébus illis ; Cùm evaſiſſémus , tunc cognóvimus quia Mélita ínſula vocabátur. Bárbari verò præſtábant non módicam humanitâtem nobis. Accenſa enim pyra , reficiébant nos omnes , propter imbrem qui imminêbat , & frigus. Cùm congregaſſet autem Paulus ſarmentórum aliquantam multitúdinem , & impoſuiſſet ſuper ignem ; vípera à calóre cùm proceſſiſſet , invaſit mânum ejus. Ut verò vidérunt bárbari pendentem béſtiam de manu ejus , ad ínvicem dicébant : Utique homicída eſt homo hic , qui cùm evaſerit de mari , últio non ſinit êum vívere. Et ille quidem excútiens béſtiam in ignem , nihil mali pâſſus eſt. At illi exiſtimábant eum in tumórem convertendum , & ſúbitò casûrum & mori. Diu autem illis expectántibus , & vidéntibus nihil mali in eo fieri , convertentes ſe , dicébant eum êſſe Deum. In locis autem illis erant prædia príncipis ínſulæ , nómine Públii , qui nos ſuſcípiens , tríduo benîgnè exhíbuit. Contigit

autem patrem Públii fébribus & dyſentéria vĕxátum jacére : ad quem Paulus intrávit ; & cùm oraſſet , & impoſuiſſet ei manus , ſalvâvit eum. Quo facto , omnes , qui in ínſula habébant infirmitátes , accedébant , ĕt curabantur : qui étiam multis honóribus nos honoravérunt , & navigántibus imposŭĕrunt quæ neceſſária erant.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 8. IN illo témpore ; Veſperè facto , obtulérunt Jeſu multos dæmónia habentes : & ejiciébat ſpíritus verbo ; & omnes malè habentes curávit : ut adimplerétur quod dictum eſt per Iſaíam prophétam dicentem : ipſe infirmitátes noſtras accépit ; & ægrotatiónĕs nŏſtras portávit.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fuiv. Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

I. Cor. 10. FRatres ; Omnĭă mihi licent , ſed non ômnia expédiunt. Omnĭă mihi licent , ſed non ômnia ædíficant. Nemo quŏd ſuum eſt quærat , ſed quôd altérius. Omne , quod in macello vænĭt , manducáte , nihil interrogantes propter cônſciéntiam. Dómini eſt terra , & plenitûdo ejus. Si quis vocat vos infidélium , ĕt vultis ire : omne , quod vobis appónitur , manducáte , nihil interrogantes propter cônſciéntiam. Si quis autem díxerit , Hoc immolátŭm eſt idólis ; nolíte manducáre propter illum qui indicávit , & propter conſciéntiam : conſciéntiam autem dico non tuam , sêd altérius. Ut quid enim libertas mea judicátur ab aliéna conſciéntia ? Si ego cŭm grátia partícipo , quid blaſphémor pro eo quod grátias ago ? Sive ergo manducátis , ſive bíbitis , ſivĕ áliud quid fácitis : ómnia in glóriam Dêi fácite. Sine offenſióne eſtóte Judæis , & Géntibus , & Eccléſiæ Dei ; ſicut & ego per ómnia ómnibus pláceo , non quærens quod mihi útile eſt , ſed quŏd mŭltis ; ut ſalvi fiant.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 5. IN illo témpore ; Exeunti Jeſu de navi , ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpíritu immundo , qui domicílium habébat in monumentis , & neque caténis jam quiſquam póterat eum ligáre ; quóniam ſæpe compédibus & caténis vinctus , dirupiſſet caténas , & cómpedes comminuiſſet , & nemo pótĕrăt eum domáre ; & ſemper die ac nocte in monumentis , & in móntibus erat , clamans , & concídens ſe lapĭdibus. Videns autem Jeſum à longè , cucurrit , & adŏrávit eum ; & clamans voce magna dĭxit : Quid mihi , & tibi , Jeſu Fili Dei altíſſimi ? adjúro te per Deum , ne me tŏrqueas. Dicébat enim ĭlli : Exi , ſpíritus immunde , ab hŏmine. Et interrogábat ĕum : Quod tibi nomen eſt ? & dicit ĕi : Légio mihĭ nomen eſt , quia multi sŭmus. Et deprecabátŭr eum multùm , ne ſe expélleret extra regiŏnem. Erat autem ibi circa montem grex pŏrcórum magnus , păſcens. Et deprecabantur eum ſpíritus , dicĕntes : Mittĕ nos in porcos : ut in eos introeămus. Et conceſſit eis ſtatim Jesŭs. Et exeuntes ſpíritus immundi introĭérunt in porcos ; & magno ímpetu grex præcipitátus eſt in mare ad duo míllia , & ſuffocáti ſunt in mări. Qui autem paſcébănt eos , fugérunt , & nuntiavérunt in civitátem , & in ăgros. Et egreſſi ſunt vidére quid eſſet factum : & véniunt ad Jeſum ; & vident illum , qui à dæmónio vexabátur , ſedentem , veſtítum , &

ſanæ mentis : & timuĕrunt. Et narravérŭnt illis, qui víderant, quáliter factum eſſet ei, qui dæmónium habúerat, & de pŏrcis. Et rogáre cœpérunt eum ut diſcéderet de fínibus eŏrum. Cùmque aſcénderet navim, cœpit illum deprecári, qui à dæmónio vexátus fúerat, ŭt eſſet cum illo ; & non admíſit eum, ſed ait ĭlli : Vade in domŭm tuam ad tuos ; & annúntia illis quanta tibi Dóminus fécerit, & miſertus ſit tŭi. Et ábiit, & cœpit prædicáre in Decápoli quantă sĭbi feciſſet Jeſus.

DOMINICA XXI.
POST PENTECOSTEN.

Rubr. ſeu *Fulv.*

INTROITUS.

Eſth. 13. IN ditióne tua, Dómine, cuncta ſunt póſita ; & non eſt qui poſſit tuæ reſíſtere voluntáti : tu feciſti cœlum & terram, & quidquid quæ cœli ámbitu continétur : Dóminus ómnium es. *PSALM.* Dóminus regnávit, decórem indútus eſt : * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcinxit ſe. Glória. In voluntáte.

Pſal. 92.

COLLECTA. Orémus.

M. P. FAmíliam tuam, quæſumus, Dómine, contínuâ pietáte cuſtódi ; ut à cunctis adverſitátibus, te protegente, ſit líbera : & in bonis áctibus tuo nómini ſit devóta ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 6. FRatres ; Confŏrtámini in Dómino, & in poténtia virtûtis ejus. Indúite vos armătúram Dei ; ut poſſítis ſtare adversùs insîdias diáboli. Quóniam non eſt nobis colluctátio adversŭs carnem & ſánguinem ; ſed adversùs príncipes & poteſtátes, adversùs mundi rectóres tenebrárum harum, contra ſpirituália nequítiæ în cœléſtibus. Proptéreà accípite armătúram Dei, ut poſſítis reſíſtere in die malo, & in ómnibus perfĕcti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritáte, & indúti lorícam juſtítiæ, & calceáti pedes in præparatióne Evăngélii pacis ; in ómnibus ſumentes ſcutum fídei, in quo poſſítis ómnia tela nequíſſimi îgnea extínguere. Et gáleam sălútis aſſúmite ; & gládium ſpíritus, quod eſt vêrbum Dei. Per omnem oratiónem, & obſecratiónem orantes omnĭ témpore in ſpíritu ; & in ipſo vigilantes in omni ĭnſtăntia, & obſecratióne.

GRADUALE. Miſerátor & miſéricors Dóminus, pátiens & multùm miſéricors. ℣. Suávis Dóminus univerſis, & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus. Pſal. 144.

Allelúia, allelúia. ℣. Qui timétis Dóminum, laudáte eum, quóniam non ſprevit, neque deſpexit deprecatiónem páuperis. Allelúia. Pſal. 21.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 18. IN illo témpore ; Dixit Jesŭs : Aſſimilátum eſt regnum cœlórŭm hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum ſervis sŭis. Et cùm cœpiſſet ratĭónem pónere, oblátus eſt ei unus, qui debébat ei decem míllia talĕnta. Cùm autem non habérĕt unde rédderet, juſſit eum dóminus ejus venúmdari, & uxórem ejus, & fílios, & ómnia quæ habébat, & rĕddi. Prócidens autĕm ſervus ille, orábat eum, dĭcens : Patiéntĭăm habe in me, & ómnia reddam tĭbi. Miſertus autem dómĭnŭs ſervi illíus, dimíſit eum, & débitum dimíſit ĕi. Egreſſus autem ſervus ille, invénit unum de conſervis ſuis, qui debébat eĭ centum denários ; & tenens ſuffocábat eum, dĭcens : Redde quod dĕbes. Et prócidens cŏnſervus ejus, rogábat eum, dĭcens : Patiéntĭăm

habe in me, & ómnia reddam tĭbi. Illĕ autem nóluit; ſed ábiit, & miſit eum in cárcerem, donec rédderet dĕbitum. Videntes autem conſervi ejus quæ fiébant, contrĭſtáti ſunt valdè; & venérunt, & narravérunt dómino ſuo ómnia, quæ facta fŭerant. Tunc vocávit illŭm dóminus ſuus; & ait ĭlli: Serve nequam, omne débitum dimíſi tibi, quóniam rŏgaſti me: nonne ergo opórtuit & te miſeréri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et irátŭs dóminus ejus, trádidit eum tortóribus, quoaduſque rédderet univerſum dĕbitum. Sic & Pater meus cœleſtĭs fáciet vobis, ſi non remiſéritis unuſquiſque fratrĭ sŭo de córdibus veſtris.

Dicitur Credo.

Eccli. 35. *OFFERTORIUM.* Sacrifícium ſalutáre eſt atténdere mandátis, & deprecátio pro peccátis recédere ab injuſtítia. Qui facit miſericórdiam, offert ſacrifícium.

SECRETA.

M. P. SUſcipe, Dómine, hóſtias, quibus & te placári voluiſti, & nobis ſalútem potenti pietáte reſtítui: atque ut noſtra nobis débita dimittas; fac nos ſua debitóribus noſtris ex ánimo relaxáre; Per Dóminum.

Eph. 6. *COMMUNIO.* Indúite vos armatúram Dei, ut poſsítis reſíſtere in die malo, & in ómnibus perfecti ſtare.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

REfectis pane ſpiritáli, qui Chriſtus eſt, da nobis, Dómine, ut in te, & in poténtia virtútis tuæ confortáti, hoſtíles insídias gládio ſpíritûs, & ſcuto fídei ſuperémus; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio lîbri Géneſis.

Cap. 50. IN dĭébus illis; Reverſus eſt Joſeph in Ægyptum cum frátribus ſuis, & omnĭ comitátu, ſepûlto patre. Quo mórtuo, timentes fratres ejus, & mútŭŏ colloquentes: Ne fortè memor ſit injúriæ quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fécimus; mandavérunt êi dicentes: Pater tuus præcépit nobis, ántequàm morerétur, ut hæc tibi verbis illíus dicerémus: Obſecro ut obliviſcáris ſcéleris fratrum tuórum, & peccáti atque malítiæ quam exercŭérunt in te: nos quoque orámus ut ſervis Dei patris tui dimittas iniquitâtem hanc. Quibus audítis flêvit Joſeph. Veneruntque ad eŭm fratres ſui; & proni adorantes in têrram, dixérunt: Servi tûi ſumus. Quibus îlle reſpondit: Nŏlíte timére: num Dei póſſumus resíſtere voluntáti? Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltáret me, ſicut in præſentiárum cérnitis, & ſalvos fáceret mûltos pópulos. Nŏlíte timére: ego paſcam vos & pârvulos veſtros. Conſolatuſque eſt eos, & blande ăc lĕniter eſt locútus.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap 6. IN illo témpore, Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Orantes nolíte multùm loquĭ, ſicut éthnici; putant enim quòd in multilóquio ſuo exaudiántur. Nolíte ergo aſſimĭlári eis: ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, ántequàm petátis eum. Sic ergo vos orăbitis: Pater noſter, quĭ es in cœlis: ſanctificétur nomen tŭum. Advéniat regnum tŭum. Fiat vŏluntas tua, ſicut in cœlo, & in tĕrra. Panem noſtrum ſuperſubſtantiálem da nobis hŏdie. Et dimitte nobĭs débita noſtra,

ſicut

ſicut & nos dimíttimus debitóribus nŏſtris. Et ne nos indúcas in tentatiŏnem. Sed líbera nos à mălo. Amĕn. Si enim dimiſéritis homínibus pĕccáta eórum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta vĕſtra. Si autem non dimĭſéritis homínibus, nec Pater veſter dimittĕt vŏbis peccáta veſtra.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio libri Eccleſiáſtici.

Cap. 28.

QUi vindicári vult, à Dómino ĭnvéniet vindictam, & peccáta illíus sêrvans ſervábit. Relinque próximo tuo nŏcenti te; & tunc deprecanti tibi peccâta ſolventur. Homo hómini rĕſervat iram, & à Deo quærit medélam? In hóminem símilem ſibi non habet mĭſericórdiam, & de peccátis ſuis deprecátur? Ipſe cùm caro ſit, rĕſervat iram, & propitiatiónem petit à Deo? quis exorábit pro delictis illíus? Memento noviſſimórum, & déſine ĭnimicári: tabitúdo enim & mors ímminent in mandâtis ejus. Memoráre tĭmórem Dei, & non iraſcâris próximo. Memoráre teſtámentum Altíſſimi, & déſpice ignorântiam próximi. Abſtine te à lite, ĕt mínues peccáta: homo enim iracundus incendit litem, & vir peccátor turbábit amícos, & in médio pacem habéntium immittet inîmicítiam. Secundùm enim ligna ſilvæ, ſic ignĭs exardeſcit: & ſecundùm virtútem hóminis, ſic iracúndia illíus erit; & ſecundùm ſubſtántĭăm sŭam exaltábit iram ſuam.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 6.

IN illo témpore; Jeſus dicĕbat: Vobis dicŏ qui audítis; Dilígite inimícos veſtros, benefácite his, qui odérunt vŏs. Benedícite maledĭcentibus vobis, & oráte pro calumniántibus vŏs. Et qui te pércŭtĭt in maxillam, præbe & álteram. Et ab eo qui aufert tibĭ veſtimentum, étiam túnicam noli prohibĕre. Omni autem pĕtenti te, tríbue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne rĕpetas. Et prout vultis ut fácĭănt vobis hómines, & vos fácite illis ſimĭliter. Et ſi dilígitis eos, qui vos díligunt, quæ vobis eſt grátia? nam & peccatóres diligentes ſe dĭligunt. Et ſi benefecéritis his, qui vobis benefáciunt, quæ vobis eſt grátia? ſíquidem & peccatóres hoc făciunt. Et ſi mútuum dedéritis his, à quibus ſpĕrátis recípere; quæ grátia eſt vobis? nam & peccatóres peccatóribus fœnerantur, ut recípiant æquălia. Verúmtamen dilígite inimícos veſtros; benefácite, & mútuum date, nihĭl inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & éritis fílii Altíſſimi, quia ipſe benignŭs ĕſt ſuper ingrátos & malos.

[*Si duæ tantùm ſuperſint Hebdomadæ uſque ad Adventum (quod contingit quando Paſcha accidit* xxiv. *vel* xxv. *Aprilis) Sabbato hujus Hebdomadæ* xxj. *dicitur Miſſa Dominicæ* xxij. *Dominicâ verò* xxij. *dicitur Miſſa Dominicæ* xxiij. *& Dominicâ* xxiij. *Miſſa Dominicæ* xxiv.]

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu Fulv.

INTROITUS.

Pſal. 46.

OMnes gentes, pláudite mánibus; jubiláte Deo in voce exultatiónis; quóniam Dóminus excelſus, terríbilis, Rex magnus ſuper omnem terram. *PSALM.* Pſállite Deo noſtro, pſállite: * pſállite Regi noſtro, pſállite; quóniam Rex omnis terræ Deus. Glória Patri. Omnes.

Ibid.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, refúgium noſtrum & virtus, adeſto piis Eccléſiæ tuæ précibus, auctor ipſe pietátis; & præſta, ut quod fidéliter pétimus, efficáciter conſequámur; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 13. FRatres; Omnis ánima poteſtátibus ſublimióribus sûbdita ſit. Non eſt enim poteſtăs niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinâtæ ſunt. Itaque qui reſiſtĭt poteſtáti, Dei ordinatiôni reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnatiónem acquírunt: nam príncipes non ſunt timóri boni ôperis, ſed mali. Vis autem non timére poteſtátem? Bonum fac; & habébĭs laudem ex illa: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malŭm féceris, time: non enim ſine cauſa glâdium portat. Dei enim mĭniſter eſt, vindex in iram ei qui mâlum agit. Ideò neceſſitáte ſúbditi eſtóte, non ſolŭm propter iram, ſed étiam propter cônſciéntiam. Ideò enim & tribúta præſtátis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum sêrvientes. Réddite ergŏ ómnibus débita: cui tribútum, tribútum; cui vectígal, vectígal; cui timórem, timórem; cui honôrem, honórem. Némini quidquam debeátis, niſi ut ínvĭcĕm diligátis: qui enim díligĭt prŏximum, legem implévit.

Eccli. 1. *Gradvale.* Unus eſt Altíſſimus creátor omnípotens, & Rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum illíus, & dóminans Deus.

Pſal. 137. ℣. Confiteantur tibi, Dómine, omnes Reges terræ; & cantent in viis Dómini, quóniam magna eſt glória Dómini.

I. Tim. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Regi ſeculórum, immortáli, invisíbili, ſoli Deo honor & glória in ſécula ſeculórum. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 22. IN illo témpore; Abeuntes Phariſæi consílium iniérunt ut cáperent Jeſum in ſermŏne. Et mittunt ei diſcípulos ſuos cum Hĕrodiánis, dicĕntes: Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritáte doces, & non eſt tibi cura de áliquo; non enim réſpicis pĕrſónam hóminum: dic ergo nobis quid tibi vidétur, licet cenſum dare Cæſari, an non? Cógnita autem Jeſus nĕquítia eórum, ăit: Quid me tentátis hypócritæ? oſténdite mihi numíſma cĕnſus. At illi obtulérunt ei denărium. Et ait illis Jesŭs: Cujus eſt imágo hæc, & ſuperſcríptio? Dicunt ĕi: Cæſaris. Tunc ait ĭllis: Réddite ergo quæ ſunt Cæsărĭs, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.

Dicitur Credo.

Pſal. 75. *Offertorium.* Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro, omnes qui in circúitu ejus affertis múnera, terríbili & ei qui aufert ſpíritum Príncipum, terríbili apud Reges terræ.

Secreta.

M. P. DEus, regnórum ómnium, Regumque moderátor, da nobis hujus prétio ſacrifícii, ſincérâ tibi eſſe caritáte ſubjectos, & ſublimióribus Poteſtátibus propter te fidéliter obſequentes; Per Dóminum.

Apoc. 11. *Communio.* Factum eſt regnum hujus mundi, Dómini noſtri & Chriſti ejus; & regnábit in ſécula ſeculórum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. CŒleſtibus, Dómine, repléti munéribus, & ſub terrénæ Poteſtátis regímine, temporálibus per te adjúti ſolátiis, quæſumus, ut dum tibi bonórum ómnium auctóri grátias ágimus, tuæ circà nos providéntiæ Miniſtris débita libenter propter te reddámus; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio líbri Regum.

1. Reg. 24.

IN díébus illis; Dixit Davîd ad Saul; Quare audis verbă hóminum loquéntium, David quærit malum adversùm te? Ecce hódie vidérunt óculi tui, quòd tradíderit te Dóminus in manu mea in ſpelunca: & cogitávi ut occíderem te, ſed pepercit tibĭ óculus meus: dixi enim: Non extendam manum meam in dóminum meum, quia Chriſtus Dômini eſt. Quin pótiùs, pater mi, vide & cognoſce oram chlámydis tuæ in manu mea: quóniam cùm præſcínderem ſummitátem chlámydis tuæ, nólui exténdere manŭm meam in te: animadverte & vide, quóniam non eſt in manu mea malum neque iníquitas; neque peccávi in te: tu autem inſidiáris ánimæ meæ ut âuferas eam. Júdicet Dóminus inter me & te; & uleíſcátur mĕ Dóminus ex te: manus autĕm mĕa non ſit in te.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 17.

IN illo témpore; Acceſſérunt, qui didrachma accipiébant, ad Petrum, & dixérunt ĕi: Magiſter veſter non ſolvit didrachma? Ait: Etiam. Et cùm ĭntraſſet in domum; prævénit eum Jeſus: dĭcens: Quid tibi vidétur, Simon? Reges terræ à quibus accípiunt tribútum vel cenſum? à fíliis ſuis, an ab aliénis? Et ille dĭxit: Ab aliĕnis. Dixit illi Jesŭs: Ergo líberi ſunt fĭlii. Ut autem non ſcandalizémus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem qui primus ăſcénderit: tolle: & aperto ore ejus, invénies ſtatérem: illum ſumens, dă ĕis pro me & te.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Côloſſenſes.

Cap. 3.

FRatres; Omne quodcumque fácitis in verbŏ aut in ópere; ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agentes Deo & Pâtri per ipſum. Mulíeres, ſúbditæ ĕſtóte viris, ſicut opôrtet, in Dómino. Viri, dilígite ŭxóres veſtras, & nolíte amári êſſe ad illas. Fílii, obedíte părentibus per ómnia: hoc enim plácitum êſt in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocárĕ fílios veſtros, ut non puſillo ânimo fiant. Servi, obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum ſervientes, quaſi hŏmínibus placentes, ſed in ſimplicitáte cordis, timêntes Deum. Quodcumque fácitis, ex ánimo operámini ſicut Dómino, ĕt non homínibus: ſcientes quòd à Dómino accipiétis retributiónem herêditátis. Dómino Chriſto ſervíte; qui enim injúriam facit, recípiet id quod ĭníquè geſſit; & non eſt perſonárum accéptio âpud Deum. Dómini, quod juſtum eſt & æqŭum ſervis præſtáte: ſcientes quòd ĕt vŏs dóminum habétis in cœlo.

Cap. 4.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 12.

IN illo témpore; Abiit Jeſus pĕr ſata ſábbato: diſcípuli autem ejus eſurientes cœpérunt véllere ſpícas, & manducăre. Phariſæi autem vidéntes, dixérunt ĕi: Ecce diſcípŭlĭ tui fáciunt quod non licet fácere săbbatis. At ille dixit ĕis: Non legiſtis quid fécerit David, quando eſúriit, & qui cŭm eo erant: quómodò intrávit in domum Dei, & panes propoſitiónis comédit, quos non licébat ei édere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdó-

tibus? aut non legiſtis in lege, quia ſábbatis ſacerdótes in templŏ ſábbatum víolant, & ſine crímine ſunt? Dicŏ autem vobis, quia templo major eſt hĭc. Si autem ſcirétis quid eſt; miſericórdiam volo, & non ſacrifícium; numquam condemnaſſétis innocentes: Dóminus enim eſt Fílius hóminis étiam săbbati. Et cŭm inde tranſiſſet, venit in ſynagógam eŏrum. Et ecce homo manŭm habens áridam, & interrogábant eum, dicĕntes: Si licet ſábbatis curáre? ut accuſárent ĕum. Ipſe autem dixit ĭllis: Quis erit ex vobis homo, qui hábĕăt ovem unam; & ſi cecíderit hæc sábbatis in fóveam, nonne tenébit, & levábit eam? quantò magìs mélior eſt homo ove? Itaque licet ſábbatis benefăcere. Tunc ait hŏmini: Extende manum tŭam. Et extendit, & reſtitúta eſt ſanĭtăti, ſicut áltera.

Rub. ſeu Fulv.

DOMINICA XXIII.
POST PENTECOSTEN.
INTROITUS.

Pſal. 30. MIſerére meî, Dómine, quóniam defécit in dolóre vita mea, & anni mei in gemítibus: infirmáta eſt in paupertáte virtus mea. Ego autem in te ſperávi, Dómine: dixi, Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ. *PSALM.* In te, Dómine, ſperávi: non confundar in æternum: * in juſtítia tua líbera me. Glória. Miſerére.

Ibid.

COLLECTA. Orémus.

S. R. ABſolve, quæſumus, Dómine, tuórum delicta populórum; ut à peccatórum néxibus, quæ pro noſtra fragilitáte contráximus, tuâ benignitáte liberémur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Phîlippenſes.

Cap. 3. IMitatóres mei eſtóte, Fratres, & obſerváte eos qui ita ámbulant, ſicut habétis fôrmam noſtram. Multi enim ámbulant, quos ſæpè dicébam vobis (nunc autem & flens dico) inimícŏs crucis Chriſti, quorum finis intéritus; quorum Deus venter eſt, & glória in confuſióne ipſórum; qui terrêna ſápiunt. Noſtra autem converſátio ĭn Cœlis eſt; unde étiam Salvatórem expectámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformábit corpus humilitátis noſtræ configurátum córpori claritátis ſuæ, ſecundùm operatiónem, qua étiam poſſit ſubjícere sîbi ómnia. Itaque, Cap. 4. fratres mei caríſſimi & deſideratíſſimi, gáudium meum & cŏróna mea; ſic ſtate in Dômino, caríſſimi. Evódiam rogo ĕt Syntychen déprecor, idipſum sâpere in Dómino. Etiam rogo & te, gĕrmáne compar, ádjuva illas quæ mecum laboravérunt in Evangélio, cum Clemente & céteris adjutóribus meis, quorum nómĭnă sŭnt in libro vitæ.

GRADUALE. Non erubeſcant in me, qui expectant te, Dómine, Dómine virtútum. ℣. Non confundantur ſuper me, qui quærunt te, Deus Iſrael. Pſal. 68.

Allelúia, allelúia. ℣. Pſállite Dómino, ſancti ejus; & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus; quóniam vita in voluntáte ejus. Allelúia. Pſal. 29.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 9. IN illo témpore; Loquente Jeſu ad diſcípulos Joannis, ecce princĕps unus acceſſit, & adorábat eum, dĭcens: Dómine, fília mea modò dĕfuncta eſt; ſed veni, impóne ma-

num

num tuam ſuper eam, & vĭvet. Et ſurgens Jeſus, ſequĕbátur eum, & diſcípuli ĕjus. Et ecce múlier, quæ ſánguinis fluxum patiebátur dŭódecim annis, acceſſit retrò, & tétigit fímbriam veſtimenti ĕjus. Dicébat enĭm intra ſe, Si tetígero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ĕro. At Jeſus converſus, ĕt videns eam, dĭxit: Cŏnfíde, fília, fides tua, te ſalvam fĕcit. Et ſalva facta eſt múlier ex illa hŏra. Et cùm veniſſet Jeſus in domum príncipis, & vidiſſet tibícines, & turbam tŭmultuantem, dicĕbat: Recédite; non eſt enĭm mórtua puella, ſed dŏrmit. Et deridébant ĕum. Et cùm ejecta eſſĕt turba, intrávit; & ténuit manum ĕjus. Et ſurrexit puĕlla. Et éxiit famă hæc in univerſam terram illam.

Dicitur Credo.

I. Reg. 22. *OFFERTORIUM.* In tribulatióne mea invocábo Dóminum, & ad Deum meum clamábo: & exáudiet de templo ſuo vocem meam; & clamor meus véniet ad aures ejus.

SECRETA.

S. G. DEus, cui, ómnium ſacrificiórum varietáte finítâ, hóſtiam nunc offérimus ſingulárem; adeſto votis tuâ inſpiratióne conceptis; ut in te ſperántium & deſidéria júbeas pérfici, & peccáta deléri; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Marc. 11. *COMMUNIO.* Amen dico vobis, ómnia quæcumque orantes pétitis, crédite quia accipiétis; & evénient vobis.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SAlutáris hóſtiæ participatióne recreáti, quæſumus, omnípotens Deus, ut ejus poténtiâ ſingulári nos ipſos tibi holocauſtum fácias ſempiternum; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 8. FRatres; Nihil damnatiónis eſt iis qui ſunt ĭn Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm cârnem ámbulant. Lex enim ſpíritus vitæ ĭn Chriſto Jeſu liberávit me à lege peccâti & mortis. Nam quod impoſsíbile erat legi, in quo infirmăbátur per carnem: Deus Fílium ſuum mittens in ſimilitúdinem carnis peccáti, & de peccáto damnávit peccátum in carne; ut juſtificátio legis implerétur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulámus, ſed ſecûndùm ſpíritum. Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſápiunt: qui verò ſecundùm ſpíritum ſunt, quæ ſunt ſpîritus, ſéntiunt. Nam prudéntĭă carnis, mors eſt; prudéntia autem ſpíritus, vîta & pax. Quóniam ſapiéntia carnis inĭmíca eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec ênim poteſt. Qui autem ĭn carne ſunt, Deo placêre non poſſunt. Vos autem in carne non eſtĭs, ſed in ſpíritu: ſi tamen Spíritus Dei hâbitat in vobis. Si quis autem Spírĭtŭm Chriſti non habet, hic nôn eſt ejus. Si autem Chriſtus ĭn vobis eſt: corpus quidem mórtuum eſt propter peccátum, ſpíritus verò vivit propter juſtificâtiónem. Quòd ſi Spíritus ejus qui ſuſcitávit Jeſum à mórtŭĭs hábitat in vobis; qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum à mórtuis vivificábit & mortália córpora veſtra, propter inhabitantem Spírĭtŭm ĕjus in vobis.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 5. IN illo témpore; Múlier, quæ erat in profluvio ſánguinis annis duódecim, & fúerat multa perpeſſa à complúribus médicis, & erogáverat ómnia ſua, nec quidquam profécerat, ſed

magìs detériùs habébat, cùm audiſſet de Jeſu, venit in turba retrò, & tétigit veſtĭmentum ejus; dicébat enim: Quia ſi vel veſtimentum ejus tetígero, ſalva ĕro. Et confeſtim ſiccátus eſt fŏns ſánguinis ejus, & ſenſit córpore quia ſanáta eſſet à plăga. Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtútem quæ ĕxíerat de illo, converſus ad turbam, aiĕbat: Quis tétigit veſtimenta mea? Et dicébant ei diſcípuli sŭi: Vides turbam comprĭmentem te; & dicis, Quis me tétigit? Et circumſpiciébat vidére eam quæ hoc fĕcerat. Múlier verò timens & tremens, ſciens quod factŭm eſſet in ſe, venit & prócidit ante eum, & dixit ei omnem veritătem. Ille autem dixit ĕi: Fília, fides tua tĕ ſalvam fecit: vade in pace, & eſtŏ sănа à plaga tua.

FERIA SEXTA.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 19. IN dĭébus illis; Virtútes non quáſlibet faciébat Deus pĕr manum Pauli; ita ut étiam ſuper lánguidos deferrentur à córpore ejus ſudária, & ſemicínctia; & recedébant ab eis languóres & ſpíritus nequam egredîebantur. Tentavérunt autem quĭdam, & de circumeúntibus Judæĭs exorciſtis, invocáre ſuper eos qui habébant ſpíritus malos nomen Dómini Jesû, dicentes: Adjúro vos per Jeſum quem Pâulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevæ príncipis ſacerdótŭm ſeptem fílii, qui hoc fâciébant. Reſpondens autĕm ſpíritus nequam, dîxit eis: Jeſum novi, ĕt Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? Et insíliens in eos homo in quo erat dæmónium péſſimum, & dominátus ambórum, inválŭĭt contra eos, ita ut nudi & vulnerăti effúgerent de dômo illa. Hoc autem notum factum eſt ómnibus Judæis, atque Gentílibus, qui habĭtábant Epheſi: & cécidit timor ſuper omnes illos, & magnificabátŭr nŏmen Dómini Jeſu.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 5. IN illo témpore; Lŏquente Jeſu, véniunt ab archiſynagógo, dicĕntes: Quia fília tuă mórtua eſt: quid ultrà vexas Magiſtrum? Jeſus autem, audíto verbo quŏd dicebátur, ait archiſynagógo: Noli timére: tantúmmodò crĕde. Et non admísĭt quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem Jacŏbi. Et véniunt in domum archiſynagógi, & vidit tumultum, & flentes & ejulantes mŭltùm. Et ingreſſus, ait ĭllis: Quid turbámini, & plorátis? puellă non eſt mórtua, ſed dŏrmit. Et irridébant ĕum. Ipſe verò, ejectis ómnibus, aſſúmit patrem & matrem puellæ, & quĭ ſecum erant; & ingréditur ubi puella erat jăcens. Et tenĕns manum puellæ, ait ĭlli: Talítha, cumi: quod eſt ĭnterpretátum; Puella, (tibi dico) Sŭrge. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulábat; erat autem ănnórum duódecim: & obſtupuérunt ſtupóre măgno. Et præcépit illis vehementer ŭt nemo id ſciret; & dixit darĭ ĭlli manducáre.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Rub. ſeu Fulv.

INTROITUS.

Pſal. 118. CONfíge timóre tuo, Dómine, carnes meas; à judíciis enim tuis tímui: fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericórdiam tuam.

Ibid. *PSALM.* Beáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini. Glória. Confíge.

Rub. ſeu Fulv.

Cap. 19.

Collecta. Orémus.

S. R. EXcita, quæſumus, Dómine, tuórum fidélium voluntátes; ut divíni óperis fructum propénſiùs exequentes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Coloſſenſes.

Cap. 1. FRatres; non ceſſámus pro vobis orantes, & poſtulantes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni ſapiéntia & intellectu ſpirituáli, ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, & creſcentes in ſciéntia Dei: in omni virtúte confortáti, ſecundùm poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntia & longanimitáte cum gáudio: grátias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctórum in lúmine; qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum, & tránſtulit in regnum Fílii dilectiónis ſuæ, in quo habémus redemptiónem per ſánguĭnĕm ĕjus, remiſſiónem peccatórum.

Apoc. 20. *Graduale.* Vidi thronum magnum cándidum, & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit terra & cœlum. ℣. Et vidi mórtuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni; & libri aperti ſunt; & judicáti ſunt mórtui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundùm ópera ipſórum.

Pſal. 61. Allelúia, allelúia. ℣. Poteſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia, quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 24. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Cùm vidéritis abominatiónem deſolatiónis, quæ dicta eſt à Daniéle prophéta, ſtantem in loco ſancto; quĭ legit, intélligat: tunc qui in Judæa ſunt, fúgiant ad montes; & qui in tecto, non deſcendat tóllere áliquid de domo ſua; & qui in agro, non revertátur tóllere túnicam sŭam. Væ autem prægnántibus & nutriéntibus in illis diĕbus. Oʳáte autem ut non fiat fuga veſtra in hyeme, vel săbbato. Erit enim tunc tribŭlátio magna, qualis non fuit ab inítio mundi uſque modò, neque fĭet. Et niſi breviáti fuiſſent dies illi, non fíeret ſalvă omnis caro; ſed propter electos breviabuntur dies ĭlli. Tunc ſi quis vobis díxerit; Ecce hĭc eſt Chriſtus, aut illic: nolíte crĕdere. Surgent enim pſeudochriſti, & pseŭdoprophétæ: & dabunt ſigna magna, & prodígia, ita ut in errórem inducantur (ſi fíeri poteſt) étiam elĕcti. Ecce prædixi vŏbis. Si ergo díxerint vobis, Ecce in deſerto eſt; nŏlíte exíre: Ecce in penetrálibus; nolíte crĕdere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem; ita erit & adventus Fílii hŏminis. Ubicumquĕ fúerit corpus, illic congregabuntur & ăquilæ. Statim autem poſt tribulatiónem diérum illórum, ſol obſcurábitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtútes cœlórum cŏmmovebuntur: & tunc parébit ſignum Fílii hóminis in cœlo. Et tunc plangent omnĕs tribus terræ; & vidébunt Fílium hóminis venientem in núbibus cœli cum virtúte multa, & majeſtăte. Et mittet Angelos ſuos cum tuba, ĕt voce magna: & congregábunt electos ejus à quátuor ventis, à ſummis cœlórum uſque ad términos eŏrum. Ab árbore autem fici díſcite parăbolam. Cùm jam ramus ejus tener fúerit, ĕt fólia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas. Ita & vos cùm vĭdéritis hæc ómnia, ſcitóte quia propè eſt in jănuis. Amen dico vobis, quia non

prætеríbit genĕrátio hæc, donec ómnia hæc fĭant. Cœlum ĕt terra transíbunt ; verba autĕm mĕa non prætеríbunt.

Dicitur Credo.

Marc. 13. *OFFERTORIUM.* Vidéte, vigiláte, & oráte : neſcítis enim quando tempus ſit : quod autem vobis dico, ómnibus dico, vigiláte.

SECRETA.

M. P. PRopítius eſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris ; & pópuli tui oblatiónibus precibuſque ſuſceptis, ómnium noſtrûm ad te corda converte : ut à terrénis cupiditátibus líberi, ad cœléſtia deſidéria tranſeámus ; Per Dóminum.

II. Tim. 4. *COMMUNIO.* Corónam juſtítiæ reddet Dóminus in illa die juſtus judex, iis qui díligunt adventum ejus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. G. DEus, qui es miſéricors in opéribus, juſtus in judíciis, largus in donis ; multíplica ſuper nos, per hæc ſacra myſtéria, miſericórdiam tuam : & quia tu nobis es bonórum cauſa meritórum ; cuſtódi quod tríbuis, ut invénias quod corónes ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

FERIA QUARTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 20. IN diébus illis ; Vidi thronum magnum cándidum, & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit terra & cœlum, & locus non eſt invêntus eis. Et vidi mórtuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt ; & álius liber apertŭs ĕſt qui eſt vitæ : & judicáti ſunt mórtui ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm ôpera ipſórum. Et dedit mare mórtuos qui in eo erant ; & mors & infernus dedérunt mórtuos ſuos qui ĭn ipſis erant ; & judicátum eſt de ſingulis ſecundùm ôpera ipſórum. Et ĭnfernus & mors miſſi ſunt in ſtâgnum ignis. Hæc eſt môrs ſecunda. Et qui non inventus eſt in librŏ vitæ ſcriptus, miſsŭs ĕſt in ſtagnum ignis.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 24. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis : Sicut in dĭébus Noe, ita erit & adventus Fílii hŏminis. Sicut enim erant in diébus ante dilúvium comedentes & bibentes, nubentes & núptui tradentes, uſque ad eum diem quo intrávit Noe in arcam ; & non cognovérunt donec venit dilúvium, ĕt tulit omnes ; ita erit & adventus Fílii hŏminis. Tunc duo erunt in agro ; unus aſſumétur, & unŭs relinquétur : duæ molentes in mola ; una aſsŭmĕtur, & una relinquétur.

FERIA SEXTA.

Rub. ſeu Fulv.

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 22. EGo Jeſus miſĭ Angelum meum teſtificári vobis hæc în Eccléſiis. Ego ſum radix ĕt genus David, ſtella ſpléndida & mâtutína. Et Spíritus & ſponſa dîcunt, Veni. Et qui audit, dîcat, Veni. Et quĭ ſitit, véniat ; & qui vult, accípiat aquam vîtæ gratìs. Conteſtor enim omni audienti verba prophetíæ lîbri hujus : Si quis appoſúerit ad hæc, appónet Deus ſuper illum plagas ſcriptas ĭn libro iſto ; & ſi quis diminúerit de verbis libri prophetíæ hujus, áuferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitáte ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in lîbro

iſto.

iſto. Dicit qui teſtimónium pêrhibet iſtórum. Etiam vênio cítò. Amen ; veni, Dômine Jeſu. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti cum ómnĭbŭs vŏbis. Amen.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 13. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis : Cùm vidéritis abominatiónem deſolatiónis ſtantem ubi non debet, quĭ legit, intélligat : tunc qui in Judæa ſunt, fúgiant in montes : & qui ſuper tectum, ne deſcendat in domum, nec intróeat ut tollat quid de domo ſua ; & qui in agro erit, non revertátur retrò tóllere veſtimentum sŭum. Væ autem prægnántibus, & nutriéntibus in illis diĕbus. Oráte verò ut hyeme non fĭant. Erunt enim dies illi tribulatiónes tales, quales non fuérunt ab initio creatúræ quam cóndidit Deŭs uſque nunc, neque fĭent. Et niſi breviaſſet Dóminus dies, non fuiſſet ſalvă omnis caro : ſed propter electos quos elégit, breviávit dĭes. Et tunc ſi quis vobis díxerit : Ecce hìc eſt Chriſtŭs, Ecce illic ; ne crediděritis. Exurgent enim pſeudochriſti, & pseudoprophétæ ; & dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos (ſi fieri poteſt) étiam elĕctos. Vŏs ergo vidéte : ecce prædixi vobis ŏmnia. Sed in illis diébus, poſt tribulatiónem illam, ſol contenebrábitur, & luna non dabit ſplĕndórem ſuum : & ſtellæ cœli erunt decidentes, & virtútes quæ in cœlis ſunt movebŭntur. Et tunc vidébunt Fílium hóminis venĭentem in núbibus cum virtúte multa & glŏria. Et tunc mittĕt Angelos ſuos, & congregábit electos ſuos à quátuor ventis, à ſummo terræ uſque ad ſummum cœli. A ficu autem díſcite parăbolam. Cùm jam ramus ejus tener fúerit, & nata fúerint fólia, cognóſcitis quia ĭn próximo ſit æſtas : ſic & vos, cùm vidéritis hæc fieri, ſcitóte quòd in próximo ſit in ŏſtiis. Amen dico vobis, quóniam non transíbit genĕrátio hæc, donec ómnia iſta fĭant. Cœlum ĕt terra transíbunt, verba autem mea non transĭbunt. De die autem illo vel horă nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Fĭlius, niſi Pater.

OBSERVANDA.

[*Expletâ Hebdomadâ* XXIV. *ſi unica Hebdomada ſuperſit uſque ad Adventum, reſumitur Miſſa Dominicæ* VI. *poſt Epiphaniam*, pag. 25. *quæ anno illo vacavit.* Rub. ſeu Fulv.

Si duæ, dicitur Miſſa Dominicæ V. *&* VI. pag. 23. *& ſequentibus.*

Si tres, dicitur Miſſa Dominicæ IV. V. *&* VI. pag. 21. *& ſeq.*

Si quatuor, dicitur Miſſa Dominicæ III. IV. V. *&* VI. pag. 19.

In omnibus his Miſſis reſumendis nulla ſit commemoratio de B. M. V. Deiparâ. Præfatio de ſanctâ Trinitate, ut in Dominicis per annum.

Intra has Hebdomadas dicuntur Epiſtolæ & Evangelia quæ ibidem reperiuntur, ſervatâ regulâ quæ habetur ſuprà, pag. 3.]

ORDINARIUM MISSÆ.

Sacerdos, factâ Altari debitâ reverentiâ, signans se dicit, altâ voce.

IN nómine Patris, & Fí✠lii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Deinde junctis manibus ante pectus, incipit, altâ voce Antiphonam sequentem.

Pſal. 42. Introíbo ad altáre Dei:

Ministri prosequuntur, eâdem voce, Ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Posteà alternatim cum Ministris dicit altâ voce sequentem Psalmum.

Pſal. 42. JUdica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulísti, & quare tristis incédo, dum áffligit me inimícus?

S. Emitte lucem tuam, & veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

M. Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

S. Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es ánima mea, & quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Sacerdos caput inclinat, dicens:

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto.

M. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper: * & in sécula seculórum. Amen.

Sacerdos repetit Antiphonam:

Introíbo ad altáre Dei: Pſal. 42.

M. prosequitur, Ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Sacerdos signat se, dicens, altâ voce:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. Pſal. 123.

M. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde Sacerdos, junctis manibus, profundè inclinatus facit altâ voce, confessionem dicens, Confíteor Deo, *ut infrà.*

[*In Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore à Dominica Passionis usque ad Feriam quintam in Cœna Domini inclusivè, omittitur Psalmus* Judica me, Deus, *cum* Glória Patri, *& repetitione Antiphonæ; sed dicto,* In nómine Patris. Introíbo. & Adjutórium, *fit confessio ut sequitur.*]

COnfíteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis (& vobis, fratres:) quia peccávi nimis, cogitatióne, verbo & ópere; *percutit sibi pectus ter, dicens:* meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Ministri respondent eâdem voce:

MIsereátur tuî, omnípotens Deus, &, dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam æternam.

Sacerdos dicit, Amen, *& erigit se.*

Deinde Ministri repetunt confessionem: & ubi à Sacerdote dictum est, vobis, fratres, *&* vos, fratres; *à Ministris dicitur*, tibi, pater, *&* te pater.

Posteà Sacerdos, junctis manibus, facit absolutionem, dicens altâ voce:

MIsereátur vestrî omnípotens Deus, & dimíssis peccátis vestris perdúcat vos ad vitam æternam. *M.* ℟. Amen.

Sacerdos signat se signo Crucis, dicens altâ voce:

INdulgéntiam, ✠ absolutiónem, & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. *M.* ℟. Amen.

Sacerdos inclinatus mediocriter, prosequitur altâ voce:

Psal. 84. ℣. Deus, tu conversus vivificábis nos,

M. ℟. Et plebs tua lætábitur in te.

Psal. 8. *S.* ℣. Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam:

M. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

Psal. 110. *S.* ℣. Dómine, exaudi oratiónem meam;

M. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

S. Dóminus vobíscum;

M. ℟. Et cum spíritu tuo.

Et extendens ac jungens manus, altâ voce dicit, Orémus. *& ascendens ad Altare, secretò dicit:*

AUfer à nobis, quæsumus, Dómine, iniquitátes nostras; ut ad Sancta Sanctórum puris mereámur méntibus introíre; Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

[*Deinde, in Missa majori, in Dominicis, ac Festis à populo feriatis, porrectam à Subdiacono Crucem osculatur Sacerdos, dicens secretò.*

Adorámus, te, Christe, & benedícimus tibi; quia per Crucem tuam redemísti mundum.] M. P.

Tum manibus junctis super Altare, inclinatus dicit secretò:

ORámus te, Dómine, per mérita Sanctórum tuórum, *osculatur Altare in medio, dicens:* quorum relíquiæ hìc sunt, & ómnium Sanctórum; ut indulgére dignéris ómnia peccáta mea. Amen.

[*Deinde, in Missa majori, in Festis Solemnibus-minoribus, & suprà, Sacerdos benedicit incensum, dicens:*

Ab illo bene ✠ dicáris in cujus honóre cremáberis. Amen.

Et, accepto thuribulo à Diacono, incensat SS. Sacramentum, seu Crucem, & posteà Altare: deinde Diaconus, recepto thuribulo à Sacerdote, incensat illum. Posteà]

Sacerdos signans se signo Crucis, incipit altâ voce in cornu Epistolæ Introitum; quo finito, junctis manibus, cum Ministris alternatim dicit altâ voce in medio Altaris, (sed in Missa majori in cornu Epistolæ,)

KYrie, eléison. *M.* Kyrie, eléison. *S.* Kyrie, eléison. *M.* Christe, eléison. *S.* Christe, eléison. *M.* Christe, eléison. *S.* Kyrie, eléison. *M.* Kyrie, eléison. *S.* Kyrie, eléison.

Posteà in medio Altaris, extendens & jungens manus, caputque aliquantulùm inclinans, dicit, altâ voce, si dicendum est, Glória in excelsis Deo; *& prosequitur junctis manibus:*

[*In Missa Majori,*
In Festis Annualibus-Majoribus.



Glo- ri- a in excelsis De-o.

In Festis Annualibus-Minoribus & Solemnibus-Majoribus.



Glo-ri-a in excelsis De-o.

In Solemnibus-Minoribus:



Glo- ri-a in excel-sis De- o.

In Duplicibus-Majoribus.



Glo-ri- a in ex-cel-sis De- o.

In Duplicibus-Minoribus.



Glo-ri-a in excel-sis De- o.

In Semiduplicibus, & intrà Octavas.



Glo-ri- a in excelsis De-o.

In Simplicibus.



Glori- a in excelsis De-o.]

GLória in excelsis Deo :
Et in terra pax homínibus bonæ voluntátis.

Laudámus te.

Benedícimus te. *Tunc caput inclinat*, Adorámus te.

Glorificámus te. *Iterùm caput inclinat*, Grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam.

Dómine Deus, rex cœlestis ; Deus pater omnípotens.

Dómine Fili unigénite, *caput inclinat*, Jesu Christe.

Dómine Deus, agnus Dei, Fílius Patris :

Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Qui tollis peccáta mundi, *caput inclinat*, súscipe deprecatiónem nostram.

Qui sedes ad déxteram Patris, miserére nobis.

Quóniam tu solus sanctus ;

Tu solus Dóminus ;

Tu solus altíssimus, *caput inclinat*, Jesu Christe ;

Cum sancto Spíritu, *signat se signo Crucis*, in glória Dei Patris. Amen.

Deinde osculatur Altare in medio, & versus ad populum, dicit altâ voce,

Dóminus vobiscum ;

[*D. Epíscopus in Missis in quibus dicitur* Glória in excelsis, *dicit*, Pax vobis ;]

M. ℟. Et cum spíritu tuo.

Postèa in cornu Epistolæ dicit, altâ voce, Orémus, *deinde Collectas, unam aut plures, ut ordo Officii postulat ; tum Epistolam, Graduale, Tractum, vel* Allelúia *cum Versu & Prosam, pro ratione Temporis aut Festorum.*

[*Interim Diaconus, in Missa majori, deponit librum Evangeliorum super medium altaris, & genuflexus ante illud dicit secretò :*

MUnda cor meum ac lábia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíæ Prophétæ cálculo mundásti ignito : ita me tuâ gratâ miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum dignè váleam nuntiáre ; Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et accipit librum de Altari, rursúsque genuflexus petit benedictionem à Sacerdote, dicens mediocri voce : Jube, Domne, benè dícere. *Sacerdos respondet,*

DOminus sit in corde tuo & in lábiis tuis, ut dignè & competenter annúnties Evangélium suum ; in nómine Patris, & Fí✠lii, & Spíritûs sancti. Amen.

Deinde

Deinde Sacerdos benedicit incensum sibi à Thuriferario genuflexo oblatum, dicens: Ab illo benedicáris, *&c. Tum Diaconus, præcedentibus incenso, lumine, Cruce, & Subdiacono, vadit ad locum Evangelii, ubi, stans, junctis manibus, cantat:*

Dóminus vobiscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Pronuntians Inítium, *sive* Sequéntia sancti Evangélii secundùm *N. pollice dextræ manûs signat librum, deinde seipsum in fronte, ore & pectore; & dum Chorus respondet*, Glória tibi, Dómine, *Diaconus ter incensat librum: posteà junctis manibus, cantat Evangelium. Quo finito, Subdiaconus defert librum apertum Sacerdoti, dicens mediocri voce:*

Hæc sunt verba sancta.

Sacerdos osculatur Evangelium, dicens:

Credo & confíteor.

Deinde, in Solemnibus-Minoribus, & suprà, Diaconus Sacerdotem incensat.]

In Missis privatis, Sacerdos, postquàm legit Epistolam, Graduale, &c. delato libro ad aliud cornu Altaris, inclinatus in medio, junctis manibus, dicit secretò: Munda cor meum, *&c. ut suprà: tum omisso* Jube Domne, benedícere, *dicit secretò*,

Dóminus sit in corde meo, & in lábiis meis; ut dignè & competenter annúntiem Evangélium suum. Amen.

Posteà ad librum conversus, junctis manibus dicit altâ voce,

Dóminus vobiscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Et pronuntians Inítium *sive* Sequéntia sancti Evangélii, *&c. signat librum, & se in fronte, ore & pectore, & legit Evangelium: quo finito, respondet Minister*, Laus tibi, Christe.

Et Sacerdos osculatur Evangelium, dicens secretò:

Per evangélica dicta deleantur nostra delicta.

[*In Missis Defunctorum dicitur* Munda cor meum; *sed non dicitur*, Dóminus sit in corde meo: *nec petitur benedictio à Diacono, nec defertur incensum, nec Sacerdos librum osculatur.*]

[*Si inter Missarum solemnia habenda sit Concio ad populum, habetur statim post Evangelium.*]

Caveat Sacerdos ne quocumque prætextu Oblationem anticipet antequàm Chorus cantet Offertorium.

Finito Evangelio (*aut Concione*) *Sacerdos in medio Altaris, extendens, elevans & jungens manus, dicit altâ voce, si dicendum est Symbolum*, Credo in unum Deum, *ut infrà: cùm dicit*, Deum, *caput inclinat.*

[*Cantatur integrum Symbolum à toto Choro stante, & simul, non verò alternis.*]

[*In Annualibus-Majoribus.*



CRe-do in unum De-um.]



CRedo in unum De-um, Patrem omnipotentem, factórem cœli & terræ, visibílium ómnium & invisibílium: Et in unum Dóminum, *caput inclinat*, Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum; & ex Patre natum ante ómnia sécula; Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero; génitum, non factum, consubstantiálem Patri; per quem ómnia facta sunt; qui propter nos hómines, & propter nostram salútem descendit de cœlis; *genuflectit*, & incarnátus est de Spíritu sancto ex María vírgine; & homo factus est; *surgit & prosequitur*, crucifixus étiam

pro nobis ſub Póntio Piláto, paſſus & ſepultus eſt; & reſurrexit tértiâ die ſecundùm ſcriptúras; & aſcendit in cœlum, ſedet ad déxteram Patris; & íterùm ventúrus eſt cum glória judicáre vivos & mórtuos; cujus regni non erit finis: Et in Spíritum ſanctum Dóminum & vivificantem; qui ex Patre Filióque procédit; qui cum Patre & Fílio, *caput inclinat*, ſimul adorátur, & conglorificátur; qui locútus eſt per Prophétas: Et unam, ſanctam, Cathólicam & Apoſtólicam Eccléſiam. Confíteor unum baptiſma in remiſſiónem peccatórum; & expecto reſurrectiónem mortuórum, *ſignat ſe*, *dicens*, & vitam ventúri ſéculi. Amen.

Deinde oſculatur Altare, & verſus ad populum dicit altâ voce:

Dóminus vobiſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Poſteà dicit altâ voce Orémus, *& Offertorium: quod dum cantatur à Choro, ſi fiat oblatio Cleri aut populi, patenam porrigit ad oſculum ſingulis offerentibus, à parte concavâ iis qui majori Ordine initiati ſunt, ceteris verò à parte convexâ, dicens, mediocri voce, unicuique,* Pax tibi, *qui reſpondet,* Et cum ſpíritu tuo. *In Miſſis autem pro Defunctis, dicit* Requieſcat (*ſeu* Requieſcant) in pace; *& quilibet reſpondet,* Amen.

Cùm offertur panis benedicendus, Celebrans ſignando ſe ipſum dicit mediocri voce:

Pſal. 123. ℣. Adjutórium noſtrum ✠ in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Dóminus vobiſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio. Orémus.

DOmine Jeſu Chriſte, panis Angelórum, panis vivus æternæ vitæ; bene✠dícere dignáre * panem iſtum, (*vel* panes iſtos,) ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto; ut omnes ex * eo (*vel* eis) guſtantes, inde córporis & ánimæ percípiant ſanitátem; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Sacerdos aſpergit panem aquâ benedictâ.

Peractâ oblatione, Sacerdos reverſus ad Altare, accipit (ſi Miſſa ſit major, à Diacono) Patenam cum Hoſtia, quam elevans offert dicens ſecretò:

SUſcipe, ſancte Pater omnípotens, æterne Deus, hanc immaculátam hóſtiam, quam ego indignus fámulus tuus óffero tibi Deo meo vivo & vero, pro innumerabílibus peccátis, & offenſiónibus, & negligéntiis meis, & pro ómnibus circumſtántibus; ſed & pro ómnibus fidélibus chriſtiánis vivis atque defunctis; ut mihi & illis profíciat ad ſalútem in vitam æternam. Amen.

Tum facto ſigno Crucis cum Patena, Hoſtiam deponit ſuper Corporale. Deinde miniſtrat Diaconus vinum, & Subdiaconus aquam in Calice: vel, ſi ſit Miſſa ſine Diacono, utrumque infundit Sacerdos; & aquam miſcendam in Calice benedicit, dicens ſecretò Orationem ſequentem; (omiſſo tamen ſigno Crucis in Miſſis Defunctorum.)

DEus, qui humánæ ✠ ſubſtántiæ dignitátem mirabíliter condidiſti, & mirabíliùs reformaſti: da nobis per hujus aquæ & vini myſtérium, ejus divinitátis eſſe conſortes, qui humanitátis noſtræ fíeri dignátus eſt párticeps, Jeſus Chriſtus Fílius tuus, Dóminus noſter; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. Amen.

Postèa elevans Calicem offert, dicens secretò :

OFférimus tibi, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecantes cleméntiam; ut in conspectu divínæ majestátis tuæ pro nostra & totíus mundi salúte cum odóre suavitátis ascendat. Amen.

Deinde facit signum Crucis cum Calice, & illum ponit super Corporale, & pallâ cooperit ; tum junctis manibus super Altare aliquantulùm inclinatus, dicit secretò :

IN spíritu humilitátis, & in ánimo contríto suscipiámur à te, Dómine; & sic fiat sacrifícium nostrum in conspectu tuo hódiè, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

Erectus expandit manus, easque in altum porrectas jungens, elevatis ad cœlum oculis, & statim demissis, dicit secretò :

VEni, sanctificátor omnípotens, æterne Deus, *signat oblata*, & béne✠dic hoc sacrifícium tuo sancto nómini præparátum,

[*Postèa, si Missa sit major, in Festis Solemnibus-minoribus & suprà, Sacerdos benedicit incensum, dicens :*

Per intercessiónem beáti Archángeli stantis à dextris altáris incensi, & ómnium electórum suórum, dignétur Dóminus incensum istud bene✠dícere, & in odórem suavitátis accípere ; Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et accepto thuribulo à Diacono stans incensat oblata, dicens :

Incensum istud à te benedictum ascendat ad te, Dómine ; & descendat super nos misericórdia tua.

Deinde incensat Altare, dicens :

Psal. 140. DIrigátur, Dómine, orátio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum. Pone, Dómine, custódiam ori meo, & óstium circumstántiæ lábiis meis. Non declínes cor meum in verba malítiæ, ad excusandas excusatiónes in peccátis.

Dum reddit thuribulum Diacono, dicit : Accendat in nobis Dóminus ignem sui amóris, & flammam æternæ caritátis. Amen.

Postèa incensatur Sacerdos à Diacono.]

[*In Duplicibus-majoribus & infrà, Sacerdos postquàm incensavit oblata, flexis genibus in infimo gradu Altaris, ter incensat Crucem nihil dicens ; tum surgit & à Diacono ter incensatur.*]

Deinde Sacerdos lavat manus, dicens secretò :

Psal. 25. LAvábo inter innocentes manus meas : * & circúmdabo altáre tuum, Dómine.

Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam :

In quorum mánibus iniquitátes sunt ; * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingressus sum ; * rédime me, & miserére meî.

Pes meus stetit in directo : * in eccléstis benedícam te, Dómine.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper : * & in sécula seculórum. Amen.

[*In Missis Defunctorum, & Tempore Passionis in Missis de Tempore, omittitur* Glória Patri.]

Deinde aliquantulùm inclinatus in medio Altaris, junctis manibus ſuper eo dicit ſecretò :

SUſcipe, ſancta Trínitas, hanc oblatiónem, quam tibi offérimus, ob memóriam Paſſiónis, Reſurrectiónis, & Aſcenſiónis Jeſu Chriſti Dómini noſtri : & in honórem beátæ Maríæ ſemper vírginis, & beáti Joannis Baptiſtæ, & ſanctórum Apoſtolórum Petri & Pauli, & ómnium Sanctórum : ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad ſalútem ; & illi pro nobis intercédere dignentur in cœlis, quorum memóriam ágimus in terris ; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Poſteà oſculatur Altare, & versâ facie ad populum, extendens, & jungens manus, altâ voce, dicit

ORáte, fratres, ut meum ac veſtrum ſacrifícium acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Deinde ad Altare convertitur dum Miniſtri & circumſtantes reſpondent :

SUſcípiat Dóminus ſacrifícium de mánibus tuis, ad laudem & glóriam nóminis ſui, ad utilitátem quoque noſtram, totiuſque Eccléſiæ ſuæ ſanctæ. *Sacerdos ſecretò dicit*, Amen.

Deinde manibus extenſis, abſolutè ſine Orémus, *ſubjungit ſecretò Orationes Secretas ; quibus dictis cùm pervenerit ad concluſionem, altâ voce dicit :* Per ómnia ſécula ſeculórum, *cum Præfatione*, Sanctus & Benedictus qui venit.

Præfationem Sacerdos inchoat ambabus manibus poſitis hinc inde ſuper Altare ; quas aliquantulùm elevat cùm dicit Surſum corda. *Jungit eas ante pectus, & caput inclinat cum dicit* Grátias agámus Dómino Deo noſtro. *Deinde disjungit manus & disjunctas tenet uſque ad finem Præfationis ; & iterùm jungit eas, & inclinatus dicit* Sanctus. *Cùm verò dicit* Benedictus qui venit, *erectus ſignat ſe à fronte ad pectus.*



PRÆFATIONES CUM CANTU.

PRÆFATIONIS EXORDIUM.

Sacerdos concludens Secretam *ſic cantat :*



PEr omni-a ſecula ſe-cu-lo-rum.



℟. Amen. ℣. Dominus vobiſcum.



℟. Et cum ſpiritu tu-o. ℣. Sur-sùm



cor-da: ℟. Habe-mus ad Dominum.



℣. Grati-as a-gamus Domino De-o



noſtro: ℟. Dignum & juſtum eſt.

Et idem eſt cujuſlibet Præfationis exordium.

Deinde Sacerdos cantat ſecundùm diem vel feſtum , unam ex ſequentibus Præfationibus.

PRÆFATIO DE ADVENTU.

Dicitur in Dominicis & Feriis per Adventum , uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini incluſivè , etiam in Feſtis eo tempore occurrentibus , niſi propriam habuerint.



Verè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us , per Chriſtum Dominum



noſtrum ; quem perdito hominum



generi ſalvatorem miſericors &



fidelis promi- ſiſti ; cujus ve-ritas



inſtrue-ret inſci-os , ſanctitas juſti-



fica-ret impi-os , virtus adjuva-ret



in-firmos. Dum ergo propè eſt ut



veni-at quem miſſu-rus es, & di-es



affulget liberati-onis noſtræ; in hac



promiſſi-onum tu-arum fide pi-is



gaudi- is exultamus. Et i-de-ò



cum Angelis & Archangelis, cum



Thronis & Domina-ti-o-nibus,



cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis



ex-erci-tûs, hymnum glori-æ tuæ



canimus, ſine fi-ne di-centes:

Sanctus, &c. *Ut ante Canonem; ſicque terminantur ſingulæ Præfationes.*

S. R.

PRÆFATIO DE INCARNATIONE ET NATIVITATE DOMINI.

Dicitur à Natali Domini uſque ad Epiphaniam, & ab Octava Epiphaniæ excluſivè, uſque ad Præſentationem Domini excluſivè, etiam in Feſtis eo tempore occurrentibus, niſi propriam hahuerint: item in Feſto Transfigurationis.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us; quia per incarnati Verbi



myſte-ri-um nova mentis noſtræ



oculis lux tuæ clari-ta- tis inful-ſit:



ut dum vi-ſibi-liter De-um co-



gnoſcimus, per hunc in inviſibili-um



amorem rapi- amur. Et i-de-ò



cum Angelis & Archangelis, cum



Thronis & Dominati- onibus,



cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis



ex-erci-tûs, hymnum glori-æ tu-æ



canimus, ſine fi-ne di-centes:

INTRA ACTIONEM. S. R.

In prima Miſſa diei Natalis dicitur noctem ſacratíſſimam... quâ beátæ. *In ſecunda verò, ac deinceps, dicitur* diem ſacratíſſimum.... quo beátæ, *uſque ad Octavam Nativitatis incluſivè, & non ultrà.*

COmmunicantes & diem ſacratíſſimum celebrantes quo beátæ Maríæ intemeráta virgínitas huic mundo édidit Salvatórem; ſed & memóriam venerantes, in primis ejuſdem glorióſæ ſemperque vírginis Maríæ genitrícis ejuſdem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & beatórum Apoſtolórum, &c.

S. R.

PRÆFATIO
DE EPIPHANIA DOMINI.

Dicitur in Epiphania Domini & per Octavam, etiam in Festis quæ occurrunt; & in Missis votivis propriam non habentibus.



VErè dignum & justum est, æquum



& sa-lu-ta-re, nos tibi semper &



ubique grati-as a-gere, Domine



sancte, Pater omnipotens, æterne



De- us; quia cùm Unigenitus tuus



in substanti-a nostræ mortali-tatis



appa-ru-it, novâ nos immortalitatis



su-æ luce re-pa-ra-vit. Et i-de-ò



cum Ange-lis & Archange-lis, cum



Thronis & Dominati- onibus,



cumque omni mi-li-ti-a cœlestis



ex-erci-tûs, hymnum glori-æ tu-æ



canimus, sine fi-ne di-centes:

Intra Actionem.

COmmunicantes & diem sacratíssimum celebrantes, quo Unigénitus tuus, in tua tecum glória coæternus, in veritáte carnis nostræ visibíliter corporális appáruit: sed & memóriam venerantes, in primis glorióſæ semperque vírginis Maríæ genitrícis ejusdem Dei & Dómini nostri Jesu Christi, sed & beatórum Apostolórum, &c.

Et dicitur per totam Octavam.

PRÆFATIO
DE PRÆSENTATIONE DOMINI ET PURIFICATIONE B. M. V.

Dicitur in Festo Præsentationis Domini, & Purificationis B. M. V.



VErè dignum & justum est, æquum



& sa-lu-ta-re, nos tibi semper &



ubique grati- as a-gere, Domine



sancte, Pater omnipotens, æterne



Deus, per Christum Dominum



nostrum; qui hodiernâ di-e, be-atâ



Mari-â Virgine matre legi humiliter



obedi-ente, volu-it ipse, sancta



& innocens hosti-a, secundùm

legem tibi in Templo præſenta-ri :

ut unâ compleretur obla-ti- one

vari-arum differenti-a victima-rum ;

& quæ diù fu-erant figurato pro-

miſſa myſte-ri-o, novo jam inciperent

exple-ri Sacramento. Et i-de-ò

cum Ange-lis & Archange-lis, cum

Thronis & Dominati- onibus ,

cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis

ex-erci-tûs, hymnum glori-æ tu-æ

canimus, ſine fi-ne di-centes :

PRÆFATIO DE ANNUNTIATIONE INCARNATIONIS DOMINI AD B. M. V.

Dicitur in Feſto Annuntiationis Domini ad B. M. V.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum

& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &

ubique grati- as a-gere , Domine

ſancte, Pater omnipotens, æterne

De-us , per Chriſtum Dominum

noſtrum ; qui , hodi-ernâ di-e ,

Angelo nuntiante, ſervilem formam

aſſumpſit in u-tero be-atæ Mari-æ

Virginis, virtute Spiri-tûs ſancti :

ut nos à jugo vetuſtæ ſervitutis

miſericorditer eximeret. Et ide-ò

cum Angelis & Archange-lis, cum

Thronis & Dominati-o nibus ,

cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis

ex-erci-tûs, hymnum glori-æ tu-æ

canimus, ſine fi-ne di-centes :

S. R.

PRÆFATIO QUADRAGESIMALIS.

Dicitur quotidie à Feria IV. Cinerum uſque ad Sabbatum ante Dominicam Paſſionis incluſivè, etiam in Feſtis & Miſſis Votivis propriam non habentibus.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati- as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us; qui corpora-li jejuni-o



viti-a comprimis, mentem e-levas



virtutem largiris & præmi-a, per



Chriſtum Dominum noſtrum; per



quem majeſtatem tu-am laudant



Ange-li, adorant Dominati- ones,



tremunt Poteſta-tes: Cœli cœlorum-



que Virtutes, ac be-a-ta Se-raphim,



ſo-ci-a exultati- one conce-lebrant:



Cum quibus & noſtras voces, ut



admitti jube-as deprecamur, ſupplici



confeſſi-o-ne di-centes:

PRÆFATIO DE CRUCE. M. A.

Dicitur quâlibet Feriâ ſextâ Quadrageſimæ & à Dominica Paſſionis uſque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ incluſivè, etiam in Feſtis, propriam non habentibus: dicitur etiam in Feſtis ac Miſſis Votivis de Cruce.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati- as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, qui ſalutem humani generis



in ligno crucis conſti-tu-i-ſti;



ut unde mors ori- e-ba-tur, inde



vi-ta reſurgeret; & qui in ligno



vincebat, in ligno quoque vince-



re-tur, per Chriſtum Dominum



noſtrum; per quem ma-jeſta-tem



tu-am laudant Angeli, adorant



Dominati-o-nes, tremunt Poteſtates:



Cœ-li cœ-lo-rumque Virtutes, ac



be-a-ta Se-raphim, ſo-ci-a exul-



tati-o-ne conce-lebrant: Cum



quibus & noſtras voces, ut admitti



jube-as depre-camur, ſupplici



confeſſi-o-ne di-centes:

PRÆFATIO DE CŒNA DOMINI.

Dicitur Feria V. in Cœna Domini, & in Miſſis Votivis de SS. Sacramento, & pro Reparatione injuriarum illatarum Chriſto in SS. Euchariſtiæ Sacramento.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, per Chriſtum Dominum



noſtrum, verum æ-ternumque



Ponti-ficem, & ſo-lum ſine peccati



macu-la Sa-cerdo-tem: qui in



noviſſima cœna formam ſacri-fici-i



perennis inſti-tu-ens, hoſti-am ſe



tibi primum obtulit, & primus



do-cu-it offerri: cujus carne pro



nobis immolata dum paſcimur,



robo-ramur, & fuſo ſanguine dum



po-tamur ablu-imur: Et i-de-ò



cum Ange-lis & Archangelis, cum



Thronis & Domina-ti-o-nibus,



cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis



ex-ercitûs, hymnum glori-æ tu-æ



canimus, ſine fi-ne di-centes.

Communicantes, Hanc ígitur, Quam oblatiónem & Qui prídie, *pro Feriâ quintâ in Cœnâ Domini, habentur ſuo loco, in Proprio de Tempore.*

S. R. ## PRÆFATIO PASCHALIS.

Dicitur à Sabbato ſancto uſque ad Vigiliam Aſcenſionis incluſivè, etiam in Feſtis & Miſſis Votivis propriam non habentibus. In Miſſa Sabbati ſancti dicitur, in hac potíſſimùm nocte: *In die autem Paſchæ & uſque ad Sabbatum in Albis incluſivè, dicitur* in hoc potíſſimùm die, & *deinceps*, in hoc potíſſimùm glorióſiùs.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, te quidem, Domine,



omni tempore, ſed in hoc po-



tiſſimum [di-e] glori-o-ſi-ùs



prædi-ca-re, cùm Paſcha noſtrum



immo-la-tus eſt Chriſtus: ipſe



enim verus eſt agnus, qui abſtulit



pecca-ta mundi; qui mortem no-



ſtram mori-endo deſtruxit, & vitam



reſurgendo repa-ravit. Et i-de-ò



cum Ange-lis & Archange-lis, cum



Thronis & Domina-ti- onibus,



cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis



ex-er-citûs, hymnum glori-æ tu æ



canimus, ſine fi-ne di-centes:

INTRA ACTIONEM. S. R.

In Miſſa Sabbati ſancti dicitur: Communicantes, & noctem ſacratíſſimam celebrantes, *&c. ut infrà.*

A die verò Paſchæ uſque ad Sabbatum in Albis incluſivè, ſic dicitur:

COmmunicantes, & diem ſacratíſſimum celebrantes, Reſurrectiónis Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm carnem: ſed & memóriam venerantes, in primis glorióſæ ſemperque vírginis Maríæ Genitrícis ejuſdem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & beatórum Apoſtolórum, &c.

PRÆFATIO DE ASCENSIONE DOMINI. S. R.

Dicitur à die Aſcenſionis incluſivè, uſque ad Vigiliam Pentecoſtes excluſivè, etiam in Feſtis & Miſſis Votivis propriam non habentibus.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique gra-ti- as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, per Chriſtum Dominum



noſtrum, qui poſt reſurrecti-onem



ſu-am omnibus diſcipu-lis ſu-is



manifeſtus appa-ru-it, & ipſis cer-



nentibus, eſt elevatus in cœlum,



ut nos divini-tatis ſu-æ tribu-eret,



eſ-ſe par-ti-cipes: Et i-de-ò



cum Ange-lis & Archange-lis, cum



Thronis & Domina-ti- o-nibus,



cumque omni mi-li ti-a cœleſtis



ex-er-citûs, hymnum glo-ri-æ tu-æ



canimus ſine fi-ne dicentes:

S. R. *Intra Actionem.*

COmmunicantes, & diem ſacratíſſimum celebrantes quo Dóminus noſter unigénitus Fílius tuus unítam ſibi fragilitátis noſtræ ſubſtántiam in glóriæ tuæ déxtera collocávit: ſed & memóriam venerantes, in primis glorióſæ ſemperque vírginis Maríæ Genitrícis ejuſdem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & beatórum Apoſtolórum, &c.

Et dicitur per totam Octavam.

PRÆFATIO DE S. SPIRITU,

S. R.

Dicitur à Vigilia Pentecoſtes uſque ad ſequens Sabbatum incluſivè, & in Miſſis Votivis de ſancto Spiritu: ſed in his omittuntur hæc duo verba, hodiernâ die.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati- as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, per Chriſtum Dominum



noſtrum; qui aſcendens ſuper omnes



cœlos, ſedenſque ad dexteram tu-am,



promiſſum Spi-ri-tum ſanctum



[ho-di- erna di- e] in fi-li-os



adopti- o-nis effudit. Quapropter

profu-ſis



profu-ſis gaudi-is, totus in orbe



terrarum mundus e-xultat : ſed &



ſupernæ Virtutes, atque Ange-licæ



po-teſta-tes, hymnum glori-æ tu-æ



concinunt, ſine fi-ne dicentes :

Intra Actionem.

S. R. M. P. COmmunicantes, & diem ſacratíſſimum Pentecoſtes celebrantes, quo Spíritus ſanctus Apóſtolis in linguis ígneis appáruit ; ſed & memóriam venerantes, &c.

S. R.

PRÆFATIO DE SS. TRINITATE,

Dicitur in Feſto SS. Trinitatis, ac in Miſſis votivis de eadem. Dicitur etiam, in omnibus Dominicis per annum, niſi aliter notetur.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, qui cum unigenito Fi-li-o



tu-o & Spi-ritu ſancto unus es



De-us, u-nus es Dominus ; non in



uni-us ſingu-laritate perſonæ, ſed



in uni-us Trini-ta-te ſubſtanti-æ.



Quod enim de tu-a glori-a,



reve-lante te, credimus ; hoc de



Fi-li-o tu-o, hoc de Spiri-tu



ſancto, ſine differenti-a diſcreti-o-



nis ſentimus : ut in confeſſi-one



veræ ſempiternæque De- i-ta-tis,



& in perſonis propri- etas, & in



eſſenti- a u-nitas, & in majeſtate



adore-tur æqua-litas. Quem laudant



Ange- li, atque Archange- li,



Cherubim quoque ac Se-raphim,



qui non ceſſant clamare quotidi-e,



unâ vo-ce di-centes :

PRÆFATIO
DE SS. SACRAMENTO,

Dicitur in Feſto Corporis Chriſti, & per Octavam; etiam in Feſtis Duplicibus & ſuprà, intrà eamdem Octavam occurrentibus, niſi propriam habuerint.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati- as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, per Chriſtum Dominum



noſtrum; qui remotis carna-li-um



victimarum inanibus umbris,



corpus & ſanguinem ſuum nobis



in ſacri-fici-um commendavit: ut



in omni loco offeratur nomini



tu-o, quæ tibi ſola complacu-it,



obla-ti-o munda. In hoc i-gitur



inſcrutabilis ſapi-enti-æ, & im-



menſæ ca-ritatis myſte-ri-o idipſum



quod ſemel in cruce perfecit, non



ceſſat mirabi-liter ope-ra- ri, ipſe



offerens ipſe & obla-ti-o: Et nos



unam ſecum hoſti-am effectos, ad



ſacrum invitat convi-vi-um, in quo



ipſe cibus noſter ſumitur, reco-litur



memori-a Paſſi-onis e- jus, mens im-



ple-tur gra-ti-â, & fu-turæ glori-æ



no-bis pignus da-tur. Et i-de-o



cum Angelis & Archangelis, cum



Thronis & Dominati- onibus,



cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis



ex-erci-tûs, hymnum glori-æ tu-æ



canimus, ſine fi-ne di-centes:

PRÆFATIO
DE SS. CORDE D. N. J. C.

Dicitur in Feſto SS. Cordis D. N. J. C. & in Miſſis votivis de eodem.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper & ubique grati-as a-gere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne De-us; qui omnes theſauros ſapientiæ & ſci-enti-æ tu-æ poſu-iſti in Corde ſacratiſſimo Fili-i tu-i, ut de cœleſtis hujus fontis pleni-tudine omnes ac-ci-peremus; & divinis ipſi-us ardo-ribus commu-ni-cantes, ſecundùm Cor tu-um inveni-ri mere-amur: Nunc ergo, Pater ſancte, reſpice in Cor dilectiſſimi Fili-i tu-i, & ſacris quibus ardet ignibus i-ta corda noſtra combu-ras, ut nihil nobis ſapi-at, nihil nos delectet, nihil, nos al-li-ci-at præter ipſum Dominum noſtrum Je-ſum Chriſtum; per quem ma-jeſta-tem tu-am laudant Angeli, adorant Dominati-o-nes, tremunt Poteſtates: Cœ-li cœ-lo-rumque Virtutes, ac be-a-ta Se-raphim, ſo-ci-â exultati-o-ne conce-lebrant: Cum quibus & noſtras voces ut admitti jube-as depre-camur, ſupplici confeſſi-o-ne di-centes:

M. P

PRÆFATIO DE DEDICATIONE Ecclesiæ.

Dicitur in Dedicatione Eccleſiæ, & in Anniverſario ejuſdem, ac per totam Octavam, etiam in Feſtis intrà eam occurrentibus, niſi propriam habuerint.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



Deus, qui hanc ora-ti-onis domum,



quam ædi-ficavimus, bonorum



omni-um largitor in-ha-bi-tas; &



Eccleſi-am quam ipſe fundaſti, in-



ceſſabi-li operati-o-ne ſancti-ficas.



Hæc eſt enim verè domus o-rati-onis,



vi ſibi-libus ædi-fici-is adumbrata;



templum habi-tati-onis glori-æ



tu-æ, ſedes incommutabilis ve-ri-



ta-tis; ſanctu-a-ri-um æternæ



ca-ri-ta-tis. Hæc eſt arca, quæ nos



à mundi ereptos di-lu-vi-o, in



portum ſa-lu- tis indu-cit. Hæc eſt



dilecta & uni-ca ſponſa, quam



acquiſivit Chriſtus ſanguine ſu-o,



quam vivi-ficat ſpi-ri-tu ſu-o:



cujus in ſinu renati per gra-ti-am



tu-am, lacte verbi paſcimur,



pane vitæ robo- ramur, mi-ſeri-



cordi-æ tu-æ ſubſidi-is confovemur.



Hæc fide-li-ter in terris, ſponſo



adjuvante, mi- li-tat, & pe-



renni-ter in cœlis, ipſo coro-



nante, tri-umphat. Et i-de-o



M. A.

PRÆFATIO DE B. MARIA VIRGINE,

Dicitur in Feſtis B. M. V. & per eorum Octavas; etiam in Feſtis intrà eas Octavas occurrentibus, ſi propriam non habuerint: & in Miſſis votivis de B. M. V. in quibus dicitur, & te in Veneratióne. *In Feſtis autem dicitur*, & te in Conceptióne, *vel* Compaſſióne, *vel* Viſitatióne, *vel* Aſſumptióne, *vel* Nativitáte, *ſecundùm denominationem Feſti.*





PRÆFATIO DE SS. ANGELIS,

Dicitur in Feſtis & in Miſſis votivis Sanctorum Angelorum.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us; qui mirâ tu-æ pi-e-tatis



digna-ti- one, in auxili-um noſtrum



cœleſti a ſimul & terre-na diſponis;



qui nos inter ſeculi hujus fluctus



laborantes, ſupernorum præſidi-is



refoves miniſtrorum; ut in omnibus



vi-is noſtris nos di-rigentes, & à



malis avertant, & ad bona provocent,



& ab hoſti-um incurſibus li-



bera-tos, ſu-æ nos be-atitudinis



conſortes ef-fi-ci-ant; per Jeſum



Chriſtum Dominum noſtrum, per



quem majeſtatem tu-am adorat



multitudo Ange-lo-rum: cum



quibus & noſtras voces ut admitti



jube-as deprecamur, ſupplici



confeſſi-o-ne dicentes.

PRÆFATIO DE S. JOANNE BAPTISTA, S. R.

Dicitur in Feſtis S. Joannis Baptiſtæ, & per eorum Octavas, & Feſtis intrà eas occurrentibus, niſi propria aſſignetur, ac in Miſſis votivis de eodem.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, & tu-am ergà be-atum Jo-an-



nem magni-ficenti-am prædi-care:



qui vocem Matris Domini nondum



edi-tus, ſenſit; & matris adhuc



clauſus u-te-ro, adventum ſalutis



humanæ propheticâ exultati-one



ſigni-ficavit: qui & genitricis



ſteri-lita-tem, conceptus abſtulit,



& genitoris linguam natus re-ſol-



vit, ſoluſque omni-um Prophetarum



Redemptorem mundi, quem præ-



nunti-avit, oſtendit, Jeſum Chriſtum



Dominum noſtrum; per quem ma-



jeſtatem tu-am laudant Angeli,



adorant Domina-ti-ones, tremunt



Poteſta-tes: Cœli cœ-lorumque



Virtutes ac be-a-ta Se-raphim,



ſo-ci-â exultati-o-ne conce-lebrant.



Cum quibus & noſtras voces ut



admitti jube-as depre-camur,



ſupplici confeſſi- o-ne dicentes.

PRÆFATIO DE SANCTIS

AD FAMILIAM CHRISTI PERTINENTIBUS.



Verè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, per Chriſtum Dominum



noſtrum; qui de te ab æterno



ge-nitus, Fili-us hominis fi-e-ri



vo-lu-it in tempore; & in ſemine



Abrahæ ſibi Virginem Matrem



e-ligens, parentes ipſi-us & pro-



pinquos, ſu-os vocari non dedi-



gnatus eſt; quos non idé-o be-atos



prædicamus quòd ſecundùm carnem



Chriſto juncti fu- erint, ſed quòd in



ipſum credentes, ac meritorum



e-jus participes ef-fecti, ad cœleſtem



hereditatem meru-erint pervenire:



Et i-de-o cum Ange-lis & Ar-



change-lis, cum Thronis & Domi-



nati-onibus, cumque omni militi-a



cœleſtis ex-erci-tûs, hymnum glori-æ



tu-æ canimus, ſine fi-ne di-centes:

PRÆFATIO
DE SANCTIS
QUI CUM CHRISTO VIXERUNT.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſanctè, Pater omnipotens, æterne



De-us, per Chriſtum Dominum



noſtrum; qui in pleni-tudine



temporum Fili-us hominis factus,



cum hominibus habitare & conver-



ſa-ri volu-it; & quos famili-aritate



ſu-â dignatus eſt, abundantibus



grati-a-rum ditavit incrementis;



ut qui ipſi unicè adhæſerant in



terris, ſecum ad perennem gloti-am

proveheret in cœ-lis ; Et i-dè-ò

cum Ange-lis & Archange-lis, cum

Thronis & Dominati- onibus,

cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis

ex-erci-tûs, hymnum glori-æ tu-æ

canimus, ſine fi-ne di-centes :

PRÆFATIO DE SS. APOSTOLIS,

Dicitur in Feſtis Apoſtolorum, & Evangeliſtarum (præterquàm in die ſancti Joannis Evangeliſtæ) & per eorum Octavas, (ſi quæ ſint,) & in Feſtis intra eas occurrentibus, niſi propria aſſignetur, ac in Miſſis votivis de Apoſtolis.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum

& ſa-lu-ta-re, te Domine, ſup-

pliciter exo-ra-re : ut gregem tu-um,

Paſtor æterne, non de-ſeras, ſed

per be-atos Apoſto-los tu-os,

continu-â protecti-o-ne cuſtodi-as :

ut i-iſdem rectoribus gubernetur,

quos operis tu-i vica-ri-os e-idem

contu-li-ſti, præ-eſ-ſe paſto-res.

Et i-de-ò cum Ange-lis &

Archange-lis, cum Thronis &

Dominati- o-nibus, cumque omni

militi-a cœleſtis ex-ercitûs, hymnum

glori-æ tu-æ canimus, ſine fi-ne

dicentes :

PRÆFATIO DE SS. ANTONINO, JOANNE ET ALMACHIO,

Dicitur in Feſto SS. Antonini, Joannis & Almachii, & per totam Octavam, quando fit de ea, ac in Miſſis votivis de iiſdem SS. Martyribus.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſalu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati- as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De- us, qui nos ſecundùm miſeri-



cordi-am tu am magnam, de tenebris



ad lucem vocare dignatus es, &



de poteſtate Satanæ e-reptos, in



fi-li-os adopti-o- nis aſſumere.



Tuâ enim, Domine, miſericordi-a,



tu- a gra-ti-a, verbum fide-i in



nobis Martyrum tuorum labore



ſemina-tum eſt, & ſanguine



fœcundatum. Nunc ergo, Pater



ſancte, confirma hoc quod operatus



es in nobis; & gregem iſtum,



quem Fili-o tu-o donaſti, conſerva



tu-æ virtu-tis auxi-li- o : ut ſancti-



ficatum in ve-ri- ta-te, perfectum



in uni- ta-te, conſumma- re di-



gne-ris in glo-ri-a : Per e-umdem



Chriſtum Dominum noſtrum : per



quem majeſtatem tu am trementes



adorant Ange-li, & omnes ſpi-



rituum cœleſti-um chori, ſoci-a



exultati- o-ne conce-lebrant. Cum



quibus & noſtras voces, ut admitti



jube as depre-camur, ſupplici



confeſſi o-ne dicentes :

PRÆFATIO DE OMNIBUS SANCTIS,

Dicitur in Feſto, & per totam Octavam omnium Sanctorum; & in Miſſis votivis de omnibus Sanctis.



Verè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique gra-ti-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, qui glorificaris in concili-o



Sanctorum, & e-orum coronando



merita, coronas dona tu-a: qui



nobis in e-orum præbes, & conver-



ſati-one ex-emplum, & com-



muni-one conſorti-um, & inter-



ceſſi-o-ne ſubſidi-um: ut tantam



habentes impoſitam nubem teſti-um,



per pati-enti-am curramus ad pro-



po-ſitum nobis certamen, & cum



e-is percipi-amus immarceſſibilem



glo-ri-æ co-ronam, per Jeſum



Chriſtum Dominum noſtrum,



cujus ſanguine miniſtratur nobis



intro-itus in æ-ternum regnum,



per quem majeſtatem tu-am



trementes adorant Ange-li, &



omnes ſpi-ri-tu-um cœ-leſti-um



cho-ri, ſo-ci a exulta-ti-o-ne



conce-lebrant. Cum quibus &



noſtras voces, ut admitti jube-as



deprecamur, ſupplici confeſſi-o-ne



dicentes:

PRÆFATIO
DE UNO VEL PLURIBUS MARTYRIBUS.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, ſanctorum omni-um in-



ſuperabi-lis forti-tudo; qui inter



mundanæ converſati-onis adverſa;



præcipu-â nos Martyrum tu-orum



glori-ficati- o-ne ſo-la-ris; & ad



ſublimi-a exempla pa-ti- enti-æ,



nos ipſorum tri-umphis benignus



accendis. Et i-de-ò cum Ange-lis



& Archange-lis, cum Thronis



& Dominati- o-nibus, cumque



omni mi li-ti-a cœleſtis ex-ercitûs,



hymnum glori-æ tu-æ canimus,



ſine fi-ne dicentes:

PRÆFATIO
DE SUMMO PONTIFICE.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re; te, Domine,



ſuppliciter exo-ra-re; ut gregem



tu-um, paſtor bone, placatus



intendas; & per be-atos Pontifices



tu-os pervigi-li præ-ſi-di-o



tu- e-a-ris: ut quos operis tu-i



vica-ri-os e-i in terris præfe- ciſti,



e-oſdem uſque in finem interceſſores



apud te ſenti-at in cœlis. Et i-de-ò

cum



cum Ange-lis & Archange-lis, cum



Thronis & Domina-ti- onibus,



cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis



ex-er-citûs, hymnum glori-æ tu-æ



canimus, ſine fi-ne di-centes:

PRÆFATIO DE FUNDATORIBUS ECCLESIARUM.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati- as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, clementi-am tu-am obſe-



crantes, ut fidelibus tu-is tibi per-



ſeveranter ſervi-re tribu-as, &



patrum fide-i ſu-æ memores, ab



Evange-li-i veritate numquam



de-ficere: ut qui ipſorum laboribus



tibi ſunt geni-ti, ſanctæque con-



verſa-ti-onis exemplo ro-bo-ra-ti,



cum ipſis coronam vi-tæ percipi-ant:



per Chriſtum Dominum noſtrum,



per quem ma-jeſta-tem tu-am



laudant Angeli, adorant Domi-



nati-o-nes, tremunt Poteſtates:



Cœ-li cœ-lo-rumque Virtutes, ac



be-a-ta Se-raphim, ſo-ci-â exul-



tati-o- ne conce-lebrant: Cum



quibus & noſtras voces ut admitti



jube-as depre-camur, ſupplici



confeſſi-o-ne di-centes:

PRÆFATIO DE PONTIFICIBUS.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us, qui in Eccleſi-a tu-a



Paſtores juxta cor tu-um ſuſci-taſti,



ut greges tu-os doctrinâ veri-tatis



paſcerent, & ſanctæ converſati-onis



informarent exemplo; unde tu-am



pi-etatem implo-ramus, ut ipſorum



cari-tatis ac pati-enti-æ memores,



fidem quam docu-erunt, integram



ſervemus, & à vi-a quam tenu-erunt



numquam declinemus: Et i- de-ò



cum Angelis & Archangelis, cum



Thronis & Dominati- onibus,



cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis



ex-erci-tûs, hymnum glori-æ tu-æ



canimus, ſine fi-ne di-centes:

PRÆFATIO DE DOCTORIBUS.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De- us, qui inter errorum caligines



mundano-rum, Doctores tu-os



tanquam luminari- a coruſca-re



feciſti; ut fidelibus tu-is ſinceræ



doctrinæ pabulum præbentes, ipſos



PRÆFATIO DE PRESBYTERIS.





PRÆFATIO DE ABBATIBUS, MONACHIS, ANACHORETIS, &c.



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &

ubique grati- as a-gere, Domine

ſancte, Pater omnipotens, æterne

De-us; qui pro te renunciantibus

ſe-culo, manſi-onem paras in

cœlo; & qui relictis omnibus tibi

ſe totos devo ve-runt, illis & in hoc

ſecu-lo centuplum, & in futuro

vitam rependis æ-ternam, per Chri-

ſtum Dominum noſtrum, per quem

majeſtatem tu-am laudant Angeli,

adorant Domina-ti-ones, tremunt

Poteſta-tes: Cœli cœ-lorumque

Virtutes ac be-a-ta Se-raphim,

ſo-ci-â exultati-o-ne conce-lebrant.

Cum quibus & noſtras voces ut

admitti jube-as depre-camur,

ſupplici confeſſi- o-ne dicentes.

PRÆFATIO DE JUSTIS.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum

& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &

ubique grati- as a-gere, Domine

ſancte, Pater omnipotens, æterne

De-us, qui non ſolùm victori-is

Martyrum nos ad fide-i conſtanti-am

accendis, ſed & labori-osâ juſtorum

pœnitenti-â contra mundi tenta-

menta tu-e-ris; nullum apud te

ſanctum propoſitum docens eſſe

ſine præmi-o, & præter duri-ora

certamina, fragiles quoſque ad tu-æ

retributionis



PRÆFATIO DE VIRGINIBUS.





PRÆFATIO DE SS. MULIERIBUS ET VIDUIS.



ubique grati- as a-gere, Domine

ſancte, Pater omnipotens, æterne

De-us, in quo ſperantes ſanctæ

mu- li- eres, vana mundi oblecta

menta deſpe-xe runt, & dum te

unum jugiter intu-entes domum

ſu-am re ge-bant ; per labori-oſa

pœnitenti-æ o-pera, æternam in

cœlis ſibi requiem compara-runt.

Et i-de-ò cum Ange-lis &

Archange-lis, cum Thronis &

Domina-ti- onibus, cumque omni

mi-liti- a cœleſtis e-xerci-tûs,

hymnum glori-æ tu-æ canimus,

ſine fi ne dicentes :

PRÆFATIO IN NUPTIIS.

M. A.

VErè dignum & juſtum, eſt æquum

& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &

ubique grati- as a-gere, Domine

ſancte, Pater omnipotens, æterne

De- us, qui fœdera nupti-arum

blando concordi-æ jugo, & in-

ſolubi-li pacis vincu-lo nexu- iſti,

ut multiplicandis adopti-onum

fi-li- is ſanctorum connubi-o

fœcunditas pudi-ca ſerva-re-tur.

Tuâ enim Domine, provi-denti-â,

tu-â gra-ti-â, ineffabilibus modis

utrumque diſpenſas ; ut quod ge-

nerati-o ad mundi edidit ornatum,



regenerati-o ad Eccleſi-æ perducat



augmentum. Et i-de-ò cum



Ange-lis & Archange-lis, cum



Thronis & Dominati- onibus,



cumque omni mi-li-ti-a cœleſtis



ex-erci-tûs, hymnum glori-æ tu-æ



canimus, ſine ſi-ne dicentes.

M. P

PRÆFATIO COMMUNIS,

Dicitur in Feriis per annum & quoties propria non habetur.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati- as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



D e- us, per Chriſtum Dominum



noſtrum; per quem majeſtatem



tu-am laudant Ange-li, adorant



Dominati-ones, tremunt Poteſta tes:



cœli cœlorumque Virtutes, ac



be-a-ta Se-raphim, ſo-ci-a exul-



ta-ti- o-ne conce-lebrant. Cum



quibus & noſtras voces, ut admitti



jube-as depre-camur, ſupplici



confeſſi-o-ne dicentes:

PRÆFATIO DE SPIRITU SANCTO PRO DEFUNCTIS.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, te Domine ſup-



plici-ter exo-ra-re; ut quorum



membra ſancti Spiritûs templum



fu-erunt in terris, eorum animas,



ab omnibus maculis emunda-tas,



in electorum tu-orum conſorti-um



benignus aſſumas; & quibus ipſe



Spiritus teſtimoni-um reddit quod



ſunt fili-i tu-i, illos regni cœ-



leſtis participes ef- fi-ci-as, per



Chriſtum Dominum noſtrum; per



quem majeſtatem tu-am laudant



Ange-li, adorant Dominati- ones,



tremunt Poteſta-tes: Cœli cœlorum-



que Virtutes, ac be-a ta Se-raphim,



ſo-ci-a exultati- one conce-lebrant:



Cum quibus & noſtras voces ut



admitti jube-as deprecamur, ſupplici



confeſſi-o-ne di-centes:

PRÆFATIO
DE BEATA MARIA VIRGINE
PRO DEFUNCTIS.



VErè dignum & juſtum eſt, æquum



& ſa-lu-ta-re, nos tibi ſemper &



ubique grati-as a-gere, Domine



ſancte, Pater omnipotens, æterne



De-us; per Chriſtum Dominum



noſtrum, qui pro ſalute noſtra



in Cruce mo-ri-ens, be-atam



Virginem Ma-ri- am genitricem



ſu- am, Matrem nobis pi-o



favo-re provi-dit; ut in hac mi-



ſeri- arum valle laborantibus ſuc-



curreret, mori-entes ju-va-ret, & in



tu-a cari-tate defunctos, tibi præ-



ſentaret coronandos. Et i-de-ò



PRÆFATIO DE DEFUNCTIS,

Dicitur in Miſſis Defunctorum.





PRÆFATIONES SINE CANTU.

PRÆFATIONIS EXORDIUM.

Sacerdos concludens Secretam *dicit altâ voce :*

PEr ómnia ſécula ſeculórum, ℟. Amen. ℣. Dóminus vobiſcum ; ℟. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Surſùm corda ; ℟. Habémus ad Dóminum. ℣. Grátias agámus Dómino Deo noſtro : ℟. Dignum & juſtum eſt.

Et idem eſt cujuſlibet Præfationis exordium.

Deinde Sacerdos altâ voce dicit : ſecundùm diem vel feſtum, unam ex ſequentibus Præfationibus.

PRÆFATIO DE ADVENTU. S. R.

Dicitur in Dominicis & Feriis per Adventum, uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini incluſivè, etiam in Feſtis eo tempore occurrentibus, niſi propriam habuerint.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum ; quem pérdito hóminum géneri ſalvatórem miſéricors & fidélis promiſiſti, cujus véritas inſtrúeret ínſcios, ſánctitas juſtificáret ímpios, virtus adjuváret infirmos. Dum ergo propè eſt ut véniat quem miſſúrus es, & dies affulget liberatiónis noſtræ ; in hac promiſſiónum tuárum fide piis gáudiis exultámus. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis, & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes :

Sanctus, &c. *Ut ante Canonem ; ſicque terminantur ſingulæ Præfationes.*

PRÆFATIO DE INCARNATIONE ET NATIVITATE DOMINI. S. R.

Dicitur à Natali Domini uſque ad Epiphaniam, & ab Octava Epiphaniæ excluſivè, uſque ad Præſentationem Domini incluſivè, etiam in Feſtis eo tempore occurrentibus, niſi propriam habuerint : item in Feſto Transfigurationis.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus ; quia per incarnáti Verbi myſtérium nova mentis noſtræ óculis lux tuæ claritátis infulſit : ut dum viſibíliter Deum cognóſcimus, per hunc in inviſibílium amórem rapiámur. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis, & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes :

Intra Actionem. S. R.

In prima Miſſa diei Natalis dicitur noctem ſacratíſſimam... quâ beátæ. *In ſecunda verò, ac deinceps, dicitur*

diem ſacratíſſimum.... quo beátæ, *uſque ad Octavam Nativitatis incluſivè, & non ultrà.*

COmmunicantes & diem ſacratíſſimum celebrantes quo beátæ Maríæ intemeráta virgínitas huic mundo édidit Salvatórem; ſed & memóriam venerantes, in primis ejuſdem glorióſæ ſemperque vírginis Maríæ Genitrícis ejuſdem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & beatórum Apoſtolórum, &c.

PRÆFATIO
DE EPIPHANIA DOMINI,

S. R.

Dicitur in Epiphania Domini & per Octavam, etiam in Feſtis quæ occurrunt; & in Miſſis votivis propriam non habentibus.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, quia cùm Unigénitus tuus in ſubſtántia noſtræ mortalitátis appáruit, novâ nos immortalitátis ſuæ luce reparávit. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

M. P.

Intra Actionem.

COmmunicantes & diem ſacratíſſimum celebrantes, quo Unigénitus tuus, in tua tecum glória coæternus, in veritáte carnis noſtræ viſibíliter corporális appáruit: ſed & memóriam venerantes, in primis glorióſæ ſemperque vírginis Maríæ genitrícis ejuſdem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & beatórum Apoſtolórum, &c.

Et dicitur per totam Octavam.

PRÆFATIO
IN PRÆSENTATIONE DOMINI ET PURIFICATIONE B. M. V.

Dicitur in Feſto Præſentationis Domini, & Purificationis B. M. V.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum; qui hodiernâ die, beátâ Maríâ Vírgine matre legi humíliter obediente, vóluit ipſe, ſancta & ínnocens hóſtia, ſecundùm legem tibi in Templo præſentári: ut unâ complerétur oblatióne variárum differéntia victimárum; & quæ diù fúerant figuráto promiſſa myſtério, novo jam incíperent expléri Sacramento. Et ídeò cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum gloriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO
DE ANNUNTIATIONE INCARNATIONIS DOMINI AD B. M. V.

Dicitur in Feſto Annuntiationis Domini ad B. M. V.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum; qui, hodiernâ die Angelo nuntiante, ſervílem formam aſſumpſit in útero beátæ Maríæ Vírginis, virtút eSpíritûs ſancti: ut nos à jugo vetuſtæ ſervitútis miſericórditer exímeret. Et

ídeò cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes :

S. R.

PRÆFATIO QUADRAGESIMALIS,

Dicitur quotidie à Feria IV. Cinerum uſque ad Sabbatum ante Dominicam Paſſionis incluſivè, etiam in Feſtis & Miſſis Votivis propriam non habentibus.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus ; qui corporáli jejúnio vítia cómprimis, mentem élevas, virtútem largíris & præmia, per Chriſtum Dóminum noſtrum, per quem majeſtátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Poteſtátes : cœli cœlorumque Virtútes, ac beáta Séraphim, ſóciâ exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne, dicentes :

M. A.

PRÆFATIO DE CRUCE,

Dicitur quâlibet Feriâ ſextâ Quadrageſimæ & à Dominica Paſſionis uſque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ incluſivè, etiam in Feſtis, propriam non habentibus : dicitur etiam in Feſtis ac Miſſis Votivis de Cruce.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus ; qui ſalútem humáni géneris in ligno crucis conſtituiſti ; ut unde mors oriebátur, inde vita reſúrgeret ; & qui in ligno vincébat, in ligno quoque vincerétur, per Chriſtum Dóminum noſtrum ; per quem majeſtátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Poteſtátes ; cœli cœlorumque Virtútes, ac beáta Séraphim, ſóciâ exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes :

PRÆFATIO DE CŒNA DOMINI.

Dicitur Feria V. in Cœna Domini, & in Miſſis Votivis de SS. Sacramento, & pro Reparatione injuriarum illatarum Chriſto in SS. Euchariſtiæ Sacramento.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum, verum æternumque Pontíficem, & ſolum ſine peccáti mácula ſacerdótem : qui in novíſſima cœna formam ſacrifícii perennis inſtítuens, hóſtiam ſe tibi primum óbtulit, & primus dócuit offerri : cujus carne pro nobis immolátâ dum páſcimur, roborámur, & fuſo ſánguine dum potámur, ablúimur. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes :

Communicantes, Hanc ígitur, Quam oblatiónem & Qui prídie, *pro Feriâ quintâ in Cœnâ Domini, habentur ſuo loco, in Proprio de Tempore.*

PRÆFATIO

S. R.

PRÆFATIO PASCHALIS,

Dicitur à Sabbato ſancto uſque ad Vigiliam Aſcenſionis incluſivè, etiam in Feſtis & Miſſis Votivis propriam non habentibus. In Miſſa Sabbati ſancti dicitur, in hac potíſſimùm nocte : *In die autem Paſchæ & uſque ad Sabbatum in Albis incluſivè, dicitur* in hoc potíſſimùm die, *& deinceps*, in hoc potíſſimùm glorióſiùs.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, te quidem, Dómine, omni témpore, ſed in hoc potíſſimùm [die] glorióſiùs prædicáre, cùm Paſcha noſtrum immolátus eſt Chriſtus: ipſe enim verus eſt Agnus, qui ábſtulit peccáta mundi ; qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparávit. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes :

S. R. *Intra Actionem.*

In Miſſa Sabbati ſancti dicitur : Communicantes, & noctem ſacratíſſimam celebrantes, *&c. ut infrà.*

A die verò Paſchæ uſque ad Sabbatum in Albis incluſivè, ſic dicitur :

COmmunicantes, & diem ſacratíſſimum celebrantes, Reſurrectiónis Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm carnem : ſed & memóriam venerantes, in primis glorióſæ ſemperque vírginis Maríæ Genitrícis ejuſdem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & beatórum Apoſtolórum, &c.

S. R.

PRÆFATIO DE ASCENSIONE DOMINI,

Dicitur à die Aſcenſionis incluſivè, uſque ad Vigiliam Pentecoſtes excluſivè, etiam in Feſtis & Miſſis Votivis propriam non habentibus.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum : qui poſt reſurrectiónem ſuam ómnibus diſcípulis ſuis manifeſtus appáruit, &, ipſis cerneńtibus, eſt elevátus in cœlum, ut nos divinitátis ſuæ tribúeret eſſe partícipes. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes :

Intra Actionem. S. R.

COmmunicantes, & diem ſacratíſſimum celebrantes quo Dóminus noſter unigénitus Fílius tuus unítam ſibi fragilitátis noſtræ ſubſtántiam in glóriæ tuæ déxtera collocávit : ſed & memóriam venerantes, in primis glorióſæ ſemperque vírginis Maríæ Genitrícis ejuſdem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & beatórum Apoſtolórum, &c.

Et dicitur per totam Octavam.

S. R.

PRÆFATIO DE S. SPIRITU,

Dicitur à Vigilia Pentecoſtes uſque ad ſequens Sabbatum incluſivè, & in Miſſis Votivis de ſancto Spiritu : ſed in his omittuntur hæc duo verba, hodiernâ die.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte,

Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum; qui aſcendens ſuper omnes cœlos, ſedenſque ad déxteram tuam, promiſſum Spíritum ſanctum [hodiernâ die] in fílios adoptiónis effúdit. Quapropter profúſis gáudiis totus in orbe terrárum mundus exultat: ſed & ſupernæ Virtútes, atque angélicæ Poteſtátes, hymnum glóriæ tuæ cóncinunt, ſine fine dicentes:

S. R. *Intra Actionem.*

COmmunicantes, & diem ſacratíſſimum Pentecoſtes celebrantes, quo Spíritus ſanctus Apóſtolis in linguis ígneis appáruit; ſed & memóriam venerantes, &c.

S. R.

PRÆFATIO DE SS. TRINITATE,

Dicitur in Feſto SS. Trinitatis, ac in Miſſis votivis de eadem. Dicitur etiam, in omnibus Dominicis per annum, niſi aliter notetur.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus; qui cum unigénito Fílio tuo & Spíritu ſancto, unus es Deus, unus es Dóminus; non in uníus ſingularitáte perſónæ, ſed in uníus Trinitáte ſubſtántiæ. Quod enim de tua glória, revelante te, crédimus; hoc de Fílio tuo, hoc de Spíritu ſancto, ſine differéntia diſcretiónis ſentímus: ut in confeſſióne veræ ſempiternæque Deitátis, & in Perſónis propríetas, & in eſſéntia únitas, & in majeſtáte adorétur æquálitas. Quem laudant Angeli, atque Archángeli, Chérubim quoque ac Séraphim, qui non ceſſant clamáre quotídie, unâ voce dicentes:

PRÆFATIO M. P. DE SS. SACRAMENTO,

Dicitur in Feſto Corporis Chriſti, & per Octavam; etiam in Feſtis intrà eamdem Octavam occurrentibus, niſi propriam habuerint.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum; qui remótis carnálium victimárum inánibus umbris, corpus & ſánguinem ſuum nobis in ſacrifícium commendávit, ut in omni loco offerátur nómini tuo, quæ tibi ſola complácuit, oblátio munda. In hoc ígitur inſcrutábilis ſapiéntiæ, & immenſæ caritátis myſtério, idipſum quod ſemel in cruce perfécit, non ceſſat mirabíliter operári, ipſe ófferens, ipſe & oblátio. Et nos unam ſecum hóſtiam effectos, ad ſacrum invítat convívium, in quo ipſe cibus noſter ſúmitur, recólitur memória Paſſiónis ejus, mens implétur grátiâ, & futúræ glóriæ nobis pignus datur. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE SS. CORDE D. N. J. C.

Dicitur in Feſto SS. Cordis D. N. J. C. & in Miſſis votivis de eodem.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus; qui omnes theſauros

ſapiéntiæ & ſciéntiæ póſuiſti in Corde ſacratíſſimo Fílii tui, ut de cœleſtis hujus fontis plenitúdine omnes acciperémus; & divínis ipsíus ardóribus communicantes, ſecundùm Cor tuum inveníri mereámur: Nunc ergo, Pater ſancte, réſpice in Cor dilectíſſimi Fílii tui, & ſacris quibus ardet ígnibus ita corda noſtra combúras, ut nihil nobis ſápiat, nihil nos delectet, nihil nos allíciat præter ipſum Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum; per quem majeſtátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Poteſtátes: Cœli cœlorumque Virtútes, ac beáta Séraphim, ſóciâ exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces, ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes:

M. P.

PRÆFATIO
DE DEDICATIONE
Ecclesiæ.

Dicitur in Dedicatione Eccleſiæ, & in Anniverſario ejuſdem, ac per totam Octavam, etiam in Feſtis intrà eam occurrentibus, niſi propriam habuerint.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus; qui hanc oratiónis domum quam ædificávimus, bonórum ómnium largítor inhábitas, & Eccléſiam quam ipſe fundaſti, inceſſábili operatióne ſanctíficas. Hæc eſt enim verè domus oratiónis, viſibílibus ædifíciis adumbráta, templum habitatiónis glóriæ tuæ, ſedes incommutábilis veritátis, ſanctuárium æternæ caritátis. Hæc eſt arca, quæ nos à mundi ereptos dilúvio, in portum ſalútis indúcit. Hæc eſt dilecta & única ſponſa, quam acquisívit Chriſtus ſánguine ſuo, quam vivíficat ſpíritu ſuo: cujus in ſinu, renáti per grátiam tuam, lacte verbi páſcimur, pane vitæ roborámur, miſericórdiæ tuæ ſubsídiis confovémur. Hæc fidéliter in terris, ſponſo adjuvante, mílitat, & perénniter in cœlis, ipſo coronante, triumphat. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

M. A.

PRÆFATIO
DE B. MARIA VIRGINE,

Dicitur in Feſtis B. M. V. & per eorum Octavas; etiam in Feſtis intrà eas Octavas occurrentibus, ſi propriam non habuerint: & in Miſſis votivis de B. M. V. in quibus dicitur, & te in Veneratióne. *In Feſtis autem dicitur,* & te in Conceptióne, *vel* Compaſſióne, *vel* Viſitatióne, *vel* Aſſumptióne, *vel* Nativitáte, *vel* Præſentatióne, *ſecundùm denominationem Feſti.*

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus; & te in (****) beátæ Maríæ ſemper vírginis collaudáre, benedícere, & prædicáre; quæ & Unigénitum tuum ſancti Spíritûs obumbratióne concépit; & virginitátis glóriâ permanente, lumen æternum mundo effúdit, Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum; per quem majeſtátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Poteſtátes: cœli cœlorumque Virtútes, ac beáta Séraphim, ſociâ exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes:

PRÆFATIO DE SS. ANGELIS,

Dicitur in Feſtis & in Miſſis votivis Sanctorum Angelorum.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus; qui mirâ tuæ pietátis dignatióne, in auxílium noſtrum cœléſtia ſimul & terréna diſpónis; qui nos inter ſéculi hujus fluctus laborantes ſupernórum præsídiis réfoves miniſtrórum; ut in ómnibus viis noſtris nos dirigentes, & à malis avertant, & ad bona próvocent, & ab hóſtium incúrſibus liberátos, ſuæ nos beatitúdinis conſortes effíciant; per Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum, per quem majeſtátem tuam adórat multitúdo Angelórum: cum quibus & noſtras voces ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes:

PRÆFATIO DE S. JOANNE BAPTISTA,

S. R.

Dicitur in Feſtis S. Joannis Baptiſtæ, & per eorum Octavas, & in Feſtis intrà eas occurrentibus, niſi propria aſſignetur, ac in Miſſis votivis de eodem.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, & tuam ergà beátum Joannem magnificéntiam prædicáre: qui vocem Matris Dómini nondum éditus, ſenſit; & matris adhuc clauſus útero, adventum ſalútis humánæ prophética exultatióne ſignificávit: qui & genitrícis ſterilitátem, conceptus ábſtulit & genitóris linguam natus réſolvit, ſoluſque ómnium Prophetárum Redemptórem mundi, quem prænuntiávit, oſtendit, Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum; per quem majeſtátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Poteſtátes: Cœli cœlorumque Virtútes ac beáta Séraphim, ſociâ exultatióne concélebrant: Cum quibus & noſtras voces ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes:

PRÆFATIO DE SANCTIS AD FAMILIAM CHRISTI PERTINENTIBUS.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum; qui de te ab æterno génitus, Fílius hóminis fíeri vóluit in témpore; & in ſémine Abrahæ ſibi Vírginem Matrem éligens, parentes ipsíus & propinquos, ſuos vocári non dedignátus eſt; quos non ídeò beátos prædicámus quòd ſecundùm carnem Chriſto juncti fúerint, ſed quòd in ipſum credentes, ac meritórum ejus partícipes effecti, ad cœleſtem hæreditátem merúerint pervenire: Et ídeò cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exercitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE SANCTIS QUI CUM CHRISTO VIXERUNT.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum; qui in plenitúdine témporum Fílius hóminis factus, cum

homínibus habitáre & converſári vóluit; & quos familiaritáte ſuâ dignátus eſt, abundántibus gratiárum ditávit incrementis; ut qui ipſi únicè adhæſerant in terris, ſecum ad perennem glóriam provéheret in cœlis. Et ídeò cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE SS. APOSTOLIS,

Dicitur in Feſtis Apoſtolorum, & Evangeliſtarum (præterquàm in die ſancti Joannis Evangeliſtæ) & per eorum Octavas, (ſi quæ ſint,) & in Feſtis intra eas occurrentibus, niſi propria aſſignetur, ac in Miſſis votivis de Apoſtolis.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, te, Dómine, ſupplíciter exoráre, ut gregem tuum, Paſtor æterne, non déſeras, ſed per beátos Apóſtolos tuos contínuâ protectióne cuſtódias: ut iiſdem rectóribus gubernétur, quos óperis tui vicários eídem contuliſti præeſſe paſtóres. Et ideò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE SS. ANTONINO, JOANNE ET ALMACHIO.

Dicitur in Feſto SS. Antonini, Joannis & Almachii, & per totam Octavam, quando fit de ea, ac in Miſſis votivis de iiſdem SS. Martyribus.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus; qui nos ſecundùm miſericórdiam tuam magnam, de ténebris ad lucem vocáre dignátus es, & de poteſtáte ſátanæ ereptos, in fílios adoptiónis aſſúmere. Tuâ enim, Dómine, miſericórdiâ, tuâ grátiâ, verbum fídei in nobis Mártyrum tuórum labóre ſeminátum eſt, & ſánguine fœcundátum. Nunc ergo, Pater ſancte, confirma hoc quod operátus es in nobis; & gregem iſtum, quem Fílio tuo donaſti, conſerva tuæ virtútis auxílio: ut ſanctificátum in veritáte, perfectum in unitáte, conſummáre dignéris in glória: Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum; per quem majeſtátem tuam trementes adórant Angeli, & omnes ſpirítuum cœléſtium chori, ſóciâ exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces, ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes:

PRÆFATIO DE OMNIBUS SANCTIS,

Dicitur in Feſto, & per totam Octavam omnium Sanctorum; & in Miſſis votivis de omnibus Sanctis.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, qui glorificáris in concílio Sanctórum; & eórum coronando mérita, corónas dona tua: qui nobis in eórum præbes, & converſatióne exemplum, & communióne conſórtium, & interceſſióne ſubsídium: ut tantam habentes impóſitam nubem téſtium, per patiéntiam currámus ad pro-

póſitum nobis certámen , & cum eis percipiámus immarceſsíbilem glóriæ corónam ; per Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum , cujus ſánguine miniſtrátur nobis intróitus in æternum regnum , per quem majeſtátem tuam trementes adórant Angeli , & omnes ſpirítuum cœléſtium chori ſócià exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces , ut admitti júbeas deprecámur , ſúpplici confeſſióne dicentes :

PRÆFATIO
DE UNO VEL PLURIBUS MARTYRIBUS.

VErè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutáre , nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere , Dómine ſancte , Pater omnípotens , æterne Deus , ſanctórum ómnium inſuperábilis fortitúdo ; qui inter mundánæ converſatiónis adverſa ; præcípuâ nos Mártyrum tuórum glorificatióne ſoláris ; & ad ſublímia exempla patiéntiæ nos ipſórum triumphis benígnus accendis. Et ídeò , cum Angelis & Archángelis , cum Thronis & Dominatiónibus , cumque omni milítia cœléſtis exércitûs , hymnum glóriæ tuæ cánimus , ſine fine dicentes :

PRÆFATIO
DE SUMMO PONTIFICE.

VErè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutáre ; te Dómine, ſupplíciter exoráre ; ut gregem tuum, paſtor bone , placátus intendas ; & per beátos Pontífices tuos pervígili præſídio tueáris : ut quos óperis tui vicários ei in terris præfeciſti , eoſdem uſque in finem interceſſóres apud te ſéntiat in cœlis. Et ídeò , cum Angelis & Archángelis , cum Thronis & Dominatiónibus , cumque omni milítia cœléſtis exércitûs , hymnum glóriæ tuæ cánimus , ſine fine dicentes :

PRÆFATIO
DE FUNDATORIBUS ECCLESIARUM.

VErè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutáre , nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere , Dómine ſancte , Pater omnípotens , æterne Deus , cleméntiam tuam obſecrantes , ut fidélibus tuis tibi perſeveránter ſervíre tríbuas , & Patrum fídei ſuæ mémores , ab Evangélii veritáte numquam defícere : ut qui ipſórum labóribus tibi ſunt géniti , ſanctæque converſatiónis exemplo roboráti , cum ipſis corónam vitæ percípiant , per Chriſtum Dóminum noſtrum , per quem majeſtátem tuam laudant Angeli , adórant Dominatiónes , tremunt Poteſtátes : Cœli cœlorúmque Virtútes ac beáta Séraphim , ſócià exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces ut admitti júbeas deprecámur , ſúpplici confeſſióne dicentes :

PRÆFATIO
DE PONTIFICIBUS.

VErè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutáre , nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere ,

Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, qui in Eccléſia tua Paſtóres juxta cor tuum ſuſcitaſti, ut gregestuos doctrínâ veritátis páſcerent, & ſanctæ converſatiónis informárent exemplo; unde tuam pietátem implorámus, ut ipſórum caritátis ac patiéntiæ mémores, fidem quam docuérunt, íntegram ſervémus, & à via quam tenuérunt numquam declinémus. Et ídeò, cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléſtis exércitûs, hymnùm glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE DOCTORIBUS.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, qui inter errórum calígines mundanórum, Doctóres tuos tanquam luminária coruſcáre feciſti; ut fidélibus tuis ſincéræ doctrínæ pábulum præbentes, ipſos à perfidórum falláciis liberárent. Et ídeò, cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE PRESBYTERIS.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Qui víctima ſui Sacerdótii, & Sacerdos ſuæ víctimæ tibi Patri ſuo ſeipſum primus óbtulit, & hoc fíeri per miniſtrórum manus, in ſuî commemoratiónem præcépit; & quos myſteriórum ſuórum facit diſpenſatóres, poſt complétum dignè miniſtérium, glóriæ ſuæ jubet eſſe conſortes. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE ABBATIBUS, MONACHIS, ANACHORETIS, &c.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, qui pro te renunciántibus ſéculo, manſiónem paras in cœlo; & qui relictis ómnibus tibi ſe totos devovérunt, illis & in hoc ſéculo céntuplum, & in futúro vitam rependis æternam, per Chriſtum Dóminum noſtrum, per quem majeſtátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Poteſtátes: Cœli cœlorúmque Virtútes ac beáta Séraphim, ſócià exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces, ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes:

PRÆFATIO DE JUSTIS.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Domine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, qui non ſolùm victóriis Mártyrum nos ad fídei conſtántiam accendis, ſed & laboriósâ juſtórum pœniténtiâ contra mundi tentamenta tuéris; nullum apud te ſanctum propóſitum docens eſſe ſine præmio, & præter durióra certámina, frágiles quoſque ad tuæ retributiónis munus invítans. Et ídeò, cum Angelis & & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE VIRGINIBUS.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, caſtórum córporum benígnus habitátor & incorruptárum amátor animárum; cujus múnere ſanctæ Vírgines angélicæ integritátis æmulæ, ut tibi únice adhærérent, ſéculi núptias reſpuérunt; & uſque in finem immaculátæ permanentes, Agno Vírginum ſponſo ſociári perénniter meruérunt. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE SS. MULIERIBUS ET VIDUIS.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, in quo ſperantes ſanctæ Mulíeres, vana mundi oblectamenta deſpexérunt; & dum te unum júgiter intuentes domum ſuam regébant, per laboriósa pœniténtiæ ópera, æternam in cœlis ſibi réquiem comparárunt. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO IN NUPTIIS. M. A.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, qui fœdera nuptiárum blando concórdiæ jugo, & inſolúbili pacis vínculo nexuiſti, ut multiplicandis adoptiónum fíliis, ſanctórum connúbio fœcúnditas pudíca ſervarétur. Tuâ enim, Dómine, providéntiâ, tuâ grátiâ, ineffabílibus modis utrumque diſpenſas; ut quod generátio ad mundi édidit ornátum, regenerátio ad Eccléſiæ perdúcat augmentum. Et ídeò cum

Angelis



Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Eph. 5

Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœleſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

M. P.

PRÆFATIO COMMUNIS,

Dicitur in Feriis per annum & quoties propria non habetur.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum; per quem majeſtátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Poteſtátes: cœli cœlorumque Virtútes, ac beáta Séraphim, ſóciâ exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces, ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes:

PRÆFATIO DE SPIRITU SANCTO PRO DEFUNCTIS.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, te, Dómine, ſuppliciter exoráre; ut quorum membra ſancti Spíritûs templum fuérunt in terris, eórum ánimas, ab ómnibus máculis emundátas, in electórum tuórum conſórtium benígnus aſſumas; & quibus ipſe Spíritus teſtimónium reddit quod ſunt fílii tui, illos regni cœleſtis partícipes efficias, per Chriſtum Dóminum noſtrum; per quem majeſtátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Poteſtátes: Cœli cœlorumque Virtútes, ac beáta Séraphim, ſóciâ exultatióne concélebrant. Cum quibus & noſtras voces, ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes:

PRÆFATIO DE BEATA MARIA VIRGINE PRO DEFUNCTIS.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum; qui pro ſalúte noſtra in Cruce móriens, beátam Vírginem Maríam genitrícem ſuam, Matrem nobis pio favóre provídit; ut in hac miſeriárum valle laborántibus ſuccúrreret, morientes juváret, & in tua caritáte defunctos, tibi præſentáret coronandos. Et ídeò cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléſtis exércitûs, hymnum glóriæ tuæ cánimus, ſine fine dicentes:

PRÆFATIO DE DEFUNCTIS,

Dicitur in Miſſis Defunctorum.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutáre, nos tibi ſemper & ubíque grátias ágere, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus, per Chriſtum Dóminum noſtrum; in quo nobis ſpem beátæ

reſurrectiónis conceſſiſti, ut dum natúram contriſtat certa moriendi condítio, fidem conſolétur futúræ immortalitátis promíſſio. Tuis enim fidélibus, Dómine, vita mutátur, non tóllitur; & diſſolútâ terreſtris hujus habitatiónis domo, æterna in cœlis habitátio comparátur. Et ídeò nos benè & religiósè de reſurrectióne cogitantes, pro peccátis mortuórum offérimus tibi ſacrifícium, ut hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, repóſitam ſibi glóriam conſequantur; per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum; per quem majeſtátem tuam concélebrant, omnes beatórum ſpíritum chori; cum quibus & noſtras voces, ut admitti júbeas deprecámur, ſúpplici confeſſióne dicentes:

Præfatione finitâ, Sacerdos jungens manus & paululùm inclinatus dicit altâ voce:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus ſábaoth. Pleni ſunt cœli & terra glóriâ tuâ, hoſanna in excelſis. *Deinde erectus & ſignans ſe à fronte ad pectus dicit eodem vocis tono*, Benedictus qui venit in nómine Dómini, hoſanna in excelſis.



CANON MISSÆ.

M. P.

Sacerdos extendens, elevans, & jungens manus, elevans ſimul ad cœlum oculos, & ſtatim demittens, profundè inclinatus, manibus junctis ac ſuper Altare poſitis, dicit ſecretò:

TE ígitur, clementíſſime Pater, per Jeſum Chriſtum Fílium tuum Dóminum noſtrum, ſúpplices rogámus ac pétimus, *oſculatur Altare,* uti accepta hábeas, *erigit ſe, & jungit manus,* & benedícas *ſignat ter ſuper oblata,* hæc ✠ dona, hæc ✠ múnera, hæc ✠ ſancta ſacrifícia illibáta; *extenſis manibus proſequitur,* in primis quæ tibi offérimus pro Eccléſia tua ſancta Cathólica; quam pacificáre, cuſtodíre, adunáre, & régere dignéris toto orbe terrárum: unà cum fámulo tuo Papa noſtro *N.* & Antíſtite

noſtro *N.* & Rege noſtro *N.* & ómnibus orthodoxis, atque Cathólicæ & Apoſtólicæ fídei cultóribus.

COMMEMORATIO PRO VIVIS.

Elevans & jungens manus dicit ſecretò:

MEmento, Dómine, famulórum, famularumque tuárum, *capite parum demiſſo, orat aliquantulùm pro quibus orare intendit, deinde manibus extenſis proſequitur:* & ómnium circumſtántium, atque ómnium fidélium Chriſtianórum, quorum tibi fides cógnita eſt, & nota devótio; pro quibus tibi offérimus; vel qui tibi ófferunt hoc ſacrifícium laudis, pro ſe, ſuiſque ómnibus; pro redemptióne animárum ſuárum, pro ſpe ſalútis & incolumitátis ſuæ: tibíque reddunt vota ſua æterno Deo, vivo, & vero.

INTRA ACTIONEM.

COmmunicantes, & memóriam venerantes, in primis gloriósæ ſemperque Vírginis Maríæ genitrícis Dei & Dómini noſtri *caput inclinat,* Jeſu Chriſti: ſed & beatórum

Apoſtolórum, ac Mártyrum tuórum; Petri & Pauli, Andreæ, Jacóbi, Joannis, Thomæ, Jacóbi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis & Thaddæi; Lini, Cleti, Clementis, Xyſti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chryſógoni, Joannis & Pauli, Coſmæ & Damiáni; & ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis precibuſque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio, *jungit manus,* Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Tenens manus expanſas ſuper oblata dicit ſecretò; [extrà Hebdomadas Paſchæ & Pentecoſtes.]

HAnc ígitur oblatiónem ſervitútis noſtræ, ſed & cunctæ famíliæ tuæ, quæſumus, Dómine, ut placátus accípias, dieſque noſtros in tua pace diſpónas, atque ab æterna damnatióne nos éripi, & in electórum tuórum júbeas grege numerári, *jungit manus,* Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

[*A Sabbato ſancto uſque ad Sabbatum in Albis incluſivè, & à Vigilia Pentecoſtes uſque ad Sabbatum etiam ſequens incluſivè.*

HAnc ígitur oblatiónem ſervitútis noſtræ, ſed & cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus pro his quoque quos regenerâre dignátus es ex aqua & Spíritu ſancto, tríbuens eis remiſſiónem ómnium peccatórum, quæſumus, Dómine, ut placátus accípias, dieſque noſtros in tua pace diſpónas, atque ab æterna damnatióne nos éripi, & in electórum tuórum júbeas grege numerári, *jungit manus*, Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.]

QUam oblatiónem, tu, Deus in ómnibus, quæſumus, *ſignat ter ſuper oblata*, bene- ✻ dictam, aſcri- ✻ ptam, ra- ✻ tam, rationábilem, acceptabilemque fácere dignéris: *ſignat ſemel ſuper Hoſtiam*, ut nobis Cor- ✻ pus, *& ſemel ſuper Calicem* & San- ✻ guis, *elevat ac jungit manus*, fiat dilectíſſimi Fílii tui Dómini noſtri *caput inclinat*, Jeſu Chriſti.

Extergens pollices & indices ſuper Corporale, proſequitur ſecretò :

QUi prídie quàm paterétur, *Hoſtiam accipit,* accépit panem in ſanctas ac venerábiles manus ſuas : *elevat oculos,* & elevátis óculis in cœlum, ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem ; *caput inclinat,* tibi grátias agens, *ſiniſtrâ tenens Hoſtiam, dextrâ ſignat ſuper eam,* bene- ✠ dixit, fregit, deditque diſcípulis ſuis, dicens : Accípite & manducáte ex hoc omnes ;

Tenens ambabus manibus Hoſtiam inter indices, & pollices, cubitis ſuper Altare poſitis, profert verba Conſecrationis ſecretò, diſtinctè, & attentè :

Hoc eſt enim Corpus meum.

Hoſtiam conſecratam genuflexus adorat, ſurgit, oſtendit populo, reponit ſuper Corporale, iterùm adorat : (& non disjungit pollices & indices, uſque ad ablutionem digitorum, niſi quando Hoſtia tractanda eſt :) tunc detecto Calice, dicit ſecretò :

SImili modo postquàm cœnátum est, *ambabus manibus accipit Calicem, aliquantulùm illum elevans, ac statim deponens*, accípiens & hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas: item *caput inclinat*, tibi grátias agens, *sinistrâ tenens Calicem, dextrâ signat super eum*, bene-✠dixit, deditque discípulis suis, dicens: Accípite & bíbite ex eo omnes:

Cubitis super Altare positis, profert verba Consecrationis secretò, distinctè & attentè super Calicem, tenens illum parùm elevatum:

Hic est enim Calix Sánguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mystérium fídei; qui pro vobis, & pro multis effundétur in remissiónem peccatórum:

Reponit Calicem super Corporale, prosequens, secretò:

Hæc quotiescumque fecéritis, in meî memóriam faciétis.

Genuflexus adorat, surgit, ostendit populo, deponit, cooperit, & iterùm adorat: deinde disjunctis & extensis manibus, dicit secretò:

UNde & mémores, Dómine, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta, ejuſdem Chriſti Fílii tui Dómini noſtri, tam beátæ Paſſiónis, necnon & ab ínferis Reſurrectiónis, ſed & in cœlos glorióſæ Aſcenſiónis: offérimus præcláræ majeſtáti tuæ de tuis donis ac datis, *jungit manus, & ſignat ter ſuper Hoſtiam & Calicem ſimul,* Hóſtiam ✠ puram, Hóſtiam ✠ ſanctam, Hóſtiam ✠ immaculátam, *ſignat ſemel ſuper Hoſtiam,* Panem ✠ ſanctum vitæ æternæ, *& ſemel ſuper Calicem,* & Cálicem ✠ ſalútis perpétuæ:

Extenſis manibus proſequitur, ſecretò:

SUpra quæ propítio ac ſeréno vultu reſpícere dignéris, & accepta habére, ſícuti accepta habére dignátus es múnera púeri tui juſti Abel, & ſacrifícium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi óbtulit ſummus ſacerdos tuus Melchíſedech, ſanctum ſacrifícium, immaculátam Hóſtiam.

Profundè inclinatus, junctis manibus & ſuper Altare poſitis, dicit ſecretò:

SUpplices te rogámus, omnípotens Deus; jube hæc perferri per manus ſanctì Angeli tui in ſublíme Altáre tuum, in conſpectu divínæ majeſtátis tuæ; ut quotquot *oſculatur Altare*, ex hac Altáris participatióne *erigit ſe, & jungit manus*, ſacroſanctum Fílii tui *ſignat ſemel ſuper Hoſtiam*, Cor- ✠ pus, *& ſemel ſuper Calicem*, & Sán- ✠ guinem ſumpſérimus, *ſeipſum ſignat*, omni benedictióne ✠ cœleſti, & grátiâ repleámur, *jungit manus*, Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum, Amen.

COMMEMORATIO PRO DEFUNCTIS.

Extendens, elevans & jungens manus, dicit ſecretò:

MEmento étiam, Dómine, famulórum famularumque tuárum, qui nos præceſſérunt cum ſigno fídei, & dórmiunt in ſomno pacis: *capite parùm demiſſo, orat aliquantulùm pro quibus orare intendit; deinde extenſis manibus proſequitur:* Ipſis, Dómine, & ómnibus in Chriſto quieſcéntibus, locum refrigérii, lucis & pacis, ut indúlgeas depre-

cámur;

cámur; *jungit manus, & caput inclinat,* Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum, Amen.

Manu ſiniſtrâ ſuper Corporale poſitâ, dexterâ percutit pectus, elatâ parùm voce dicens:

NObis quoque peccatóribus, *extenſis manibus proſequitur ſecretò,* fámulis tuis, de multitúdine miſeratiónum tuárum ſperántibus, partem áliquam & ſocietátem donáre dignéris cum tuis ſanctis Apóſtolis, & Martyribus; cum Joanne, Stéphano, Matthía, Bárnaba, Ignátio, Alexandro, Marcellíno, Petro, Felicitáte, Perpétua, Agatha, Lúcia, Agnéte, Cæcília, Anaſtáſia, & ómnibus Sanctis tuis; intra quorum nos conſórtium, non æſtimátor mériti, ſed véniæ, quæſumus, largítor admitte, *jungit manus,* Per Chriſtum Dóminum noſtrum;

Per quem hæc ómnia, Dómine, ſemper bona creas, *ſignat ter ſuper Hoſtiam & Calicem ſimul,* ſanctí- ✠ ficas, viví- ✠ ficas, bene- ✠ dícis, & præſtas nobis,

diſcooperit Calicem, genuflectit, ſurgit, accipit Hoſtiam inter pollicem & indicem manûs dexteræ, tenens ſiniſtrâ Calicem, ſignat cum Hoſtia ter à labro ad labrum Calicis, dicens ſecretò:

Per ip-✻ſum, & cum ip-✻ſo, & in ip-✻ſo, *bis ſignat inter Calicem & pectus,* eſt tibi Deo Patri ✻ omnipotenti, in unitáte Spíritûs ✻ ſancti, *elevans aliquantulùm Calicem ſimul cum Hoſtia, dicit etiam ſecretò:* omnis honor & glória; *poſteà (cantat vel) dicit altâ voce:*



Per omni-a ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Deinde reponit Hoſtiam, cooperit Calicem, genuflectit, ſurgit & jungit manus & (cantat vel) dicit altâ voce:



O-remus. Præceptis ſa-luta-ribus moniti,



& divinâ inſti-tuti-o-ne formati audemus dicere:

Extendit manus.



P Ater noſter, qui es in cœlis, ſanctifi-



cetur nomen tuum: adveni-at regnum tuum:



fi-at voluntas tu-a, ſicut in cœlo & in terra:



Panem noſtrum quotidi-anum da nobis hodi-e:



& dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimit-



timus debi-toribus noſtris: & ne nos inducas in



tenta-ti-onem.



Chorus ℟. Sed li-bera nos à malo.

Sacerdos ſecretò, dicit: Amen.

Deinde, ſiniſtrâ ſuper Corporale poſitâ, Patenam purificatorio exterſam accipit inter indicem & medium digitum manûs dexteræ, quam tenens ſuper Aliare erectam, dicit ſecretò :

LIbera nos, quæſumus, Dómine, ab ómnibus malis, prætéritis, præſéntibus, & futúris: & intercedente beátâ & glorióſâ ſemperque Vírgine Dei genitríce Maríâ, cum beátis Apóſtolis tuis, *ſiniſtrâ pectori admotâ, ſignat ſe cum patena à fronte ad pectus, dicens ſecretò,* Petro & Paulo, atque Andrea, & ómnibus Sanctis, *& eam oſculatur, dicens ſecretò,* da propítius pacem in diébus noſtris : *ſubmittens Patenam Hoſtiæ proſequitur,* ut ope miſericórdiæ tuæ adjúti, & à peccáto ſimus ſemper líberi, & ab omni perturbatióne ſecúri, *diſcooperit Calicem, genuflectit, ſurgit, accipit Hoſtiam, frangit eam per medium ſuper Calicem, dicens ſecretò,* Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum ; *partem quæ in dextera eſt ponit ſuper Patenam :*

nam : deinde ex parte quæ in ſiniſtra remanſit, frangit particulam, dicens ſecretò : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, *aliam mediam partem cum ipſa ſiniſtra ponit ſuper Patenam ; & dexterâ tenens particulam ſuper Calicem, & ſiniſtrâ Calicem, (cantat vel) dicit altâ voce :*



Per omni-a ſe-cula ſe-culorum. *Chorus.* ℟. Amen.

[*Hìc in Miſſa Pontificali D. Epiſcopus, repoſitâ particulâ Hoſtiæ ſuper Patenam, benedicit populum ; ſed anteà Diaconus versùs ad populum, & tenens baculum paſtoralem, cantat :*



Humili- ate vos, ad Benedicti-onem ;



Chorus. ℟. De-o grati- as.

Reliqua cantantur & obſervantur à D. Epiſcopo, ut in Benedictionali habetur ; & cùm ſignat ſuper Calicem, dicit :



Et ✻ pax ejus ſit ✻ ſemper vobiſ- ✻ cum ;]

Cum ipſa particula Sacerdos ſignat ſuper Calicem, (cantans vel) dicens altâ voce :



Pax ✻ Domini ſit ✻ ſemper vobiſ- ✻ cum.



Chorus. ℟. Et cum ſpiri-tu tuo.

Particulam mittit in Calicem, dicens ſecretò:

HÆc ſacroſancta commíxtio Córporis & Sánguinis Dómini noſtri Jeſu Chriſti fiat accipiéntibus nobis in vitam æternam. Amen.

Cooperit Calicem, genuflectit, ſurgit; & inclinatus SS. Sacramento, jungit manus, & ſiniſtrâ ſuper Corporale poſitâ, pectus percutit, dicens altâ voce,

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, dona nobis pacem.

[*In Miſſis Defunctorum non percutitur pectus, nec dicitur* miſerére nobis, *ſed ejus loco dicitur,* dona eis réquiem; *& tertiò additur* ſempiternam.]

Deinde junctis manibus ſuper Altare, oculiſque ad SS. Sacramentum intentis, inclinatus

dicit ſecretò ſequentes Orationes, (quarum prima omittitur in Miſſis Defunctorum.)

DOmine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apóſtolis tuis, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; ne reſpícias peccáta mea, ſed fidem Eccléſiæ tuæ, eamque ſecundùm voluntátem tuam pacificáre & coadunáre dignéris; Qui vivis & regnas Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. Amen.

[*Si danda eſt pax, oſculatur Altare, & dans pacem Miniſtro, dicit mediocri voce,*

Pax tibi, Frater; & Eccléſiæ ſanctæ Dei.

In Miſſis Defunctorum pax non datur.]

DOmine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperante Spíritu ſancto, per mortem tuam mundum vivificaſti; líbera me per hoc ſacroſanctum Corpus & Sánguinem tuum, ab ómnibus iniquitátibus meis, & univerſis malis; & fac me tuis ſemper inhærére mandátis, & à te nunquam ſeparári permittas; Qui cum eódem Deo Patre & Spíritu ſancto vivis & regnas Deus, in ſécula ſeculórum. Amen.

PErcéptio Córporis tui, Dómine Jeſu Chriſte, quod ego indignus ſúmere præſúmo, non mihi provéniat in judícium & condemnatiónem; ſed pro tua pietáte proſit mihi ad tutamentum mentis & córporis; & ad medélam percipiendam; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. Amen.

Genuflectit, ſurgit, & dicit ſecretò:

PAnem cœleſtem accípiam & nomen Dómini invocábo.

Deinde manu dexterâ accipit ambas partes Hoſtiæ & collocat inter pollicem & indicem ſiniſtræ manûs: & Patenam inter eumdem indicem & medium ſupponit; atque parùm inclinatus, dexterâ percutiens pectus tribus vicibus; voce aliquantulùm elatâ, dicit ter devotè;

DOmine, non ſum dignus, *ſecretò proſequitur*, ut intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo, & ſanábitur ánima mea.

Poſteà

Poſteà, dexterâ ſe ſignans cum Hoſtia ſuper Patenam, dicit ſecretò:

COrpus Dómini noſtri ✠ Jeſu Chriſti cuſtódiat ánimam meam in vitam æternam; Amen.

Tum cubitis ſuper Altare poſitis, ſumit reverenter ambas partes Hoſtiæ, jungit manus, & aliquantulùm moratur in meditatione SS. Sacramenti, & mox diſcooperit Calicem, dicens ſecretò:

QUid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Genuflectit, Patenâ colligit fragmenta ſi quæ ſint, & excutit in Calicem, quem dexterâ accipit, dicens ſecretò:

Cálicem ſalutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo: Laudans invocábo Dóminum, & ab inimícis meis ſalvus ero.

Et ſignans ſe ſigno Crucis cum Calice, dicit ſecretò:

SAnguis Dómini noſtri ✠ Jeſu Chriſti cuſtódiat ánimam meam in vitam æternam; Amen.

Sumit totum Sanguinem cum particula, (& mox ſi qui ſint communicandi, eos communicet:) deinde ſuper Altare porrigit Calicem miniſtro qui infundit in eum parùm vini quo ſe purificat, interìm dicens ſecretò:

QUod ore ſúmpſimus, Dómine, purâ mente capiámus: & de múnere temporáli fiat nobis remédium ſempiternum.

Deinde vino & aquâ abluit pollices & indices ſuper Calicem, quos abſtergit purificatorio, dicens ſecretò:

CORpus tuum, Dómine, quod ſumpſi, & Sanguis quem potávi, adhæreat viſcéribus meis; & præſta, ut in me non remáneat ſcélerum mácula, quem pura & ſancta refecérunt ſacramenta; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum; Amen.

Sumit ablutionem, extergit os, & Calicem quem operit; & plicato Corporali, in Altari collocat.

Deinde ad cornu Epiſtolæ dicit altâ voce Communionem. Tum oſculatur Altare in medio, & converſus ad populum, dicit:

Dóminus vobiſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Revertitur ad cornu Epiſtolæ ubi dicit, altâ voce, Poſtcommunionem; quâ dictâ rursus oſculatur Altare in medio, & dicto

Dóminus vobiſcum;

Dicit, altâ voce, pro qualitate Miſſæ,

Ite, Miſſa eſt: *vel* Benedicámus Dómino.

Chorus. ℟. Deo grátias.

[*In Miſſa Defunctorum, dicit versùs Altare, altâ voce,*

Requieſcant in pace. ℟. Amen.]

[*In Miſſa majori Diaconus, versùs ad populum, junctis manibus, & nudo capite, cantat pro qualitate Feſti*

In Annualibus & Solemnibus majoribus.



In Solemnibus minoribus.

In Duplicibus quibuſcumque.



In Semiduplicibus ac Simplicibus.

Chorus reſpondet Deo grátias, *ſub eodem cantu.*

(In Missis in quibus non est cantatum Glória in excelsis Deo, *Diaconus, versùs ad Altare, cantat junctis manibus, & nudo capite :*



Benedica-mus Domino. ℟. De-o grati- as.)

(In Missis Defunctorum, Diaconus, versùs ad altare, cantat junctis manibus & nudo capite:



Requi-escant in pa-ce. ℟. Amen.)

Sacerdos inclinatus antè medium Altaris, manibus junctis super illud, dicit secretò :

PLáceat tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ, & præsta, ut sacrifícium quod óculis tuæ majestátis indignus óbtuli, tibi sit acceptábile, míhique & ómnibus pro quibus illud óbtuli, sit, te miserante, propitiábile; Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deindè osculatur Altare; & elevatis oculis, extendens, elevans & jungens manus, caputque Cruci inclinans, dicit altâ voce, (in Missa majori secundùm consuetudinem locorum cantat recto vocis tono,)

Benedícat vos omnípotens Deus, & *pópulum signans, prosequitur,* Pater, & Fí- ✠ lius, & Spíritus sanctus.

℟. Amen.

[*In Missa Pontificali D D. Episcopus hìc non benedicit.*]

[*In Missa majori, Sacerdos, datâ Benedictione, recedit præcedentibus Ministris; & eundo recitat, mediocri voce, Evangelium.*]

In Missis privatis Sacerdos dicto altâ voce, in cornu Evangelii, Dóminus vobiscum, *&* Inítium, *vel* Sequéntia sancti Evangélii secundùm *N. signans Evangelium, & se in fronte, ore & pectore, ut in aliis Evangeliis, legit, altâ voce, Evangelium secundùm Joannem,* In princípio erat Verbum, *&c. ut infrà vel aliud Evangelium; in fine respondetur.* Deo grátias.

[*Post Missas Defunctorum non datur Benedictio: sed dicto,* Pláceat tibi, *&c. Sacerdos osculatur Altare; tum recedit, vel legit Evangelium secundùm Joannem.*]

Dóminus vobiscum; ℟. Et cum spíritu tuo.
Inítium sancti Evangélii secundùm Joannem.
℟. Glória tibi, Dómine.

IN princípio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat; & vita erat lux hóminum: & lux in ténebris lucet, & ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine; ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux: sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognóvit. In própria venit: & sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri; his qui credunt in nómine ejus: Qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri; sed ex Deo nati sunt. *Genuflectit dicens:* ET VERBUM CARO FACTUM EST; *surgit, & prosequitur,* & habitávit in nobis (& vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre,) plenum grátiæ & veritátis.

℟. Deo grátias.

His finitis, discedens Sacerdos ab Altari, secretò recitat, ad devotionem, Hymnum Te Deum. *In Missis pro Defunctis, statim dicitur ad devotionem, Psalmum* De profundis, *& deindè* Te Deum.



PROPRIUM SANCTORUM.

¶ *In Duplicibus-Majoribus & infrà, Tempore Adventûs, poſt Collectam diei, aut Commemorationes Sanctorum, ſi quæ ſint, fit Commem. de B. M. V.* DEUM PARITURA, *ut in Proprio de Tempore, ſuprà, pag.* 2.

DIE XXIX.
In Feſto
SANCTI SATURNINI,
Primi Toloſani Epiſc. & Mart.
DUPLEX-MAJUS.

Miſſa, Mittam. *ut in Communi Fundatorum Eccleſiarum, infrà pag.* xv. *Coll.* Deus, qui per beátum. *Ibid.*

Fit Commemoratio Adventûs & B. Mariæ Virginis Deum parituræ.

DIE XXX.
In Feſto
SANCTI ANDREÆ,
Apoſtoli.
DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Psal. 64. BEátus, quem elegiſti, Deus, & aſſumpſiſti; inhabitábit in átriis tuis. *PSALM.* Te decet hymnus, Deus, in Sion,* & tibi reddétur votum in Jerúſalem. Glória. Beátus.

COLLECTA. Orémus.

M. P. MAjeſtátem tuam, Dómine, ſupplíciter exorámus; ut ſicut Eccléſiæ tuæ beátus Andreas Apóſtolus éxtitit prædicátor & rector, ita apud te ſit pro nobis perpétuus interceſſor; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui.

Secunda Oratio de Adventu.

Tertia de B. M. V. Deum paritura.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 10. FRatres; Corde créditur ad juſtítiam, ore autem confeſſio fĭt ad ſalútem: dicit enim Scriptúra; Omnis qui credit in illum, non cônfundétur. Non enim eſt diſtínctio Jŭdæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui învocant illum. Omnis enim quicumque invocávĕrĭt nomen Dómini, sâlvus erit. Quómodò ergo invocábunt in quem non credidérunt? Aut quómodò credent ei, quem non audiérunt? Quómodò autem áudient ſine prædicante? Quómodò verò prædicábunt, niſi mittantur? Sicŭt ſcriptum eſt: Quàm ſpecióſi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Êvangélio. Iſaĭăs enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui noſtro? Ergo fidĕs ex audítu, audítus autem per vêrbum Chriſti. Sed dico, Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívĭt ſonus eórum, & in fines orbĭs tĕrræ verba eórum.

GRADUALE. Sapiéntia ſúſcipit inquirentes ſe, & eos, qui díligunt il- Eccli. 4.

Joan. 1. lam, díligit Deus. ℣. Jesus videns duos Discípulos Joannis sequentes se, dicit eis : Quid quæritis ? Qui dixérunt ei: Rabbi, ubi hábitas ? Dicit eis : Veníte, & vidéte.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Venérunt, & vidérunt ubi manéret Jesus, & apud eum mansérunt die illo. Erat autem Andreas unus ex duóbus, qui secúti fúerant Jesum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 4. IN illo témpore ; Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare : (erant enim piscatóres:) & ait illis : Véníte post me, & fáciam vos fieri piscatóres hóminum. At illi contínuò, relictis rétibus, secúti sunt eum. Et procédens inde, vidit álios duos fratres, Jacóbum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eórum, reficientes rétia sua, & vocávit eos. Illi autem statim relictis rétibus et pâtre, secúti sunt eum.

Dicitur Credo.

Psal. 83. *Offertorium.* Mélior est dies una in átriis tuis, Deus, super míllia. Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Secreta.

M. P. AD hanc aram, in qua Agnum tibi quotídie immolámus, qui pro nobis occísus est, fac nos, Deus omnípotens, eo ánimi ardóre accédere, quo beátus Andreas eumdem Agnum & crucifigendum secútus est, & imitátus est crucifixum, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum ; Qui tecum.

Præfatio de Apostolis.

Gal. 2 *Communio.* Christo confixus sum cruci ; vivo autem, jam non ego ; vivit verò in me Christus.

Postcommunio. Orémus.

ROboret nos, Dómine, contra voluptátum illécebras sacræ mensæ libátio ; ut exemplo beáti Apóstoli tui Andreæ crucem nostram quotídie portantes, & cum Christo morientes in cruce, cum ipso regnáre mereámur in glória ; Per eumdem Dóminum.

FESTA DECEMBRIS.

Die 1.

In Festo

SANCTI ELIGII,

Virid.

Noviomensis Episcopi.

Semiduplex.

Missa, Státuit. *de Communi Pontificis, infrà pag.* xviij. *præter Epistolam sequentem.*

Fit Commem. Adventûs & B. M. V.

Léctio libri Exodi.

Cap. 31. IN diébus illis ; Locútus est Dóminus ad Môysen, dicens : Ecce, vocávi ex nómine Beséleel fílium Uri fílii Hur de tribu Juda, & implévi eum spíritu Dei, sapiéntia & intelligéntia, & sciéntia in omni opere ; ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, mármore & gemmis, & diversitâte lignórum. Dedíque ei sócium Oóliab fílium Achísamech de trîbu Dan. Et in corde omnis erudíti pósui sapiéntiam, ut fáciant cuncta quæ præcépi tibi, tabernáculum fœderis, & arcam testimónii, & propitiatórium, quod super eam est, & cuncta vasa tabernáculi, mensamque & vasa ejus, candelábrum puríssimum cum vasis suis, & altária thymiámatis, & holocausti, & ómnia vasa eórum, labrum cum basi sua, vestes sanctas in ministério Aáron sacerdóti, & fíliis ejus, ut fungantur offício suo in sacris : óleum unctiónis,

& thymiáma arómatum in sanctuário, ómnia quæ præcépĭ tibi, fácient.

Die ii.

In Festo
S. FRANCISCI XAVERII,
Viol. Presbyteri, Indiarum Apostoli.

Semiduplex.

Missa, Mittam. *de Communi Fundatorum Ecclesiarum, infrà pag.* xv. *cum sequentibus Orationibus.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui Indiárum gentes, beáti Francisci Xavérii prædicatióne & miráculis, Eccléſiæ tuæ aggregáre voluisti; concéde propítius, ut cujus glorióſa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exempla; Per.

Secunda Oratio de Adventu.

Tertia de B. M. V. Deum-paritura.

Secreta.

SUscipe, Deus, múnera quæ tibi in beáti Francisci Xavérii festivitáte deférimus; & præsta, ut sicut ille desidério salútis animárum ad últimas terras deportátus est, ita & nos per sémitam mandatórum tuórum ad cœléstem pátriam festinémus; Per Dóminum.

Præfatio de Fundatoribus Ecclesiarum.

Postcommunio. Orémus.

MYstéria tua, Deus, eum in nobis accendant caritátis ardórem, quem sancto Sacerdóti tuo Francisco Xavério pro salúte animárum inspirásti; ut vocatióne nostrâ dignè ambulantes, promissum benè operántibus mereámur præmium obtinére; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Die iii.

Pro Commemoratione
S. PETRI CHRYSOLOGI,
Episcopi & Doctoris.

Collecta, Omnípotens. xxj. *Secreta*, Hoc munus. *Postcommunio*, Da, quæsumus. xxij.

Die iv.

Pro Commemoratione
SANCTÆ BARBARÆ,
Virginis & Martyris.

Collecta, Deus, qui inter. xxxij. *Secreta*, Da nobis. *Postcommunio*, Deus, qui beátæ. xxxiij.

Die vi.

In Festo
SANCTI NICOLAI, *Virid.*
Myrensis Episcopi.

Semiduplex.

Introitus.

SUscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxtà cor meum & ánimam meam fáciet. *Psalm.* Dóminus regnávit, iraſcantur pópuli; * qui, sedet super Chérubim, moveátur terra. Glória. Suscitábo. 1. Reg. 2. Psal. 98.

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum Nicoláum Pontíficem innúmeris decorásti miráculis: tríbue, quæsumus, ut omnes qui ejus implórant auxílium, petitiónum suárum salutárem consequantur effectum; Per Dóminum.

Secunda Oratio de Adventu.

Tertia de B. M. V. Deum paritura.

Léctio Ezechiêlis Prophétæ.

HÆc dicit Dôminus Deus: Suscitábo super oves meas Pastórem unum, qui pascat eas, servŭm meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis în pastórem. Ego autem Dóminus erŏ eis in Deum: & servus meus Da- Cap. 34.

vid princeps in mêdio eórum. Ego Dóminus locûtus ſum. Et fáciam cum eis pactum pacis, & ceſſáre fáciam béſtĭäs péſſimas de terra : & qui hábitant in deſerto, ſecúri dôrmient in ſáltibus. Et ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem : & dedúcam imbrem in témpore ſuo : plúviæ benedictiônis erunt. Et dabit lignum agri fructum ſuum : & terra dabit germen ſuum, & erunt in terra ſua abſque timóre . & ſcient quiă ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum, & erúero eos de manu imperântium ſibi. Et non erunt ultrà in rapínam in géntibus, neque béſtiæ terræ devŏrábunt eos : ſed habitábunt confidenter abſque ûllo terróre. Et ſuſcitábo eis germĕn nominátum : & non erunt ultrà imminúti fame in terra, neque portábunt ultrà opprôbrium géntium. Et ſcient quia ego Dóminus Deus eórum cum eis, & ipſi pópulus meus domŭs Iſrael, ait Dôminus Deus. Vos autem greges mei, greges páſcuæ meæ, hómines eſtis : & ego Dóminus Deŭs vĕſter, dicit Dóminus Deus.

Iſai. 21. *GRADUALE.* Super ſpéculam Dómini ego ſum, ſtans júgiter per diem; & ſuper cuſtódiam meam ego ſum, ſtans totis nóctibus. ℣. Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifácerem : ómnibus ómnia factus ſum, ut omnes fácerem ſalvos. 1. Cor. 9.

Job 29. Allelúia, allelúia. ℣. Oculus fui cæco, & pes claudo ; pater eram páuperum. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 25. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hănc : Homo péregrè proficiſcens, vocávit ſervos ſuos, & trádidit illĭs bona ſua : & uni dedit quinque talenta, álii autem duo, álii verò unum, unicuíque ſecundùm própriam virtútem ; & profectus eſt ſtătim. Abiit autem qui quinque talenta accéperat, & opĕrátus eſt in eis, & lucrátus eſt ália quĭnque. Simíliter & quĭ duo accéperat, lucrátus eſt ália dŭo. Qui autĕm unum accéperat, ábiens fodit in terram, & abſcondit pecúniam dómini sŭi. Poſt multum verò témporis venit dóminus sĕrvórum illórum, & póſuit ratiónem cum ĕis. Et accédens qui quinque tălenta accéperat, óbtulit ália quinque talenta, dĭcens : Dómine, quinque talenta tradĭdiſti mihi, ecce ália quinque ſuperlucrátus sŭm. Ait illi dóminus ĕjus : Euge, ſerve bonĕ & fidélis, quia ſuper pauca fuiſti fidélis, ſuper multa te conſtítuam ; intra in gáudium dómini tŭi. Acceſſit autem & qui duo tălenta accéperat, & ăit : Dómine, duo talenta tradĭdiſti mihi, ecce ália duo lucrátus sŭm. Ait illi dóminus ĕjus : Euge, ſerve bone & fidélis, quia ſuper pauca fuiſti fidélis, ſuper multa te conſtítuam, intra ĭn gaudium dómini tui.

OFFERTORIUM. Ipſe ſtans juxtà aram, & circa illum coróna fratrum, quaſi plantátio cedri in Líbano : & oblátio dómini in mánibus ipſórum. Eccli. 50.

SECRETA.

SAnctífica, quæſumus, Dómine Deus, hæc múnera, quæ in ſolemnitáte beáti antíſtitis tui Nicolái ſupplicantes offérimus ; ut per ea vita noſtra inter adverſa & próſpera ubíque dirigátur ; Per Dóminum. M. A.

PRÆFATIO DE PONTIFICIBUS.

COMMUNIO. Ecce do ei pacem fœderis mei ; & erit ipsi pactum ſacerdótii ſempiternum, quia zelátus eſt pro Deo ſuo. Num. 25.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

SAcrifícia quæ ſúmpſimus, Dómine, pro ſolemnitáte beáti Pontíficis tui Nicolái, ſempiternâ nos protectióne confirment ; Per Dóminum.

DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO

Alb. # CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

SOLEMNE-MAJUS.

INTROITUS.

Isai. 66. LÆtámini, & exultáte in ea, omnes qui dilígitis eam : gaudéte cum ea gáudio universi ; quia hæc dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam, quasi flúvium pacis. Psal. 86. *PSALM.* Fundamenta ejus in móntibus sanctis * : díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. Glória. Lætámini.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui propter honórem Dómini nostri Jesu Christi beátam & immaculátam ejus genitrícem Vírginem Maríam, ab omni labe peccáti præservásti ; quæsumus, ut nos purísſimam ejus conceptiónem recolentes, ab omni iniquitáte mundos grátiâ tuâ efficere digneris ; [Per eumdem.]

Fit Commem. de Adventu, sub eadem conclusione.

Léctio libri Géneſis.

Cap. 3. IN diébus illis ; Vocávit Dóminus Deus Adam, & dixit ei : Ubi es ? Quî ait : Vocem tuam audívi in paradíso, & tímui eò quòd nudus essem, & abscôndi me. Cûi dixit : Quis enim indicávit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedisti ? Dixîtque Adam : Múlier, quam dedisti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, êt comédi. Et dixit Dóminus Deus âd mulíerem : Quare hoc feciſti ? Quæ respondit : Serpens décépit me, êt comédi. Et ait Dóminus Deus âd serpentem : Quia feciſti hoc, maledictus es inter ómnia animántia & béstias terræ ; super pectus tuum gradiéris, & terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ : inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus ; ipsa cónteret caput tuum, & tu insidiáberis calcáneo ejus.

GRADUALE. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei ; sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. ℣. Deus in médio ejus ; non commovébitur : adjuvábit eam Deus manè dilúculo. Psal. 45.

Allelúia, allelúia. ℣. Deus operátus est salútem in médio terræ, tu confregisti cápita dracónis. Allelúia. Psal. 73.

PROSA.

EVA parens, quid feciſti,
Quæ serpentis credidisti
Promissis fatálibus ?
Vitam nobis abstulisti,
Cœli viam præclusisti
Afflictis mortálibus.
HINC peccáto mancipátum,
Fœdâ labe maculátum,
Nostrum genus náscitur.
Sed peccáti Virgo victrix,
Et serpentis interfectrix,
Hódiè concípitur.
ILLA Christum paritúra,
Mundi salus est futúra :
Jam triumphum cánite.

Draco magnus parat ictus :
Surgit Virgo ; cadit victus ;
Terra, cœli pláudite.
O MAJORUM voto digna,
Filiórum fidem ſigna,
Perenni ſuffrágio.
Tu peccáto maculátis,
Donum poſce Sanctitátis,
Parentis officio.
RADIX Jeſſe, fons ſignátus,
Soli Deo patens Hortus
Tu mundo medéberis.
Veni, Virgo ſpecióſa,
Tota ſpinis carens roſa ;
Veni coronáberis.
MILLE donis tu decóra,
Solem præis ut auróra ;
Tu pro nobis ſemper ora :
Affer opem míſeris.
In peccáto ſumus nati,
In Adámo vulneráti,
Et ad malum inclináti,
Dele labem ſcéleris.
Amen.

Inítium ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 1. LIber generatiónis Jeſu Chriſti fílii David, fílii Abrahăm. Abraham génuit Iſaac : Iſaac autĕm génuit Jacob, Jacob autem génuit Judam, & fratres ĕjus. Judas autem génuit Phares & Zaram de Thamar : Phares autem génuit Eſron : Eſron autem génuit Aram : Aram autem génuit Amínadab : Amínadab autem génuit Naaſſon : Naaſſon autem génuit Salmon : Salmon autem génuit Booz de Rahăb. Booz autem génuit Obed ex Ruth : Obed autĕm génuit Jeſſe : Jeſſe autem génuit David rĕgem. David autem rex génuit Salomónem ex ea quæ fuit Uriæ. Sálomon autem génuit Róboam : Róboam autem génuit Abíam : Abías autem génuit Aſa : Aſa autem génŭit Jóſaphat : Jóſaphat autem génuit Joră̆m. Joram autem génuit Ozíam : Ozías autem génuit Jóathan : Jóathan autĕm génuit Achaz : Achaz autem génuit Ezechĭam. Ezechías autem génuit Manaſſen : Manaſſes autĕm génuit Amon : Amon autem génuit Josĭam. Josías autem génuit Jechóniam ĕt fratres ejus, in tranſmigratióne Babylŏnis. Et poſt tranſmigratiónem Babylónis, Jechónias génuit Săláthiel : Saláthiel autem génuit Zoróbabĕl. Zoróbabel autem génuit Abíud : Abíud autem génuit Elíacim : Elíacim autem génuit Azor : Azor autĕm génuit Sadoc : Sadoc autem génuit Achĭm. Achim autem génuit Elíud : Elíud autem génuit Eléazar : Eléazar autĕm génuit Mathan : Mathan autem génuit Jacŏb. Jacob autem génuit Jŏſeph virum Maríæ, de qua natus eſt Jĕsŭs qui vocátur Chriſtus.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Benedicta es tu, fília, à Dómino Deo excelſo præ ómnibus muliéribus ſuper terram. Benedictus Dóminus qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum. Judith 13.

SECRETA.

DEus, qui electam ab Unigénito tuo in habitatiónem ſibi, beátam & immaculátam Maríam Vírginem prævenísti in benedictiónibus dulcédinis, hujus ſacrifícii virtúte, præpara mentes & córpora noſtra ventúro ad nos, & in nobis habitatúro eídem unigénito Fílio tuo Dómino noſtro Jeſu Chriſto ; [Qui tecum.]

Commemoratio Feriæ.

PRÆFATIO de B. M. V. Et te in Conceptióne.

COMMUNIO. Elégit eam Dóminus, elégit eam in habitatiónem ſibi. Pſal. 131.

Postcommunio. Orémus.

DEus, qui beátam Maríam semper Vírginem, Fílii tui Genitrícem futúram, ab originâli labe mundam esse voluísti, eamque præ ómnibus Sanctis grátiæ tuæ donis cumulásti; concéde propítius ut, hujus perceptióne sacraménti, plenitúdinis tantæ grátiæ partícipes éffici mereámur; [Per eumdem.]

Commemoratio Feriæ.

DIEBUS INTRA OCTAVAM CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

SEMIDUPLEX.

Missa ut in die Festi præter Epistolam & Evangelium.

Fit Commem. ADVENTUS.

Léctio Cántici Cânticórum.

Cant. 6. UNa est columba mea, pérfecta mea, una est matris suæ, electa genitrîci suæ. Vidérunt eam fíliæ & beatíssimăm prædicavérunt: regínæ & concubínæ & laudavêrunt eam. Quæ est ista, quæ progréditur quasi aŭróra consúrgens: pulchra ut luna, electa ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ôrdinata. Descendi in hortum meum, ut vidérĕm poma convállium, & inspícerem si floruísset vínea, & germinássent mâla púnica. Nescívi: ánima mea conturbávit me, propter quadrígas Amînadab. Revértere, revértere Sulamítis: revértere, rĕvĕrtere, ut intueámur te.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

IN illo témpore; Ait Maria: Magníficat ánĭmă mea Dóminum: & exultávit spíritus meus in Deo salutári mĕo. Quia respexit humilitátĕm ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiŏnes. Quia fecit mihi magna quĭ potens est, & sanctum nomen ĕjus. Et misericórdia ejus à progénĭĕ in progénies, timéntibus ĕum. Fecit poténtiam in bráchio suo, dispersit sŭpĕrbos mente cordis sui.

Dicitur Credo.

DIE IX. DE OCTAVA.

DIE X. DE OCTAVA.

Post Commemorationem Adventûs, fit Commem. S. EULALIÆ, Virginis & Martyris.

Collecta. Orémus.

DEus, sanctæ puritatis amátor qui beátæ Valériæ castum virginitátis propósitum infudísti; da nobis, quæsumus, sic ejus agónem gloriósum venerári, ut perpétuis ejusdem mereámur fovéri præsídiis; Per Dóminum nostrum.

Secreta.

COr mundum & plenam fidem da nobis in hoc sacrifício, Deus: qui in beáta Valéria hóstia tua, duplex habére nos voluísti testimónium, religiónis & pudóris; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

EXeúntibus óbviam cœlesti Sponso, da nobis, Dómine, per hæc mystéria, sanctum óleum inextinguíbilis caritátis tuæ; quo plena prudentis Vírginis Valériæ lampas ætternùm tibi in aula cœlesti resplendet; Per eumdem Dóminum.

Die xi.

In Festo
SANCTI DAMASI,
Papæ.

Semiduplex.

Missa Congregábo, *de Communi unius summi Pontificis, non Martyris, p.* xiv.

Fit Commemoratio Octavæ & Adventûs.

Die xii.

In Festo
SANCTI PAULI,
Primi Narbonensis Episcopi,

Semiduplex.

Missa, Mittam. *de Communi Fundatorum Ecclesiarum, p.* xv. *præter Collectam sequentem.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui per beátum Paulum Pontíficem infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti; da nobis ejus intercessióne, in fide stábiles, & à spe Evangélii quod prædicávit, immóbiles permanére; Per Dóminum.

Fit Commemoratio Octavæ & Adventûs.

Secreta, Fundamentum. xvij.
Postcommunio, Per hujus. xvij.

Die xiii.

In Festo
SANCTÆ LUCIÆ.
Virginis & Martyris,

Semiduplex.

Missa, Tenuisti. *de Communi Virginis Martyris*, p. xxxiij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, sanctæ Lúciæ Mártyris tuæ votiva confóveat; ut ejus sacra natalítia & temporáliter frequentémus, & conspiciámus æterna; Per.

Fit Comm. Octavæ, & Adventûs.

Secreta.

IN sanctæ Vírginis tuæ Lúciæ passióne, te, Dómine, mirábilem prædicantes, múnera votíva deférimus: da nobis ejus précibus & méritis Sanctos esse córpore & spíritu, quæ ut sponso Christo promissam servaret fidem, vitæ fórtiter sustínuit detrimentum; Per eumdem Dóminum.

Præfatio de SS. Virginibus.

Postcommunio. Orémus.

DEus, qui beátæ Lúciæ pro gémina virginitátis & martyrii victória dúplicem corónam tuâ grátiâ contulísti; da, quæsumus, per hujus virtútem sacramenti, ut de carne, mundo & diábolo triumphantes, cœléstem glóriam consequámur; Per.

Die xiv.

DE OCTAVA.

Die xv.

In Festo
EXPECTATIONIS PARTUS
B. Mariæ Virginis.

Duplex-Majus.

Introitus.

DOminus dabit benignitátem, & terra nostra dabit fructum suum. *Psalm.* Benedixísti, Dómine, terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob. Glória. Dóminus.

Psal. 84.

Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus, qui Verbum tuum in alvo beátæ Maríæ Vírginis incarnári voluísti, ipsâ intercedente, concéde, ut illíus venerandi partûs, cujus hódiè celebrámus Expectatiónem, salutáres consequámur effectus; Per eumdem Dóminum.

Fit Commem. Adventûs.

Léctio Isaîæ Prophétæ.

Cap. 7. IN diébus illis; Adjécit Dóminus loqui ad Achâz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in prófundum inferni, sive in excélsum suprà. Et dîxit Achaz: Non petam, & non tentâbo Dóminum. Et dixit: Audíte ergó, domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vôbis signum: Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmânuel. Bútyrum & mel cómedet, ut sciat reprobáre málum, & elígere bonum.

Graduale. Elégit eam Dóminus in habitatiónem sibi. ℣. María inventa est in útero habens de Spíritu sancto. Psal. 131. Math. 1.

Allelúia, allelúia. ℣. Quod in ea natum est, de Spíritu sancto est. Allelúia. Math. 1.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 1. IN illo témpore; Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, dé domo David; & nomen Vírginis, María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cùm audísset, turbáta est in sermóne ejus: & cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María: invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus, Jesum. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur; & dabit illi Dóminus Deus sedem Dávid patris ejus: & regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? & respondens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obúmbrabit tibi: ideóque & quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, & ipsa concépit fílium in senectúte sua; & hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce áncilla Dómini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

Dicitur Credo.

Offertorium. Emitte agnum, Dómine, dominatórem terræ, de petra deserti ad montem fíliæ Sion. Psal. 16.

Secreta.

ALtári tuo, Dómine, superpósita múnera Spíritus sanctus assúmat, cujus obumbrante virtúte María Virgo concépit quem salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Fit Commemoratio Adventûs.

Præfatio de B. M. V. Et te in Expectatióne.

Communio. Deus in médio ejus: Dóminus virtútum nobíscum. Psal. 45.

Postcommunio. Orémus.

NOn álium expectantes præter te, Dómine, qui nostræ salútis es auctor, supplíciter exorámus; ut sicut conceptus de Vírgine vota Ma-

tris tuâ nativitáte cumulásti, ità nos per hæc sacraménta quæ súmpsimus ad Natalítia tua ritè celebranda præparáre dignéris; Qui vivis.

Fit Commemoratio Adventûs.

Die xviii.

SANCTI GATIANI,
Primi Turonensis Episcopi,
Commemoratio.

Collecta. Deus, cujus ineffábili. *ut in Comm. Fundat. Ecclesiarum.* xvj.

Die xxi.

In Festo

S. THOMÆ APOSTOLI.

Rub. Duplex-Majus.

Introitus.

Psal. 118. ERrávi sicut ovis quæ périit; quære servum tuum, Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus. *Psalm.* Beáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini. Ibid. Glória. Errávi.

Collecta. Orémus.

M. P. DA nobis, quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ solemnitátibus gloriári, ut ejus semper & patrocíniis sublevémur, & fidem cóngruâ devotióne sectémur; Per Dóminum nostrum.

Secunda Oratio de Adventu:
Tertia de B.M.V. Deum patitura.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Ephésios.

Cap. 1. FRatres; In Christo Jesu, vos, qui aliquando ĕrátis longè, facti estis propè in sânguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, & médium paríetem macériæ solvens, inimicítias ĭn carne sua: legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hóminem, fáciens pacem; & reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in sêmetipso. Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longè fuístis, & pacĕm iis, qui propè: quóniam per ipsum habémus accessum ambo in uno Spîritu ad Patrem. Ergo jam non estis hóspites, & ádvenæ, sed estis cives sanctórum, & doméstici Dei; superædificáti super fundamentum Apostolórum, & Prophetárum, ipso summo angulári lápĭdĕ Christo Jesu: in quo omnis ædificátio constructa crescit in templum sanctum in Dómino: in quo & vos coædificámini in habitácŭlŭm Dĕi in Spíritu.

Graduale. Verus est sermo quem audívi; non credébam narrántibus mihi, donec vidi óculis meis. ℣. Utiquè, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

3. Reg. 10. Joan. 11.

Allelúia, allelúia. ℣. Misericórdiam consecútus sum: ut in me primò osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum, qui creditúri sunt illi. Allelúia.

1. Tim. 1.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 20. IN illo témpore; Thomas unus ex Duódecim, quĭ dícitur Dídymus, non erat cum eis quando venit Jesŭs. Dixérunt ergo ei álii discĭpuli: Vídimus Dŏminum. Ille autem dixit ĕis: Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, & mittam dígitum meum in locum clavórum, & mittam manum meam ĭn latus ejus, non crĕdam. Et post dies octo, íterùm erant discípŭlĭ ejus intùs; & Thomas cum ĕis. Venit Jesus jánuis clausis, ĕt stetit in médio, & dĭxit: Pax vŏbis. Deindè dicit Thŏmæ: Infer dígitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte ĭn latus meum: & noli esse incrédulus, sed fidĕlis.

Rĕſpondit Thomas, & dixit ĕi : Dóminus meus, & Deus mĕus. Dixit ei Jesŭs : Quia vidiſti me, Thomă, credidiſti ; beáti qui non vĭdĕrunt, & credidérunt. *Dicitur* Credo.

Jer. 31. *OFFERTORIUM.* Tu Dóminus Deus meus : poſtquàm oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum ; confúſus ſum, & erúbui.

SECRETA.

M. A. DEbitum tibi, Dómine, noſtræ réddimus ſervitútis, ſupplíciter exorantes, ut ſuffrágiis beáti Thomæ Apóſtoli, in nobis tua múnera tueáris, cujus honorando confeſſiónem, laudis tibi hóſtias immolámus ; Per.

PRÆFATIO DE APOSTOLIS.

Pſal. 117. *COMMUNIO.* Deus meus es tu, & confitébor tibi : Deus meus es tu, & exaltábo te ; quóniam factus es mihi in ſalútem.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, cujus carnem in tuo ſacraménto non palpámus modò, ſed íntimo péctore ſuſcípimus ; præſta, quæſumus, ut cum Apóſtolo tuo Thomâ te Dóminum Deum noſtrum, fide per dilectiónem operante, fateámur ; Qui vivis & regnas.

DIE XXIV.

In Vigilia

NATALIS DOMINI.

DUPLEX-MINUS.

[*Si occurrat in Dominica, non fit Commem. Dom. ſed dicitur* Credo.]

Alb. *INTROITUS.*

Agg. 2. ADhuc unum módicum eſt ; & ego commovébo cœlum & terram, & mare, & áridam, & movébo omnes gentes, & véniet

Pſal. 48. Deſiderátus cunctis géntibus. *PSALM.* Audíte hæc, omnes gentes : * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem. Glória. Adhuc.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui nos redemptiónis noſtræ ánnuâ expectatióne lætíficas : præſta, ut Unigénitum tuum, quem redemptórem læti ſuſcípimus, venientem quoque júdicem ſecúri videámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit. S. R.

Nulla fit Commemoratio.

Lectio ſequens cantatur in tono ordinario Lectionum à Lectore amictu, alba & cingulo induto : nec omittitur in Miſſis privatis.

Léctio Iſaíæ Prophétæ.

Cap. 62. PRopter Sion non tacébo, & propter Jerúſalem non quieſcam, donec egrediátur ut ſplendor juſtus ejus, & Salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes juſtum tuum, & cuncti reges ínclytum tuum : & vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit : & eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultrà derelicta ; & terra tua non vocábitur ámpliùs deſoláta : ſed vocáberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitáta ; quia complácuit Dómino in te, & terra tua inhabitábitur.

Et continuò Subdiaconus cantat Epiſtolam, in tono Epiſtolarum conſueto : nec omittitur in Miſſis privatis.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 1. PAulus ſervus Jeſu Chriſti, vocátus Apóſtolus, ſegregátus in Evangélium Dei, quod antè promíſerat per Prophétas ſuos in Scriptúris ſanctis, de Fílio ſuo, qui factus eſt ei ex ſémine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinátus eſt Fílius Dei in virtúte, ſecundùm Spíritum ſanctificatiónis, ex reſurrectióne mortuórum Jeſu Chriſtĭ Dómini noſtri ; per quem accépimus grátiam & apoſtolátum ad

obediendum fídei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus eſtis & vos vŏcăti Jeſu Chriſti.

Joſ. 3. *GRADUALE.* Sanctificámini, cras enim fáciet Dóminus inter vos mirabília. ℣. Cánticum erit vobis ſicut nox ſanctificátæ ſolemnitátis, & lætítia cordis.

[*In Dominica, tantùm dicitur,*

Zach. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Lauda & lætáre, fília Sion, quia ecce vénio, & habitábo in médio tuî. Allelúia.]

Sequéntia ſanctî Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 1. CUm eſſet deſponſáta mater Jeſu Măría Joſeph, ántequam convenírent, inventa eſt in útero habens de Spíritu săncto. Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollĕt eam tradúcere, vóluit occultè dimíttere ĕam. Hæc autem eŏ cogitante, ecce Angelus Dómini appáruit in ſomnis ei, dĭcens: Joſeph fili David, noli timére accípere Maríăm cónjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spíritu ſancto ĕſt. Páriet autem fílium, & vocábis nomĕn ejus, Jeſum: ipſe enim ſalvum fáciet pópŭlŭm sŭum à peccátis eórum.

[*In Dominica dicitur* Credo.]

Zach. 3. *OFFERTORIUM.* Ecce ego addúcam ſervum meum Orientem, & áuferam iniquitátem terræ, dicit Dóminus exercítuum.

SECRETA.

OBlata hæc ſúſcipe, quæſumus Dómine, múnera; & præſta ut véniat & in multitúdine miſericórdiæ ſuæ víſitet nos Oriens ex alto; ténebras noſtras illúminet, iniquitátes áuferat, & in córdibus noſtris flammam tui amóris accendat Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum vivit & regnat.

Pſal. 69. *COMMUNIO.* Adjútor meus, & liberátor meus es tu: Dómine, ne moréris.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

CItò antícipent nos miſericórdiæ, tuæ, Dómine; & inſtante nativitáte unigéniti. Fílii tui, cujus cœleſti myſtério páſcimur, da nobis illam cum gratiárum actióne, & ſpiritáli gáudio celebráre; Per eumdem.



IN

IN NOCTE NATALIS DOMINI.

In hac Nocte poſt ultimum Reſponſorium, cantatur ſolemniter à Diacono parato ut in Miſſa, eodem ritu quo Evangelium, GENEALOGIA *Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm Matthæum ſub cantu ſequenti.*



D O-mi-nus vo-biſ-cum. ℟. Et cum ſpiri-tu tu- o.



℣. Ini- ti- um ſancti E-van-ge- li- i ſe-cundùm Matthæ-um.



℟. Glo-ri- a tibi Domi- ne.



LI-ber gene-ra-ti- onis Jeſu Chriſti, Fi-li- i Da-vid,



Fi- li- i A-bra-ham. Abraham ge- nu- it I- ſa- ac.



I-ſa- ac au-tem genu- it Ja- cob. Jacob autem ge-nu-it



Ju-dam & fra- tres e- jus. Judas autem genu-it Pha-res,



& Za- ram de Thamar. Phares au-tem genu-it Eſ-ron.



Efron au-tem genu- it A- ram. Aram autem genu-it



A-mi- nadab. Ami-na-dab autem genu- it Na- af- fon.



Na- af- fon au- tem ge-nu- it Sal- mon. Salmon autem



genu- it Bo- oz de Ra- hab. Bo- oz au-tem genu-it



Obed ex Ruth. Obed au-tem ge-nu- it Jef- fe.



Jeffe autem genu-it Da-vid re-gem. Da-vid au-tem rex



genu- it Sa- lomo- nem ex e- a quæ fu- it U- ri- æ.



Sa-lomon autem genu- it Robo-am. Ro-bo-am au- tem



genu-it A-bi- am. A-bi- as autem genu- it A- fa.



Afa autem genu- it Jo- faphat. Jo- faphat autem



genu-it Jo- ram. Joram autem ge-nu- it O- zi- am.



O- zi- as au-tem genu- it Jo- atham. Jo- atham autem



genu- it Achaz. Achaz au- tem genu- it E- zechi- am.



E- zechi- as au-tem genu-it Ma-naſſen. Manaſſes au-tem



ge-nu-it Amon. Amon autem genu- it Jo- ſi- am.



Jo- ſi- as autem ge-nu- it Jecho-ni- am , & fra-tres



e-jus in tranſmigra- ti- o- ne Ba- by- lo- nis.



Et poſt tranſmigra- ti- o-nem Baby-lo- nis Jecho- ni- as



ge-nu- it Sa- la- thi- el. Sa- lathi- el au-tem ge-nu- it



Zo- ro- ba-bel. Zo-ro-ba-bel au- tem ge-nu- it A- bi- ud.



A- bi- ud autem genu- it E- li- a-cim. E- li- a-cim au-tem



ge-nu- it A- zor. A-zor au-tem ge-nu- it Sa- doc.



Sadoc autem ge-nu- it A-chim. Achim au- tem genu-it



E- li- ud. E-li-ud au-tem genu-it E- le- a-zar. E-le- azar



au- tem ge-nu- it Mathan. Mathan autem ge- nu- it



Ja- cob. Jacob au- tem ge- nu- it Jo- ſeph vi- rum



Ma- ri- æ , de qua na- tus eſt Je- ſus,



qui vo- ca- tur Chri- ſtus.



DIE XXV. DECEMBRIS.

IN NATIVITATE DOMINI.

ANNUALE-MAJUS.

AD MISSAM
IN GALLI CANTU.
SOLEMNE-MAJUS.
INTROITUS.

Alb. Pfal. 2. Ibid. DOminus dixit ad me : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. *PSALM.* Quare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia? Glória. Dóminus.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui hanc ſacratíſſimam noctem veri lúminis feciſti illuſtratióne claréſcere; da, quæſumus, ut cujus lucis myſtéria in terra cognóvimus, ejus quoque gáudiis in cœlo perfruámur. Qui tecum vivit & regnat.

Lectio ſequens cantatur in tono ordinario Lectionum à Lectore albâ induto : non omittitur in Miſſis privatis, & ſic in duabus aliis Miſſis hujus Diei.

Léctio Iſaíæ Prophétæ.

Cap. 9. POpulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam : habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta eſt eis... Párvulus enim natus eſt nobis, & Fílius datus eſt nobis; & factus eſt principátus ſuper húmerum ejus : & vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Conſiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri ſéculi, Princeps pacis. Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis. Super ſólium David, & ſuper regnum ejus ſedébit, ut confirmet illud & corróboret in judício & juſtítia, ámodo & uſque in ſempiternum. Zelus Dómini exercítuum fáciet hŏc.

Et continuò Subdiaconus cantat ſequentem Epiſtolam, quam legit Sacerdos in Miſſa privata.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Titum.

Cap. 2. CAríſſime; Appáruit grátia Dei Salvatóris noſtri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegantes impietátem & ſeculária deſidéria, ſóbriè, & juſtè, & piè vivámus in hoc ſéculo; expectantes beátam ſpem, & adventum glóriæ magni Dei, & Salvatóris noſtrĭ Jeſu Chriſti : qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret ſibi pópulum acceptábilem, ſectătŏrem bonórum óperum.

Pſal. 109. *GRADUALE.* Tecum princípium in die virtútis tuæ in ſplendóribus ſanctórum : ex útero ante lucíferum génui te. ℣. Cui Deus dixit aliquando Hebr. 1. Angelórum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te?

Phil. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Chriſtus, cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanívit, formam ſervi accípiens, in ſimilitúdinem hóminum factus. Allelúia.

Prosa.

Sit in cœléstibus
Deo laus, glória:
Sit pax homínibus,
Salus & grátia;
Salvátor náscitur.
Infúsa córdibus
Ardébit cáritas;
Impressa méntibus
Fulgébit véritas;
Sol novus óritur.
Jam puer natus est;
Patent orácula:
Rex nobis datus est;
Probant mirácula:
Pastóres súrgite
Concordes Angelis,
Vestris in vállibus,
Certantes æmulis
Simul concéntibus,
Nascenti pláudite.
Cedat Jerúsalem
Vili tugúrio:
Tu sola Béthlehem
Eris in prétio,
Quæ Christum póssides.
Terra quam récreat
Chorus Alígerum;
Quam præsens hábitat
Creátor síderum;
Quid cœlis ínvides?
En jacet húmilis
Tecto sub páupere:
Sed quæ lux óculis
Micat in æthere
Hunc Deum prædicat.
Pannis sub vílibus
Rex latet hóminum;
At cœlum cántibus
Salútans Dóminum
Hunc terris núntiat.
Duro sub strámine
Sunt membra móllia;
Rudi sub tégmine
Membra frigéntia;
Sic amor pátitur.
Puer vagítibus
Implet tugúrium;
Crebris & flétibus
Rigat præsépium:
Sic amor lóquitur.
O, qui mortálibus
Exemplar ádvenis,
Factis & légibus
Mentes quas dírigis,
Fac tibi dóciles.
Molles Delícias
Fac tecum frángere;
Leves divítias
Fac tecum spérnere,
Nos tui símiles.
Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 2.

In diébus illis, éxiit edictum à Cæsare Augusto ut describerétur universus órbis. Hæc descríptio prima facta est à præside Syriæ Cyríno. Et ibant omnes, ut profitérentur sínguli, in suam civitátem. Ascendit autem & Joseph à Galilæa de civitáte Názareth, in Judæam in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem; eò quòd esset de domo & fámília David: ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre prægnánte. Factum est autem, cùm essent ibi, impléti sunt dies ut páreret. Et péperit fílium suum primogénitum, & pannis eum involvit, & reclinávit eum in præsépio; quia non erat eis locus in diversório. Et pastóres erant in regióne eádem vigilantes, & custodientes vigílias noctis supér gregem suum: & ecce Angelus Dómini stetit juxta illos; & cláritas Dei circumfulsit illos; & timuérunt timóre mágno. Et dixit illis Angelus: Nolíte timére; ecce enim evangelízo vobis gáudium magnum quod erit omni pópulo; quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David. Et hoc vo-

bis sĭgnum : Inveniétis infantem pannĭs involútum, & pósitum in præsĕpio. Et súbitò facta est cum Angelo multitúdo milítiæ cœléstis, lăudántium Deum, & dicĕntium : Glória in ăltíssimis Deo, & in terra pax hŏmĭnibus bonæ voluntátis.

Dicitur Credo.

Psal. 95. *Offertorium.* Tóllite hóstias, & adoráte Dóminum in átrio sancto ejus : lætentur cœli, & exultet terra à fácie Dómini, quóniam venit. Allelúia.

Secreta.

IMmensæ majestáti tuæ, misércors Deus, hóstiam laudis & gratiárum actiónis offérimus, coætérnum tibi Fílium pronis méntibus adorántes, qui propter nos infans & egénus factus, in præsépio jacére vóluit, & pannis involvi, Jesus Christus Dóminus noster; Qui tecum vivit & regnat.

Præfatio de Nativitate Domini.

Intra actionem, Communicantes, & noctem sacratíssimam celebrántes .... quâ beátæ.

In hac & secunda Missa, Sacerdos secundam aut tertiam celebraturus, non sumit purificationem; sed hausto sanguine dicit consequenter, Quod ore, & Corpus tuum. *Et interim abluit digitos cum vino & aqua in vase mundo huic tantùm usui destinato, servatque ablutionem in ultima Missa cum ultima ablutione sumendam. Calicem autem positum super Corporale, decenter ac reverenter, usitato more, cooperit; nec priùs tergit nisi in fine ultimæ Missæ.*

Joan. 11. *Communio.* Dómine, ego crédidi quia tu es Christus fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

[*In Missis privatis statim dicitur* Dóminus vobiscum, *& Postcommunio,* Deus qui panem, *&c. ut infrà, in fine Laudum. p.* 383]

In solemni Missa, cantatâ Communione, Laudes in Choro inchoantur ab Antiphona, Pastóres, *&c. Celebrante interim & Ministris in cornu Epistolæ sedentibus.*

AD LAUDES

Ant. 4. E. Pastóres.

Psalmus 62.

DEus, Deus meus; * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, quàm multiplíciter tibi caro mea * in terra desérta, & ínvia, & inaquósa!

Sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas, * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, * in matutínis meditábor in te.

Quia fuísti adjútor meus, * & in velamento alárum tuárum exultábo.

Adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam; * introíbunt in inferióra terræ.

Tradentur in manus gládii, * partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo : laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

Glória Patri.

Ant. Pastóres erant vigilantes, & custodientes vigílias noctis super gre- Luc. 2.

gem ſuum; & ecce Angelus Dómini ſtetit juxta illos. Allelúia.

Ant. 3. a. Cláritas Dei.

PSALMUS 92.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc: * à ſéculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam.

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Luc. 2. *Ant.* Cláritas Dei circumfulſit illos, & timuérunt timóre magno; & dixit illis Angelus: Nolíte timére. Allelúia.

Ant. 5. a. Ecce.

PSALMUS 99.

JUbiláte Deo, omnis terra: * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpectu ejus * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus: * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus, introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, * quóniam ſuávis eſt Dóminus.

In æternum miſericórdia ejus, * & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Luc. 2. *Ant.* Ecce evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo; quia natus eſt vobis hódie Salvátor. Allelúia.

Ant. 7. d. Facta eſt.

CANTICUM. Iſaïæ, 25.

DOmine, Deus meus es tu: * exaltábo te, & confitébor nómini tuo.

Quóniam feciſti mirabília, * cogitatiónes antíquas fidéles; amen.

Quia poſuiſti civitátem in túmulum: * urbem fortem in ruínam.

Domum alienórum, ut non ſit cívitas, * & in ſempiternum non ædificétur.

Super hoc laudábit te pópulus fortis; * cívitas géntium robuſtárum timébit te.

Quia factus es fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne ſua: * ſpes à túrbine, umbráculum ab æſtu.

Spíritus enim robuſtórum, * quaſi turbo impellens paríetem.

Sicut æſtus in ſiti, tumultum alienórum humiliábis: * & quaſi calóre ſub nube torrente, propáginem fórtium marcéſcere fácies.

Et fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium, convívium vindémiæ, * pínguium medullatórum, vindémiæ defecátæ.

Et præcipitábit in monte iſto fáciem vínculi colligáti ſuper omnes pópulos, * & telam quam ordítus eſt ſuper omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in ſempiternum; * & áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie.

Et oppróbrium pópuli ſui áuferet de univerſa terra, * quia Dóminus locútus eſt.

Et dicet in die illa: Ecce Deus noſter iſte: * expectávimus eum, & ſalvábit nos.

Iſte Dóminus, ſuſtinúimus eum: * exultábimus, & lætábimur in ſalutári ejus.

Luc. 2. *Ant.* Facta eſt cum Angelo multitúdo milítiæ cœleſtis laudántium Deum, & dicéntium: Glória in altíſſimis Deo, & in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Allelúia.

Ant. 8. G. Paſtóres.

PSALMUS 148.

LAudáte Dóminum, de cœlis: * laudate eum in excelſis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus: * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, ſol & luna: * laudáte eum, omnes ſtellæ & lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Dómini;

Quia ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Státuit ea in æternum, & in ſéculum ſéculi: * præceptum póſuit, & non prætería.

Laudáte Dóminum, de terra; * dracónes, & omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glácies, ſpíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes, & omnes colles; * ligna fructífera, & omnes cedri;

Béſtiæ, & univerſa pécora, * ſerpentes, & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli; * príncipes, & omnes júdices terræ;

Júvenes & vírgines, ſenes cum junióribus, laudent nomen Dómini, * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Conféſſio ejus ſuper cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus, * fíliis Iſrael, pópulo appropinquanti ſibi.

Luc. 2. *Ant.* Paſtóres loquebantur ad ínvicem: Tranſeámus uſque Béthlehem, & videámus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Allelúia.

Finitâ Antiphonâ Celebrans ſurgit, & imponit Antiphonam ad Benedictus.



Ve- ne- runt. 1. D.

CANTICUM ZACHARIÆ. Luc. 1.

BEnedictus Dóminus Deus Iſrael, * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ;

Et erexit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui.

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſéculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciendam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtamenti ſui ſancti:

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre, de manu inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi.

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus,

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus, * in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto:

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, * ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Luc. 2. *Ant.* Venérunt pastóres festinántes; & invenérunt Maríam, & Joseph, & Infantem pósitum in præsépio. Vidéntes autem, cognovérunt de verbo quod dictum erat illis de Púero. Allelúia.

Post Canticum Celebrans redit ad Altare, quod deosculatus dicit. Dóminus vobiscum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S R. DEus, qui panem Angelórum in præsépi Eccléſiæ cibum feciſti fidélium; da nobis, quæsumus, in præsenti século degustáre cœléstium dulcédinem gaudiórum, ut in futúro perdúcas nos ad satietátem ætérnórum præmiórum; Per eumdem.

Alb. ## AD MISSAM IN AURORA.

SOLEMNE-MINUS.

INTROITUS.

Is. 9. POpulus qui ambulábat in ténebris vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. *PSALM.* Benedixisti, Dómine, terram tuam: * avertisti captivitátem Jacob. Glória. Pópulus.

Psal. 84.

COLLECTA. Orémus.

S.R. DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui novâ incarnáti Verbi tui luce perfúndimur, hoc in nostro respléndeat ópere, quod per fidem fulget in mente.

Hæ duæ Orationes sub una clausula.

DE S. ANASTASIA.

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perficitur; largíre nobis beátæ Anastásiæ Mártyris tuæ passiónem recoléntibus, ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat; Per Dóminum.

Lectio sequens legitur eodem ritu qui suprà dictus est.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Cap. 22. HÆc dicit Dóminus; sciet pópulus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis bonum, prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salútem, dicentis Sion: Regnábit Deus tuus! Vox speculatórum tuórum: levavérunt vocem, simul laudábunt: quia óculo ad óculum vidébunt cùm convérterit Dóminus Sion. Gaudéte & laudáte simul, deserta Jerúsalem; quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. Parávit Dóminus brachium sanctum suum in óculis ómnium géntium; & vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nóstri.

Et continuò Subdiaconus cantat Epistolam.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Titum.

Cap. 3. CAríssime; Cùm benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei; non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit, per lavácrum regeneratiónis, & renovatiónis Spíritus sancti, quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum Salvatórem nostrum: ut justificáti grátia ipsíus, herédes simus secundùm spem vitæ ætérnæ.

Psal. 117. *GRADUALE.* Benedictus qui venit in nómine Dómini; Deus Dóminus, & illuxit nobis. ℣. Deus meus es tu, & confitébor tibi: Deus meus es tu, & exaltábo te.

Isai. 49. Allelúia, allelúia. ℣. Laudáte, cœli, & exulta, terra, quia consolátus est Dóminus pópulum suum, & páuperum suórum miserébitur. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 2. IN illo témpore; Pastóres loquebantur ad ínvicem: Transeámus usque Béthlehem, & videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus ostendit nobis. Et venérunt festinantes; & invenérunt Maríam & Joseph, & infantem pósitum in præsépio. Videntes autem cognóvérunt de verbo, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes qui audiérunt, mirati sunt: & de his, quæ dicta erant à pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et reversi sunt pastóres glorificantes & laudantes Deum, in ómnibus quæ audíerant et viderant, sicut dictum est ad illos.

Dicitur Credo.

Luc. 2. *Offertorium.* Transeámus usque Béthlehem, & videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus ostendit nobis, allelúia.

Secreta.

S.R. MUnera nostra, quæsumus, Dómine, nativitátis hodiernæ mystériis apta provéniant; ut, sicut homo génitus idem refulsit Deus, sic nobis hæc terréna substántia cónferat quod divínum est.

De S. Anastasia.

DOmínicam passiónem incruento sacrifício repræsentántibus, da, Deus, subjugáre amórem vitæ hujus, & beátæ Mártyris tuæ Anastásiæ virtútem imitári, quæ vivendi jucunditátem, metumque moriendi, caritáte sincérâ, spe certâ, fide non fictâ contempsit; Per eumdem.

Præfatio de Nativitate. *Intra actionem*, Communicantes, & diem sacratíssimum celebrantes, *&c.* *quâcumque horâ hæc Missa celebretur.*

Luc. 2. *Communio.* Invenérunt Infantem pannis involútum, & pósitum in præsépio: & reversi sunt glorificantes & laudantes Deum, allelúia.

Postcommunio. Orémus.

S. R. COncéde nobis, omnípotens Deus, per hæc sacramenta quæ súmpsimus, ut salutáre tuum novâ cœlórum luce mirábile, quod ad salútem mundi hodiernâ festivitáte processit, nostris semper innovandis córdibus oriátur.

De S. Anastasia.

COnserva in nobis, Dómine, munus tuum; & qui in beáta Anastásia pugnasti & vicisti, éffice nos per patiéntiam & humilitátem, cunctis hóstibus fortióres; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

AD MISSAM IN DIE.

Alb. ANNUALE-MAJUS.

Introitus.

Is. 9. PArvulus natus est nobis; & fílius datus est nobis; & factus est principátus super húmerum ejus; & vocábitur nomen ejus Admirábilis, Consiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri séculi, Princeps pacis.

Psal. 97. *Psalm.* Cantáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit. Glória. Párvulus.

Collecta. Orémus.

S. R. COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetusta sérvitus tenet; Per eumdem.

Lectio sequens eodem ritu legitur quo suprà.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Is. 45. EGo suscitávi (Christum meum) ad justítiam, & omnes vias ejus dírigam : ipse ædificábit civitátem meam, & captivitátem meam dimittet, non in prétio, neque in munéribus, dicit Dóminus Deus exercítuum. Hæc dicit Dóminus : Labor Ægypti, & negotiátio Æthiópiæ, & Sábaïm viri sublímes ad te transíbunt, & tui erunt : post te ambulábunt, vincti mánicis pergent : & te adorábunt, teque deprecabuntur : Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel Salvátor.

Continuò Subdiaconus cantat Epistolam in tono consueto.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 1. MUltifáriam multisque modis olim Deus loquens pátrĭbŭs in Prophétis, novíssimè diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fêcit & sécula. Qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátĭs in excelsis ; tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen herêditávit. Cui enim dixit aliquandŏ Angelórum, Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rursùm, Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in fílium? Et cùm íterum introdúcit Primogénitum in orbĕm terræ, dicit : Et adórent eum omnes ângeli Dei. Et ad Angĕlŏs quidem dicit : Qui facit Angelos suos spíritus, & ministros suos flâmmam ignis. Ad Fílium autem : Thronus tuus, Deus, in séculum séculi ; virga æquitátis, virgă regni tui : dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem : propterèa unxit te Deus, Deus tuus, óleo exultatiónis præ particípibus tuis. Et : Tu in princípio, Dómĭnĕ, terram fundásti, & ópera mánuum tuárum sunt cœli ; ipsi períbunt, tu autem permanébis, & omnes ut vestimentum veterascent ; & velut amictum mutábis eos, & mutabuntur : tu autem idem ipse es, & annĭ tŭi non defícient.

GRADUALE. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israel : vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri : jubiláte Deo omnis terra. ℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum ; in conspectu géntium revelávit justítiam suam. Psal. 97.

Allelúia, allelúia. ℣. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. Allelúia. Joan. 1.

PROSA.

VOTIS Pater ánnuit :
Justum pluunt sídera :
Salvatórem génuit
Intacta puérpera :
Homo Deus náscitur.

Súperûm concéntibus
Pánditur mystérium :
Nos mixti pastóribus
Cingámus præsépium,
In quo Christus stérnitur.

TU lumen de lúmine
Ante solem fúnderis :
Tu numen de númine
Ab æterno gígneris,
Patri par progénies.

Tantus es! & súperis,
Quæ te premit cáritas,
Sédibus deláberis :
Ut surgat infírmitas,
Infirmus humi jaces.

Quæ nocens debúeram
Innocens exéqueris :
Tu Legi, quam ſpréveram,
Légifer ſubjíceris :
Sic doces juſtítiam.

Cœlum cui régia,
Stábulum non réſpuis :
Qui donas impéria,
Servi formam índuis :
Sic teris ſupérbiam.

Nobis ultrò símilem
Te præbes in ómnibus ;
Debílibus débilem,
Mortálem mortálibus :
His trahis nos vínculis.

Cum ægris confúnderis,
Morbi labem néſciens :
Pro peccáto páteris
Peccátum non fáciens :
Hoc uno diſsímilis.

Summe Pater, Fílium
Qui mittis ad hóminem,
Grátiæ princípium,
Salútis orîginem,
Da Jeſum cognóſcere.

Cujus igne cœlitùs
Cáritas accénditur,
Ades, alme Spíritus :
Qui pro nobis náſcitur,
Da Jeſum dilígere.

Amen.

Inítium ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 1. IN princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Vérbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta ſunt ; & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hóminum : & lux in ténebris lucet, & ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in teſtimónium, ut teſtimónium perhíbéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem venientem in hunc múndum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus eſt, & mundus eum non cognóvit. In própria venit, & ſui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis poteſtátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine ejus : qui non ex ſanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri ; ſed ex Deo nati sunt. * Et Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis, (& vídimus glóriam ejus, glóriam quaſi Unigéniti à Patre) plenum grátiæ & veritátis. * *Hic genuflectitur.*

Dicitur Credo, *& per totam Octavam.*

Offertorium. Hóſtias & oblatiónes pro peccáto noluiſti, nec plácita ſunt tibi quæ ſecundùm legem offeruntur : tunc dixi, Ecce vénio. Allelúia. Hebr. 10.

Secreta.

ACcepta tibi ſit, Dómine, quæſumus, hodiernæ ſolemnitátis oblátio ; ut, tuâ grátiâ largiente, per hæc ſacro-ſancta commércia, adoptiónis tuæ fílii in illo renaſcámur, qui propter nos fílius hóminis naſci dignátus eſt, Jeſus Chriſtus Dóminus noſter ; Qui tecum vivit & regnat cum Deo Patre in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per. S. G.

Præfatio de Nativitate.

Intra Actionem. Communicantes, & diem ſacratíſſimum celebrantes, &c.

Communio. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium ſuum unigénitum miſit Deus in mundum, ut vivámus per eum. Allelúia. 1. Joan. 4.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor, ita & immortalitátis, cujus in hoc sacramento pignus suscépimus, sit ipse largítor; Qui tecum vivit.

Post Missam legitur sequens Evangelium.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 1. IN illo témpore; Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est. Páriet autem fílium, & vocábis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. Hoc autem totum factum est, ut adimplerétur quod dictum est à Dómino per Prophétam dicentem: Ecce virgo in útero habébit, & páriet fílium; & vocábunt nomen ejus Emmánuel, quod est interpretátum, Nobiscum Deus. Exurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini, & accépit cónjugem suam. Et non cognoscébat eam, donec péperit fílium suum primogénitum; & vocávit nomen ejus Jesum.

DIE XXVI. DECEMBRIS.

IN FESTO

Rub. # SANCTI STEPHANI,

PROTOMARTYRIS.

SOLEMNE-MINUS.

INTROITUS.

Psal. 118. SEdérunt príncipes, & adversùm me loquebantur; servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis: ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque, quia in judíciis tuis superspéravi. *PSALM.* Ibid. Beáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini. Glória. Sedérunt.

COLLECTA. Orémus.

S.R. DA nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus & inimícos dilígere; quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. [Qui tecum.]

Deinde sub una clausula, pro Comm. Nativitatis Domini.

COLLECTA. Orémus.

CONcéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetusta sérvitus tenet; Per eumdem.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Cap. 7 & 8. IN diébus illis; Cùm esset Stéphanus plenùs Spíritu sancto, intendens in cœlum vidit glóriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dêi, & ait: Ecce vídĕŏ cœlos apertos, & Fílium hóminis stantem à dêxtris Dei. Exclamantes autem voce magna, continuérŭnt aures suas, & ímpetum fecérunt unanîmiter in eum. Et ejicientes eum extra civitátĕm lapidábant: & testes deposuérunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabâtur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocantĕm, & dicentem: Dómine Jesu, súscipe spîritum meum. Pósĭtis autem génibus, clamávit voce mâgna, dicens: Dómine, ne státuas illis hôc peccátum. Et cŭm hoc dixisset, obdormîvit in Dómino. Saulus autem erat conséntiens nêci ejus. Facta est autem in illa die persecútio magna in Ecclésia quæ erăt Jerosólymis; & omnes dispersi sunt per regiónes Judææ & Samaríæ, prâter Apóstolos. Curavérunt autem Stéphanum virĭ timoráti, & fecérunt planctŭm măgnum super eum.

GRADUALE. Multi insurgunt adversùm me: tu autem, Dómine, susceptor meus es, glória mea, & exaltans caput meum. ℣. Non timébo míllia pópuli circumdantis me: exurge, Dómine, salvum me fac, Deus meus. Psal. 3.

Allelúia, allelúia. ℣. Vídeo cœlos Act. 7.

apertos, & Fílium hóminis ſtantem à dextris Dei. Allelúia.

[*In Eccleſiis ſub Invocatione S.* STEPHANI *dicatis,*

PROSA.

LAUDATE Stéphanum
Lætis concéntibus :
Omnes magnánimum
Sonis concórdibus
Heróem dícite.
Invicto púgili
Dum plaudunt cœlites,
Primam, vos æmuli,
Corónam, Mártyres,
Ductóri cédite.
ITER ſanguíneum
Primus apéruit,
Agmen quo Mártyrum
Palmas obtínuit
Cruento fúnere.
Armátis mánibus
Sævit turba furens :
Occurrit íctibus
Perire géſtiens
Felíci vúlnere.
PRO Chriſti nómine
Fractus lapídibus,
Clamat, & ſánguine
Petit, ac précibus
Salútem hóſtium.
Ad vocem Mártyris
Cadentis fórtiter,
Pugnæ difficilis
Fit Chriſtus árbiter,
Fit Saulus prétium.
DURO certámine
Fides non víncitur :
Saxórum grándine
Martyr dum túnditur
Perſtat intérritus.
Profúſo ſánguine
Dum tellus tíngitur,
Fecundo ſémine
Heróum náſcitur
Victor exércitus.
O QUI Martyribus
Præis ad glóriam,
Chriſti milítibus
Ora victóriam :
Manent nos prælia.
Vincantur vítia ;
Adſit pugnántibus
Salúbris grátia ;
Detur vincéntibus
Cœleſtis glória. Amen.]

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

IN illo témpore ; Dicébat Jeſus Scribis & Pharisæis : Ecce ego mitto ad vos Prophétas, & Sapientes, & Scribas : & ex illis occidétis, & crucifigétis ; & ex eis flagellábitis in ſynagógis veſtris, & perſequémini de civitáte in civitátem : ut véniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effúſus eſt ſuper terram, à ſánguine Abel juſti, uſque ad ſánguinem Zacharíæ, fílii Barachíæ, quem occidiſtis inter templum & altáre. Amen dico vobis, vénient hæc ómnia ſuper generatiónem íſtam. Jerúſalem, Jerúſalem, quæ occídis Prophétas, & lápidas eos qui ad te miſſi ſunt : quóties vólui congregáre filios tuos quemádmodum gallína cóngregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquétur vobis domus veſtra deſerta : dico enim vobis, non me vidébitis ámodò, donec dicátis, Benedictus qui vénit in nómine Dómini. Cap. 23.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Lapidábant Stéphanum invocantem & dicentem : Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. Act. 7.

SECRETA.

GRata tibi ſint, Dómine, múnera quæ offérimus in honóre beáti Protomártyris Stéphani; ut ejus exemplo roboráti, & interceſſióne muníti, ab eo quem ille ſtantem vidit à dextris tuis benedíci mereámur. [Qui tecum.] S. R.

De NATIVITATE DOMINI.

SECRETA.

ACcepta tibi sit, Dómine, quæsumus, hodiernæ solemnitátis oblátio; ut, tuâ grátiâ largiente, per hæc sacro-sancta commércia, adoptiónis tuæ fílii in illo renascámur, qui propter nos fílius hóminis nasci dignátus est, Jesus Christus Dóminus noster; Qui tecum.

PRÆFATIO & Communicantes, *de* NATIVITATE.

Ad. 7. *COMMUNIO.* Pósitis génibus clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum: & cùm hoc dixisset, obdormívit in Dómino.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. G. DOmine Jesu, à quo spíritum suum súscipi martyr Stéphanus postulávit; da nobis per hæc sacramenta quæ súmpsimus, ut in caritáte tua morientes, sempiternâ in te réquie perfruámur. [Qui vivis.]

De NATIVITATE DOMINI.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor, ita & immortalitátis, cujus in hoc sacramento pignus suscépimus, sit ipse largítor; Qui tecum.

DIE XXVII.

In Festo

Alb. SANCTI JOANNIS,

Apostoli & Evangelistæ.

DUPLEX-MAIUS.

INTROITUS.

Psal. 70. DEus, docuisti me à juventúte mea; & usque nunc pronuntiábo mirabília tua, & usque in senectam & sénium, donec annúntiem bráchium tuum generatióni omni quæ ventúra est. *PSALM.* In te, Dómine, sperávi; non confundar in æternum: * in justítia tua líbera me, & éripe me. Glória. Deus. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

ECcléstam tuam, Dómine, benignus illustra: ut beáti Joannis Apóstoli tui & Evangelistæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempiterna; Per. S. R.

Fit Commemoratio NATIVITATIS, *ut suprà, pag.* 390.

Léctio Epístolæ beáti Joânnis Apóstoli.

CAríssimi, Non mandátum novum scribo vobis, sed mandátum vetus quod habuístis âb inítio. Mandátum vetus, est verbum quôd audístis. Iterùm mandátum novum scribo vobis, quod verum est & in Jesu Christŏ, & in vobis: quia ténebræ transiérunt, & verum lûmen jam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrĕm suum odit, in ténebris est ûsque adhuc. Qui díligit fratrem suum, ĭn lúmine manet, & scándalum in eô non est. Qui autem odit fratrem suum, in ténebris est, & in ténebris ámbulat, ĕt nescit quò eat: quia ténebræ obcæcavérunt ôculos ejus. Scribŏ vobis, filíoli, quóniam remittuntur vobis pĕccăta propter nomen ejus. 1. Joan. 2.

GRADUALE. Amantíssimus Dómini habitábit confidenter in eo: quasi in thálamo inter húmeros ejus requiescet. ℣. Elevábitur áquila, & in árduis ponet nidum suum. Deut. 33. Job 39.

Allelúia, allelúia. ℣. Nos vídimus & testificámur quóniam Pater misit Fílium suum salvatórem mundi. Allelúia. 1. Joan. 4.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Joănnem.

IN illo témpore; Dicit Jesus Pĕtro: Séquere mĕ. Conversus Petrus, vidit illum discípulum quem diligébat Jĕsus sequentem, qui & recúbuit Cap. 21.

in cœna ſuper pectus ejus, & dixit, Dómine, quis eſt qui tradet te? Hunc ergo cùm vĭdiſſet Petrus, dixit Jesŭ: Dómine, hic autem quid? Dicit ei Jesŭs: Sic eum volo manére donec véniam; quid ad te? Tu me sĕquere. Exiit ergo ſermo iſtĕ inter fratres, quia diſcípulus ille non mŏritur. Et non dixit ei Jĕſus, Non móritur, ſed, Sic eum volo manére donec véniam, quid ad te? Hic eſt diſcípulus ille, qui teſtimónium pérhibet de his, ĕt ſcripſit hæc: & ſcimus quia verŭm ĕſt teſtimónium ejus.

Dicitur Credo.

1. Joan. 1. *Offertorium.* Vita manifeſtáta eſt; & vídimus, & teſtámur, & annuntiámus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis.

Secreta.

S. R. PEr interceſſiónem beáti Joannis Apóſtoli tui, da nobis, omnípotens Deus, ut ejus documento de divinitáte noſtri Redemptóris, quem in altári offérimus, edocti, & amando quod trádidit, & exequendo quod juſſit, ad dona pervenire mereámur quæ promíſit idem Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum.

Fit Commem. de Nativitate Domini, *ut ſuprà, p.* 391.

Præfatio & Communicantes, *de* Nativitate.

Joan. 21. *Communio.* Diſcípulus quem diligébat Jeſus, recúbuit in cœna ſuper pectus ejus.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui nobis per dilectum Diſcípulum, æterni Verbi tui ſecréta reſeraſti; da, quæſumus, ut quæ ex hoc divíno fonte hauſit in cœnæ myſticæ convívio, in terris profitéri, & in cœlis contemplári mereámur; Per eumdem.

Fit Commem. de Nativitate Domini, *ut ſuprà*, 391.

Die xxviii.

In Feſto SS. Innocentium.

Rub. Duplex-Majus.

Introitus.

Pſal. 8. EX ore infántium, Deus, & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos. *Psalm.* Ibid. Dómine, Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univerſa terra! Gloria. Ex ore.

Dicitur Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, cujus hodiernâ die præcónium Innocentes Mártyres, non loquendo ſed moriendo confeſſi ſunt; ómnia in nobis vitiórum mala mortífica: ut fidem tuam, quam lingua noſtra lóquitur, étiam móribus vita fateátur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

Fit Commem. de Nativitate Domini, *ut ſuprà, p.* 390.

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 14. IN diébus illis; Vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadragintă quátuor míllia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frôntibus ſuis. Et audívi vocem de cœlo, tanquam vocem aquárum multárum, & tanquam vocem tŏnítrui magni: & vocem, quam audívi, ſicut citharœdórum citharizántium in cîtharis ſuis. Et cantábant quaſi cánticum novum ante ſedem, & ante quátuor animália, ĕt ſenióres: nemo póterat dícere cánticum, niſi illa centum quadraginta quátuor míllia, qui empti sûnt de terra. Hi ſunt, qui cum muliéribus non ſunt cŏinquináti; vírgines ênim ſunt. Hi sĕquuntur Agnum

quocûmque íerit. Hi empti ſunt ex homínibus primítiæ Deo & Agno: & in ore eórum non eſt ĭnventum mendácium: ſine mácula enĭm sŭnt ante thronum Dei.

Pſal. 123. *GRADUALE.* Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus eſt, & nos liberáti ſumus: adjutórium noſtrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum & terram.

Pſal. 112. Allelúia, allelúia. ℣. Laudáte, púeri Dóminum: laudáte nomen Dómini. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 2. IN illo témpore; Heródes videns quóniam illúſus eſſet à Magis, ĭrátus eſt valdè; & mittens occídit omnes púeros, qui erant in Béthlehem, & in ómnibus fínibus ejus, à bimátu & infrà, ſecundùm tempus quod exquisíerat à Măgis. Tunc adimplétum eſt quod dictum eſt per Jeremíam Prŏphétam, dicentem: Vox in Rama audíta eſt, plorátus & ululátus multus; Rachel plorans fílios ſuos, & noluit consŏlāri, quia non ſunt.

Dicitur Credo.

Dan. 3. *OFFERTORIUM.* Sicut in míllibus agnórum pínguium, ſic fiat ſacrifícium noſtrum in conſpectu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine.

SECRETA.

S. R. ADeſto, quæſumus, Dómine, munéribus Innocentum feſtivitáte ſacrandis; & præſta, ut eórum ſinceritátem poſsímus imitári, quorum tibi dicátam venerámur infántiam; Per.

Fit Commem. de NATIVITATE DOMINI, *ut ſuprà, pag.* 391.

PRÆFATIO & Communicantes, *de* NATIVITATE.

COMMUNIO. Agnus, qui in médio throni eſt, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum; & abſterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum. Apoc. 7.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, qui licèt ſis magnus in magnis, mirabília tamen glorióſiùs operáris in mínimis; da nobis, quæſumus, ſacro cibo tuo refectis, in eórum celebritáte gaudére, qui Fílio tuo Dómino noſtro teſtimónium præbuérunt étiam non loquentes; Per eumdem Dóminum. S. R.

Fit Commem. de NATIVITATE DOMINI, *ut ſuprà, pag.* 391.

DOMINICA

Alb.

intrà Octav. Nativitatis Domini.

[*Si hæc Dominica occurrat diebus 26. 27. 28. Decembris, fit de ea Commemoratio cum ejuſdem Evangelio in fine Miſſæ, nec fit alia Commemoratio de Natali Domini.*

Si occurrat diebus 29. 30. 31. dicitur Miſſa ut ſequitur.

Si nulla occurrat Dominica, hæc Miſſa omittetur eo anno.

INTROITUS.

IPſe invocábit me, Pater meus es tu: & ego primogénitum ponam illum excelſum præ régibus terræ; & ponam in ſéculum ſéculi ſemen ejus, & thronum ejus, ſicut dies cœli. *PSALM.* Miſericórdias Dómini * in æternum cantábo. Glória. Ipſe invocábit. Pſal. 88 Ibid.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, dírige actus noſtros in beneplácito tuo; ut in nómine dilecti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre; Per eumdem. S. R.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Gálatas.

Cap. 4. FRatres; Quanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est usque ad præfinítŭm tempus à patre : ita & nos, cùm essémus párvuli, sub elementis mundi erámus sérvientes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliĕrĕ, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum recîperémus. Quóniam autĕm estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra, clamantem : Abbâ, Pater. Itaque jam non ĕst servus, sed fílius : quòd sĭ fĭlius, & hæres per Deum.

Zach. 6. *GRADUALE.* Ecce vir, Oriens nomen ejus; & ædificábit templum

Ibid. Dómino. ℣. Ipse portábit glóriam, & sedébit, & dominábitur super sólio suo.

Col. 2. Allelúia, allelúia. ℣. In ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter; & est caput omnis principátûs & potestátis. Allelúia.

Prosa, Votis Pater. *ut in die Nativitatis Domini, pag.* 386.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 2. IN illo témpore; Erat pater Jesu & mater mirantes super his quæ dicebantur de ĭllo. Et benedixit illĭs Símeon, & dixit ad Maríam matrem ĕjus : Ecce pósitus est hic in ruínam, & in resurrectiónem multórum in Israel, & in signum cui cŏntradicétur; (& tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius;) ut revelentur ex multis córdibus cogitatiŏnes. Et erat Anna prophetíssa fília Phánuel, dĕ tribu Aser : hæc procésserat in diébus multis, & víxerat cum viro suo annis septem à virginitáte sŭa. Et hæc vídua usque ad annos octŏginta quátuor; quæ non discedébat de templo, jejúniis & obsecratiónibus sérviens nocte ac dĭe. Et hæc, ipsa hora supervéniens confitĕbátur Dómino; & loquebátur de illo ómnibus, qui expĕctăbant redemptiónem Israel.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Tui sunt cœli, & tua est terra : orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti : justítia & judícium præparátio sedis tuæ. Psal. 88.

SECRETA.

DEus, qui nativitátis Fílii tui exórdium pro nostra necessárium salúte duxísti : réspice propítius ad munus Eccléstæ tuæ; & quos símiles imágini illíus feciśti, similióres operatióne pérfice mandatórum; Per eumdem. S R.

PRÆFATIO & Communicantes. *de NATIVITATE.*

COMMUNIO. Vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre. Allelúia. Joan. 1.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

CONcéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut sacramenti Domínici operante virtúte, ipsíus divinitátis mereámur esse consortes, qui humanitátis nostræ dignátus est fieri párticeps; Qui tecum. S.R.

---

§. *Diebus* 29. 30. & 31. *Decembris* (*nisi fiat Officium de Dominica*) *fit de Octava Nativitatis Domini, & dicitur Missa de die*, Párvulus, *cum Prosa.* Votis Pater, *suprà, pag.* 386, & *Evangelio*, Pastóres, *è Missa in Aurora, pag.* 385.

FESTA JANUARII.

Die I.

IN FESTO

Alb. # CIRCUMCISIONIS DOMINI,

ET OCTAVA NATIVITATIS EJUS.

SOLEMNE-MAJUS.

Introitus.

Gal. 4. MIsit Deus Fílium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. *Psalm.* Pſal. 84. Benedixiſti, Dómine, terram tuam: * avertiſti captivitátem Jacob. Glória. Miſit.

Collecta. Orémus.

DEus, qui pro nobis homo factus, hodiernâ die circumcídi, & Salvatóris nomen accípere voluiſti; concéde propítius, ut carnis renuntiantes opéribus, ſalútis æternæ præmium per invocatiónem ſancti tui nóminis conſequámur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Nulla fit Commemoratio.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli ad Côloſſenſes.

Cap. 2. FRatres; Sicut accepiſtis Jeſum Chriſtum Dóminum, in ipsŏ ambuláte; radicáti & ſuperædificáti in ipſo, & confirmáti fide, ſicut & didiciſtis, abundantes in illo in gratiárum âctióne. Vidéte ne quis vos decípiat per philoſóphiam, & ĭnánem falláciam, ſecundùm traditiónem hóminum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecûndùm Chriſtum. Quia in ipſo inhábitat omnis plenitúdo divinitátĭs corporáliter, & eſtis in illo repléti, qui eſt caput omnis principátus & poteſtátis; in quo & circumcíſi eſtis circumciſióne non manu facta, in expoliatióne córpŏrĭs cărnis, ſed in circumciſióne Chriſti.

Graduale. In Chriſto Jeſu habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, ſecundùm divítias grátiæ Dei, quæ ſuperabundávit in nobis. ℣. Et nos cognóvimus, & credídimus caritáti, quam habet Deus in nobis.

Ephes. 8. 1. Joan. 4.

Allelúia, allelúia. ℣. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior dilexit nos. Allelúia.

Ibid.

Proſa ut in die Nativitatis, p. 390.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 2. IN illo témpore; Poſtquàm conſummáti ſunt dies octo, ut circumcidĕrétur puer; vocátum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocátum eſt ab Angelo, priuſquàm ĭn ŭtero conciperétur.

Dicitur Credo.

1. Joan. 4. *OFFERTORIUM.* Advocátum habémus apud Patrem, Jesum Christum justum : & ipse est propitiátio pro peccátis nostris ; non pro nostris autem tantùm, sed étiam pro totíus mundi.

SECRETA.

REspice, Dómine, super hæc múnera, quæ tuæ offérimus Majestáti, in honórem illíus Agni immaculáti, qui primítias sánguinis sui pro nobis hodiernâ die prælibávit ; Qui tecum.

PRÆFATIO & Communicantes, *de NATIVITATE.*

Hab. 3. *COMMUNIO.* Ego in Dómino gaudébo ; & exultábo in Deo Jesu meo.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PEr hujus virtútem mystérii, quæsumus, Dómine, quidquid in córdibus nostris vitiósum est mortífica ; ut in nobis hoc solum vivat, quod tibi & servíre váleat & placére ; Per Dóminum.

A die secundâ Januarii usque ad Præsentationem Domini, quotidie tam in Missis de Tempore, quàm de Sanctis, modò nec sit Festum Solemne-minus aut suprà, nec dies intra Octavam (Sabbato excepto) post Orationem diei, vel post Commemorationes, si quæ sint faciendæ, fit Commemoratio de B. Virgine Deipara, ut in proprio de Tempore, pag. 16.

Alb.

DOMINICA
inter Circumcisionem & Epiph.

[*Si hæc Dominica occurrat diebus* 2. 3. *vel* 4. *Januarii, Missa dicitur de Dominica cum Commemoratione Festi occurrentis.*

Si in Vigilia Epiphaniæ, aut si nulla occurrat Dominica, eo anno omittetur hæc Missa.]

INTROITUS.

CUm introdúcit Deus Primogénitum in orbem terræ, dicit : Adórent eum omnes Angeli Dei. *PSALM.* Dóminus regnávit, exultet terra, * lætentur ínsulæ multæ. Glória. Cùm. Hebr. 1. Psal. 96.

COLLECTA. Orémus. S. R.

DEus, qui in Unigénito tuo novam creatúram nos tibi esse fecísti : custódi ópera misericórdiæ tuæ, & ab ómnibus nos máculis vetustátis emunda ; ut per auxílium grátiæ tuæ, in illíus inveniámur forma, in quo tecum est nostra substántia ; Qui tecum vivit & regnat cum Deo Patre.

Fiunt Commemorationes secundùm occurrentiam, tum de Beata Virgine Deipara, Deus, qui salútis. *suprà, pag.* 16.

Léctio Epístolæ beáti Joánnis Apóstoli.

CAríssimi ; In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivâmus per eum. In hoc est cáritas ; non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior dilexit nos, & misit Fílium suum propitiatiónem pro peccâtis nostris. Caríssimi, si sic Deus dilexit nos ; & nos debémus altêrutrum dilígere. Deum nemo vîdit unquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cáritas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognóscimus quóniam in eo manémus, et ipse in nobis : quóniam de Spíritu suo dedit nobis. Et nos vídimus & testificámur, quóniam Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi. Quisquis confessus fúerit quóniam Jesus est Fílius Dei, Deus in eo mánet, & ipse in Deo. 1. Joan. 4.

Isai. 19. *GRADUALE.* Ecce Dóminus ascéndet super nubem levem, & ingrediétur Ægyptum. ℣. Commovebúntur simulácra Ægypti à fácie ejus.

Psal. 96. Allelúia, allelúia. ℣. Tu Dóminus altíssimus super omnem terram: nimis exaltátus es super omnes deos. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 2. IN illo témpore; Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dícens: Surge, & áccipe púerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & esto ibi usque dùm dicam tibi: futúrum est enim ut Heródes quærat púerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accépit púerum & matrem ejus nocte, & secéssit in Ægyptum, & erat ibi usque ad óbitum Heródis; ut adimplerétur quod dictum est à Dómino per Prophétam dicentem: Ex Ægypto vocávi Fílium meum.

Dicitur Credo.

1. Joan. 3. *OFFERTORIUM.* Christus appáruit, ut peccáta nostra tólleret; & peccátum in eo non est: in hoc appáruit Fílius Dei, ut dissólvat ópera diáboli. Allelúia.

SECRETA.

S. R. ADesto, Dómine, supplicatiónibus, & oblatiónibus nostris; ut pópulus tuus te factóre cónditus, teque reparátus auctóre, te étiam júgiter operante salvétur; Per Dóminum.

PRÆFATIO de NATIVITATE.

1. Joan. 5. *COMMUNIO.* Vitam æternam dedit nobis Deus; & hæc vita in Fílio ejus est. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. COnsérvent nos, quæsumus, Dómine, múnera tua quæ súmpsimus, & in Unigénito tuo tríbuant nobis vitam æternam; Qui tecum vivit.

DIE II.

In Festo SANCTI BASILII MAGNI,

Viríd. Episcopi & Eccléside Doctoris.

DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

Eccli. 39. DOminus magnus spíritu intelligéntiæ replébit illum; & ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ; & in lege testamenti Dómini gloriábitur.

Psal. 9. *PSALM.* Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua. Glória. Dóminus.

COLLECTA. Orémus.

M. P. EXcita, Dómine, in Eccléia tua spíritum, quo beátus Basílius servívit; ut, eódem nos replente, studeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod docuit; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Secunda Collecta, de B. VIRGINE DEIPARA, Deus, qui salútis, *suprà*, 16.

Léctio Epístolæ beáti Joánnis Apóstoli.

11. Joan. 7. MUlti seductóres exiérunt in mundum qui non confitentur Jesum Christum vénisse in carnem: hic est seductor, & ântichristus. Vidéte vosmetipsos, ne perdátis quæ operáti estis: sed ut mercédem plenam accípiátis. Omnis qui recédit, & non pérmanet in doctrína Christi Deum non habet, qui pérmanet in doctrína, hic & Patrem & Fílium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrínam non affert, nolíte recípere eum in domum, nec Ave ei dixéritis.

Qui enim dicit illi Ave communicat opéribus ejus malignis.

Eccli. 37. *GRADUALE.* Vir perítus multos erudívit : fructus sensûs illíus fidéles sunt. ℣. Dóminus díriget consílium Eccli. 39. ejus & disciplínam, & in abscónditis suis consiliábitur.

Eccli. 51. Allelúia, allelúia. ℣. Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 14. IN illo témpore ; Dixit Jesus túrbis : Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxórem, & fílios, & fratres, & soróres, adhuc autem ét ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, ét venit post me ; non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non priùs sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad pérficiendum ; ne, posteaquàm posúerit fundamentum, & non potúerit perfícere, omnes qui vident incípiant illúdere ei, dicentes : quia hic homo cœpit ædificáre, & non pótuit consummáre ? Aut quis rex itúrus commíttere bellum adversùs álium regem, non sedens priùs cógitat si possit cum decem míllibus occúrrere ei qui cum viginti míllibus venit ad se ? Alióquin, adhuc illó longè agente, legatiónem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Bonum est sal. Si autem sal evanúerit, in quo condiétur ? Neque in terram, neque in sterquilínium útile est : foras mittétur. Qui habet aures audiéndi, áudiat.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Véritas mea, & misericórdia mea cum ipso ; & in nómine meo exaltábitur cornu ejus. Psal. 88.

SECRETA.

UT plenum sit sacrifícium nostrum, Deus, da nobis ómnia detrimentum fácere propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini nostri, & exemplo beáti Doctóris Basílii nihil scire nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum ; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus. M. P.

De B. V. DEIPARA, Beáta témpora, *suprà*, 16.

PRÆFATIO de DOCTORIBUS.

COMMUNIO. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia. Eccli. 39.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

QUos Christo pane réficis, eósdem Christo magístro édoce, Dómine ; ut, interveniente beáto Basílio, discant in humilitáte veritátem tuam, & eam in caritáte fidéliter operentur ; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

De B. V. DEIPARA, Satiásti nos, *suprà*, 16.

DIE III.

In Festo SANCTÆ GENOVEFÆ, Virginis.

Alb.

SEMIDUPLEX.

Missa, Adducentur. *ut in Communi unius Virginis, pag.* xxxiv. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

EFfunde super nos, Dómine, Spíritum agnitiónis & dilectiónis tuæ, quo ancillam tuam Genovéfam

impleviſti ;

impleviſti ; ut ſédulâ ejus imitatióne tibi ſincérè obſequentes , fide tibi & ópere placeámus ; Per Dóminum.

Secunda Collecta , de B. V. DEIPARA , Deus , qui ſalútis , *ſuprà* , 16.

SECRETA.

OFferéntibus tibi , Dómine , preces & múnera in honóre ſanctæ Vírginis tuæ Genovéfæ , da nobis ejus exemplo , perſeveráre in innocéntia vitæ , in humilitáte pœniténtiæ , in manſuetúdine patiéntiæ ; Per Dóminum.

De B. VIRGINE DEIPARA , Beáta témpora , *ſuprà* , 16.

Præfatio de VIRGINIBUS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PRoſint nobis , Dómine , quæſumus , ad ſalútem mentis & córporis , ſacramenta quæ ſúmpſimus ; ut ſicut in beáta Vírgine Genovéfa te mirábilem prædicámus , ſic per ipsíus ſuffrágia , tuæ ſumámus beneficéntiæ largitátem ; Per Dóminum.

De B. VIRGINE DEIPARA , Satiaſti nos , *ſuprà* , 16.

DIE IV.

In Feſto

S. SIMEONIS STYLITÆ.

SEMIDUPLEX.

Miſſa , Quis dabit. *de Communi Monachorum , p.* xxviij.

DIE V.

Alb. IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

Baruch 15. EXurge , Jerúſalem , & circúmſpice ad Orientem , & vide collectos fílios tuos ab oriente ſole : addúcet illos Dóminus ad te portátos in honóre , ſicut fílios regni. *PSALM.* Lauda , Jerúſalem , Dóminum : * lauda Deum tuum , Sion. Pſal. 147. Glória. Exurge.

Dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

COrda noſtra , quæſumus , Dómine , ventúræ feſtivitátis ſplendor illuſtret ; quo mundi hujus ténebris carére valeámus , & pervenire ad pátriam claritátis æternæ ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum , qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus , per ómnia ſécula ſeculórum. S. R.

Secunda Collecta , de B. V. DEIPARA , Deus , qui ſalútis , *ſuprà* , 16.

Léctio líbri Numerórum.

IN diébus illis ; Bálaam ſumpta parâbola , ait : Dixit Bálaam fílius Beor , dixit homo cujus obturátus eſt óculus , dixit audítor ſermónum Dei , qui novit doctrínam Altíſſimi , & viſiónes Omnipotentis videt , qui cadens apertós habet óculos : Vidébo eum , ſed non modò : intuébor illum , ſèd non propè. Oriétur ſtella ex Jacob , & conſurget virga dĕ Iſrael : & percútiet duces Moab , vaſtabitque omnes fílios Seth. Et erit Idumæa poſſéſſio ejus : heréditas Seir cedet inĭmícis ſuis : Iſrael verò fôrtiter aget. De Jacob erit quĭ dominétur , ĕt pĕrdat relíquias civitátis. Cap. 14.

GRADUALE. Ecce levábo ad gentes manum meam , & ad pópulos exaltábo ſignum meum ; & áfferent in ulnis fílios tuos & fílias tuas. ℣. Erunt Reges nutrítii tui : vultu in terram demiſſo adorábunt te , & ſcies quia ego Dóminus. Is. 49.

Allelúia , allelúia. ℣. Confitébor tibi in géntibus , Dómine , & nómini tuo cantábo. Allelúia. Pſal. 17. Rom. 15.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap 2. IN illo témpore ; Defuncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge, & áccipe púerum & matrem ejus, & vade in terrăm Israel : defuncti sunt enim qui quærébant ánimam pŭeri. Qui consurgens accépit púerum ĕt matrem ejus, & venit in terram Israël. Audiens autem quòd Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, timŭit illò ire : & admónitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et véniens habitávit in civitáte quæ vocátŭr Názareth : ut adimplerétur quod dictum est per Prŏphētas, Quóniam Nazaræus vocábitur.

[*Die Dominicâ dicitur* Credo.]

Dan. 7. *OFFERTORIUM.* Omnes pópuli, tribus & linguæ ipsi sérvient : Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferétur ; & regnum ejus, quod non corrumpétur.

SECRETA.

S. G. DEus, cujus império stella Magos ad Christum perduxit : quæsumus, ut, hæc oblàta suscípiens múnera, gressus nostros misericórditer dírigas, & ad veritátis tuæ salutíferam visiónem, præcedente nos tuæ grátiæ illuminatióne, perdúcas ; Per eumdem Dóminum.

De B. V. DEIPARA, Beáta témpora, *suprà*, 16.

PRÆFATIO de NATIVITATE.

Apoc. 21. *COMMUNIO.* Cláritas Dei illumināvit civitátem sanctam Jerúsalem ; & ambulábunt gentes in lúmine ejus. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus illuminātor ómnium géntium, da pópulis tuis perpétuâ pace gaudére, & hujus virtúte Sacramenti, illud lumen spléndidum infunde córdibus nostris, quod Magórum méntibus adspirasti ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

De B. V. DEIPARA, Satiasti nos, *suprà*, 16.



Alb.

IN OFFICIO NOCTURNO
EPIPHANIÆ DOMINI.

Poſt nonum Reſponſorium, cantatur ſolemniter à Diacono Evangelium de BAPTISMO & GENEALOGIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI *ſecundùm Lucam, ſub cantu ſequenti, eodem ritu ac Evangelium in Miſſa.*



D O-mi-nus vo-biſ-cum; ℟. Et cum ſpi-ri-tu tu- o.



℣. Se-quen-ti- a ſancti E- van-ge- li- i ſe-cun-dùm



Lu- cam. ℟. Glo- ri- a ti- bi, Do-mi- ne.



Cap. 3. FActum eſt cùm bapti-za-re-tur om-nis popu-lus,



& Je-ſu bapti-za-to & o-ran- te : a-per-tum eſt



cœ-lum : & deſ-cen- dit Spi- ri- tus ſan- ctus



corpo- ra- li ſpe-ci- e ſicut co-lumba in ipſum:



& vox de cœlo facta eſt : Tu es fi- li- us



me- us di-le-ctus , in te compla-cu- i mi-hi.



Et ip- ſe Je- ſus e-rat in-ci-pi- ens qua-ſi



an-no-rum tri-ginta , ut pu-tabatur , fi-li- us Jo- ſeph , qui



fu- it He- li , qui fu- it Mathat , qui fu- it Le- vi ,



qui fu- it Melchi , qui fu- it Janne , qui fu- it



Joſeph , qui fu- it Matha- thi- æ , qui fu- it Amos , qui



fu-it Nahum , qui fu- it Heſli , qui fu- it Nagge , qui



fu- it Mahath , qui fu- it Mathathi- æ , qui fu- it

Seme- i ,


Seme- i , qui fu- it Jo- ſeph , qui fu- it Ju-da , qui
fu- it Jo- an-na , qui fu-it Re-ſa , qui fu- it
Zo- ro- ba- bel , qui fu- it Sa-lathi- el , qui fu- it
Ne- ri , qui fu- it Melchi , qui fu- it Ad- di ,
qui fu- it Co- ſan , qui fu- it El-ma-dan , qui
fu- it Her , qui fu- it Je- ſu , qui fu- it
E- li- e-zer , qui fu- it Jorim , qui fu- it Mathat ,
qui fu- it Le- vi , qui fu- it Sime- on , qui
fu- it Ju- da , qui fu- it Jo-ſeph , qui fu- it


Jo- na , qui fu- it E- li- a-kim , qui fu- it
Me-le- a , qui fu- it Menna , qui fu- it Mathatha ,
qui fu- it Nathan , qui fu- it Da- vid , qui
fu- it Jeſſe , qui fu- it O- bed , qui fu- it
Bo- oz , qui fu- it Salmon , qui fu- it
Na- aſſon , qui fu- it Ami- na- dab , qui fu- it
Aram , qui fu- it Eſron , qui fu- it Phares ,
qui fu- it Ju- dæ , qui fu- it Ja-cob , qui
fu- it I- ſa- ac , qui fu- it A-bra-hæ , qui


fu- it Tha- re , qui fu- it Nachor , qui
fu- it Sa- rug , qui fu-it Ra-ga- ü , qui fu- it
Phaleg , qui fu- it Heber , qui fu- it Sa- le,
qui fu- it Ca- i- nan , qui fu- it Arpha-xad ,
qui fu- it Sem , qui fu- it No- e ,
qui fu- it Lamech , qui fu- it Mathu- ſa-le ,
qui fu- it Henoch , qui fu- it Ja-red ,
qui fu- it Ma-la-le-el , qui fu- it Ca- i-nan ,
qui fu- it Henos , qui fu- it Seth ,

qui fu- it A- dam , qui fu- it De- i.

Lentiùs.

Je-ſus au-tem ple-nus Spi- ri-tu ſan- cto ,

regreſ- ſus eſt à Jor- da- ne.



DIE VI. JANUARII.

Alb.

IN EPIPHANIA DOMINI.

ANNUALE-MAJUS.

INTROITUS.

1. Paral. 16. AFferte Dómino, famíliæ populórum; afferte Dómino glóriam & impérium: veníte in conſpectu ejus, & adoráte Dóminum in decóre ſancto: lætentur cœli & exultet terra; & dicant in natiónibus, Dóminus regnávit. *PSALM.* Pſal. 95. Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra. Glória. Afferte.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui hodiernâ die Unigénitum tuum géntibus ſtellâ duce revelaſti: concéde propítius, ut qui jam te ex fide cognóvimus, uſque ad contemplandam ſpéciem tuæ celſitúdinis perducámur; Per eumdem Dóminum.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 60. SUrge, illumináre, Jĕrúſalem, quia venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te ôrta eſt. Quia ecce ténebræ opérient terram, & călígo pópulos: ſuper te autem oriétur Dóminus, & glória ejus in tê vidébitur. Et ambulábunt gentes ĭn lúmine tuo, & reges in ſplendóre ôrtus tui. Leva in circúitu óculos tuos, & vide: omnes iſti congregáti ſunt, vénĕrunt tibi: fílii tui de longè vénient, & fíliæ tuæ de lâtere ſurgent. Tunc vidébis, & áfflues, & mirábitur, & dilatábitur cor tuum, quando converſa fúerit ad te multĭtúdo maris, fortitúdo géntium vênerit tibi. Inundátio camelórum ŏpériet te, dromedárii Mádian êt Epha. Omnes de Saba vénient, aurum & thŭs deferentes & laudĕm Dŏmino annuntiantes.

GRADUALE. Convertentur ad Dóminum univerſi fines terræ, & adorábunt in conſpectu ejus univerſæ famíliæ géntium. ℣. Convertentur, quia nunc magnificábitur uſque ad términos terræ.

Pſal. 21.

Mich. 5.

Allelúia, allelúia. ℣. Confiteantur tibi pópuli, Deus: confiteantur tibi pópuli omnes: lætentur & exultent gentes. Allelúia.

Pſal. 66.

PROSA.

M. P. AD Jeſum accúrrite,
Corda veſtia ſúbdite
Regi novo Géntium.

Stella foris prædicat,
Intus fides índicat
Redemptórem ómnium.

HUC afferte múnera.
Voluntáte líberâ,
Sed múnera córdium.

Hæc erit gratíſſima
Salvatóri víctima,
Mentis ſacrifícium.

OFFERT aurum cáritas,
Et myrrham auſtéritas,
Et thus deſidérium.

Auro Rex agnóſcitur,
Homo myrrhâ, cólitur
Thure Deus Géntium.

JUDÆA, gaudéntibus
Non ínvide Géntibus
Retectum myſtérium.

Poſt cuſtódes óvium,
Se Magi Fidélium
Jungunt in conſórtium.

QUI Judæos ádvocat
Chriſtus, Gentes cónvocat
In unum tugúrium.

Béthlehem fit hódie
Totíus Eccléſiæ
Naſcentis exórdium.

REGNET Chriſtus córdibus,
Et victis rebéllibus
Próferat impérium.
Amen.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 2. CUm natus eſſet Jeſus in Béthlehem Juda in diébus Hĕródis regis, ecce Magi ab Oriente venérunt Jerosólymam, dicéntes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæórum? Vídimus enim ſtellam ejus in Oriente, & vénimus adoráre eum. Audiens autem Heródes rex, tŭrbátus eſt, & omnis Jeroſólyma cum illo. Et cóngregans omnes Príncipes Sacerdótum, ĕt Scribas pópuli, ſciſcitabátur ab eis ubi Chriſtus naſcerĕtur. At illi dixérunt ei: In Béthlehem Jŭdæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophétam: Et tu Béthlehem terra Juda, nequáquam mínima es in prĭncípibus Juda: ex te enim éxiet dux, qui regat pópulum meum Iſraël. Tunc Heródes clàm vocátis Magis, diligenter dídicit ab eis tempus ſtellæ, quæ ăppáruit eis: & mittens illos in Béthlehem, dixit: Ite, & interrogáte diligenter de púero: & cùm invenéritis, renuntiáte mihi, ut & ego véniens, adórem eum. Qui cùm audíſſent, regem, abiĕrunt. Et ecce ſtella, quam víderant in Oriente, antecĕdébat eos, uſque dum véniens ſtaret ſuprà ubi erat pŭer. Videntes autem ſtellam gavíſi ſunt gáudio magno văldè. Et intrantes domum invenérunt púerum cum María matre ejus, * & procidentes adorăvérunt eum: & apertis theſauris ſuis, obtulérunt ei múnera, aurum, thus, & mўrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redírĕnt ad Heródem, per áliam viam reverſi sŭnt in regiónem ſuam. * *Hic genuflectitur.*

[*Hodie, lecto Evangelio, Diaconus, ad populum verſus, annuntiat diem ſanctum Paſchæ hoc modo:*]



Dicitur Credo, *& per totam Octavam.*

OFFERTORIUM. Reges Tharſis & ínſulæ múnera ófferent: reges Arabum & Saba dona addúcent; & adorábunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſérvient ei. Pſal. 71.

SECRETA.

S.R. ECcléſiæ tuæ, quæſumus, Dómine, dona propítius intuére, quibus non jam aurum, thus & myrrha, profertur; ſed quod eiſdem munéribus declarátur, immolátur & ſúmitur Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum.

PRÆFATIO & Communicantes, *de EPIPHANIA, per totam Octavam.*

Matt. 2. *COMMUNIO.* Invenérunt Púerum cum María matre ejus, & procidentes adoravérunt eum. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, qui nos ineffábili miſericórdiâ de ténebris in admirábile lumen tuum vocáre dignátus es; auge in nobis fídei grátiam quam dediſti: ut eum in ſacramento ſuſcipientes & adorantes, quem Magi veneráti ſunt in cunábulis; ipſi múnera de córdibus noſtris Deo digna promámus: Qui tecum vivit.

INTRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Miſſa dicitur ut in die, præter Epiſtolam & Evangelium Feriæ IV & VI. *quæ habentur propria infrà poſt Miſſam Dominicæ.*

DOMINICA

Alb. Intra Octavam, quæ eſt prima poſt Epiphaniam.

Si Dominica hæc occurrat in ipſa die Octava Epiphaniæ, Miſſa, Ego conſtitútus ſum, *dicitur Sabbato præcedenti.*

INTROITUS.

Pſal. 2. EGo conſtitútus ſum Rex à Deo ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus. *PSALM.* Quare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti ſunt inánia? Glória. Ego.

COLLECTA. Orémus.

ILlúmina, quæſumus, Dómine, pópulum tuum, & ſplendóre grátiæ tuæ cor ejus ſemper accende; ut ſalvatórem ſuum, inceſſanter agnoſcat, & veráciter apprehendat Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus. S.R.

Non fit Commemoratio Octavæ.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 12. OBſecro vos, fratres, per miſeri̇córdiam Dei, ut exhibeátis córpora veſtra hóſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationábile obſêquium veſtrum. Et nolíte conformári huic ſéculo, ſed reformámini in novitáte ſenſus veſtri; ut probétis quæ ſit voluntas Dei bona, & benéplacens, êt perfecta. Dico enim per grátiam quæ data eſt mihi, ómnibus qui ſunt inter vos, non plus ſápere quàm oportet ſápere, ſed ſápere ad sŏbrietátem; & unicuíque ſicut Deus diviſit menſûram fídei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdĕm actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſíngŭlĭ ăutem alter altérius membra.

Joel. 2. *GRADUALE.* Fílii Sion, exultáte & lætámini in Dómino Deo veſtro: quia dedit vobis Doctórem juſtítiæ. ℣. Laudábitis nomen Dei veſtri, qui fecit mirabília vobiſcum; & ſciétis quia in médio Iſrael ego ſum, & ego Dóminus Deus veſter.

Matt. 23. Allelúia, allelúia. ℣. Unus eſt Pater veſter, qui in cœlis eſt: Magiſter veſter unus eſt, Chriſtus. Allelúia.

Proſa Ad Jeſum. *ut in die Epiphaniæ.* 407.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 2. IN illo témpore ; Puer crescébat & confortabátur, plenùs sapiéntia ; & grátia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerúsalem, in die solemni Páschæ. Et cùm factus esset annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secundùm consuetúdinem diéi festi, consummatisque diébus, cùm redírent, remansit puer Jesus in Jerúsalem ; & non cognovérunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, & requirébant eum inter cognátos & nótos. Et non invenientes, regressi sunt in Jerúsalem, requirentes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo, sedentem in médio Doctórum, audientem illos & interrogantem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia & responsis ejus. Et vidéntes admirári sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic ? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebámus te. Et ait ad illos : Quid est quòd me quærebátis ? nesciebátis, quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse ? Et ipsi non intellexérunt verbum quod locútus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Názareth : & erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntia, & ætáte, et grátia apud Deum & hómines.

Dicitur Credo.

Sap. 1. *OFFERTORIUM.* In simplicitáte cordis quærite Dóminum, quóniam invenítur ab his qui non tentant illum ; appáret autem eis qui fidem habent in illum. Allelúia.

SECRETA.

DEus cujus Unigénitus puer effectus crescébat ætáte & sapiéntiâ, his sacrifíciis concéde nobis sic in eo créscere, ut ad mensúram ætátis plenitúdinis ejus pervenire meréamur ; Qui tecum vivit.

PRÆFATIO & Communicantes. *de EPIPHANIA.*

COMMUNIO. Dómine, ad quem íbimus ? Verba vitæ æternæ habes : & nos credídimus, & cognóvimus, quia tu es Christus Fílius Dei. Joan. 6.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

GRátias tibi, Dómine, de perceptis donis ágimus, humíliter deprecantes, ut qui nobis factus est justítiæ doctor, grátiæ & sanctitátis sit ipse largítor Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus ; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. S. R.

FERIA IV.

(*Si Dies Epiphaniæ incidat in Feriam* IV *sequentes Lectiones transferuntur in Feriam* V.)

Léctio Isaîæ Prophétæ.

HÆc dicit Dóminus ad Jerûsalem : Viri sublímes ad te transíbunt, & tûi erunt. Post te ambulábunt, vincti mánicis pergent, & te adorábunt, teque déprecabuntur : Tantùm in te est Deus, & non est âbsque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israêl Salvátor. Confúsi sunt, & erubuérunt omnes : simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum. Israel salvátus est in Dómino sálute æterna : non confundémini, & non erubescétis usque in sæculum sé- Cap. 45.

culi.

culi. Quia hæc dicit Dóminus creans cœlos, ipſe Deus formans terram, & fáciens eam, ipsĕ plaſtes ejus: non in vanum creávit eam; ut habitarétur, formâvit eam. Ego Dóminus, & nôn eſt álius. Non in abſcóndito locútus ſum in loco terræ tenebróſo: non dixi ſémini Jacob: Fruſtrà quærite me. Ego Dóminŭs loquens juſtítiam, annûntians recta. Congregámini, & veníte, & accédite ſimul qui ſalvátĭ eſtis ex géntibus: neſciérunt qui levant lignum ſculptúræ ſuæ, & rogant deum nôn ſalvantem. Annuntiáte, & veníte, & conſilĭámini ſimul: quis audítum fecit hoc ab inítio, ex tunc prædixit illud? Numquid nŏn ego Dóminus, & non eſt ultrà Deus abſque me? Deus juſtus & ſalvans non eſt præter me. Convertímini ad me, & ſalvi éritis omnĕs fines terræ; quia ego Deus, & nôn eſt álius. In memetipſo jurávi, egrediétur de ore meo juſtítiæ verbum, & nŏn revertétur; quia mihi curvábitur omnĕ gĕnu, & jurábit omnis lingua.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Math. 3. IN illo témpore; Venit Jeſus à Galilæa in Jordáněm ad Joannem, ut baptizarétur ab ĕo. Joannes autem prohibébat eum, dĭcens: Ego à te débĕŏ baptizári, & tu venis ad me? Reſpondĕns autem Jeſus, dixit ĕi: Sine modò; ſic enim decet nos implére omnem juſtĭtiam. Tunc dimíſit ĕum. Baptizátus autem Jeſus, confeſtim ăſcendit de aqua: & ecce aperti ſunt ei cœli; & vidit Spíritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper sĕ. Et ecce vox de cœlis, dĭcens: Hic eſt Fílius meus dĭlĕctus, in quo mihi complácui.

Dicitur Credo.

FERIA VI.

(*Si Dies Epiphaniæ incidat in Feriam* VI. *ſequentes Lectiones fiunt Sabbato ſequenti.*)

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Is. 54. LAuda ſtérilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ nŏn pariébas; quóniam multi fílii deſertæ, magìs quàm ejus quæ habet virum, dîcit Dóminus. Dilata locum tentórii tui, & pelles tabernaculórum tuórum ĕxtende, ne parcas: longos fac funículos tuos, & clavos tûos conſólida. Ad déxteram enim & ad lævăm penetrábis; & ſemen tuum gentes hæreditábit, & civitátes deſértas inhâbitábit. Noli timére; quia non confundéris, nequĕ erubeſces: non enim te pudébit, quia confuſiónis adoleſcéntiæ tuæ obliviſcéris, & oppróbrii viduitátis tuæ non recordâberis ámpliùs. Quia dominábitur tui qui fecit te; Dóminus exercítŭŭm nomen ejus: & redemptor tuus Sanctus Iſrael, Deus omnĭs tĕrræ vocábitur.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Mărcum.

Marc. 1. IN diébus illis; Venit Jeſus à Názărĕt Galilææ, & baptizátus eſt à Joanne in Jordăne. Et ſtatim aſcendens de aqua, vidĭt cœlos apertos, & Spíritum tanquam columbam deſcendentem, & manentem in ĭpſo. Et vox facta eſt de cœlis: Tu es Fílius meus dĭlĕctus; in te complácui.

Dicitur Credo.

A Circumcisione *Domini uſque ad ipſius Præſentationem, etiamſi Septuageſima intervenerit, quotidiè tam in Miſſis de Tempore, quàm de Sanctis, modò non ſit Feſtum Solemne, aut ſuprà, exceptis etiam Octavis, poſt Orationem Diei, vel poſt Commemo-*

rationes ſi faciendæ ſint, ſit Commemoratio de B. V. DEIPARA, *ut in proprio de Tempore, pag.* 16.

DIE XIII.

OCTAVA EPIPHANIÆ, & Baptiſmus Domini.

DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Joel. 3. SCiétis quia ego Dóminus Deus veſter, hábitans in Sion monte ſancto: & erit Jerúſalem ſancta; & per omnes rivos Juda ibunt aquæ; & fons de domo Dómini egrediétur, & irrigábit torrentem ſpinárum.

Pſal. 64. *PSALM.* Te decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúſalem. Glória. Sciétis.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, cujus Unigénitus in ſubſtántia noſtræ carnis appáruit: præſta, quæſumus, ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus, intùs reformári mereámur; Qui tecum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 5. FRatres; Chriſtus dilexit Eccléſiam, & ſeipſum trádidit pro ea, ut illam ſanctificáret; mundans lavácro aquæ in verbo vitæ: ut exhibéret ipſe ſibi glorióſam Eccléſiam, non habentem máculam, aut rugam, aut áliquid hujúſmodi; ſed ut ſit ſáncta & immaculáta.

Pſal. 28. *GRADUALE.* Vox Dómini ſuper aquas, Deus majeſtátis intónuit, Dóminus ſuper aquas multas. ℣. Vox Dómini in virtúte, vox Dómini in magnificéntia.

Math. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt Fílius meus dilectus, in quo mihi complácui. Allelúia.

Proſa Ad Jeſum, *ſuprà, pag.* 407.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 1. IN illo témpore; Vidit Joannes Jeſum veniéntem ad ſe, & áit: Eccé Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante mé factus eſt; quia prior me érat. Et ego neſciébam eum; ſed ut manifeſtétur in Iſrael, proptéreà veni ego in aqua baptízans. Et teſtimónium perhíbuit Joannes, dícens: Quia vidi Spíritum deſcendentem quaſi cólumbam de cœlo, & manſit ſuper éum. Et ego neſciébam eum: ſed qui miſit me baptizáre in aqua, illé mihi dixit: Super quem víderis Spíritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptízat in Spíritu sáncto. Et ego vidi; & teſtimónium pérhíbui, quia hic eſt Fílius Dei. *Dicitur* Credo.

Marc. 1. *OFFERTORIUM.* Aſcendens Jeſus de aqua, vidit cœlos apertos, & Spíritum tamquam columbam deſcendentem & manentem in ipſo. Allelúia.

SECRETA.

S. R. HOſtias, tibi, Dómine, pro nati Fílii tui apparitióne deférimus, ſupplíciter exorantes, ut ſicut ipſe noſtrórum auctor eſt múnerum, ita ſit & miſéricors ſuſceptor Jeſus Chriſtus Dóminus noſter; Qui tecum.

PRÆFATIO & Communicantes, *de* EPIPHANIA.

Joan. 1. *COMMUNIO.* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui unigéniti Fílii tui baptiſmo aquárum fluenta ſanctificáre voluiſti; da nobis per hæc ſancta quæ ſúmpſimus, ut renáti aquâ & Spíritu, pervenire ad gáudia æterna mereámur; Per eumdem... in unitáte ejuſdem.

¶ *Dominica* II. *post Epiphaniam (etiamsi occurat Septuagesʃ.) celebratur* ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS & ALIARUM ECCLESIARUM DIŒCESIS, *Annuale-minus, cum Octava, intrà quam fit tantum Commem. de Semiduplicibus. Missa habetur ad calcem Communis Sanctorum, p.* xlj. *Fit Commem. Domin. cujus legitur Evang. in fine.*

DOMINICA SEQUENTI *fit de die Octava cum Commemoratione Dominicæ. Si autem occurrat Septuagesima, Officium Diei Octavæ anticipatur in Sabbatum præcedens & fit Commemoratio Festi occurrentis.*

DIE XIV.
In Festo
S. HILARII PICTAVIENSIS
Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris.

Viird. DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

Psal. 39. JUstítiam tuam, Dómine, non abscondi in corde meo, veritátem tuam & salutáre tuum dixi: non abscondi misericórdiam tuam & veritátem tuam à concílio multo. *PSALM.* Ibid. 1 Expectans expectávi Dóminum, * & intendit mihi. Glória. Justítiam.

COLLECTA. Orémus.

M. P. PRosit nobis, Dómine, beáti Pontíficis Hilárii festíva solémnitas. ut sicut consubstantiális tibi Verbi fidem per universas Gállias servávit illæsam; ita nos ejus intercessióne in eádem fide stábiles, ipsi soli semper Verbo vivámus Fílio tuo Dómino nostro; Qui tecum vivit.

Pro Commem. S. FELICIS, Presb.

COLLECTA. Orémus.

EXcita in Eccléſia tua, Dómine, Christiánæ paupertátis spíritum, quem sanctus Présbyter Felix, tui nóminis Confessor, religiósè cóluit; ut ejus intercedéntibus méritis, promissa paupéribus spíritu præmia felíciter consequámur.

De B. V. DEIPARA, Deus, qui salútis, *p.* 16.

Léctio Epístolæ beáti Joânnis Apóstoli.

1. Joan. 2. FIlíoli; Novíssima hora est: & sicut audístis quia antichristus venit, & nunc antichristi multi facti sunt; unde scimus, quia novíssima hôra est. Ex nobis prodiérunt; sed non êrant ex nobis. Nam si fuíssent ex nobis, permansíssent útique nobiscum: sed ut manifesti sint quóniam non sunt ômnes ex nobis. Sed vos unctiónem hábétis à Sancto, & nôstis ómnia. Non scripsi vobis quasi ignorántibus veritátem, sed quasi sciéntibus eam: & quóniam omne mendácium ex veritâte non est. Quis est mendax, nisi is, qui negat quóniam Jesus est Christus? Hic est antichristus, qui negat Pâtrem, & Fílium. Omnis qui negat Fílium, nec Patrem habet: qui confitétur Fílium, & Pâtrem habet. Vos quod audístis ab inítio, in vôbis permáneat. Si in vobis permánserit quod audístis ab inítio, & vos in Fílio & Pâtre manébitis. Et hæc est repromíssio, quam ipse pollícitus est nôbis, vitam æternam.

GRADUALE. Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ, à dextris & à sinistris. ℣. Habentes spíritum fídei, crédimus: propter quod & lóquimur.

2. Cor. 6. 2. Cor. 4.

Allelúia, allelúia. ℣. Persecútus est iníquos, qui conturbábant pópulum suum; & omnes operárii iniquitátis

1. Mac. 3.

conturbáti ſunt, & directa eſt ſalus in manu ejus. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap 10. IN illo témpore; Circumdedérunt Jéſum Judæi, & dicébant ei: Quouſque ánimam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis pálam. Reſpondit eis Jesús: Loquor vobis, & non créditis. Opera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc teſtimónium pérhibent de me: ſed vos non créditis, quia non eſtis ex óvibus méis. Oves meæ vocem meam áudiunt; & ego cognoſco eas, & séquuntur me; & ego vitam æternam do eis, & non períbunt in æternum, & non rápiet eas quiſquam de manu méa. Pater meus quod dedit mihi, majús ómnibus eſt; & nemo poteſt rápere de manu Patris méi. Ego & Pater unum súmus. Suſtulérunt ergó lápides Judæi, ut lapidárent éum. Reſpondit eis Jesús: Multa bona ópera oſtendi vobis éx Patre meo; propter quod eórum opus me lapidátis? Reſpondérunt ei Judæi: De bono ópere non lapidámus te, séd de blaſphémia; & quia tu, homo cùm ſis, facis teipſum Déum. Reſpondit eis Jesús: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia Ego dixi, dii eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non potéſt ſolvi Scriptúra: quem Pater ſanctificávit, & miſit in mundum, vos dícitis: Quia blaſphémas, quia dixi, Fílius Dei ſum? Si non fácio ópera Patris mei, nolíte crédere mihi. Si autem fácio; & ſi mihi non vultis crédere, ópéribus crédite; ut cognoſcátis quia Pater in me eſt, & ego in Patre.

Dicitur Credo.

2. Cor. 10. *Offertorium.* Arma milítiæ noſtræ non carnália ſunt, ſed poténtia Deo, ad deſtructiónem munitiónum, consília deſtruentes, & omnem altitúdinem extollentem ſe adversùs ſciéntiam Dei.

Secreta.

SAcrifícium pláceat tibi, Deus, exhíbitum in feſtivitáte ſancti Doctóris Hilárii; quo monente, nos étiam totos réddimus tibi, cui debére nos recognóſcimus & oríginem & profectum; Per. M. P.

De S. Felice.

HOſtias tibi, Dómine, pro commemoratióne ſancti Felícis Confeſſóris tui offérimus, ſupplíciter deprecantes; ut ſicut illi tribuiſti ſacræ fidei largitátem, ſic nobis indulgéntiam largiáris & pacem. S. R.

De B. V. Deipara, Beáta, *p.* 16.

Præfatio de Doctoribus.

Communio. Quiſquis confeſſus fúerit quóniam Jeſus eſt Fílius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. 1. Joan. 4.

Postcommunio. Orémus.

PEr hoc Sacramentum noſtræ in Chriſto unitátis, conſerva in nobis, Dómine, fidei quam beátus Hilárius defendit, incontaminátam religiónem; ut te Patrem noſtrum, & Fílium tuum unà tecum adorémus; ac ſanctum Spíritum tuum, qui ex te per Unigénitum tuum eſt, promereámur; Per eumdem... in unitáte ejuſdem Spíritû ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. M. P.

De S. Felice.

QUæſumus, Dómine, ſalutáribus repléti myſtériis, ut beáti Felícis, quem in confeſſióne tui nóminis roboraſti, fácias nos & in terra imitatóres, & in cœleſti regno conſortes.

De B. V. Deipara, *p.* 16.

DIE XV.
In Festo
SS. NOMINIS JESU.
DUPLEX-MAJUS.

Alb.

INTROITUS.

Phil 2. IN nómine Jesu omne genu flectátur, cœléstium, terréstrium, & infernórum: & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Psal. 102. *PSALM.* Bénedic, ánima mea, Dómino; * & ómnia quæ intrà me sunt, nómini sancto ejus. Glória. In nómine.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui Unigénitum Fílium tuum constituisti humáni géneris Salvatórem, & Jesum vocári jussisti; concéde propítius, ut cujus sacratíssimum Nomen venerámur & invocámus in terris, ejus quoque aspectu perfruámur in cœlis; Qui tecum vivit & regnat.

Fit Commemoratio S. MAURI, Abbatis.

COLLECTA. Orémus.

DA nobis, quæsumus, Deus noster, beáti Mauri Abbátis intercessiónibus sublevári; ut per quem servis tuis perfectiónis evangélicæ documenta donasti, per eum nobis subsídia perpétuæ salútis impendas.

Deindè de S. BONITO, Episcopo.

DEus, fidélium lumen & pastor animárum, qui beátum Bonítum Epíscopum in Ecclésia posuisti, ut oves tuas verbo pásceret, & informáret exemplo; da nobis ejus intercessióne, & fidem serváre quam verbo dócuit, & viam sequi, quam exemplo monstrávit.

Ultimò de B. V. DEIPARA, p. 16.

Léctio Actuum Apôstolórum.

IN dĭébus illis; Replétus Spíritu sancto Pêtrus dixit: Príncipes pópuli, & seniôres, audíte: Si nos hódie dijudicámur in benefacto hóminis infirmi, in quo iste salvus factus est; notum sit ómnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in Nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscĭtávit à mórtuis, in hoc iste astat coram vôbis sanus. Hic est lapis, qui reprobátus est à vobis ædificántibus, qui factus est ĭn caput ánguli; & non est in álio âliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub cœlŏ datum homínibus, in quo ŏpŏrteat nos salvos fíeri. Cap 4.

GRADUALE. Omnis quicumque invocáverit Nomen Dómini, salvus erit ℣. Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri. Act. 2 & 4.

Allelúia, allelúia. ℣. Quodcumque petiéritis Patrem in Nómine meo, hoc fáciam; ut glorificétur Pater in Fílio. Allelúia. Joan. 14.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

TRACTUS. Bénedic, ánima mea, Dómino; & ómnia, quæ intrà me sunt, Nómini sancto ejus. Bénedic, ánima mea, Dómino; & noli oblivisci omnes retributiónes ejus. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, qui sanat omnes infirmitátes tuas. Psal. 102.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

IN illo témpore; Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dĭcens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríăm cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spí- Cap. 1.

ritu ſancto ĕſt. Párĭĕt autem fílium ; & vocábis Nomen ejus Jesŭm. Ipſe enim ſalvum fáciet pópŭlŭm sŭum à peccátis eórum.

Dicitur Credo.

Col. 3. *OFFERTORIUM.* Omne quodcumque fácitis in verbo, aut in ópere ; ómnia in Nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agentes Deo & Patri per ipſum.

SECRETA.

M. P. IN ejus Nómine preces noſtras & múnera ſúſcipe, Pater omnípotens, in quo quidquid petiérimus, nos conſecutúros certò confídimus, ipſo pollicente Dómino noſtro Jeſu Chriſto ; Qui tecum.

DE S. MAURO.

SAncti Mauri Abbátis, Dómine, pia nobis non deſit orátio, quæ múnera noſtra tibi commendet, & dona tua nobis obtíneat.

DE S. BONITO.

HOſtias noſtras, quæſumus, Dómine, ſanctus Póntifex Bonítus nómini tuo reddat acceptas, qui eas tibi dignè offerendo complácuit.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

PRÆFATIO de INCARNATIONE & NATIVITATE DOMINI.

1. Cor. 1. *COMMUNIO.* Omnibus qui ínvocant Nomen Dómini noſtri Jeſu Chriſti, grátia & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PRæſta, quæſumus, miſéricors Deus, ut in his ſacris myſtériis Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum dignis obſéquiis venerémur, in cujus Nómine omne genu flecti voluiſti ; Qui tecum.

DE S. MAURO.

DEus, qui beátum Maurum, non ſolùm ſapiéntiâ in præcipiendo, ſed étiam humilitáte in obediendo illuſtrem reddidiſti ; præſta, quæſumus, nobis cœleſtibus myſtériis refectis, ut ſubjecti ínvicem in timóre Chriſti, tibi líberâ caritáte ſerviámus.

DE S. BONITO.

COrporis & ſánguinis tui, Dómine, participatióne refecti in honóre beáti Boníti Pontíficis, quæſumus, ut à cunctis adverſitátibus muniámur, & expiáti máculis peccatórum, virtú tibus informémur.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

DIE XVI.

In Feſto S. PAULI EREMITÆ.

Viol.

SEMIDUPLEX.

Miſſa, Símilis factus ſum. *de Communi Anachoretæ, p.* xxix. *præter Orat.*

COLLECTA. Orémus.

DEus, cujus grátiâ beátus Paulus prudenti fugâ ſalúti ſuæ cónſulens, máluit facultátibus ſuis ſpoliári quàm Chriſto ; quæſumus, ut purificátis ab omni terrenórum cupiditáte méntibus, te ſolo dívites eſſe velímus ; Per eumdem.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

SECRETA.

DA nobis, quæſumus, Dómine, Unigéniti tui mortem annuntiántibus, ut exemplo ac précibus beáti Pauli in diſciplína perſeverantes, ſanctificatiónem tuam recipiámus ; Per eumdem.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

PRÆFATIO de MONACHIS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, pro cujus amóre beátus Paulus mundi delícias fúgiens, arctam perfectiónis evangélicæ viam ingreſſus eſt ; ejus nobis interceſſióne tribue ut ſpretis mundi illécebris, Chriſtum ſequi valeámus cujus córpore ſumus ſatiáti ; Per eumdem.

De B. M. V. Satiaſti nos, *p.* 16.

Die xvii.
In Festo
S. ANTONII ABBATIS.
Viol.

Duplex-Minus.

Introitus.

Hebr. 11. CIrcuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in solitudínibus errantes, in móntibus, & spelúncis, & in cavernis terræ. *Psalm.* Psal. 54. Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam:* intende mihi, & exaudi me. Glória. Circuiérunt.

Collecta. Orémus.

DEus, cujus verbo foris sonante, & grátiâ intùs movente excitátus Antónius, ut perfectus esset, ómnia relíquit: da cunctis evangélicæ perfectiónis stádium ingressis sic cúrrere, ut bravium æternæ felicitátis accípiant, Per Dóminum.

De B. V. Deipara, *p.* 16.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Ephésios.

Cap. 6. FRatres; Confortámini in Dómino, & in poténtia virtûtis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare adversùs insîdias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio adversùs carnem & sánguinem; sed adversùs príncipes & potestátes, adversùs mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, în cœléstibus. Proptéreà accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, & in ómnibus perfécti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritáte, & indúti lorícam justítiæ, & calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis: in ómnibus sumentes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi îgnea extínguere. Et gáleam sălútis assúmite, & gládium spíritus, quod est vêrbum Dei. Per omnem oratiónem, & obsecratiónem orantes omni témpore in spíritu: & in ipso vigilantes in omni instántia, & obsecratióne.

Graduale. Secéssérat in desértum locum, ibíque inter feras vitam cum suis agébat, ne partícipes essent coinquinatiónis. ℣. Descendérunt multi, quærentes judícium & justítiam, in desértum; & sedérunt ibi. 2. Mac. 5. 1. Mac. 2.

Allelúia, allelúia. ℣. Gérminans germinábit solitúdo, & exultábit lætabunda & laudans. Allelúia. Is. 35.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 19. IN illo témpore; Ait Jesus adolescénti: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da paupéribus, & habébis thesaurum in cœlo: & veni, séquere mĕ. Cùm audisset autem adolescens verbum, ábiit tristis: erat enim habens multas possessiónes. Jesus autem dixit discípulis sŭis: Amen dico vobis, quia dives difficilè intrábit in regnum cœlŏrum. Et ítĕrŭm dico vobis: Facílius est camélum per forámen acus transíre, quàm divitem intráre in regnum cœlŏrum. Audítis autem his, discípuli mirabantur valde, dicéntes: Quis ergo póterit salvus esse? Aspícĭens autem Jesus, dixit illis: Apud hómines hoc impossíbile est: apud Deŭm autem ómnia possíbília sunt.

Offertorium. Demorátus est in terra, tanquam in aliéna, in cásulis habitando cum coherédibus repromissiónis ejusdem: expectábat enim fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. Hebr. 11.

Secreta.

SUscipe, Dómine, múnera quæ tibi in hac festivitáte beáti Antónii Abbátis deférimus, humíliter deprecantes, ut dóceas nos ejus exemplo nihil scire nisi viam quæ ducit ad te, nihil præter te bonórum ómnium fontem concupíscere; Per Dóminum.

De B. V. Deipara. p. 16.

Præfatio de Monachis.

Deut. 8. *Communio.* Dóminus Deus ductor tuus, eduxit rivos de petra durísima, & cibávit te manna in solitúdine.

Postcommunio. Orémus.

REfectos córpore & sánguine tuo, fac nos, Deus, intercedente beáto António, virtúte corroborári per Spíritum tuum contra spirituália nequítiæ; ut possímus resístere in die malo, & in ómnibus perfecti stare; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

De B. V. Deipara, p. 16.

Die xviii.
In Festo
PONTIFICATUS

Vide. Seu Cathedræ sancti Petri, quâ primùm Antiochiæ sedit, deinde Romæ.

Duplex-Minus.

Introitus.

Is. 22. VOcábo servum meum, & confortábo eum, & potestátem dabo in manu ejus; & erit quasi pater habitántibus Jerúsalem, dicit Dóminus exercítuum. *Psalm.* Psal. 46. Omnes gentes, pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis. Glória. Vocábo.

Collecta. Orémus.

M. A. S. R. DEus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cœléstis, ánimas ligandi atque solvendi pontifícium tradidísti; concéde, ut intercessiónis ejus auxílio, à peccatórum nostrórum néxibus liberémur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

De B. V. Deipara, p. 16.

Léctio Actuum Apôstolórum.

IN diébus illis; Factum est cùm introisset Petrus Cæsaréam, óbvius venit ei Cornélius, & prócidens ad pedes ejus âdorávit. Petrus verò elevávit êum, dicens: Surge; & ego ipse hômo sum. Et loquens cum illo intrávit, & invénit multos qui convénerant; dixîtque ad illos: Vos scitis quómodò abominátum sit viro Judæo conjungi aut accédere ad álieníge-nam: sed mihi ostendit Deus némi-nem commúnem aut immundum dî-cere hóminem. Propter quod sine dubitatióne veni âccersítus. Intérrogo ergo, quam ob causam accersístis me? Et Cornêlius ait: A núdius-quarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea: & ecce vir stetit ante me in vestĕ cándida, & ait: Cornéli, exaudíta est orátio tua, & eleemósynæ tuæ commemorátæ sunt in conspectu Dei: mitte ergo in Joppen, & accersi Simónem, qui cognominátur Petrus: hic hospitátur in domo Simónis coriárii jûxta mare. Confestim ergŏ misi ad te: & tu benè feci-sti vêniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectŭ tuo ádsumus, audíre ómnia quæcumque tibi præcepta sûnt à Dómino. Apĕrĭĕns autem Petrus os sûum, dixit: In veritáte cómperi, quia non est persónárum ăcceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operátur jŭstĭtiam, acceptus est illi. Cap. 10.

Graduale. Dóminus súscitat de púlvere egénum, & de stércore élevat páuperem: ℣. Ut sédeat cum princí-pibus, & sólium glóriæ téneat. 1. Reg. 2.

Allelúia, allelúia. ℣. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ec- Matt. 16.

cléſiam meam, & portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam. Allelúia.

Poſt Septuageſimam omiſſis Allelúia. *& ℣. Graduali additur*

Pſal. 77. *TRACTUS.* Elégit Dóminus montem Sion, quem dilexit; & ædificávit ſanctificium ſuum in terra, quam fundávit in ſécula. Et elégit ſervum ſuum, páſcere Iſrael hæreditátem ſuam. Et pavit eos in innocéntia cordis ſui, & in intelléctibus mánuum ſuárum deduxit eos.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 16. IN illo témpore; Venit Jeſus in partes Cæsăréæ Philippi: & interrogábat diſcípulos ſuos, dĭcens: Quem dicunt hómines eſſe Fílium hóminis? At illi dixĕrunt: Alii Joannem-Baptiſtam, álii autem Elíam, álii verŏ Jeremíam, aut unum ex Prophĕtis. Dicit illis Jesŭs: Vos autem quem me eſſe dícitis? Reſpondĕns Simon Petrus, dĭxit: Tu es Chriſtus, Fílius Dei vĭvi. Reſpondĕns autem Jeſus, dixit ĕi: Beátus es, Simon Barjóna; quia caro & ſanguis non revĕlávit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis ĕſt. Et ego dico tibi, quia Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, & portæ ínferi non prævalébunt adversùs ĕam. Et tibi dabo claves regni cœlŏrum. Et quodcumque ligáveris ſuper terram, erit ligátŭm & in cœlis: & quodcumque ſólveris ſupĕr tĕrram, erit ſolútum & in cœlis.

Dicitur Credo.

Matt. 16. *OFFERTORIUM.* Tibi dabo claves regni cœlórum; & quodcumque ligáveris ſuper terram, erit ligátum & in cœlis; & quodcumque ſólveris ſuper terram, erit ſolútum & in cœlis.

SECRETA.

DEus, qui Eccléſiam tuam in beáto Petro tanquam ſuper petram ſólidam ædificári voluiſti; ejuſdem Eccléſiæ, quæſumus, ſúſcipe preces & hóſtias; ut ipſo intercedente, ad æternam pervéniat hæreditátem, quo docente, fídei tenet integritátem; Per Dóminum.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

PRÆFATIO de APOSTOLIS.

Joan. 21. *COMMUNIO.* Simon Joannis, díligis me plus his? Dómine, tu ómnia noſti, tu ſcis quia amo te: Paſce oves meas.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui Eccléſiam tuam apoſtólicâ ſoliditáte fundátam ab infernárum éruis terróre portárum; præſta, per hæc ſancta quibus eam in membris ſuis vivíficas, ut in veritáte tua perſiſtens, fidéli tibi caritáte immobíliter adhæreat Per Dóminum.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

DIE XIX.

In Feſto SANCTI VOLUSIANI, Epiſcopi & Martyris.

Rub.

SEMIDUPLEX.

Miſſa, Si Conſiſtant, *de Communi unius Martyris Presbyteri, p.* iij. *præter Orationes.*

COLLECTA Orémus.

DA, Dómine, ut ſancti Voluſiáni, Epíſcopi & Mártyris précibus adjuvémur, qui fuſo ſánguine nos dócuit te amáre ſuper ómnia, & pro te terréna contémnere; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

Secreta.

MUnera, Dómine, tibi dicáta sanctífica; & intercedente beáto Volusiano Pontífice & Mártyre tuo, per hæc éadem nos placátus intende; Per Dóminum.

De B. V. Deipara, p. 16.

Præfatio de Martyribus.

Postcommunio. Orémus.

SAnctíficet nos, quæsumus, Dómine, tui percéptio sacramenti; & intercessióne beáti Volusiáni Pontíficis & Mártyris tui, tibi reddat acceptos; Per Dóminum.

De B. V. Deipara, p. 16.

Die xx.

In Festo

SANCTORUM FABIANI,

Rub. Papæ,

ET SEBASTIANI,

Martyrum.

Duplex-Minus.

Introitus.

2. Thess. 1. GLoriámur in vobis in Eccléssiis Dei pro patiéntia vestra & fide, & in ómnibus persecutiónibus vestris, & tribulatiónibus.

Psal. 32. *Psalm.* Exultáte, justi, in Dómino; * rectos decet collaudátio. Glória Patri. Gloriámur.

Collecta. Orémus.

VIde, Dómine, infirmitátes nostras, & perícula; & intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Fabiáno & Sebastiáno, adversus ígnea antíqui hostis jácula céleri nobis pietáte succurre; Per Dóminum.

De B. V. Deipara, p. 16.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 8. FRatres; Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia coopérantur in bonum; iis, qui secundùm propósitum vocâti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit conformes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in múltis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversús electos Dei? Deus qui justíficat: quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mórtuus est, immò qui & resurrexit, qui est ád déxteram Dei qui étiam interpéllat pro nobis. Quis ergo nos separábit à caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an períeulum, an persecútio, an gládius? sicut scriptum est; Quia propter te mortificámur tota die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui dilexit nos.

Graduale. Salvasti nos, Dómine, de affligéntibus nos, & odientes nos confudísti. ℣. In deo laudábimur totá die, & in nómine tuo confitébimur in séculum. Psal. 43.

Allelúia, allelúia. Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti, annis quibus vídimus mala. Allelúia. Psal. 89.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, *&* ℣. *Graduali additur*

Tractus. Oculi Dómini super metuentes eum, ut éruat à morte ánimas eórum. Anima nostra sústinet Dóminum, quóniam adjútor & protector noster est. Quia in eo lætábitur cor nostrum, & in nómine sancto ejus sperávimus. Psal. 32.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 9. IN illo témpore; Dicébat Jesus ad ómnes: Si quis vult pŏst me veníre, ábneget semetipsum, & tollat crucem suam quótidie, & sequátur mĕ. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácĕrĕ, perdet illam: nam qui perdíderit ánimam suam propter me, salvam fáciet illam. Quid enim próficit homo, si lucrétur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui fáciat? Nam qui me erubúerit, ĕt meos sermónes, hunc Fílius hóminis erubescet, cùm vénerit in majestáte sua, ĕt Pătris, & sanctórum Angelórum.

1. Petr. 1. *Offertorium.* Módicum nunc oportet contristári in váriis tentatiónibus; ut probátio fídei vestræ multò pretiósior auro, quod per ignem probátur, inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem in revelatióne Jesu Christi.

Secreta.

FIat tibi, quæsumus, Dómine, hóstia sacranda placábilis pretiósi celebritáte martyrii: ut emundáti à peccátis nostris in sánguine Christi, usque ad sánguinem contrà peccátum, exemplo beatórum Fabiáni & Sebastiáni, resistámus; Per eumdem.

De B. V. Deipara, p. 16.

Præfatio de Martyribus.

Psal. 65. *Communio.* Transívimus per ignem & aquam; & eduxisti nos in refrigérium.

Postcommunio. Orémus.

DA nobis, Dómine, potentis cibi virtúte roborátis, arma milítiæ nostræ generósè tractáre, quibus beáti Mártyres Fabiánus & Sebastiánus certavérunt bonum certámen fídei, & vitam æternam apprehendérunt; Per Dóminum.

De B. V. Deipara, p. 16.

¶ *Si dicenda sit Missa de S. Sebastiano tantùm, dicitur sequens, & in ea fit Commemoratio S. Fabiani ut in Communi summi Pontificis Martyris, p.* xiij.

MISSA

De S. Sebastiano.

Rub.

Introitus.

Psal. 36. GLádium evaginavérunt peccatóres, intendérunt arcum suum, ut trucident rectos corde; confirmat autem justos Dóminus. *Psalm.* Noli æmulári in malignántibus: * neque zeláveris faciéntes iniquitátem. Glória Patri. Gládium. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. VIde, Dómine, infirmitátes nostras; & intercedente beáto Sebastiáno Mártyre tuo, adversùs ígnea antíqui hostis jácula, céleri nobis pietáte succurre; Per.

De B. V. Deipara, p. 16.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Timótheum.

2. Cap. 1. FIlli mi; Confórtáre in grátia, quæ est in Chrîsto Jesu. Et quæ audísti à me pĕr multos testes, hæc commenda fidélibus homínibus, qui idónei erunt & âlios docére. Labóra sicut bonus miles Chrîsti Jesu. Nemo mílitans Deo, implicat se negótĭis seculáribus; ut ei pláceat, cui sê probávit. Nam & qui certăt in agóne, non corŏnătur nisi legítimè certáverit.

2. Cor. 10. 1. Joan. 5. Col. 1. *Graduale.* Arma milítiæ nostræ non carnália sunt, sed poténtia Deo. ℣. Hæc est victória quæ vincit mundum fides nostra.

Allelúia, allelúia. ℣. Labóro in Christo Jesu, certando secundùm

operatiónem ejus, quam operátur in me in virtúte. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Psal. 63. *Tractus.* Súbitó sagittábunt eum, & non timébunt; firmavérunt sibi sermónem nequam. Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum. Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 11. IN illo témpore; Dicébat Jesus discípulis súis: Injícient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagógas & custódias; trahentes ad reges & præsides, propter nomen meum: continget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere & contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis; & morte afficient ex vobis; & éritis ódio ómnibus propter nomen meum: & capillus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Act. 14. *Offertorium.* Confirmábat ánimas fratrum, exhortans ut permanérent in fide, & quóniam per multas tribulatiónes oportet nos intráre in regnum Dei.

Secreta.

M. P. AFácie iræ & indignatiónis tuæ formidantes, Dómine, sub beáti Mártyris tui Sebastiáni patrocínio ad tuam misericórdiam confúgimus; quam augusti sacrifícii inæstimábili prétio confídimus nobis acquíri; Per Dóminum.

De B. V. Deipara, p. 16.

Præfatio de Martyribus.

Luc. 6. *Communio.* Multitúdo languéntium, & qui vexabantur à spirítibus immundis, veniébant ad Jesum, quia virtus de illo exíbat, & sanábat omnes.

Postcommunio. Orémus.

M. P. QUos in solemnitáte sancti Mártyris Sebastiáni cœlesti refecísti mystério, ab iis, quæsumus, Dómine, iracúndiæ tuæ flagella, ejus intercessióne, clementer averte; Per Dóminum.

De B. V. Deipara. p. 16.

Die xxi.

In Festo SANCTÆ AGNETIS, Virginis & Martyris.

Rub. Semiduplex.

Missa, Secundùm, *de Communi Virg. Mart.* xxxij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

S. R. OMnípotens sempiterne Deus, qui infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confundas; concéde propítius, ut qui beátæ Agnétis Vírginis & Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus in fide constántiam subsequámur; Per Dóminum.

De B. V. Deipara, p. 16.

Secreta.

M. A. DA nobis in hoc sacrifício, quæsumus, Dómine, beátæ Vírginis & Mártyris tuæ Agnétis sincérâ pietáte honoráre passiónem, quæ in ténera consístens ætáte, mortem pro tua confessióne calcávit; Per.

De B. V. Deipara, p. 16.

Præfatio de Virginibus.

Postcommunio. Orémus.

S. R. SUmentes, Dómine, gáudia æterna de participatióne sacramenti in festivitáte sanctæ Mártyris Agnétis,

ſupplíciter deprecámur, ut des nobis illíus conſtántiam imitári, quæ ad mortem, immortalitátis deſidério, feſtinávit; Per Dóminum noſtrum.

De B. V. DEIPARA, *p.* 16.

DIE XXII.

In Feſto

SANCTI VINCENTII

Rub. Diaconi & Martyris.

SEMIDUPLEX.

Miſſa, A Dómino. *de Communi unius Martyris, p.* iv. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

DA nobis, quæſumus, omnípotens Deus, adverſa mundi invictâ mentis conſtántiâ toleráre, qui beátum Levítam Vincéntium nec minis terréri, nec pœnis paſſus es ſuperári; Per Dóminum.

De B. V. DEIPARA, *p.* 16.

SECRETA.

HOdiernum, Dómine, ſacrifícium lætantes offérimus, quo beáti Vincéntii cœleſtem victóriam recenſentes, & tua magnália prædicámus, & nos acquiſiſſe gaudémus ſuffrágia glorióſa; Per Dóminum.

De B. V. DEIPARA, *p.* 16.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. CŒléſtibus, Dómine, corróbora nos ſacramentis, ut eâdem virtúte, vitiórum blandimenta vincámus, quâ beátus Martyr Vincéntius tormentórum immanitátem pro fide tui nóminis ſuperávit; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit.

De B. V. DEIPARA, *p.* 16.

DIE XXIII.

In Feſto

SANCTI SULPITII, *Virid.*

Bituricenſis Epiſcopi.

SEMIDUPLEX.

Miſſa, Státuit. p. xviij. *præter Orationes ſequentes.*

COLLECTA. Orémus.

DA nobis, quæſumus, omnípotens Deus, in manſuetúdine ópera noſtra perfícere, exemplo beáti Pontíficis Sulpítii, qui ſuâ lenitáte, dilectus tibi & homínibus, promiſſa mítibus præmia méruit obtinére; Per.

De B. V. DEIPARA, *p.* 16.

SECRETA.

DEus, qui beátum Sulpítium váriis virtútum ornamentis, & miraculórum donis, in Eccléſia tua lucére feciſti; Víctimæ ſanctæ, quam tibi offérimus, mérito, præſta, ut ejus exemplo veram ſapiéntiam in ómnibus ſectémur; Per Dóminum.

De B. V. DEIPARA, *p.* 16.

PRÆFATIO de PONTIFICIBUS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

IN hac feſtivitáte beáti Sulpítii Pontíficis ſacro múnere vegetáti, te, Dómine, deprecámur, ut cujus natalítia celebrámus, ad impetrandam miſericórdiam tuam, ſemper ejus patrocíniis adjuvémur; Per Dóminum.

De B. V. DEIPARA, *p.* 16.

DIE XXIV.

In Feſto

SANCTI TIMOTHEI, *Rub.*

Epiſcopi & Martyris.

SEMIDUPLEX.

Miſſa, Confortáti ſunt. *de Communi unius Martyris Pontificis, p.* ij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DEus qui beátum Timótheum verbis fídei & bonæ doctrínæ enutrítum, fidélem Evangélii minístrum effeciſti; da nobis, ejus interceſſióne, dívites fíeri in opéribus bonis; ut ejus exemplo, juſtítiam ſectantes, veram vitam apprehendámus; Per Dóminum.

Fit Commem. S. Titi, Epiſcopi.

Collecta. Orémus.

DEus, qui per Apoſtólicos beáti Titi labóres Eccléſiam tuam propagári voluiſti; quæſumus, ut contínuo ejus præsídio munita, ſpirituálibus ſemper proficiat incrementis.

De B. V. Deipara, p. 16.

Secreta.

QUæſumus, Dómine, ut hâc oblatióne placátus, eam nobis fidem concédas, quæ in beáto Timótheo non ficta habitávit; Per Dóminum.

De S. Tito.

GRata tibi ſint Dómine, múnera, quæ tibi offérimus, grátias agentes pro glorificatióne beáti Titi, in cujus corde magnam pro ſalúte géntium ſollicitúdinem dediſti.

De B. V. Deipara, p. 16.

Postcommunio. Orémus.

DA nobis, quæſumus, Dómine, per hæc ſancta quæ ſúmpſimus; ut quam beátus Timótheus profeſſus eſt juſtítiam, fidem, & caritátem, dignè, conſtanterque ſectémur; Per Dóminum.

De S. Tito.

CŒleſti múnere refecti, quæſumus, Dómine, beáti Titi interceſſióne, à terrénis cupiditátibus immúnes, te ſolum purâ mente ſemper quærámus.

De B. V. Deipara, p. 16.

Die xxv.
In Converſione SANCTI PAULI APOSTOLI.
Alb.

Duplex-Majus.

Introitus.

INtónuit de cœlo Dóminus, & Altíſſimus dedit vocem ſuam: miſit de ſummo & accépit me; propterèa confitébor tibi in natiónibus, Dómine. *Psalm.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Intónuit.

Pſal. 17. Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus omnípotens & clemens, qui virtútem & miſericórdiam tuam magnam in peccatórum converſióne manifeſtas: quæſumus, ut illa nos ad te grátia convertat, quæ beátum Apóſtolum Paulum de perſecutóre vas electiónis effécit; Per Dóminum.

M. P.

Pro Commemoratione S. Præjecti Epiſcopi & Martyris.

Collecta. Orémus.

MArtyris tui Præjecti nos, Dómine, intervéntio glorióſa commendet; ut quod noſtris áctibus non merémur, ejus précibus conſequámur.

S. R.

De B. V. Deipara, p. 16.

Léctio Actuuum Apôſtolórum.

IN diébus illis; Saulus adhuc ſpirans minárum & cædis in diſcípulos Dómini, acceſſit ad príncipem ſacerdótum, & pétiit ab eo epíſtolas in Damaſcum, ăd ſynagógas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerûſalem. Et cùm iter fáceret, cóntigit ut appropĭnquáret Damaſco: & ſúbitò circumfulſit eum lûx de cœlo. Et cadens in terram, audívit vocem dicêntem ſibi: Saule, Saule, quid me per

Cap. 9.

séqueris? Quî dixit : Quis es, Dómine? Et ille : Ego sum Jesus, quĕm tu perséqueris : durum est tibi contra stímulum câlcitráre. Et tremens ac stûpens dixit : Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum : Surge, & ingrédĕrĕ civitátem ; & ibi dicétur tibi quid te opôrteat fácere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabănt stupefacti, audientes quidem vocem, néminem âutem videntes. Surrexit autĕm Saulus de terra, apertisque óculis nîhil vidébat. Ad manus autĕm illum trahentes, introduxêrunt Damascum. Et erat ibi tribus dĭébus non videns ; & non manducávit, nêque bibit. Erat autem quidam discípulus Damascĭ nómine Anánias : & dixit ad illum in vîsu Dóminus : Anânia. At îlle ait : Ecce êgo, Dómine. Et Dôminus ad eum : Surge, & vade in vicum, qui vocátur Rectus, & quære in domo Judæ Saulŭm nómine, Tarsensem ; ecce ênim orat. (Et vidit virum Anániam nómine, introeuntem, & imponentĕm sibi manus, ut vîsum recípiat.) Respondit autem Anânias : Dómine, audívi à multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Jĕrúsalem : & hic habet potestátem à princípibus sacerdótum alligandi omnes qui ínvocant nômen tuum. Dixit autem ad êum Dóminus : Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus, & régibus, & fíliĭs Israel ; ego enim ostendam illi quanta opórteat eum pro nómine mêo pati. Et ábiit Anánias, & introívit in domum : & impónens ei mânus, dixit : Saule frater, Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in via quâ veniébas, ut vídeas, & impleáris Spîritu sancto. Et confestim cecidérunt ab óculis ejus tamquam squamæ, ĕt visum recépit ; & surgens baptizâtus est. Et cùm accĕpisset cibum, confortâtus est. Fuit autem cum discípulis, quĭ erant Damasci, per dîes áliquot. Et contínuò in synagógis prædĭcábat Jesum, quóniam Hic est Fîlius Dei. Stupébant autem omnes quĭ audiébant, êt dicébant : Nonne hic est, qui expugnábat in Jerúsalem eos qui invocábănt nomen istud ; & huc ad hoc venit, ut vinctos illos dúceret ad príncipes sacerdótum? Saulus autem multò magìs convalescébat, & confundébat Judæos qui habĭtábant Damasci, ăffirmans quóniam hic est Christus.

Graduale. Vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus, & régibus, & fíliis Israel. ℣. Et ego ostendam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati. Act. 9.

Allelúia, allelúia. ℣. Grátias ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me exístimávit, ponens in ministério, qui priùs blasphémus fui, & persecútor. Allelúia. 1. Tim. 1.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur.*

Tractus. Dixit inimícus ; Pérsequar, & comprehendam ; evaginábo gládium meum, interfíciet eos manus mea. Extendisti manum tuam, Dómine : déxtera tua magnificáta est in fortitúdine ; déxtera tua percussit inimícum, & in multitúdine glóriæ tuæ deposuisti adversários tuos. Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília? Exod 15.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Joănnem.

IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis sŭis : Non vos me elegistis, sed ego elégi vos & pósui vos ut eátis, & fructum afferátis ; & fructŭs vester Cap. 15.

máneat : ut quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, det vŏbis. Hæc mando vobis, ut diligátis ĭnvicem. Sĭ mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hăbuit. Si de mundo fuissétis, mundus quod suŭm erat dilígeret : quia verò de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptéreà odit vos mŭndus. Mementóte sermónis mei, quem egŏ dixi vobis ; Non est servus major dómino sŭo. Si me persecúti sunt, & vŏs persequentur : si sermónem meum servavérunt, & vestrum servăbunt. Sed hæc ómnia fácient vobis proptĕr nomen meum ; quia néscĭŭnt ĕum qui misit me. *Dicitur* Credo.

Act. 9. *Offertorium.* Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in via quâ veniébas, ut vídeas, & impleáris Spíritu sancto.

Secreta.

M. P. OBlátis in conversióne beáti Pauli Apóstoli tui placáre, Dómine, sacrifíciis ; & qui de lupo ovem, de hoste mílitem effecísti, nostrárum grátiæ virtúte frange contumáciam voluntátum ; Per Dóminum.

De S. Præjecto.

M. P. DA nos, Deus ad augustum sacrifícium eo caritátis igne flagrantes accédere, quo succensus Dómini nostri imitátor Præjectus quæréntibus óbtulit se percussóribus, & pro iis orávit móriens.

De B. V. Deipara, p. 16.

Præfatio de Apostolis.

Gal. 2. *Communio.* Vivo jam non ego ; vivit verò in me Christus.

Postcommunio. Orémus.

M. P. TE lucem veram, & lucis auctórem, Dómine, sacro tuo múnere recreáti, deprecámur, ut qui beáto Paulo mirabíliter te ipse revelásti, in nobis áugeas virtútem fídei quam dedísti, & Spíritûs sancti lucem semper accendas ; Qui vivis.

De S. Præjecto.

M. P. AD hanc mensam admissos, quæ robur Martyribus cóntulit, fac nos, Deus, beáti Præjecti exemplo ad justítiæ veritatisque defensiónem animári, qui Mártyrum pius cultor ac laudátor, Martyr ipse occúbuit.

De B. V. Deipara, p. 16.

Die xxvi.

In Festo

S. Paulæ, Viduæ.

Viol.

Simplex.

Missa Exultáte, *ut in Communi Viduarum, p.* xxxix.

Die xxvii.

In Festo

SS. Martyrum,

Rub.

Qui pro Libris Sacris interierunt.

Semiduplex.

Missa, Dedisti nos. *de Communi plurium Martyrum, p.* x. *præter Orat.*

Collecta. Orémus.

PRæsta, quæsumus omnípotens & miséricors Deus, ut sanctórum Mártyrum, qui pótiùs elegérunt mortem subíre, quàm Scriptúras sacras comburendas trádere, fidem & constántiam æmulantes, in ómnibus adversis habeámus solátio sanctos Libros qui sunt in mánibus nostris ; Per.

Fit Commemoratio S. Juliani, primi Cenomanensium Episc. Collecta, Deus, cujus ineffábili. *ut in Communi Fundatorum Ecclesiarum, p.* xvj.

Deinde de B. V. Deipara, p. 16.

Secreta.

HÆc dona, quæsumus, Dómine, benedíctio tua sanctíficet, & óculos nostros revélet ad considerandа mirabília de lege tua, ut intercedén-

tibus

tibus ſanctis Martyribus, qui ne Libros ſanctos tráderent, ſánguinem ſuum dedérunt, cuncta nobis adverſántia invictâ fide ſuperémus; Per.

De S. JULIANO, Fundamentum, *pag.* xvij.

Deindè de B. V. DEIPARA, p. 16.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DOmine Deus miſéricors, qui nos hujus ſacramenti virtúte réfoves; concéde propítius interceſſióne Sanctórum Mártyrum quorum feſtivitátem celebrámus, ut in volúmine legis tuæ diébus ac nóctibus meditantes, ſcripturárum tuárum pane júgiter nutriámur; Pet Dóminum.

De S. JULIANO, Per hujus, *p.* xvij.

Deindè de B. V. DEIPARA, p. 16.

DIE XXVIII.

In Feſto.

Virid. SANCTI CYRILLI,

Alexandrini Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris.

SEMIDUPLEX.

Miſſa Sapiéntiam. *de Communi Doctorum, p.* xxij. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui ad debellandos incarnáti Verbi tui Virginiſque Deíparæ hoſtes, beátum Cyrillum Epíſcopum & Doctórem exímium mirâ virtúte præcinxiſti; da ut ejus fídei veſtígiis inhærentes, íntegrâ tanti myſtérii confeſſióne ſalvémur; Per eumdem.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

SECRETA.

UNigéniti tui, Dómine, nobis ſuccurrat humánitas, ut natus de Vírgine María, quam verè Dei genitrícem eſſe monſtrávit beátus Cyrillus Eccléſiæ tuæ Póntifex ac Doctor egrégius, noſtris nos piáculis éxuens, oblatiónem noſtram tibi fáciat acceptam Jeſus Chriſtus Dóminus noſter; Qui tecum vivit.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

PRÆFATIO de DOCTORIBUS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

REfecti Chriſti carne ac ſánguine, & divínæ facti conſortes natúræ quæſumus, Dómine Deus noſter, ut interveniente beáto Cyrillo Pontífice, in ea fide quam prædicávit, & nos ipſi ópere ſtábiles maneámus; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

De B. V. DEIPARA, 16.

DIE XXIX.

In Feſto.

S. FRANCISCI SALESII, Virid.

Genevenſis Epiſcopi.

DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

DUlcis & rectus Dóminus; díriget manſuétos in judício, docébit mites vias ſuas. Pſal. 24.

PSALM. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam; * Deus meus, in te confído, non erubeſcam. Glória. Dulcis. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui ad animárum ſalútem beátum Franciſcum Saléſium Pontíficem ómnibus ómnia fieri voluiſti; concéde propítius, ut caritátis tuæ dulcédine perfúſi, ejus dirigéntibus mónitis, ac ſuffragántibus méritis, æterna gáudia conſequámur; Per Dóminum.

De B. V. DEIPARA, p. 16.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 45. SImilem illum fecit Deus in glória Sanctórum, & magnificávit eum in timóre ĭnimicórum, & in verbis ſuis mônſtra placávit. Glorificávit illum in conſpectu regum, & juſſit illi corăm pópulo ſuo, & oſtendit illi glôriam ſuam. In fide & lenitáte ipsíus ſanctŭm fecit illum, & elégit eum ex ômni carne. Audívit enĭm ĕum, & vocem ipsíus.

Eccli. 49. *GRADUALE.* In omni ore quaſi mel indulcábitur ejus memória; ipſe eſt directus divínitùs in pœniténtiam gentis, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino.

Act. 11. Allelúia, allelŭia. ℣. Omnibus ómnia factus ſum, ut omnes fácerem ſalvos. Allelúia.

1. Cor. 9. *Poſt Septuageſimam, omiſſo* Allelúia, *cum* ℣. *dicitur*

Pſal. 36. *TRACTUS.* Spera in Dómino, & fac bonitátem, & inhábita terram, & paſcéris in divítiis ejus. Manſuéti hæreditábunt terram, & delectabuntur in multitúdine pacis. Novit Dóminus dies immaculatórum; & hæréditas eórum in æternum erit.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundŭm Matthæum.

Cap. 11. IN illo témpore; Dixit Jesŭs: Veníte ad me, omnes qui laborátis, & onĕráti eſtis, & ego refíciam vŏs. Tóllite jugum meum ſuper vos, & díſcite à me quia mitis ſum ĕt húmilis corde: & inveniétis réquiem animábus vĕſtris. Jugum enim meum ſuávĕ ĕſt, & onus meum leve.

2. Paral. 29. *OFFERTORIUM.* Fecit quod plácitum erat in conſpectu Dómini. Obtulit hóſtias, & laudes, & holocauſta mente devótâ.

SECRETA.

ACcedentes ad altáre tuum, Deus, fac nos tibi in bonitáte & alacritáte animæ placére, intercedente beáto Franciſco Saléſio; qui juxta cor tuum fidélis Sacerdos, plácitum tibi ſacrifícium quotídie mundus corde & caritáte ſuccenſus óbtulit; Per.

De B. V. DEIPARA, *p.* 16.

PRÆFATIO de PONTIFICIBUS.

COMMUNIO. Dediſti mihi clypeum ſalútis tuæ, & manſuetúdo tua multiplicávit me, Dómine. 2. Reg. 22.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PErcipiámus per hæc myſtéria, Deus, ſuávem ſenſum illíus férvidæ pietátis, quam beáti Franciſci Saléſii ignito elóquio in tuórum corde fidélium excitaſti; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

De B. V. DEIPARA, *p.* 16.

DIE XXX.

In Feſto.

S. BATILDIS REGINÆ, Viduæ. *Viol.*

SEMIDUPLEX.

Miſſa de Communi Viduarum, p. xxxix. *præter Epiſtolam.*

Léctio libri Provêrbiórum.

Cap. 31. VErba Lamŭélis regis: Víſio, qua erudívit eum mâter ſua. Quid dĭlecte mi, quid dilecte úteri mei, quid dilecte votórum meórum? Ne déderis muliéribus sŭbſtántiam tuam, & divítias tuas ad delêndos reges. Noli régibus, o Lámuel, noli régĭbŭs dare vinum, quia nullum ſecrétum eſt, ubi regnat ebríetas: & ne fortè bibant, & obliviſcantur ju-

diciórum, & mutent cauſam filiôrum páuperis. Date ſíceram mœréntibus, & vinum his qui ămáro ſunt ánimo: bibant, & obliviſcantur egeſtátis ſuæ, & dolóris ſui non recordêntur ámpliùs. Aperi os tuum muto, & cauſis ómnium filiórum, qui pertránſeunt: áperi os tuum, decerne quŏd juſtum eſt, & júdica înopem & páuperem. Mulíerem fortem quis invéniet? Procul & de últĭmĭs fĭnibus prétium ejus.

Die xxxi.

In Feſto
S. PETRI NOLASCI,
Inſtitut. Ord. B. M. de Mercede.

Semiduplex.

Miſſa de Communi Juſtorum, p. xxx. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui beáto Petro zelum fidéles redimendi captívos infudiſti; da ſervis tuis illam córporis & ánimæ libertátem, quâ Chriſtus Fílius tuus nos liberávit; Qui tecum.

De B. V. Deipara, p. 16.

Secreta.

PLáceat tibi, Dómine Deus, intercedente beáto Petro, hæc noſtræ ſervitútis oblátio; quæ & peccatórum noſtrórum víncula diſſolvat, & tuæ nobis miſericórdiæ dona concíliet; Per Dóminum.

De B. V. Deipara, p. 16.

Præfatio de Juſtis.

Postcommunio. Orémus.

SAcramenta nos, Dómine, in feſtivitáte ſancti Petri ſumpta vivíficent; & in tua caritáte firmátos à peccáti ſervitúte tueantur; Per Dóminum.

De B. V. Deipara, p. 16.

Festa Februarii.

Die i.

In Feſto
SANCTI IGNATII,
Epiſcopi Antiocheni, & Martyris. *Rub.*

Semiduplex.

Introitus.

MIſit Deus miſericórdiam ſuam, & veritátem ſuam, & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum. *Psalm.* Miſerére meî, Deus, miſerére meî: * quóniam in te confídit ánima mea. Glória. Miſit. Pſal. 56. Ibid.

Collecta. Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui in ómnium ſanctórum tuórum es virtúte mirábilis; da nobis in feſtivitáte beáti Ignátii cum gratiárum actióne lætári, qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod miniſtério geſſit, teſtimónio comprobávit; & quod prædicávit ore, confirmávit exemplo; Per eumdem Dóminum. S. R.

Fit Commemoratio S. Brigidæ, Virginis, Collecta Fidéles, *p.* xxxiv.

De B. V. Deipara, pag. 16.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

FRatres; Quis nos ſeparábit à caritáte Chriſti? tribulátio, an angŭſtia, an fames, an núditas, an períeulum, an perſecútio, an gládius? Sicŭt ſcriptum eſt; Quia propter te mortificámur tota die, æſtimáti ſumus ſicut oves occîſiónis. Sed in his ómnĭbŭs ſuperámus propter eum qui dilêxit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque inſtántia, neque fu- Cap. 9.

túra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos seperáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jĕsŭ Dómino nostro.

Psal. 34. *GRADUALE.* Exurge, Dómine, in adjutórium mihi, adversùs eos qui persequuntur me. ℣. Dómine, quando respícies? restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Psal. 26. Allelúia, allelúia. ℣. Salus mea Dóminus: à quo trepidábo? dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. Allelúia.

Post, Septuagesimam omissis Allelúia, *&* ℣. *Graduali additur*

Psal. 117. *TRACTUS.* De tribulatióne invocávi Dóminum, & exaudívit me in latitúdine Dóminus. Dóminus mihi adjútor, non timébo quid fáciat mihi homo. Dóminus mihi adjútor, & ego despíciam inimícos meos.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Amen, ămen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum mănet. Si autĕm mórtuum fúerit, multum fructum ăffert. Qui amat ánimam suăm, perdet eam; & qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit ĕam. Si quis mihi ministrăt, me sequátur: & ubi sum ego, illic & minister meus ĕrit. Si quis mihi ministráverit, honorificábĭt ĕum Pater meus.

OFFERTORIUM. Certus sum quia neque mors, neque vita, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, póterit nos seperáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu. Rom. 8.

SECRETA.

BEáti Ignátii précibus tibi Dómine, grata sit nostræ servitútis oblátio; ut qui per fidem frumentum tuum sumus, per patiéntiam in tribulatiónibus, mundus in Christo panis effecti, in altári sancto tuo unà cum ipso mereámur offerri; Qui tecum. M. P.

De S. BRIGIDA, Súscipe, *p.* xxxvj.

De B. V. DEIPARA, pag. 16.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS. Phil. 1.

COMMUNIO. Mihi vívere Christus est, & mori lucrum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PUrificet nos, Dómine, cœléstis participátio sacramenti; & cum beáto Ignátio nihil de his quæ videntur desiderantes, tríbuat non tantùm dici, sed & esse verè Christiános; Per Dóminum. M. P.

De S. BRIGIDA, Repléti, *p.* xxxvj.

De B. V. DEIPARA, pag. 16.



DIE II. FEBRUARII.

IN PRÆSENTATIONE DOMINI,

ET

PURIFICATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

ANNUALE-MINUS.

Alb. BENEDICTIO CEREORUM.

Post Tertiam, Sacerdos Albâ, Manipulo, Stolâ & Cappâ albi coloris indutus, assistentibus Diacono & Subdiacono in Tunicis ejusdem coloris, ascendit ad Altare, illud osculatur in medio, stansque in cornu Epistolæ benedicit Cereos juxta Altare positos, non nihil conversus ad ipsos, cantans Orationes sequentes eodem ritu ac tono quo fit benedictio aquæ.

Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

COLLECTA. Orémus.

M. P. OMnípotens, sempiterne Deus, qui hodiernâ die Unigénitum tuum in ulnis sancti Simeónis in templo sancto tuo suscipiendum præsentasti; tuam súpplices deprecámur cleméntiam, ut hos céreos, quos nos tui fámuli, in tui nóminis magnificéntia suscipientes, gestatúri sumus luce accensos, bene-✠dícere & sancti-✠ficáre, atque lúmine supernæ benedictiónis accéndere dignéris; quátenùs eos tibi Dómino Deo nostro offerendo, sancto igne dulcíssimæ caritátis tuæ succensi, in templo sancto glóriæ tuæ præsentári mereámur; Per eumdem Dóminum nostrum.

COLLECTA. Orémus.

DOmine Jesu Christe, lux vera quæ illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum; effunde bene-✠dictiónem tuam super hos céreos; & sanctí-✠fica eos lúmine grátiæ tuæ: & concéde propítius, ut sicut hæc luminária igne visíbili accensa nocturnas depellunt ténebras; ita corda nostra invisíbili igne, id est, sancti Spíritûs splendóre illustráta, ómnium vitiórum cæcitáte cáreant, ut, purgáto mentis óculo, ea cérnere posímus, quæ tibi sunt plácita, & nostræ salúti sunt utília; quátenùs post hujus séculi caliginósa discrímina, ad lucem indeficientem pervenire mereámur, per te, Jesu Christe Salvátor mundi, qui in Trinitáte perfecta vivis & regnas, Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen. M. P.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens, sempiterne Deus, qui per Móysen fámulum tuum, puríssimum ólei liquórem ad luminária ante conspectum tuum júgiter M. A.

accendenda præparári jussísti : benedictiónis tuæ grátiam super hos céreos benignus infunde ; quátenùs sic administrent lumen extériùs, ut te donante, lumen Spíritûs tui nostris non desit méntibus intériùs ; Per Dóminum... in unitáte ejusdem.

Sacerdos ter aspergit Cereos in modum crucis, primò ante se in parte superiori & inferiori cereorum, secundò à sinistris suis, tertiò à dextris ; & dum Clero distribuuntur, & accenduntur, asperguntur ab aliquo Sacerdote alii per Ecclesiam cerei : & cantatur à Choro

Antiphona. Lumen ad revelatiónem géntium, & glóriam plebis tuæ Israel.

Luc. 2. *Canticum.* Nunc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum in pace. *Repetitur post quemlibet versum Antiphona*, Lumen.

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum. Lumen.

Quod parasti * ante fáciem ómnium populórum. Lumen.

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel. Lumen.

Gloria Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto. Lumen.

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen. Lumen.

Post Canticum, omnibus ad Processionem præparatis, Sacerdos cantat quod sequitur.

Psal. 17. ℣. Tu illúminas lucernam meam, Dómine : ℟. Deus meus, illúmina ténebras meas.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiscum.

Collecta. Orémus.

M. P. Deus lumen verum, æternæ lucis reparátor & auctor, infunde córdibus tuórum fidélium perpétui lúminis claritátem : ut quicumque in templo sancto glóriæ tuæ præséntibus adornantur lucernis, ómnium vitiórum contágiis expiáti, in templo cœlestis habitatiónis tuæ cum fructu bonórum óperum tibi váleant præsentári ; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deindè fit Processio, ut notatur in Processionali.

(Si Dominica fuerit ; fiet benedictio & aspersio Cereorum juxta Altare positorum cum Orationibus ut suprà. Deindè cantatur, Asperges, *& fit à Celebrante aspersio Altaris, Cleri, populi & Cereorum per Ecclesiam : & dictâ in loco consueto Oratione*, Exaudi, *cantatur* Lumen, *&c. ut suprà, Celebrante, in eodem loco usque ad Processionem remanente cum Ministris.)*

Deindè celebratur Missa, in quâ paulò ante Evangelium Acolyti accendunt Cereos, quos Celebrans & alii omnes accensos tenent, dum legitur Evangelium : quo finito illos extinguunt. Prætereà paulò ante Elevationem eos accendunt & iterùm accensos tenent usque ad secundam Elevationem, exceptis Celebrante & Ministris.

AD MISSAM.

Alb.

Introitus.

Pſal. 47. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui : secundùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ ; justítiâ plena est déxtera tua. *Psalm.* Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. Glória. Suscépimus. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. A

OMnípotens ſempiterne Deus, majeſtátem tuam ſúpplices exorámus; ut ſicut unigénitus Fílius tuus hodiernâ die cum noſtræ carnis ſubſtántia in templo eſt præſentátus, ita nos fácias, purificátis tibi méntibus, præſentári; Per eumdem.

Léctio Malachîæ Prophétæ.

Cap. 3.

ECce ego mittŏ Angelum meum; & præparábit viam ante fâciem meam. Et ſtatim véniet ad templum ſuum Dominátŏr quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quêm vos vultis. Ecce venit, dicit Dóminŭs exercítuum: & quis póterit cogitáre diem adventus ejus; & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi hêrba fullónum. Et ſedébit conflans, & ĕmundans argentum: & purgábit fílios Levi, & colábit eos quaſi aurum, & quaſi argentum: & erunt Dómino offerentes ſacrifícia în juſtítia. Et placébit Dómino ſacrifícium Juda & Jerúſalem, ſicut diĕs sĕculi, & ſicut anni antíqui.

Agg. 2.

Graduale. Véniet deſiderátus cunctis géntibus, & implébo domum iſtam glóriâ, dicit Dóminus exercítuum. ℣. Magna erit glória domûs iſtíus noviſſimæ pluſquàm primæ; & in loco iſto dabo pacem.

Is. 11.

Allelúia, allelúia. ℣. Exulta & lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tuî ſanctus Iſrael. Allelúia.

Prosa.

M. P.

AVe, plena grátiâ,
Cujus inter bráchia
Se litat Deo Deus.
Fas me templum víſere;
Tibi fas occúrrere,
Amor, ô Jeſu, meus.
Est in templo Dóminus;
Angeli ſtant cóminùs:
Nil in cœlis ámpliùs.
Habet Deum hóminem,
Et parentem Vírginem
Cœlo templum dítius.
Spirant ſacra gáudium;
Manè ſacrifícium
Plauſus inter rédditur.
Veſpertínum flétibus,
Et amáris quéſtibus
In cruce miſcébitur.
Hæc jam eſt oblátio,
Cujus omnes prétio
Deo reſtitúimur.
Jam non nobis débiti,
Tibi, Deus, ſúbditi,
Vívimus & mórimur.
Nunc dimitte fámulos:
Nil tenet hîc óculos;
Da te palàm cérnere.
Si jubes hìc vívere;
Da cum Jeſu créſcere,
Da per hunc reſúrgere. Amen.

Poſt Septuageſimam, omiſſis Allelúia, *cum Verſu & Proſa, Graduali additur*

Tractus. Sacrifícium & oblatiónem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum, & pro peccáto non poſtulaſti; tunc dixi, Ecce vénio. In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam: Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Pſal. 39.

Sequéntia ſanctî Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 2.

IN illo témpore; Poſtquàm impléti ſunt dies purgatiónis Maríæ ſecundùm legem Móyſi, tulérunt Jeſum in Jerúſalem, ut ſíſterent eum Dómino, ſicut ſcriptum eſt in lege Dómini; Quia omne maſculínum adapériens vulvam, ſanctŭm Dómino vocábitur: & ut darent hóſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Dómini, par túrturum, aut duos pullos columbărum. Et ecce homo erat in

Jerúsalem, cui nomen Símeon; & homo iſte juſtus & timorátus, expectans conſolatiónĕm Iſrael, & Spíritus ſanctus erat in ĕo. Et reſponſum accéperat ă Spíritu ſancto, non viſúrum ſe mortem, niſi priùs vidéret Chriſtum Dŏmini. Et venit in Spíritu in tĕmplum. Et cùm indúcerent púerum Jeſum parentes ejus, ut fácerent ſecundùm conſuetúdĭnĕm legis pro eo; & ipſe accépit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dĭxit: Nunc dimittis ſervum tuum, Dómine, ſecundùm verbŭm tuum in pace: quia vidérunt óculi mei ſalutáre tuum, quod paraſti ante fáciem ómnium populórum; lumen ad revelatiónĕm gĕntium, & glóriam plebis, tuæ Iſrael.

Luc. 2. *Dicitur* Credo.

Offertorium. Tulérunt Jeſum in Jerúſalem, ut ſíſterent eum Dómino, & ut darent hóſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Dómini.

S. R. *Secreta.*

REmótis obumbratiónibus carnálium victimárum, ſpirituálem tibi, ſumme Pater, hóſtiam ſúpplici ſervitúte deférimus, quæ miro ineffabilíque myſtério, & immolátur ſemper, & éadem ſemper offertur, pariterque & devotórum munus, & remunerantis eſt præmium; Per eumdem Dóminum.

Præfatio Propria.

Luc. 2. *Communio.* Accépit Símeon púerum Jeſum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum, Dómine, ſecundùm verbum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei ſalutáre tuum.

Postcommunio. Orémus.

S. G. PErfice in nobis, quæſumus, Dómine, per hæc ſancta quæ ſúmpſimus grátiam tuam, qui juſti Simeónis expectatiónem impleſti: ut ſicut ille mortem non vidit, priuſquàm Chriſtum Dóminum vidére mererétur; ita & nos in amplexu Dómini morientes, vitam obtineámus æternam; Per eumdem.

Die iii.
In Feſto
S. BLASII SEBASTENI, Rub.
Epiſcopi & Martyris.
Simplex.

Miſſa, Confortáti ſunt, *de Communi Pontificis & Martyris, p.* ij.

In Festis Simplicibus

Ab hac die uſque ad Quadrageſimam, ſecunda Oratio dicitur ad poſcenda ſuffragia Sanctorum, ſcilicet A cunctis; *infrà inter Orationes ad diverſa, pag.* cxl. *Tertia addi poteſt ad devotionem.*

Die iv.
In Feſto
BEATÆ JOANNÆ VALESIÆ, Viol.
Reginæ Franciæ, deindè Monialis.
Semiduplex.

Introitus.

COgnóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, & in veritáte tua humiliaſti me: fiat miſericórdia tua ut conſolétur me, ſecundùm elóquium tuum. *Psalm.* Beáti immaculáti in via; * qui ámbulant in lege Dómini. Glória. Cognóvi. Psal. 118. Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus qui beátam Joannam Valéſiam, è cadúci honóris faſtígio, ad crucis humilitátem vocaſti, & pro temporáli coróna, Spíritûs tui donis, virtutumque ſplendóre illuſtrem effeciſti; ejus méritis & interceſ-

ſióne

sióne tríbue, ut ſpretis mundi illécebris, Chriſtum ſequi valeámus; Qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem.

Léctio Libri Sâpiéntiæ.

Cap. 7. INvocávi, & venit in me Spíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & ſédibus, & divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretióſum; quóniam omne aurum, in comparatióne illíus, aréna eſt exígua; & tanquam lutum æſtimábitur argentum in conſpéctu illíus. Super ſalútem & ſpéciem dílexi illam; & propóſui pro luce habére illam, quóniam inextinguíbile eſt lúmen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis hónéſtas per manus illíus.

Pſal. 118. *Graduale.* Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua! ſuper mel ori meo. ℣. A mandátis tuis intellexi; proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Eſth. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Tu ſcis, Dómine, quia non eſt lætáta ancilla tua, niſi in te, Deus Abraham. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, omiſſo Allelúia, *cum* ℣. *dicitur.*

Pſal. 118. *Tractus.* Expectábam ſalutáre tuum, Dómine, & mandáta tua dilexi. Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua, & dilexit ea vehementer. Servávi mandáta tua & teſtimónia tua; quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 13. IN illo témpore; Dicébat Jeſus hanc ſimilitúdinem: Cui símile æſtimábo regnum Dei? Símile eſt fermento, quod acceptum múlier abſcondit in farínæ ſata tria, donec fermentarétur tótum. Et ibat per civitátes & cástella docens, & iter fáciens in Jerúſalem. Ait autem illi quídam: Dómine, ſi pauci ſunt, qui ſalvantur? Ipſe autem dixit ad íllos: Conténdite intráre per ánguſtam portam; quia multi, dico vobis, quærent intráre, & non póterunt.

Pſal. 25. *Offertorium.* Miſericórdia tua, Dómine, antè óculos meos eſt; & complácui in veritáte tua; non ſedi cum concílio vanitátis.

Secreta.

HÆc hóſtia, Dómine, placatiónis & laudis tuâ nos propitiatióne dignos efficiat beátæ Joannæ interventu, quæ ſoli tibi placére ſtúduit; Per Dóminum.

Præfatio de Mulieribus.

Pſal. 118. *Communio.* Dilexi mandáta tua ſuper aurum & topázion: proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar, omnem viam iníquam ódio hábui.

Postcommunio. Orémus.

CŒléſtibus repléti myſtériis, te, Dómine, deprecámur; ut exemplo & interceſſióne beátæ Joannæ ſpretis mundi hujus oblectatiónibus, in te uno lætári mereámur; Per.

Die v.

In Feſto

SANCTÆ AGATHÆ,

Rub. Virginis & Martyris.

Semiduplex.

Miſſa, Tenuiſti, *de Communi Virginum Martyrum, p.* xxxiij.

Die vi.

In Feſto

SANCTI VEDASTI,

Virid. Atrebatenſis Epiſcopi.

Simplex.

Miſſa, Exaltávi, *ut in Communi Pontificum, p.* xvij.

Secunda Oratio, A cunctis, cxl.

Die viii.

In Festo

Viol. S. JOANNIS DE MATHA,

Presbyteri.

Semiduplex.

Missa, Sacerdótes, *in Communi Presbyterorum, p.* xxiij. *præter Orationes sequentes.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui beáto Joanni Presbytero, ac sóciis ejus zelum fidéles redimendi captívos infudísti: da servis tuis illam córporis & ánimæ libertátem, quâ Christus Fílius tuus nos liberávit; Qui tecum vivit.

Secreta.

PLáceat tibi, Dómine Deus, intercedente beáto Joanne Presbytero, hæc nostræ servitútis oblátio; quæ & peccatórum nostrórum víncula dissólvat, & tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

SAcramenta nos, Dómine, in festivitáte sancti Joannis Presbyteri sumpta vivíficent; & in tua caritáte firmátos à peccáti servitúte tueantur; Per Dóminum.

Die ix.

In Festo

Rub. SANCTÆ APOLLONIÆ,

Virginis & Martyris.

Simplex.

Missa Secundùm puritátem, *in Communi Virginum, p.* xxxij. *præter Epist. & Evang. sequent.*

Secunda Oratio, A cunctis, cxl.

Léctio líbri Job.

Cap. 16. OPpressìt mĕ dolor meus, & in níhilum redacti sunt omnes ârtus mei. Rugæ meæ testimónium dicŭnt contra me, & suscitátur falsíloquus adversùs fáciem meam contradîcens mihi. Collégit furórem suum in me, & cómminans mihi, infrémuit contrà mĕ déntibus suis: hostis meus terribílibus óculis me intûitus est. Aperuérunt super me ora sua, & exprobrantes percussérunt măxillam meam; satiáti sunt pœnis meis. Conclúsit me Deŭs apud iníquum, & mánibus impĭŏrum me trádidit.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Ignem veni míttere in terram, & quid volo nisi ut accendátur? Baptismo autem hábĕŏ baptizári; & quómodò coarctor úsquedum perficiátur? Putátis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed sepărationem: erunt enim ex hoc quinque in domo una divísi, tres in duos, & duo in tres dividentur; pater in fílium, & fílius in patrem suum; mater in fíliam, & fília in matrem; socrus in nurŭm sŭam, & nurus in socrum suam.

Die x.

In Festo

SANCTÆ SCHOLASTICÆ, Alb.

Virginis.

Semiduplex.

Missa, Adducentur, *de Communi Virginum, p.* xxxiv. *præter Epistolam sequentem.*

Léctio Cántici Cânticorum.

Cap. 2. EN dilectus meus lôquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, columba mea, formósă mea, & veni: jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, & recessit, flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit, vox túrturis audíta est in terra nostra; ficus prótulit grossos suos, víneæ florentes dedérunt

odôrem ſuum. Surge, amíca mea, ſpecióſă mea, & veni: columba mea in foramínibus petræ, in cavêrna macériæ. Oſtende mihi fáciem tuam; ſonet vox tua ĭn áuribus meis: vox enim tuă dŭlcis, & fácies tua decóra.

DIE XI.
In Feſto
SANCTI BENEDICTI,
Viol. Anianenſis Abbatis.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Pſal. 51 EGo ſicut olíva fructífera in domo Dei; ſperávi in miſericórdia Dei in æternum: & expectábo nomen tuum, quóniam bonum eſt in conſpectu ſanctórum tuórum.

Ibid. *PSALM.* Quid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte? Glória. Ego.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui beátum Benedictum Abbátem Spíritûs tui fervóre & diſciplínæ zelo replétum, reguláris obſervántiæ inſtauratórem ſtrénuum effeciſti; da nobis, ejus méritis & interceſſióne, ut reformáti in novitáte ſensûs noſtri, & in ſancta converſatióne viventes, viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus; Per Dóminum.... in unitáte ejuſdem.

Léctio Jeremîæ Prophétæ.

Cap. 17. BEnedictus vir, qui cŏnfídit in Dómino, & erit Dóminus fidûcia ejus. Et erit quaſi lignum quod tranſplantátur ſuper aquas, quod ad humórem mittit rădíces ſuas: & non timébit cùm vênerit æſtus. Et erit fólium ejus víride, & in témpore ſiccitátis nŏn erit ſollícitum; nec aliquandŏ dĕſinet fácere fructum.

Pſal. 56. *GRADUALE.* In te confídit ánima mea, Dómine; & in umbra alárum tuárum ſperábo, donec tránſeat iníquitas. ℣. Memor ero ab inítio mirabílium tuórum, & meditábor in ómnibus opéribus tuis, & in adinventiónibus tuis exercébor. Pſal. 76.

Allelúia, allelúia. ℣. Pórtio mea, Dómine, dixi, cuſtodíre legem tuam. Allelúia. Pſal. 118.

Poſt Septuageſimam, omiſſo Allelúia *cum* ℣. *dicitur ſequens*

TRACTUS. Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit. Sed in lege Dómini voluntas ejus, & in lege ejus meditábitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantátum eſt ſecùs decurſus aquárum, quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo. Et fólium ejus non défluet; & ómnia quæcumque fáciet proſperabuntur. Pſal. 1.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Omnis qui venit ad me, & audit ſermónes meos, ĕt facit eos; oſtendam vobis cui símilis sĭt. Símilis eſt hómini ædificanti domum, qui fodit in altum, & póſuit fundamentŭm ſuper petram: inundatióne autem facta illíſum eſt flumen dómui illi, & non pótuit eam movére: fundáta enim erat ſuper pĕtram. Qui autem audit, & non facit, símilis eſt hómini ædificanti domum ſuam ſuper terram ſinĕ fundamento; in quam illíſus eſt flúvius, & contínuò cécidit: & facta eſt ruína domus ĭllĭus magna.

Gal. 5. *OFFERTORIUM.* Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixérunt cum vítiis & concupiſcéntiis.

SECRETA.

DEus, de cujus grátiæ rore deſcendit, ut ad myſtéria tua, purgátis ſénſibus accedámus: ne permittas nos ſeculáribus contaminári

desidériis; & quam beátus Benedictus Abbas frátribus suis monstrávit, da futúram & manentem civitátem incessánter inquírere, & patienter expectáre; Per Dóminum.

Thre. 3. *COMMUNIO.* Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærenti illum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. PLebem tuam, Dómine, tueátur divíni participátio sacramenti, & ádjuvet beáti Benedicti Abbátis intercéssio: ut carnálibus vítiis non teneátur obnóxia; ut spirituáli delectatióne sit líbera; ut majestáti tuæ plenâ sit devotióne subjecta; Per.

DIE XVI.

In Festo

SANCTI ONESIMI,

Rub. Discipuli sancti Pauli, Episcopi & Martyris.

SIMPLEX.

Missa, Víncula. *de Communi unius Martyris Pontificis, præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui beátum Onésimum in vínculis Apóstoli Pauli Evangélio génitum, carissimum illi fratrem ministrum in ejusdem Evangélii opus sociásti; da Eccléstæ tuæ, ut quos Christo fílios adoptiónis párturit, illos æternùm recípiat Apostólicâ prece beátos; Per eumdem Dóminum.

Secunda Oratio, A cunctis, cxl.

SECRETA.

HOstias tibi, Dómine pro festivitáte sancti Onésimi offérimus, supplíciter deprecantes; ut sicut illi tribuísti sacræ fídei claritátem, sic nobis indulgéntiam largiáris & pacem; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, qui beáti Onésimi sanctam in Eccléstia conversatiónem, illíus caritátis fructum esse voluísti, quæ óperit multitúdinem peccatórum; auge in nobis per hæc mystéria, sincéræ pietátis affectum; & misericórdiæ víscera nobis benignus infunde; Per Dóminum.

DIE XVIII.

In Festo

SANCTI SIMEONIS

Rub. Hierosolymitani Episcopi, & Martyris.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

MIhi abstit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *PSALM.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Mihi abstit.

Galat. 6. Psal. 17.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens Deus, qui beáto Simeóni Mártyri tuo atque Pontífici Christo confígi in Cruce tribuísti; præsta, quæsumus, eódem intercedente, ut terréna in nobismetipsis desidéria crucifigentes, tibi fírmiter adhærére valeámus; Per eumdem.

Léctio Epístolæ beátī Pauli Apóstoli âd Corínthios.

FRatres; Cáritas Christi urget nos, æstimantes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt: & pro ómnibus mórtuus est Christus: ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est & rêsurrexit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secûn-

2. Cor. 5.

dùm

dùm carnem. Et ſi cognóvimus ſecundŭm carnem Chriſtum: ſed nunc jâm non nóvimus. Si qua ergo in Chriſto novă creatúra : vétera tranſiérunt ; ecce facta ſunt ômnia nova. Omnia autem ex Deo qui nos reconciliávit ſibi per Chriſtum ; & dedit nobis miníſtĕrium reconciliatiónis.

1. Joan. 1. *GRADUALE.* Quod audívimus , quod vídimus óculis noſtris , & manus noſtræ contrectavérunt de verbo vitæ, annuntiámus vobis. ℣. Annuntiámus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem , & appáruit nobis.

Joſ. 24. Allelúia , allelúia. ℣. Servívit Iſrael Dómino cunctis diébus ſenióram , qui longo vixérunt témpore , & qui novérunt ómnia ópera Dómini quæ fécerat in Iſrael. Allelúia.

Poſt Septuageſimam , omiſſis Allelúia , *&* ℣. *Graduali additur*

Pſal. 118. *TRACTUS.* Reſpondébo exprobántibus mihi verbum, quia ſperávi in ſermónibus tuis. Ne auferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque ; quia in judíciis tuis ſuperſperávi. Et cuſtódiam legem tuam ſemper , in ſéculum & in ſéculum ſéculi.

Sequéntia ſanctī Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 13. IN illo témpore ; Véniens Jeſus in pátriam ſuam , docébat eos in Synăgógis eórum , ita ut mirarentur , & dĭcerent : Unde huic ſapiéntia hæc , & virtútes? Nonne hic eſt fabri fílius? Nonne mater ejŭs dícitur María , & fratres ejus , Jacóbus , & Joſeph , & Simon , & Judas? & ſoróres ejus nonne omnes apud nos ſunt? Unde ergo huic ómnia iſta? Et ſcandalizabantur in ĕo. Jeſus autem dixit ĕis : Non eſt prophétă ſine honóre , niſi in pátria ſua , & in domo sŭa. Et non fecit ibi virtútĕs mŭltas , propter incredulitátem illórum.

OFFERTORIUM. Qui fécerit voluntátem Patris mei qui in cœlis eſt ; ipſe meus frater , & ſoror , & mater eſt. Marc. 12.

SECRETA.

SIcut beátus Símeon , in ſacrifício tuo , Dómine , ſanctus Póntifex , & in confeſſióne tui nóminis Martyr invictus éxtitit ; ita nos hujus oblatiónis prétio , & pios coram te , & pro te fortes grátiæ tuæ virtus effíciat ; Per Dóminum. M. P.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

COMMUNIO. Chriſto confixus ſum cruci , qui dilexit me , & trádidit ſemetipſum pro me. Gal. 2.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

TRíbue nobis , Dómine , per hæc ſancta quæ ſúmpſimus , beáti Simeónis Pontíficis & Mártyris exempla ſectári ; qui nos ad glóriam per multas tribulatiónes promerendam , & hortátu accendit , & martyrio roborávit ; Per Dóminum.

DIE XIX.

In Feſto SANCTI FLAVIANI, Conſtantinopol. Epiſcopi & Martyris.

Rub.

SIMPLEX.

Miſſa, Confortáti ſunt , *de Communi unius Martyris Pontificis , p.* ij. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

DEus , qui beátum Flaviánum Pontíficem , tanquam murum inexpugnábilem , Cathólicæ veritátis hóſtibus oppoſuiſti ; ejuſque glorióſam confeſſiónem corónâ Martyrii decoraſti ; concéde , propítius , ut cujus prædicámus triumphum , fidem ac conſtántiam imitémur ; Per Dóminum.

SECRETA.

SUscipe, quæsumus, Dómine, múnera dignanter oblàta; & beáti Flaviáni Mártyris tui atque Pontíficis suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde; Per Dóminum.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PUrificent nos, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus; & intercedente beáto Flaviáno Mártyre tuo atque Pontífice, à cunctis efficiant vítiis absolútos; Per Dóminum.

DIE XXIV.

[*In anno Bissextili*, XXV.]

In Festo

S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Rub.

DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Act. 1. TU, Dómine, qui corda nosti ómnium, ostende quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum ministérii hujus & apostolátûs. Psal. 108. *PSALM.* Deus, laudem meam ne tacúeris, * quia os peccatóris & os dolósi super me apertum est. Glória. Tu, Dómine.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui beátum Matthíam Apostolórum tuórum collégio sociásti; tríbue, quæsumus, ut ejus interventióne, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus; Per Dóminum.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Cap. 1. IN diébus illis; Exurgens Petrus in médio frâtrum, dixit: (Erat autem turbă hóminum simul, ferè céntum viginti.) Viri fratres, oportet impléri scriptúram, quam prædixit Spíritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eórum qui comprehéndérunt Jesum, qui connumerátus erat in nobis, & sortítus est sortem ministêrii hujus. Et hic quidem possédit agrum de mercéde iniquitátis, & suspensŭs crépuit médius: & diffúsa sunt ómnia vîscera ejus. Et notum factum est ómnibus habitántibus Jĕrúsalem: ita ut appellarétur ager ille lingua eórum Hacéldama, hoc est âger sánguinis. Scriptum est enim ĭn libro Psalmórum; Fiat commorátio eórum deserta, & non sit qui inhábitet in ea; & episcopátum ejus accîpiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregáti in omni témpore, quo intrávit & exívit inter nos Dóminus Jesus, incípiens à baptísmate Joannis usque in diem qua assumptŭs est à nobis, testem resurrectiónis ejus nobiscum fieri ûnum ex istis. Et statuérunt duos: Joseph qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est Justus; êt Matthíam. Et orântes dixérunt: Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, ostende quem elégeris ex his dŭóbus unum, accípere locum ministérii hujus & apostolátus, de quo prævaricátus est Judas, ut abíret in lôcum suum. Et dedérŭnt sortes eis: & cécidit sors super Matthíam; & annumerátŭs ĕst cum úndecim Apóstolis.

GRADUALE. Dixi Dómino; Deus meus es tu, in mánibus tuis sortes meæ. ℣. Funes cecidérunt mihi in præcláris, étenim hæréditas mea præclára est mihi. Psal. 30. Psal. 15.

TRACTUS. Os peccatóris, & os dolósi super me apertum est. Cùm judicátur, éxeat condemnátus, & orátio ejus fiat in peccátum. Fiant dies ejus pauci, & episcopátum ejus accípiat alter. Psal. 108.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 13. ANte diĕm feſtum Paſchæ, dixit Jeſus diſcípulis sŭis : Amen, ămen dico vobis, non eſt ſervus major Dómino ſuo, neque apóſtolus major eſt eo qui miſit illum. Si hæc ſcitis, bĕáti éritis, ſi fecéritis ĕa. Non de ómnibus vobis dico; ego ſciŏ quos elégerim : ſed ut adimpleátur ſcriptúra, Qui mandúcat mecum panem, levábit contra me calcáneum sŭum. Amodò dico vobis, prĭuſquàm fiat; ut cùm factŭm fŭerit, credátis quia ego ſum.

Dicitur Credo.

Joan. 15. *Offertorium.* Non vos me elegiſtis; ſed ego elégi vos, & póſui vos, ut eátis, & fructum afferátis, & fructus veſter máneat.

Secreta.

S. R. DEus, qui proditóris apóſtatæ ruínam, ne Apoſtolórum tuórum númerus ſacrátus perfectióne caréret, beáti Matthíæ electióne ſuppleſti; præſéntia múnera ſanctífica, & per ea nos grátiæ tuæ virtúte confirma; Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Col. 1. *Communio.* Grátias Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctórum, & tránſtulit in regnum fílii dilectiónis ſuæ.

Postcommunio. Orémus.

M. A PLáceant, quæſumus, omnípotens Deus, majeſtáti tuæ ſacrifícia quæ ſúmpſimus; & ſicut beátum Matthíam Apoſtolórum tuórum número, ſorte aggregaſti; ita & nos, per miſericórdiam tuam, in partem ſortis ſanctórum aſcríbere dignéris; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

M.

Die xxviii.

[*In anno Biſſextili*, xxix.]

In Feſto *Rub.*

SANCTORUM MARTYRUM,

Qui obiêre in caritatis officio erga peſtilentiâ afflictatos Alexandriæ.

Simplex.

[*In Quadrageſima ſola Commem.*]

Introitus.

QUis novit poteſtátem iræ tuæ, Dómine, & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre? Psal. 89.

Psalm. Dómine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem. Glória. Quis novit. Ibid.

Collecta. Orémus.

DA, quæſumus, omnípotens Deus, intercedéntibus ſanctis Martyribus tuis, qui frátribus dirâ lue afflictis cùm vitæ diſpéndio miniſtráre non timuérunt, nos eódem ſpíritu ferventes, neceſſitátibus Sanctórum communicáre; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 12. FRatres; Sicut in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdĕm actum habent; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſínguli autem alter altêrius membra. Habentes autem donatiónes ſecundùm grátiam, quæ data eſt nobĭs, differentes : ſive prophetíam ſecundùm ratiónem fídei, ſive miniſtérium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrína, qui exhortátur in exhortando, qui tríbuit in ſimplicitáte, qui præeſt in ſollicitúdine, qui miſerétur in hilâritáte. Diléctio ſine ſimulâtióne. Odientes malum, adhærentes bono : caritáte fraternitátis ínvicem diligentes : honóre ínvicem prævenientes : ſollicitúdine non pi-

gri : spíritu ferventes : Dómino servientes : spe gaudentes : in tribulatióne patientes : oratióni instantes : necessitátibus sanctórum cŏmmunicantes : hospitalitâtem sectantes. Benedícite persĕquéntibus vos : benedícite & nolíte mâledícere. Gaudérĕ cum gaudéntibus, flêre cum fléntibus. Idipsum ínvĭcĕm sentientes ; non alta sapĭĕntes, sed humílibus consentientes.

Prov. 17. *Graduale.* Omni témpore díligit, qui amícus est ; & frater in angústiis comprobátur. ℣. Frater qui adjuvátur à fratre quasi cívitas firma : & judícia quasi vectes úrbium.

Psal. 36. *Tractus.* Dóminus amat judícium, & non derelinquet sanctos suos : in æternum conservabuntur. Injusti punientur ; & semen impiórum períbit. Justi autem hæreditábunt terram : & inhabitábunt in séculum séculi super eam.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 5. IN illo témpore ; Videns Jesus turbas, ascendit in mŏntem. Et cùm sedisset, accessérunt ad eum dĭscípuli ejus : & apériens os suum docébat eos, dĭcens : Beáti páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum cœlŏrum. Bĕáti mites : quóniam ipsi possidébunt tĕrram. Bĕáti, qui lugent : quóniam ipsi consolabŭntur. Beáti, qui esúriunt ĕt sítiunt justítiam : quóniam ipsi saturabŭntur. Beáti mĭsericordes, quóniam ipsi miserĭcŏrdiam consequentur.

Marc. 12. *Offertorium.* Dilígere próximum tanquam seipsum, majus est ómnibus holocautomátibus & sacrifíciis.

Secreta.

CÓncéde, miséricors Deus, ut Mártyrum exempla sectando, quos tibi cáritas immolávit ; corda pura, & fraternæ dilectiónis ardóre accensa, simul cum múnere nostro ad altáre tuum offerámus ; Per Dóminum.

Joan. 15. *Communio.* Majórem hâc dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Postcommunio. Orémus.

DA nobis, Dómine, quos divíno pascis mystério, piæ supplicatiónis effectum ; & præsta, ut & casto in te amóre, & efficáci quam præcipis ergà próximum dilectióne, totam legem impleámus ; Per Dóminum.

FESTA MARTII.

Die 1.

In Festo SANCTI ALBINI, Andegavensis Episcopi.

Virid.

Simplex.

Missa, Exaltávi, *de Communi Pontificis, p.* xvij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

S.R. FAmulos tuos, quæsumus, Dómine, intercedente beáto Albíno Pontífice, tibi fácias toto corde subjectos ; ut tuæ caritátis spíritu repléti, à terrénis mundémur cupiditátibus, & cœlesti beatitúdine, te donante, digni efficiámur ; (Per.)

Secreta.

PLáceat in conspectu tuo, Dómine, nostræ humilitátis oblátio ; & præsta ut beáti Sacerdótis tui Albíni mereámur & imitatióne te ducem sequi, & oratióne apud te defendi ; (Per.)

Postcommunio. Orémus.

OVes tuas, Dómine, sacramenti tui pábulo nutrítas, beáto Albíno interveniente, custódi ; & quia tui múneris est, ut quæ præcipis impleámus, in corda nostra, quæsumus, grátiæ tuæ lumen emitte ; (Per.)

Die vii.
In Festo
SANCTARUM PERPETUÆ ET FELICITATIS,
Ac sociorum Martyrum.

Rub.

Simplex.

Missa, Propter te. *de Communi plurium Mart. p.* ix. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

M. P.

DEus, fortitúdo certántium, & palma Mártyrum, qui fámulas tuas Perpétuam & Felicitátem contra tormentórum immanitátem mirâ virtúte roborásti: quæsumus, ut sicut eárum nos triumpho lætíficas, ita semper supplicatióne defendas; Per.

Secreta.

AD Mártyrum tuárum, Dómine, Perpétuæ, Felicitátis, & sociórum festa cum munéribus nómini tuo dicátis occúrrimus; ut illis reveréntiam deferentes, nobis véniam impetrémus; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

TUórum nos, Dómine, cœlesti múnere recreátos précibus tuére sanctórum; ut eórum festa venerantes, & potenti muniámur auxílio, & magnífico proficiámus exemplo; Per Dóminum.

Die viii.
In Festo
S. JOANNIS DE DEO,
Ordinis Fratrum Caritatis Institutoris.

Viol.

Simplex.

Missa. Os justi. *de Communi Justorum, p.* xxx. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum Joannem misericórdiæ spíritu ergà páuperes & infirmos implevísti; concéde, propítius, ut ejus vestígia sectantes, sic afflictórum necessitátibus compatiámur, ut cum ipso misericórdiam tuam cónsequi mereámur; Per Dóminum.

Secreta.

OBláta múnera, quæsumus, Dómine, propítius súscipe; eaque víscera caritátis, quæ beáto Joanni infudísti, fac nos pérpeti ejus suffrágio persentíre; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

PRopitiáre, Dómine, pópulo tuo cœlesti pane nutríto; & intercedente beáto Joanne, perpétuæ misericórdiæ afflictis ómnibus impende subsídium; Per Dóminum.

Die ix.
In Festo
SANCTÆ FRANCISCÆ,
Viduæ.

Viol.

Simplex.

Missa. Exultáte, *de Communi unius Viduæ, pag.* xxxix.

Die x.
Pro Commemoratione
SS. QUADRAGINTA
Martyrum Sebastenorum.

Collecta. Orémus.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui glorióſos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus; pios apud te in nostra intercessióne sentiámus; (Per.)

M. P.

Secreta.

SUscipe, Dómine, múnera, quæ pro Mártyrum tuórum passióne deférimus, tuæ magnificantes ópera miranda poténtiæ, qui tantæ fídei tríbuis clementer ardórem; qui súggeris tolerántiæ firmitátem; qui largíris in agóne victóriam; (Per.)

S. R.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DÀ nobis, Dómine, per hæc ſacra myſtéria perſeverantem in tua grátia voluntátem, ut in beáta Mártyrum tuórum ſocietáte corónam glóriæ percípere mereámur; [Per.]

DIE XVII.
Pro Commemoratione
SANCTI PATRITII,
Hibernorum Epiſcopi.

Collecta, Deus, Fidélium. *ut in Communi* xix.

DIE XVIII.
Pro Commemoratione
SANCTI ALEXANDRI,
Epiſcopi Hieroſolymitani
& Martyris.

COLLECTA. Orémus.

M. A. OMnípotens ſempiterne Deus, qui beáto Mártyri & Pontífici Alexandro, non ſolùm crédere unigénito Fílio tuo, ſed étiam pro ipſo pati poſſe, tribuiſti: concéde propítius, ut miſericórdiam ſempiternam, pro qua ipſe felíciter dimicávit, nos quoque fámuli tui percípere mereámur; Per eumdem.

SECRETA.

M. P. DA nos, miſéricors Deus, ſancti Mártyris tui atque Pontíficis Alexandri exemplo ita Unigéniti tui mortem hujus oblatióne ſarcifícii annuntiáre; ut eam quoque vitæ noſtræ oblatióne, ac pretióſa coram te morte imitémur; [Per Dóminum.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PEr hæc ſacramenta, quæſumus, Dómine, da nobis ómnia pro veritáte poſſe; qui beáto Pontífici Alexandro dediſti ódio ómnibus eſſe propter nomen tuum, & uſque in finem perſeveráre; [Qui vivis & regnas cum Deo Patre.]

DIE XIX.
Pro Commemoratione
SANCTI CYRILLI,
Epiſcopi Hieroſolymitani
& Doctoris.

Collecta, Omnípotens. *de Communi Doctorum, p.* xxj.

IN FESTIS TEMPORE PASCHALI.

In Feſtis quæ celebrantur Tempore Paſchali, in fine Introitûs additur bis Allelúia; *loco Gradualis dicitur bis* Allelúia *cum Verſu: & omiſſo Tractu, dicitur bis* Allelúia *cum Verſu, & repetitur* Allelúia; *in fine Offertorii & Communionis additur* Allelúia *ſemel.*



DIE XXV. MARTII.

IN ANNUNTIATIONE INCARNATIONIS DOMINI AD BEATAM MARIAM VIRGINEM.

ANNUALE-MINUS.

Alb.

INTROITUS.

Is. 45. RORÁTE, cœli, désuper, & nubes pluant justum : aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. (*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.) *PSALM.* Benedixísti, Dómine, terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob. Glória. Roráte, cœli.

Psal. 84.

COLLECTA. Orémus.

M. A DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem susscípere voluísti : præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur ; Per eumdem.

In Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ sub una conclusione.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Cap. 7. IN diébus illis ; Adjécit Dóminus loqui ad Achâz, dicens : Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in prófundum inferni, sive in excélsum suprà. Et dixit Achaz : Non petam, & non tentâbo Dóminum. Et dixit : Audíte ergo, domus David : Numquid parum vobis est molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propterhoc dabit Dóminus ipse vôbis signum : Ecce virgo concípiet et páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmânuel. Bútyrum & mel cómedet, ut sciat reprobáre málum, & elígere bonum.

GRADUALE. Ave, grátiâ plena, Dóminus tecum ; benedicta tu in muliéribus. ℣. Invenísti grátiam apud Deum : ecce concípies in útero, & páries Fílium, & Fílius Altíssimi vocábitur. Luc. 1.

TRACTUS. Descendet Dóminus sicut plúvia in vellus ; oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ ; omnes gentes magnificábunt eum. Benedictum nomen majestátis ejus in æternum, & replébitur majestáte ejus omnis terra. Psal. 71.

Tempore Paschali, omissis Graduali & Tractu, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Páries fílium, & vocábis nomen ejus Jesum ; hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur. Luc. 1.

Allelúia, allelúia. ℣. Regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Allelúia. Ibid.

PROSA.

M. P. HUMANI géneris
Cessent suspíria ;
Beáta míseris
Affert hic núntia
Dies mortálibus.
Unius scélere
Cuncti cecídimus ;

Lapsos erígere
Venit Altíssimus
De cœli sédibus.
DELECTÆ Vírgini
Quæ Deum páriat,
Angelus Dómini
Salútis núntiat
Nostræ mystérium.
O beatíssima
Præ muliéribus!
Virgo castíssima,
Deum viscéribus
Súscipe fílium.
VIRTUTE Spíritûs
In sinu Vírginis,
Innocens pénitùs
A labe críminis
Caro compíngitur.
Per hanc infántibus
Lacteíscit téneris,
Ille qui méntibus
Panis à súperis
In cœlis éditur.
QUOD sine témpore
De Patre náscitur,
Mortáli córpore
Verbum indúitur,
Ut salvet hóminem.
Corpus hoc ófferet
In sacrifícium;
Servos ut líberet,
Totum in prétium,
Effundet sánguinem.
ERRABAM dévius
Exul à pátria,
Sémitæ néscius,
Ad vera gáudia
Per quam regrédiar.
In mea Dóminus
Venit exília,
Viæque términus
Ipse fit, & via;
Tutus hâc grádiar.
O VERITAS latens
Sub velo córporis,
Sed óculis patens
Mundáti péctoris,
Tu nos illúmina.
Et tu pro míseris
Súpplica Númini
Quæ te dum ásseris
Ancillam Dómini,
Fis mundi dómina. Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

IN illo témpore; Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, dẽ domo David; & nomen vírginis, Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plenă, Dóminus tecum: benedicta tu in muliĕribus. Quæ cùm audisset, turbáta est in sĕrmóne ejus; & cogitábat qualis esset ista salutătio. Et ait Angelus ĕi: Ne tímeas, María, invenisti enim grátĭăm apud Deum, ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus, Jesŭm. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur; & dabit illi Dóminus Deus sedem Dăvid patris ejus: & regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit fĭnis. Dixit autem María ad Ă̆ngelum: Quómŏdŏ fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et rĕspondens Angelus, dixit ĕi: Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obŭmbrábit tibi: ideóque & quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dĕi. Et ecce Elísabeth cognáta tua, & ipsa concépit fílium in senectúte sua; & hic mensis sextus est illi, quæ vŏcátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne vĕrbum. Dixit autem Maria: Ecce ăncilla Dómini; fiăt mihi secundùm verbum tuum. Cap. 1.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Hóstiam & oblatiónem noluisti; corpus autem aptasti Hebr. 10.

tasti mihi : holocautómata, pro peccáto, non tibi placuérunt ; tunc dixi, Ecce vénio. (*Temp. Pasch.* Allelúia.)

Secreta.

S. R. MUnera nostra, Dómine, Spíritûs sancti obumbrante virtúte, Unigéniti tui corpus & sanguis fiant : ut qui ineffábili Incarnatiónis suæ mystério pro nobis suscépit quod nostrum est, his sacramentis cœléstibus dignétur nobis conferre quod suum est, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem.

Præfatio de Incarnatione.

Joan. 1. *Communio.* Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. (*Tempore Paschali*, Allelúia.)

Postcommunio. Orémus.

S. R. DEus, cujus Verbum caro factum, panis est vivus & verus méntium humanárum ; præsta, quæsumus, ut hunc panem indesinenter esuriámus, in quo fides álitur, spes provéhitur, cáritas roborátur ; Per eumdem Dóminum.

Die xxxi.

Alb. *Quando Pascha occurrit 22 Martii, hac die, quæ septima est intra Octavam Annuntiationis Dominicæ, Missa dicitur de Annuntiatione, ut in die Festi, ritu semiduplici.*

FESTA APRILIS.

Die i.

Quando Pascha occurrit 22. vel 23. Martii,

Alb. Octava Annuntiationis Dominicæ.

Duplex-Majus.

Missa ut in die Festi.

Die ii

In Festo

S. FRANCISCI DE PAULA Viol.

Cœnobitæ.

Semiduplex.

[*Ante Pascha, sola fit de eo Commemoratio.*]

Introitus.

OS justi meditábitur sapiéntiam, & lingua ejus loquétur judícium : lex Dei ejus in corde ipsíus. Allelúia, allelúia. *Psalm.* Noli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris facientes iniquitátem. Glória. Os justi. Psal. 36.

Collecta. Orémus.

M. A. DEus, humílium celsitúdo, qui beátum Franciscum sanctórum tuórum glóriâ sublimásti : tríbue, quæsumus ; ut ejus méritis & imitatióne promíssa humílibus præmia felíciter consequámur ; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

Cap. 2. FRatres ; Si qua consolátio in Christo, si quod solátium caritátis, si qua societas spíritus, si qua víscera miserationis : impléte gáudium meum, ut idem sapiátis, eamdem caritátem habentes, unánimes, idipsum sêntientes. Nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam ; sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrantes : non quæ sua sunt sínguli considerántes, sed ea quæ aliórum.

Psal. 118. Allelúia, allelúia. ℣. In via testimoniórum tuórum, Dómine, delectátus sum, sicut in ómnibus divítiis.

Dan. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Benedícite, sancti & húmiles corde, Dómino : laudáte & superexaltáte eum in sécula. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 11. IN illo témpore; Respondens Jesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli & terræ, quia abscondísti hæc à sapiéntibus & prudéntibus; & revelásti ea párvulis. Ita Pater; quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi tráditа sunt à Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, & cui volúerit Fílius revelare. Veníte ad me omnes, qui laborátis & onerati estis, & ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me quia mitis sum et húmilis corde: & inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Eccli. 35. *Offertorium.* Oblátio justi impinguat altáre, & odor suavitátis est in conspectu Altíssimi. Sacrifícium justi acceptum est; memóriam ejus non obliviscétur Dóminus. Allelúia.

Secreta.

M. P. DA nos, Deus, mites esse & húmiles corde; qui & húmilis Franciſci mansuetúdine erudímur, & in hoc sacrifício Dóminum Jesum recólimus venisse non ministrári, sed ministráre, & dare ánimam suam redemptiónem pro nobis; Qui tecum vivit.

Præfatio de Justis.

Psal. 5. *Communio.* Gloriabuntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, Dómine; quóniam tu benedíces justo. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui beátum Franciscum Domínici Córporis viático prænmunítum, eâdem horâ ad te migráre jussísti, quâ Dóminus noster transíerat ex hoc mundo; da nobis hujus participatióne mystérii, eídem Unigénito tuo & convívere & cómmori; Qui tecum.

Die iv.

In Festo
SANCTI AMBROSII,
Mediolanensis Episcopi, & Eccleſiæ Doctoris.

Virid.

Duplex-Majus.

Introitus.

Psal. 118. LOquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, & non confundébar: & meditábar in mandátis tuis, quæ dilexi. Allelúia, allel. *Psalm.* Beáti immaculáti in via; * qui ámbulant in lege Dómini. Glória. Loquébar.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui beátum Ambrósium Pontíficem, Cathólicæ fídei defensórem, & apostólicæ fortitúdinis exemplum in Eccléſia tua posuisti: quæsumus, ut, ipso pro nobis intercedente, mereámur errórum vitáre discrímina, & de veritáte numquam erubéscere; Per Dóminum.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.

Cap. 1. IN diébus illis; Factum est verbum Dómini ad me dicens: Accinge lumbos tuos, & surge; & lóquere ad Juda ómnia quæ ego præcípio tibi. Ne formídes à fácie eórum: nec enim timére te fáciam vultum eórum. Ego quippe dedi te hódie in civitátem munítam, & in columnam férream, & in murum æreum, super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, & sacerdótibus, & pópulo terræ. Et bellábunt adversùm te, & non prævalébunt; quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te.

Eccli. 49. Allelúia, allelúia. ℣. Surrexit quasi ignis, & verbum ipsíus quasi fácula ardébat: amplificátus est in mirabílibus suis.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Quis potest símiliter sic gloriári tibi, qui unxísti reges ad pœniténtiam, & confregísti fácilè poténtiam ipsórum? Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 5. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Vos estis sal terræ. Quòd si săl evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut míttatur foras, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux múndi. Non potést cívitas abscondi supra montem pósita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub módio, sed supĕr candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis ĕst. Nolíte putáre quóniam veni sólvere Legĕm, aut Prophétas; non veni sólvere; sed adimplĕre. Amen quippĕ dico vobis, donec tránseat cœlum & terra, ióta unum, aut unus apex non præteríbit à Lege, donec ómnia fĭant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur ĭn regno cœlórum: qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vŏcăbitur in regno cœlórum.

Dicitur Credo.

Dan. 2. *Offertorium.* Qui das sapiéntiam sapiéntibus, & sciéntiam intelligéntibus disciplínam; qui revélas profunda & abscóndita; tibi, Deus, confíteor, teque laudo, quia sapiéntiam & fortitúdinem dedísti mihi. Allelúia.

Secreta.

M. P. HÆc sacra quæ tibi offérimus, Dómine, eum nobis tuæ glóriæ zelum inspírent, quo accensus beátus Ambrósius, & reges unxit ad pœniténtiam, & fidem semper impávidè vindicávit; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Judith. 14. *Communio.* Ecce exámen apum in ore leónis erat, ac favus mellis; & de forti egressa est dulcédo. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui sanctum Pontíficem Ambrósium, & fortem ut corríperet, & elóquio suávem ut docéret, esse præstitísti; fac nos suavitátis tuæ sapóre in hoc sacramento recreátos, sic ejus documentis inténdere, ut per custódiam mandatórum tuórum ad cœléstia gáudia præparémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Die v.

In Festo

S. VINCENTII FERRERII,

Viol. Presbyteri.

Semiduplex.

Missa, Justus. *de Communi Presbyterorum, p.* xxv.

Die vi.

In Festo

SANCTI ISIDORI,

Virid. Episcopi & Doctoris.

Semiduplex.

Missa, In médio. *de Communi Doctorum, p.* xxj.

Die xiii.
In Festo
SANCTI JUSTINI,
Christianæ Religionis Apologistæ & Martyris.

Semiduplex.

Introitus.

Psal. 118. NArravérunt mihi iníqui fabulatiónes, sed non ut lex tua, Dómine: super omnes docentes me intellexi; quia testimónia tua meditátio mea est. Allelúia, allelúia.

Ibid. *Psalm.* Beáti immaculáti in via; * qui ámbulant in lege Dómini. Glória. Narravérunt.

Collecta. Orémus.

DEus, cujus múnere sanctus Justínus fidem Scriptis propugnávit & sánguine confirmávit; da infirmitáti nostræ ejus intercessióne virtútem, ut fidem quam voce profitémur, ópere exequámur; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pêtri Apóstoli.

1. Petr. 3. CAríssimi; Quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? sed & si quid patímini propter justîtiam, beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis, & non cônturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris: paráti semper ad satisfactiónem omni poscenti vos ratiónem de eâ, quæ in vobis est, spe: sed cum modéstia & timóre consciéntiam habentes bonam; ut in eo quod détrahunt de vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversâtiónem. Mélius est enim benefacientes (si voluntas Dei velît) pâti, quàm malefacientes.

Prolo. Eccli. Allelúia, allelúia. ℣. Postquàm se ámpliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis & Prophetárum, vóluit & ipse scríbere quæ ad Doctrínam & sapiéntiam pértinent.

Isaiæ 45. Allelúia, allelúia. ℣. Confúsi sunt & erubuérunt omnes; simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Márcum.

Cap. 13. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Ante præsides & reges stábitis propter me in testimónium illis; & in omnes gentes primùm oportet prædicári Evangélium. Et cùm dúxerint vos tradentes, nolíte præcogitáre quid loquámini; sed quod vobis datum fúerit in illa horâ, id loquímini: non enim vos estis loquentes, sed Spíritus sánctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater fílium: & consurgent fílii in parentes & morte áffícient eos: & éritis ódio ómnibus propter nomen méum. Qui autem sustinúerit in finem, hic salvus erit.

Dan. 2. *Offertorium.* Tibi, Deus Patrum nostrórum, confíteor, teque laudo, quia sapiéntiam & fortitúdinem dedísti mihi. Allelúia.

Secreta.

OBlátio munda, quæ tibi, Dómine, in sanctíssima tua Religióne offertur, hoc nobis tríbuat; ut eamdem Religiónem quam adversùs gentílium calúmnias tanto stúdio vindicávit beátus Martyr Justínus, & firmiter profiteámur, & dignis móribus glorificémus; Per eumdem.

Præfatio de Martyribus.

Psal. 22. *Communio.* Parasti, Dómine, in conspectu meo mensam, adversùs eos qui tríbulant me. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

PAne fórtium refecti in hac festivitáte beáti Mártyris Justíni, qui Christi Religiónem quam constanter

professus

profeſſus eſt, ſánguine ſuo ſignávit; quæſumus, Dómine, ut adversùs cupiditátes huic ſanctæ Religióni inimícas, étiam uſque ad ſánguinem repugnémus; Per eumdem.

Die xx.

SANCTI JOSEPH,

Alb. Sponſi B. Mariæ Virginis.

Solemne-Minus.

Introitus.

Psal. 104. COnſtítuit eum Deus dóminum domûs ſuæ, & príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. Ibid. Allelúia, allel. *Psalm.* Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus. Glória. Conſtítuit.

Collecta. Orémus.

M. P. CUſtódi nos, Dómine, protectióne perpétuâ, qui beátum Joſeph Unigénito tuo nutrítium, & Vírgini matri cuſtódem providiſti; Per eumdem.

Léctio libri Sâpiéntiæ.

Cap. 8. INtrans in domum meam, conquieſcam cŭm Sapiéntia: non enim habet amaritúdinem converſátio illíus, nec tædium convictus illíus, ſed lætîtiam & gáudium. Hæc cógitans apud me, & commémorans in corde meo, quóniam immortálitas eſt in cognatióne Sapiéntiæ, & in amicítia illíus delectátio bona, & in opéribus mánuum illíus honeſtas ſine defectióne, & in certámine loquélæ illíus ſapiéntia, & præcláritas in communicatióne sĕrmónum ipsíus; circuíbăm quærens, ut mihi illam aſſúmerem.

Psal. 20. Allelúia, allelúia. ℣. Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo, Dómine; glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Allelúia, allelúia. ℣. Erat Joſeph vir Maríæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus. Allelúia. Matt. 1.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 1. CUm eſſet deſponſáta mater Jeſu Mária Joſeph; ántequàm convenírent, inventa eſt in útero habens de Spíritu sáncto. Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollĕt eam tradúcere, vóluit occultè dimíttere ĕam. Hæc autem eŏ cogitante, ecce Angelus Dómini appáruit in ſomnis ei, dĭcens: Joſeph fili David, noli timére accípere Maríăm cónjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spíritu ſancto ĕſt. Páriet autem fílium, & vocábis nomĕn ejus, Jeſum: ipſe enim ſalvum fáciet pópŭlŭm sŭum à peccátis eórum.

Gen. 39. *Offertorium.* Invénit Joſeph grátiam coram Dómino ſuo, & miniſtrábat ei; à quo præpósitus ómnibus, gubernábat créditam ſibi domum, & univerſa quæ ei trádita fúerant. Allelúia.

Secreta.

M. P. PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſicut beátus Joſeph Unigénito tuo nato de María Vírgine, ſuis mánibus reverenter miniſtráre méruit, ita nos fácias cum cordis mundítia tuis altáribus deſervíre; Per eumdem.

Præfatio de SS. ad Familiam Christi pertinentibus.

Prov. 27. *Communio.* Qui cuſtos eſt Dómini ſui, glorificábitur. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. REfecti córpore & ſánguine tuo, Dómine Jeſu Chriſte, te ſúpplices exorámus, ut qui paréntibus tuis ſúbditus eſſe voluiſti, tuis nos fácias ſemper obedíre mandátis; Qui vivis & regnas.

Die xxi.
In Festo
SANCTI ANSELMI,
Episcopi & Doctoris.
Virid.

Simplex.

Missa, Sapiéntiam *de Communi Doctoris*, *p.* xxij.

Die xxii.
In Festo
SS. MARTYRUM,
Rub.
Pro Solemnitate Paschali occisorum.

Simplex.

Missa, Absterget, *ut in Communi plurium Martyrum Tempore Paschali*, *p.* xj. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut intercessióne sanctórum Mártyrum quos in solemnitáte Pascháli tibi consecrásti, similitúdinis mortis Christi & resurrectiónis mereámur esse partícipes; Per eumdem Dóminum.

Secreta.

DEus, cui in memóriam passiónis & Resurrectiónis Dómini nostri Jesu Christi incruentum hoc sacrifícium offérimus; fac nos sanctórum Mártyrum tuórum exemplo, per patiéntiam cúrrere ad promíssam in cœlo glóriam; Per eumdem.

Postcommunio. Orémus.

PEr hæc sacramenta quæ súmpsimus, da nobis, Dómine, in veritáte constántiam, ut eam opéribus & sermóne profiteámur, cui Mártyres tui usque ad sánguinis effusiónem adhæsérunt; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Die xxiii.
In Festo
SANCTI GEORGII,
Martyris.
Rub.

Semiduplex.

Missa, Protexisti. *de Communi unius Martyris Tempore Paschali*, *p.* vij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DEus qui beátum Geórgium gloriósâ remúneras palmâ Martyrii; da nos, eódem intercedente, ità Christi mórtui & resurgentis mystéria venerári, ut vitæ novitáte éadem ássequi mreeámur; Per eumdem.

Secreta.

REspice, Dómine, múnera quæ tuæ majestáti offérimus; & intercedente beáto Geórgio Mártyre tuo, da, ut cognoscámus cum illo virtútem esurrectiónis Christi; Qui tecum.

Postcommunio. Orémus.

CŒléstibus refecti sacramentis & gáudiis, súpplices te, Dómine, deprecámur, ut exemplo beáti Mártyris tui Geórgii, Christo cómmori valeámus, ut cum eódem Fílio tuo vivámus; Qui tecum.

Die xxv.
In Festo
SANCTI MARCI,
Rub.
Evangelistæ.

Duplex-Majus.

Introitus.

DOminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multâ. Allelúia, allelúia, allelúia. Psal. 67.

Psalm. Exurgat Deus, & dissipentur inímici ejus; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. Glória. Dóminus. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. A. DEus, qui beátum Marcum Evangelistam tuum evangélicæ prædicatiónis grátiâ sublimásti; tríbue, quæsumus, ejus nos semper & eruditióne proficere, & oratióne defendi; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pêtri Apóstoli.

1. Petr. 5. FRatres; Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam suam glóriam ĭn Christo Jesu, módicùm passos ipse perficiet, confirmábit, solîdabitque. Ipsi glórĭă, & impérium in sécula seculôrum: Amen. Per Silvánum fidélem fratrem vobis, ut árbĭtrŏr, bréviter scripsi; óbsecrans & contestans, hanc esse veram grátiam Dei, în qua statis. Salútat vos Ecclésia, quæ est in Babylónĕ coëlecta, & Marcus fîlius meus. Salutáte ínvicem in ôsculo sancto. Grátia vobis ómnibus, qui estis in Christo Jĕsŭ. Amen.

1. Thess. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm, sed & in virtúte, & in Spíritu sancto, & in plenitúdine multa.

Ibid. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Tradídimus vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 13. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: In omnes gentes primùm oportet prædicári Evangĕlium. Et cùm dúxerint vos tradentes, nolíte præcogitárĕ quid loquámini: sed quod datum vobis fúerit in illa hora, id loquĭmini. Non enim vŏs estis loquentes, sed Spíritus sănctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater fílium; & consurgent fílii in parentes, & morte ăffícient eos; & éritis ódio ómnibus propter nomen mĕum. Qui autem sustinúerit ĭn fĭnem, hic salvus erit. *Dicitur* Credo.

Offertorium. Sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur, non quasi homínibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Allelúia. 2. Thess. 1.

Secreta.

S. R. BEáti Marci Evangelistæ tui solemnitáte tibi múnera deferentes, quæsumus, Dómine, ut sicut illum prædicátio evangélica fecit gloriósum; ita nos ejus intercéssio, & verbo & ópere, tibi reddat acceptos; Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

1. Petr. 1. *Communio.* Verbum Dómini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod evangelizátum est in vos. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

S. R. TRíbuant nobis, qnæsumus, Dómine, contínuum tua sancta præsídium; ut, beáti Marci Evangelistæ tui précibus, dignè Evangélio Christi conversántes, fídei Evangélii collaborémus; Per eumdem Dóminum.

EODEM DIE. *Viol.*

Missa ad Stationem Processionis.

Introitus.

Psal. 101. DOmine, non avertas fáciem tuam à me: in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam; in quacumque die invocávero te, velóciter exaudi me. Allelúia, allelúia. *Psalm.* Dómine, Ibid. exaudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat. Glória. Dómine.

Non dicitur Glória in excelsis.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui culpas delinquéntium districtè feriendo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúses; ut qui pondus tuæ animadversiónis

cognóvimus, pietátis tuæ grátiam ſentiámus ; Per Dóminum.

Léctio libri Parâlipómenon.

Lib 2. Cap. 7. IN diébus illis ; Appáruit Salomóni Dóminus nôcte, & ait : Audívi oratiónem tuam, & elégi locum iſtum mihi in domum ſâcrifícii. Si cláuſero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locuſtæ, ut dévoret terram, & míſero peſtiléntiam in pópulum meum ; converſus autem pópulus meus, ſuper quos invocátum eſt nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquiſierit fáciem meam, & égerit peniténtiam à viis ſuis péſſimis : & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & sánábo terram eórum.

Pſal. 61. Allelúia, allelúia. ℣. Speráte in Deo, omnis congregátio pópuli : effúndite coram illo corda veſtra : Deus adjútor noſter in æternum. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Márcum.

Cap. 11. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque díxerit huic monti ; Tóllere, et mítere in mare : & non hæſitáverit in corde ſuo, ſed credíderit quia quodcumque díxerit, fiat ; fiet ei. Propterèa dico vobis, ómnia quæcumque orantes pétitis, crédite quia accipiétis ; & evénient vobis. Et cùm ſtábitis ad orandum, dimíttite ſi quid habétis ádversùs áliquem ; ut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccáta véſtra. Quòd ſi vos non dimiſéritis ; nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccáta veſtra.

Deut. 26. *Offertorium.* Réſpice de ſanctuário tuo, Dómine Deus, & de excelſo cœlórum habitáculo ; & bénedic pópulo tuo, & terræ quam dediſti nobis. Allelúia.

Secreta.

M. P. PRæſenti ſacrifício placátus, effunde quæſumus, Dómine, benedictiónis tuæ rorem ſuper terram noſtram ; & pro temporáli nobis collàta præſídio, ad vitam converte propítius æternam ; Per Dóminum.

Præfatio Paſchalis.

Communio. Tu in nobis es, Dómine ; & nomen tuum invocatum eſt ſuper nos : ne derelinquas nos. Allelúia.

Poſtcommunio. Orémus.

SIt nobis, quæſumus, Dómine, hujus participátio ſacramenti in tribulatióne ſolátium, in infirmitáte remédium, in tentatióne præſídium ; & indulgéntiam tuam humíliter poſcéntibus, delicta quibus iram merémur, clementer ignoſce ; Per Dóminum.

Benedicámus Dómino.

Die xxvi.

In Feſto

SANCTI CLETI,

Rub.

Papæ & Martyris.

Simplex.

Miſſa, Ecce conſtítui te. *de communi Summi Pontificis Martyris*, *p.* xiij.

Die xxvii.

In Feſto

SANCTI POLYCARPI

Rub.

Smyrnenſis Epiſcopi, & Martyris.

Semiduplex.

Introitus.

Eccli. 51. LIberaſti me, Dómine, de mánibus quæréntium ánimam meam & de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me ; à preſſúra flammæ, quæ circúmdedit me : & in médio ignis non ſum æſtuá-

tus.

Psal. 17. tus. Allelúia, allelúia, *PSALM.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Liberásti.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, cujus grátia beátum Polycarpum Pontíficem tuum in sacerdótium elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit; da nobis ex ejus imitatióne pópulum Christiánum & instrúere vivendi exemplo, & confirmáre patiendo; Per Dóminum nostaum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joânnis Apóstoli.

Cap. 2. ANgelo Smyrnæ Ecclêsiæ scribe: Hæc dicit primŭs, & novíssimus; qui fuit môrtuus & vivit: Scio tribulatiónem tuam, & paupertátem tuam; sĕd dives es: & blasphemáris ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt; sed sunt synagôga sátanæ. Nihil horum tímeas quæ passûrus es. Ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcĕrĕm, ut tentémini: & habébitis tribulatiónem diêbus decem. Esto fidélis usque ad mortem, & dabo tibi corônam vitæ. Quĭ habet aurem, áudiat quid Spíritus dîcat Ecclésiis: Qui vícerit, non lædĕtur à morte secunda.

Apoc. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Flamma non ardébit in te; quia ego Dóminus salvátor tuus.

Allelúia, allelúia. ℣. Esto fidélis usque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 24. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Tradent vos in tribulatiónem, & ŏccídent vos: & éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen mĕum. Et tunc scandalizabuntur multi, ĕt ínvicem tradent, & ódio habébunt ĭnvicem. Et multi pseudoprŏphétæ surgent, & sedúcent mŭltos. Et quóniam abŭndávit iníquitas, refrigescet cáritas multŏrum. Qui autem perseverávĕrĭt usque in finem, hic salvus ĕrit. Et prædicábitur hoc Evangélium regni in universo orbe, in testĭmŏnium ómnibus géntibus.

OFFERTORIUM. Si ímmolor supra sacrifícium & obséquium fídei vestræ, gáudeo & congrátulor ómnibus vobis: idipsum autem & vos gaudéte & congratulámini mihi. Allelúia. Phil. 2.

SECRETA.

M. P. PRæsenti sacrifício, Dómine, corda nostra purífica; & cum beáto Polycarpo Mártyre tuo atque Pontífice, tamquam pinguíssimum nos holocaustum assúme; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

COMMUNIO. Nihil horum tímeas quæ passúrus es: qui vícerit, non lædétur à morte secunda. Allelúia. Apoc. 2.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

Ex oratione S. Polycarpi. PAter Unigéniti & benedicti Fílii tui Jesu Christi, da nos, quæsumus, hujus virtúte sacramenti, in tribulatióne patientes, partem cápere cum beáto Polycarpo in cálice Christi tui, ad resurrectiónem vitæ æternæ; ut te laudémus & glorificémus per sempiternum Pontíficem Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Die xxviii.

In Festo Sanctorum Martyrum CAII & ALEXANDRI.

Rub. Duplex-Majus.

[*In Cathedrali & Civitate*, Solemne-Minus.]

Introitus.

Dan. 11. DOcti in pópulo docébunt plúrimos; & ruent in gládio, & in flamma, & in captivitáte. Allelúia, allelúia.

Psal. 111. *Psalm.* Beátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis. Glória. Docti.

Collecta. Orémus.

DEus, cujus Unigénitus sic hostem antíquum suâ virtúte prostrávit, ut étiam servos suos, Spíritu veritátis armátos, ipso rédderet fortióres: quæsumus, ut qui sanctis Martyribus Caio & Alexandro præstítit de sæviente triumphum, tríbuat nobis eórum précibus de blandiente victóriam; Qui tecum vivit ..... in unitáte ejusdem.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cap. 5. JUsti in perpétuum vivent, & apud Dóminum ĕst merces eórum, & cogitátio illórum âpud Altíssimum. Ideò accípient regnum decóris, & diadéma speciéi dĕ manu Dómini: quóniam déxtera sua teget eos, & bráchio sancto suo defêndet illos. Accípiet armatúrăm zelus illíus: & armábit creatúram ad ultiónem inîmicórum. Induet pro thŏráce justítiam, & accípiet pro gálea judîcium certum. Sumet scutum inexpŭgnăbile, æquitátem.

Sap. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace.

Allelúia, allelúia. ℣. Corpora ipsórum in pace sepulta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. Allelúia. Eccli. 44.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 6. IN illo témpore; Descendens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerusalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis; qui vénerant ut audírent eum, & sanarentur à languóribus sŭis. Et qui vexabantur à spĭrítibus immundis, curabăntur. Et omnis turba quærébăt eum tángere; quia virtus de illo exíbat, & sanábat ŏmnes. Et ipse elevátis óculis in dĭscípulos suos, dicĕbat: Bĕáti páuperes; quia vestrum est regnum Dĕi. Beáti qui nŭnc esurítis; quia saturabĭmini. Beátĭ qui nunc fletis; quia ridĕbitis. Beáti éritis cùm vos óderint hómines, & cùm separáverint vos; & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tanquam malum, proptĕr Fílium hóminis: gaudéte in illa die, & exultáte; ecce enim mercĕs vĕstra multa est in cœlo.

Judic. 5. *Offertorium.* Qui spontè obtulístis de Israël ánimas vestras ad perículum, benedícite Dómino. Allelúia.

Secreta.

SUscipe, Dómine, múnera quæ in sanctórum Mártyrum tuórum Caii & Alexandri solemnitáte deférimus, quorum nos confídimus patrocínio liberári; Per Dóminum.

Præfatio de Martyribus.

1. Petr. 1. *Communio.* Exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ, reportantes finem fídei vestræ, salútem animárum. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PRæsta, quæsumus, Dómine, per hæc sacra mystéria, ut Mártyrum beatórum sanguis, pro confessióne tui nóminis effúsus, sicut tua mirabília manifestat, qui pérficis in infirmitáte virtútem, ita nostris stúdiis det profectum, & fragilitáti præstet auxílium; Per Dóminum.

DIE XXIX.

In Festo
S. MARIÆ ÆGYPTIÆ
Pœnitentis.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS. Viol.

CONvertísti me, Dómine, & egi pœniténtiam; erúbui, quóniam sustínui oppróbrium adolescéntiæ meæ. Allelúia, allelúia. Jer. 14. *PSALM.* Misericórdias Dómini * in æternum cantábo. Glória. Convertísti me. Psal. 88.

COLLECTA. Orémus.

LArgíre nobis, miséricors Deus, ut beáta María Ægyptia, quæ te super ómnia diligendo suórum accépit véniam delictórum, pœniténtiæ salutáris donum nobis obtíneat; Per. M. P.

Léctio Isaîæ Prophétæ. Cap. 54.

IN momento indignatiónis abscondi fáciem meam parumper à te, & in misericórdia sempiterna míserтus sum tui; dixit redemptor tûus Dóminus. Sicut in diébus Noe istud mihi est, cui jurávi ne indúcerem aquas Noe ultrà supra terram: sic jurávi ut non irascar tibi, & non încrepem te. Montes enim commovebuntur, & collès contremiscent: misericórdia autem mea non recédet à te, & fœdus pacis meæ non movébitur; dixit miserátor tûus Dóminus.

Allelúia, allelúia. ℣. Ubi abundávit delictum, superabundávit grátia. Rom. 5.

Allelúia, allelúia. ℣. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. Allelúia. Psal. 65.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

IN illo témpore; Dixit Jesus princípibus sacerdótum, & senióribus pópuli: Homo quidam habébat duos fílios; & accédens ad primum, dixit: Fili, vade hódie, operáre in vínea méa. Ille autem respondens, ait: Nólo. Póstea autem, pœniténtia motus, ábiit. Accédens autem ad álterum, dixit simíliter. At ille respondens, ait: Eo, Dómine. Et non ívit. Quis ex duóbus fecit voluntátem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicáni & meretrices præcédent vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Joannes in via justítiæ, & non credidístis ei: publicáni autem & meretrices credidérunt ei, vos autem videntes nec pœniténtiam habuístis póstea, ut crederétis ei. Cap. 21.

OFFERTORIUM. Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies. Allelúia. Psal. 50.

SECRETA.

PRopitiáre, Dómine, iniquitátibus nostris, per hujus oblátionis méritum & intercessiónem beátæ Maríæ Ægyptiæ: ut perceptâ véniâ quam precámur, perpétuo misericórdiæ tuæ múnere gloriémur; Per Dóminum. M. P.

PRÆFATIO PASCHALIS.

COMMUNIO. Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam quæ perierat. Allelúia. Luc. 15.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, qui córporis tui viáticum, in signum perfectæ reconciliatiónis, Maríæ pœnitenti largíri vo- M. P.

luísti : præsta, quæsumus, ut qui hoc caritátis tuæ pignus accépimus, tanti beneficii fructum fidéliter conserváre mereámur; Qui vivis & regnas.

Die xxx.

In Festo

Rub. SANCTI EUTROPII,

Episcopi & Martyris.

Semiduplex.

Missa, Mittam, *ut in Communi Fundatorum Ecclesiarum, p.* xv. *Collecta*, Deus, qui per beátum. *ibid.*

FESTA MAII.

Die i.

In Festo

Rub. SS. PHILIPPI ET JACOBI

(Alphæi) Apostolorum.

Duplex-Majus.

Introitus.

Apoc. 21. FUndamenta (civitátis sanctæ Jerúsalem), omni lápide pretióso ornáta : Allelúia : & in ipsis nómina duódecim Apostolórum Agni. Allelúia, allelúia. Psal. 86. *Psalm.* Fundamenta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. Glória. Fundamenta.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui nos ánnuâ Apostolórum tuórum Philippi & Jacóbi solemnitáte lætíficas; da nobis ipsórum précibus, in Unigéniti tui Passióne & Resurrectióne consórtium : M. P. ut parátam in domo tua mansiónem hereditáte consequámur; Per eumdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 15. NOtum vobis fácio, Fratres, Evangélium quod prædicávi vobis, quod & accepístis, in quo & státis, per quŏd & salvámini : qua ratióne prædicáverim vobis, si tenétis, nisi frustrà crédidístis. Trádidi enim vobis in primis, quod & accépi; quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secundùm Scriptúras, & quia sepultus est, & quia resurrexit tértia die sĕcundùm Scriptúras; & quia vísus est Cephæ; & pôst hoc Undecim. Deinde vísus est plusquàm quingentis frátribus símul; ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dôrmiérunt. Deinde vísus est Jacóbo, deinde Apóstolis ómnibus : novíssimè autem ómnium tamquam abŏrtivo, vísus est & mihi.

Joan. 20. Allelúia, allelúia. ℣. Venit Jesus, & stetit in médio discipulórum, & dixit eis : Pax vobis.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Gavísi sunt discípuli, viso Dómino. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 14. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis : Non turbétur cor vĕstrum. Créditis in Deum; & in me crĕdite. In domo Patris mei mansiónes multæ sŭnt. Si quò minùs, dixíssem vobis; quia vado parárĕ vobis locum : & si abíero, & præparávero vobis locum; íterùm vénio, & accípiam vos ad meipsum; ut ubi sum ego, & vos sĭtis. Et quò egŏ vado, scitis, & viam scĭtis. Dicit ei Thŏmas : Dómine, nĕscímus quò vadis; & quómodò póssumus viam scire? Dicit ei Jesŭs : Ego sum via, & véritas, & vĭta. Nemŏ venit ad Patrem, nisi per mĕ. Si cognovissétis me, & Patrem meum útique cŏgnovissétis : & ámo-

dò

dò cognoscétis eum, & vidistis ĕum. Dicit ei Philĭppus: Dómine, ostendĕ nobis Patrem, & súfficit nŏbis. Dicit ei Jesŭs: Tanto témpore vŏbiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Pătrem. Quómodò tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non créditis, quiă ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à mĕipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit ŏpera. Non créditis, quiă ego in Patre, & Pater in me est? Alióquin propter ópera ipsa crĕdite. Amen, ămen dico vobis; qui credit in me, ópera quæ ego fácio, & ipse fáciet, & majóra horum fáciet; quia ego ad Patrem vădo. Et quodcumque petiéritis Patrem in nómine meŏ hoc fáciam: ut glorificétur Pater in Fĭlio. Si quid petiéritis me in nómĭnĕ mĕo, hoc fáciam.

Dicitur Credo.

Act. 1. *Offertorium.* Præbuit Jesus seipsum vivum Apóstolis post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei. Allelúia.

Secreta.

S. R. MUnera, Dómine, quæ pro Apostolórum tuórum Philippi & Jacóbi solemnitáte deférimus, propítius súscipe, & quam illi nos docuérunt, da nobis religiónem mundam & immaculátam; Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Joan. 14. *Communio.* Tanto témpore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem: non créditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Allelúia, allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. PUrífica, quæsumus, Dómine, mentes nostras per hæc sancta quæ súmpsimus; ut, cum Apóstolis tuis Philippo & Jacóbo, te in Patre, & Patrem in te contemplantes, vitam æternam habeámus; Qui vivis & regnas cum éodem Deo Patre.

Die 11.

In Festo
SANCTI ATHANASII,

Alexandrini Episcopi, & Eccleśiæ Doctoris. *Virid.*

Duplex-Minus.

Introitus.

Jer. 1. EGo dedi te in columnam férream, & in murum æreum, régibus Juda, princípibus ejus, & sacerdótibus: & bellábunt adversùm te, & non prævalébunt, quia ego tecum sum. Allelúia, allelúia. *Psalm.* Psal. 17. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Ego.

Collecta. Orémus.

M. P. PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut excelléntiam Verbi tui, quam beátus Athanásius asséruit, & convenienter intellígere valeámus, & veráciter profitéri; Per eumdem.

Léctio Epístolæ beatĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

2. Cor. 4. FRatres; Non nosmetipsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum; nos autem servŏs vestros per Jesum: quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere; ipse illuxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Chrîsti Jesu. Habémus autem thesaurum istum ĭn vasis fictílibus; ut sublímitas sit virtútis Dei, & nôn ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiá-

mur : aporiámur, ſed non deſtitúimur : perſecutiónem pátimur, ſed non derelínquimur : dejícimur, sĕd non perímus : ſemper mortificatiónem Jeſu in córpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtétur in corpôribus noſtris. Semper enim nos qui vívimus, in mortem trádĭmŭr propter Jeſum : ut & vita Jeſu manifeſtétur in carne nôſtra mortáli. Ergo mors in nobĭs operátur, vita âutem invobis. Habentes autem eumdem ſpíritum fídei, ſicut ſcriptum eſt ; Crédidi, propter quod locútus ſum ; & nos crédimus, propter quod & lóquimur : ſcientes quóniam qui ſuſcitávit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcĭtăbit, & conſtítuet vobiſcum.

Sap. 10. Allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia cuſtodívit illum ab inimícis, & à ſeductóribus tutávit illum ; & certámen forte dedit illi, ut vínceret.

2. Cor. 12. Allelúia, allelúia. ℣. Pláceo mihi in contuméliis, in neceſſitátibus, in perſecutiónibus, in angúſtiis pro Chriſto. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 10. IN illo témpore ; Dixit Jeſus duódecim diſcípulis sŭis : Cùm perſequentur vos in civitáte iſta, fúgite in ălíam. Aˇmen dico vobis, non conſummábitis civitátes Iſrael, donec véniat Fílius hŏminis. Non eſt diſcípŭlŭs ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dóminum sŭum. Súfficit diſcípulo, ut ſit ſicut măgiſter ejus ; & ſervo, ſicut dóminus ĕjus. Si patremfamílias Beélzĕbub vocavérunt ; quantò magis doméſticos ejus ? Ne ergo timŭéritis eos : nihil enim eſt opertum, quod non revelábitur ; & occultum, quod non ſciĕtur. Quod dico vobis in ténĕbrĭs, dícite in lúmine : & quod in aure ăudĭtis, prædicáte ſuper tecta.

Dicitur Credo.

Offertorium. Nullam réquiem hábuit caro noſtra : ſed omnem tribulatiónem paſſi ſumus ; forìs pugnæ, intùs timóres : ſed qui conſolátur húmiles, conſolátus eſt nos Deus. Allelúia. 2. Cor. 7.

Secreta.

REſpice, Dómine, múnera famulórum tuórum ſancti Athanáſii Confeſſóris tui atque Pontíficis feſtivitáte votíva : ejuſque fidem profiténtibus tuæ teſtificátio veritátis proſit ad ſalútem ; Per Dóminum. M. P.

Præfatio de Doctoribus.

Communio. Quiſquis confeſſus fúerit quóniam Jeſus eſt Fílius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Allelúia. 1. Joan. 4.

Postcommunio. Orémus.

DA nobis, quæſumus, omnípotens Deus, ut conſubſtantiális tibi Fílii tui divínitas, quam cum beáto Athanáſio fírmiter confitémur, per hoc ſacramentum vivíficet nos ſemper & múniat ; Per eumdem. M. P.

Die iii.

In feſto Inventionis

SANCTÆ CRUCIS.

Rub.

Solemne-Minus.

Introitus.

QUem occidérunt ſuſpendentes in ligno, hunc Deus ſuſcitávit tértiâ die, allelúia : & ipſe eſt, qui conſtitútus eſt à Deo judex vivórum & mortuórum. Allelúia, allelúia. *Psalm.* Dóminus regnávit, exultet terra : * lætentur ínſulæ multæ. Glória. Quem. Act. 10. Pſal. 37.

Collecta. Orémus.

M. A. DEus, qui in præclára salutíferæ Crucis inventióne Passiónis tuæ mirácula suscitásti ; concéde, ut vitális ligni prétio, æternæ vitæ suffrágia consequámur ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Côlossenses.

Cap. 2. FRatres ; In Christo inhábitat omnis plenitúdo Divinitátis corporáliter : & estis in illo repléti, qui est caput omnis principátus, & potestátis ; in quo & circumcísi estis circumcisióne non manu facta, in expoliatióne córporis carnis, sed in circumcisióne Christi : consepulti ei in baptísmo ; in quo & resurrexístis per fidem operatiónis Dei, qui suscitávit illum à mórtuis. Et vos, cùm mórtui essétis in delictis, & præpútio carnis vestræ, convivificávit cum illo, donans vobis ómnia delicta ; delens quod adversùs nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, & ipsum tulit de médio, affígens illud Cruci : & expólians principátus, & potestátes ; traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

Psal. 95. *juxta antiq. versionem.* Allelúia, allelúia. ℣. Dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit (à ligno.)

1. Cor. 33. Allelúia, allelúia. ℣. Crucifixus est ex infirmitáte ; sed vivit ex virtúte Dei. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 3. IN illo témpore ; Erat homo ex Pharisæis, Nicodémus nómine, Princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei : Rabbi, scimus quia à Deo vénisti magíster : nemo enim potest hæc signa fácere, quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo. Respondit Jesus, & dixit ei : Amen, ámen dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuò, non potest vidére regnum Dei. Dicit ad eum Nicodémus : Quómodò potest homo nasci, cùm sit senex ? numquid potest in ventrem matris suæ iterátò introíre, & renasci ? Respondit Jesus : Amen, dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est ; & quod natum est ex Spíritu, spíritus est. Non miréris quiá dixi tibi, Oportet vos nasci denuò. Spíritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis ; sed nescis unde véniat, aut quò vadat : sic est omnis qui natus est ex Spíritu. Respondit Nicodémus, & dixit ei : Quómodò possunt hæc fieri ? Respóndit Jesus, & dixit ei : Tu es magíster in Israel, & hæc ignóras ? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, lóquimur, & quod vídimus, testámur ; & testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis, & non créditis ; quómodò, si díxero vobis cœléstia, credétis ? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. Et sicut Móyses exaltávit serpentem in deserto ; ita exaltári oportet Fílium hóminis ; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed hábeat vitam æternam.

Dicitur Credo.

Offertorium. Peccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum ; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. Allelúia. 1. Petr. 2.

Secreta.

M. P. DEvótas, Dómine, humilitátis nostræ preces & hóstias, misericórdiæ tuæ præcédat auxílium ; & salútem quam per Adam in paradísi ligno cláuserat temerária præsúmptio, ligni rursùm fides apériat ; Per.

Præfatio de Cruce.

Col. 1. *COMMUNIO.* Erípuit nos Deus de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ: pacíficans per sánguinem Crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. A. REpléti alimóniâ cœlesti, & spirituáli póculo recreáti, quæsumus, omnípotens Deus, ut ab hoste maligno nos defendas, quos per lignum sanctæ Crucis Fílii tui triumpháre fecísti; Per eumdem.

DIE IV.
In Festo
SANCTÆ MONICÆ
Viduæ.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Viol. Luc. 15. COngratulámini mihi, quia fílius meus mórtuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. Allelúia, allelúia. Psal. 100. *PSALM.* Misericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine. Glória. Congratulámini.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus mœréntium consolátor, & in te sperántium salus, qui beátæ Mónicæ pias lácrymas in conversióne fílii sui Augustíni misericórditer suscepísti: da nobis utriusque interventu peccáta nostra pœniténtiæ lácrymis elúere, & grátiæ tuæ indulgéntiam invenire; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Timótheum.

1. Tim. 5. CAríssimè: Víduas honóra, quæ verè vîduæ sunt. Si qua autem vídua fílios aut nepótes habet, discat primùm domum suam régere, & mútuam vicém réddere paréntibus: hoc enim acceptum est côram Deo. Quæ autem verè vídua est, ět desoláta, sperat in Deum, & instet obsecratiónibus & oratiónibus nôcte ac die. Nam quæ in dělíciis est, vivens môrtua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensîbiles sint. Si quis autem suórum, & máximè domesticórŭm curam non habet; fidem negávit, & est infidêli detérior. Vídua eligátur non minùs sexaginta annórum, quæ fúerit uníus viri uxor, in opéribus bonis testĭmónium habens; si fílios educávit, si hospítio recépit, si sanctórum pedes lavit, si tribulatiónem patiéntibus subministrávit, si omne opŭs bŏnum subsecúta est.

Allelúia, allelúia. ℣. Non despíciet Dóminus víduam, si effundat loquélam gémitûs. Eccli. 35.

Allelúia, allelúia. ℣. Quantas ostendísti mihi tribulatiónes, Dómine! & conversus consolátus es me. Allelúia.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

IN illo témpore; Ibat Jesus in civitátem, quæ vŏcátur Naim: & ibant cum eo discípuli ejus, & turba copiŏsa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis; ecce defunctus efferebátur fílius únicus matris suæ; & hæc vídua erat: & turba civitátis multa cum ĭlla. Quam cùm vĭdisset Dóminus, misericórdia motus super eam, dixit ĭlli: Noli flĕre. Et accessit, & tétigit lŏculum. (Hi autĕm, qui portábant, stetĕrunt.) Et ăit: Adolescĕns, tibi dico, Sŭrge. Et resédit quĭ erat mórtuus, & cœpit lŏqui. Et dedit illum matri sŭæ. Accépit autĕm omnes timor, & magnificábant Deum, dicĕntes: Quia Prophéta magnus sŭrrexit in nobis; & quia Deus visĭtăvit plebem suam. Cap. 7.

OFFERTORIUM. Pro púero ísto orávi; & dedit mihi Dóminus pe- 1. Reg. 1.

titiónem

titiónem meam, quam poſtulávi eum. Allelúia.

SECRETA.

M. P. GRata ſint, tibi, Dómine, noſtræ devotiónis múnera in hac feſtivitáte beátæ Mónicæ Víduæ: & qui ſolus es bonum noſtrum, da nobis ejus précibus avértere à mundánis óculos, & te unum júgiter intuéri; ut creatúra vileſcat, & Creátor in corde dulceſcat; Per Dóminum.

PRÆFATIO de MULIERIBUS.

Luc. 7. *COMMUNIO.* Dóminus miſericórdiâ motus, réddidit fílium matri ſuæ. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. MIſéricors, Dómine, fidélium tuórum conſolátor, reple nos multitúdine dulcédinis tuæ, quam in hoc ſacramento abſcondiſti timéntibus te: & cum ancilla tua Mónica domûs tuæ bonis anhelantes, fac nos patienter vívere, ut delectabíliter moriámur; Per Dóminum.

DIE VI.
In Feſto
SANCTI JOANNIS
Evangeliſtæ, ante Portam Latinam.

DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

Iſaiæ. 43. NOli timére; meus es tu: cùm ambuláveris in igne, non comburéris; quia ego Dóminus Deus tuus, Sanctus Iſrael, ſalvátor tuus. Allelúia, allelúia. Pſal. 17. *PSALM.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea:* Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Noli.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus qui cónſpicis quia nos úndique malá noſtra perturbant: præſta, quæſumus, ut beáti Joannis Apóſtoli tui & Evangeliſtæ conféſſio glorióſa nos prótegat; Per Dóminum

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 1. EGo Joannes frater veſter, & párticeps in tribulatióne, & regno, & patiéntia ĭn Chriſto Jeſu: fui in ínſula, quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei, & teſtimônium Jeſu. Fui in ſpíritu in Dŏmínica die, & audívi poſt me vocem magnam tamquam tûbæ, dicentis: Quod vidĕs, ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccléſiis, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pérgamo, & Thyatíræ, & Sardis, & Philadĕlphĭæ, & Laodicíæ.

Job. 23. Allelúia, allelúia. ℣. Probávit me Dóminus quaſi aurum quod per ignem transit: veſtígia ejus ſecútus eſt pes meus.

Apoc. 22. Allelúia, allelúia. ℣. Beáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni, ut ſit poteſtas eórum in ligno vitæ. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 10. IN illo témpore; Accédunt ad Jeſum Jacóbus & Joannes fílii Zebedæi, dicĕntes: Magiſter, vólumus, ut quodcumquĕ petiérimus, fácias nŏbis. At ille dixit ĕis: Quid vultis ut fáciam vobis? Et dixĕrunt: Da nobis, ut unus ad déxteram tuam, & álius ad sĭniſtram tuam, ſedeámus in glória tŭa. Jeſus autem ait ĕis: Neſcítis quid petátis: poteſtis bíbere cálicem, quem ego bibo: aut baptiſmo, quo ego baptízor, baptizári? At illi dixérunt ĕi: Pŏſſumus. Jeſus autem ait ĕis: Cálicem quidem, quem ego bibo, bibétis: & baptiſmo, quo ego baptízor, băptizabímini: ſedére autem ad déxteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum darĕ vŏbis: ſed quibus parátum eſt. *Dicitur* Credo.

Marc. 10.

OFFERTORIUM. Cálicem, quem ego bibo, bibétis: & baptísmo, quo ego baptízor, baptizabímini. Allelúia.

SECRETA.

MUnda nos, quæsumus, Dómine, hujus mundæ oblatiónis intúitu: & sicut beátum Joannem in ferventi óleo illæsum custodísti; ita nos inter vários cupiditátum æstus immaculátos serváre dignéris; Per.

PRÆFATIO de APOSTOLIS.

Apoc 1. *COMMUNIO.* Joannes testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcumque vidit. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, qui per beátum Joannem Apóstolum tuum & Evangelístam, arcána Verbi tui Eccléſiæ revelásti; concéde, quæsumus, per hæc sacra Mystéria, ut quod ille, afflante Spíritu sancto, nostris áuribus infúdit, eódem adjuvante, valeámus, & corde crédere, & ore atque ópere confitéri; Per eumdem. . . . . in unitáte ejusdem.

DIE VII.
In Festo
SANCTI FULGENTII,
Episcopi & Doctoris.

SEMIDUPLEX.

Missa, In médio, *de Communi Doctorum*, *p.* xxj.

[DIE VIII.

Si fiat alicubi de S. GABRIELE,

INTROITUS.

Apoc. 22. DOminus, Deus spirítuum Prophetárum, misit Angelum suum osténdere servis suis, quæ oportet fíeri citò; & qui audit, dicat: Veni. Allelúia, allelúia.

Psal. 79. *PSALM.* Qui regis Israël, intende: *qui dedúcis velut ovem Joseph. Glória. Dóminus.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui beáti Gabriélis Archángeli ministério, magnum pietátis tuæ sacramentum nuntiáre voluísti: fac nos, ipso interveniente, in Verbum tuum quod manifestátum est, in carne, sic crédere, ut ad eam in qua assumptum est, glóriam perducámur; Per eumdem.

Léctio Daniêlis Prophétæ.

Cap. 9. ME loquente in óratióne, ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne, à princípio, citò volans tétigit me in témpore sacrifícii vêspertíni. Et dócuit me, & locútus est mihi, dixitque: Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, & intélligeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo: ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadverte sermónem, & intéllige vîsiónem. Septuaginta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, & super urbem sanctam tuam ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempiterna, & impleátur vísio & prophétia, & úngátur Sanctus Sanctórum.

Luc. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Angelus Dómini dixit pastóribus: Ecce evangelízo vobis gáudium magnum; quia natus est vobis Salvátor.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Facta est cum Angelo multitúdo milítiæ cœléstis laudántium Deum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 1. IN illo témpore; Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, dé domo David; & nomen vírginis, Maria. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plená, Dóminus tecum: benedícta tu

in muliĕribus. Quæ cùm audiſſet, turbáta eſt in sĕrmóne ejus; & cogitábat qualis eſſet iſta ſalutătio. Et ait Angelus ĕi: Ne tímeas, María, invenisti enim grátĭăm apud Deum, ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus, Jesŭm. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur; & dabit illi Dóminus Deus ſedem Dăvid patris ejus: & regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit fĭnis. Dixit autem María ad Aŭngelum: Quómŏdŏ fiet istud, quóniam virum non cognoſco? Et rĕſpondens Angelus, dixit ĕi: Spíritus ſanctus ſupervéniet in te, & virtus Altíſſimi obŭmbrábit tibi: ideóque & quod naſcétur ex te ſanctum, vocábitur Fílius Dĕi. Et ecce Elísabeth cognáta tua, & ipſa concépit fílium in ſenectúte ſua; & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vŏcátur ſtérilis: quia non erit impoſsíbile apud Deum omne vĕrbum. Dixit autem Maria: Ecce ăncilla Dómini; fiăt mihi ſecundùm verbum tuum.

Dicitur Credo.

Luc. 1. *Offertorium.* Appáruit Zacharíæ Angelus Dómini, ſtans à dextris altáris incenſi, & dixit ei: Ego ſum Gábriel, qui aſto ante Deum; & miſſus ſum loqui ad te; & hæc tibi evangelizáre. Allelúia.

Secreta.

EX hoc altári, Dómine, múnera & vota credéntium exhíbeat tibi aſtans ante te Gábriel Angelus; qui miſſus à te, & ſtans à dextris altáris incenſi obmutéſcere juſſit incrédulum; Per Dóminum.

Præfatio de Angelis.

Apoc. 1. *Communio.* Grátia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt; & à ſeptem ſpirítibus qui in conſpectu throni ejus ſunt. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

SUmpta myſtéria nos rénovent, Dómine Deus noſter; & fructum Incarnatiónis Domínicæ, quam Gábriel Archángelus nuntiávit, in nobis operentur, & júgiter conſervent; Per eumdem.]

Die ix.

In Feſto

S. GREGORII NAZIANZENI, *Virid.*

Conſtantinopolitani Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex-Minus.

Introitus.

DOminus magnus ſpíritu intelligéntiæ replébit illum; & ipſe tanquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ; & in lege teſtamenti Dómini gloriábitur. Allelúia, allelúia. Eccli. 39. *Psalm.* Confitébor tibi, Dómine, in toto corde me; * narrábo ómnia mirabília tua. Glória. Dóminus. Pſal. 9.

Collecta. Orémus.

OMnípotens, æterne Deus, qui Eccléſiæ tuæ fílios ſicut non ceſſas erudíre, ita non déſinis adjuváre: da fidélibus tuis, interceſſióne beáti Gregórii Nazianzéni, quem eis æterne ſalútis miniſtrum tribuiſti; ut te miſerante, ſciéntiam recta faciendi, & virtútem cápiant exequendi; Per. S. R.

Léctio libri Ecclêſiáſtici.

SApiéntiam ómnium antiquórum ĕxquíret ſápiens, & in prophêtis vacábit. Narratiónem virórum nominatórŭm conſervábit, & in verſútias parabolárum ſimul întroíbit. Occulta proverbĭórum exquíret, & in abſcónditis parabolárum cônverſábitur. In médio magnatórŭm miniſtrábit, & in conſpectu præſidis âpparébit. In terram alienigenárŭm géntium pertránſiet: bona enim & mala in homîni- Cap. 39.

bus tentábit. Cor ſuum tradet ad vigilandum dilúculò ad Dóminum, quĭ fecit illum; & in conſpectu Altíſſimi dêprecábitur. Apériet os ſuum in ŏratióne, & pro delictis ſuis dêprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, ſpíritu intelligéntiæ replébit illum: & ipſe tamquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ, & in oratióne confĭtébitur Dómino: & ipſe díriget consílium ejus, & diſciplínam, & in abſcónditis ſuis consîliábitur. Ipſe palam fáciet diſciplínam dŏctrínæ ſuæ, & in lege teſtamenti Dómini glôriábitur. Collaudábunt multi ſapĭéntiam ejus, & uſque in ſéculum nôn delébitur. Non recédet mĕmória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generâtiónem. Sapiéntiam ejus enărrabunt gentes, & laudĕm ĕjus enuntiábit Eccléſia.

Eccli. 51. Allelúia, allelúia. ℣. Danti mihi ſapiéntiam dabo glóriam.

Math. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 13. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hănc: Símile eſt regnum cœlórum theſauro ăbſcóndito in agro; quem qui invénit homo, abſcondit, & præ gáudio illíus vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum ĭllum. Iterùm símile eſt regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærenti bonăs margarítas: inventa autem una pretióſa margaríta, ábiit, & véndidit ómnia quæ hábuit, & emit ĕam. Iterùm símile eſt regnum cœlórum ſagénæ miſſæ in mare, & ex omni génere píſcĭŭm congreganti; quam, cùm impléta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegérunt bonos in vaſa, malos autem foras miſĕrunt. Sic erit in conſummatióne sĕculi. Exíbunt Angeli, & ſeparábunt malos de médio juſtórum, & mittent eos in cămínum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dĕntium. Intellexiſtis hæc ómnia? Dicunt ĕi: Etiam. Ait ĭllis: Ideò omnis Scriba doctus ĭn regno cœlórum, símilis eſt hómini patrifamílias, qui profert de theſaurŏ sŭo nova & vétera.

Dicitur Credo.

Offertorium. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo; & in nómine meo exaltábitur cornu ejus. Allelúia. Pſal. 88.

Secreta.

HOc munus pópuli tui, Dómine, ſancti Doctóris Gregórii deprecatióne ſit gratum; & Eccléſia tua ejus ſemper interceſſiónibus adjuvétur, cujus cœléſtibus indeſinenter inſtrúitur diſciplínis; Per Dóminum.

Præfatio de Doctoribus.

Communio. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Eccléſia. Allelúia. Eccli. 39.

Postcommunio. Orémus.

DA, quæſumus, Dómine, per hæc ſacramenta quæ ſúmpſimus, ut beáti Doctóris Gregórii Nazianzéni exemplis páriter & mónitis informáti, ſéculi hujus calíginem ſine perículo tranſeámus; Per Dóminum.

Die xi.

In Feſto SANCTI MAMERTI, Viennenſis Epiſcopi.

Simplex. *Virid.*

Introitus.

STátuit illi Dóminus teſtamentum pacis; príncipem ſanctórum, ut ſit illi ſacerdótii dignitas in æternum. Allelúia, allelúia. Eccli. 45.

Psalm. Miſericórdias Dómini * in æternum cantábo. Glória. Státuit. Pſal. 88.

Collecta.

COLLECTA. Orémus.

M. P. CLamantes ad te, quæſumus, Dómine, dignanter exaudi: ut ſicut ad preces beáti Pontíficis tui Mamerti pópulo in afflictióne póſito pepercíſti; ita & nobis, ejus interceſſióne, in omni tribulatióne ſuccurras; Per Dóminum.

Léctio libri Sâpiéntiæ.

Cap. 18. PRóperans homo ſine queréla deprecári pro pópulis, Dómine; próferens ſervitútis ſuæ ſcutum, oratiónem; & per incenſum deprecatiónem allégans; réſtitit iræ, & finem impóſuit nĕceſſitáti; oſtendens quóniam tûus eſt fámulus. Vicit autem turbas, non in virtúte córporis, nec armătúræ poténtia; ſed verbo illum, qui ſe vexábat, ſubjécit; juramenta parentum, & teſtamêntum commémorans. Cùm enim jam acervátim cecidiſſent ſuper ăltérutrum mórtui; intérſtitit, & amputávit ímpetum, & diví-ſit illam quæ ăd vivos ducébat viam.

Eccli. 50. Allelúia, allelúia. ℣. Quaſi vas auri ſólidum, ornátum omni lápide pretióſo, ſic ille effulſit in templo Dei.

Pſal. 64. Allelúia, allelúia. ℣. Beátus quem elegiſti, Dómine, & aſſumpſiſti: inhabitábit in átriis tuis. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 7. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Pétite, & dábitur vobis; quærite, & ĭnveniétis: pulſáte, & aperiétur vŏbis. Omnis enim qui petit, áccipit; & quĭ quærit, ínvenit: & pulſanti aperiĕtur. Aut quis ex vobis homo, quem ſi petíerit fílĭŭs ſuus panem, numquid lápidem pórriget ei? Aut sĭ piſcem petíerit, numquid ſerpentem pórriget ei? Si ergo vos, cùm ſitis mali, & noſtis bona data darĕ fíliis veſtris: quantò magìs Pater veſter, qui in cœlis, eſt, dabit bona peténtibus ſe? Omnia ergo quæcumque vultis ut fácĭănt vobis hómines, & vos fácite ĭllis. Hæc eſt enĭm Lĕx, & Prophétæ.

OFFERTORIUM. Indútus eſt ſanctis véſtibus, ut miniſtráret Dómino; & únctio ejus in ſecerdótium ſempiternum. Allelúia. Exod. 40.

SECRETA.

M. P. VOtíva tibi, Dómine, múnera offérimus in feſtivitáte beáti Mamerti: nos, quæſumus, eo ſupplicante, ab iracúndiæ tuæ terróribus líbera, & miſericórdiæ tuæ fac largitáte ſecúros; Per.

PRÆFATIO de PONTIFICIBUS.

Matt. 24. *COMMUNIO.* Fidélis ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam, ut det illis cibum in témpore: beátus ille ſervus, quem, cùm vénerit Dóminus, invénerit ſic facientem. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SIt nobis, Dómine, tutéla mentis & córporis, quod in commemoratióne ſancti Mamerti de ſacri altáris tui benedictióne percépimus: ut nullis adverſitátibus quatiámur, qui tanti myſtérii participatióne munímur; Per Dóminum.

DIE XII.

In Feſto

SANCTI EPIPHANII, *Virid.*

Epiſcopi & Doctoris.

SIMPLEX.

Miſſa, Sapiéntiam, *de Communi Doctorum*, *p.* xxij. *& non dicitur*, Credo.

DIE XIV.

In Feſto

SANCTI PACHOMII, *Viol.*

Abbatis.

SEMIDUPLEX.

Miſſa, Circuiérunt. *de Communi Abbatum*, *pag.* xxvj. *Collecta*, Da nobis. *ibid.*

Die xv.

In Festo Sanctarum Mulierum Mariæ Jacobi et Salomes.

Semiduplex.

Introitus.

Cant. 2. OLeum effúsum nomen tuum: post te currémus in odórem unguentórum tuórum: exultábimus & lætábimur in te. Allelúia, allelúia. *Psalm.* Confitébimur tibi Deus : * confitébimur & invocábimus nomen tuum. Glória. Oleum.

Collecta. Orémus.

DEus, cui tam viventi quam mórtuo, sanctæ Mulíeres María Jacóbi & Salóme devótis studuérunt obséquiis famulári ; tríbue, quæsumus, eárum nos pietátem sic sincéris méntibus imitári, ut sicut illis ad solátium apparuísti redivívus à mórtuis, ita nobis ad præmium aliquando justus judex appáreas; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Léctio Cántici Cânticórum.

Cap. 3. FErculum fecit sibi Rex Sálomon dě lignis Líbani : columnas ejus fecit argénteas, reclinatórium áureum, ascensum purpúreum : média caritáte constrávit propter fílias Jêrúsalem. Egredímini, & vidéte, fíliæ Sion, Regěm Salomónem in Diadémate, quo coronávit illum mater sua, in die desponsatiónis illíus, & in die lætítiæ cordis ejus.

Matt. 27. Allelúia, allelúia. ℣. Mulíeres multæ secútæ erant Jesum à Galilæa, ministrantes ei ; inter quas erat María Jacóbi, & mater filiórum Zebedæi.

Joan. 12. Allelúia, allelúia. ℣. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 28. IN illo témpore : Angelus Dómini Descendit de Cœlo, & accedens revolvit lápidem, & sedébat super eum ; erat autem aspectus ejŭs sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. Præ timóre autem ejus extérriti sunt custódes, & facti sunt velut mŏrtui. Respondĕns autem Angelus, Dixit muliĕribus : nolíte timére vos : scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis : Non est hic : surrexit enĭm sicut Dixit; veníte & vidéte locum ubi pósitus erat Dŏminus. Et citò euntes Dícite Discípulis ejus quia surrexit: & ecce præcédet vos ĭn Galilæam : ibi eum vidébitis, ecce prædixi vŏbis. Et exiérunt de monumento cum timóre ĕt gáudio magno, currentes nuntiáre Discípulis ĕjus. Et ecce Jesus occurrit illis Dĭcens : Avĕte. Illæ autĕm accessérunt, & tenuérunt pedes ejus, & adoravérunt ĕum. Tunc ait illis Jesŭs : nolíte timĕre. Ite nuntiáte frátribus meis, ut eant in Galĭlæam, ibi me vidébunt.

Dicitur Credo.

Offertorium. Mulíeres ante lucem fuérunt ad monumentum, & non invento córpore Jesu venérunt dicentes se étiam visiónem angelórum vidisse qui dicunt eum vívere. Allelúia. Luc. 24.

Secreta.

SUscípiat Cleméntia tua, Deus, majestáti tuæ munus oblátum, & sanctárum interventu mulíerum quæ sepulto Dómino pretiósa detulérunt arómata, fragrent étiam in nobis odoramenta virtútum; Per eumdem Dóminum.

Præfatio de Sanctis qui cum Christo vixerunt.

Communio. Ecce Jesus occurrit muliéribus, dicens : Avéte. Illæ au- Matt. 28.

tem accesſérunt, & tenuérunt pedes ejus, & adoravérunt eum. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

AB hac mensâ ſurgentes, Dómine, tanquam à monumento ſanctæ mulíeres cum timóre & gáudio magno; præſta, quæſumus, ut ſicut illæ ab Angelórum collóquio ad tenendos Chriſti pedes Accesſérunt, ita nos guſtáto hîc pane Angelórum ad æternum Chriſti tranſeámus amplexum. Per eumdem Dóminum.

Die xvi.

In Feſto

Virid. SANCTI GERMERII,

Epiſcopi.

Simplex.

Miſſa, Exaltávi, *de Communi Pontificis*, *p.* xvij.

Die xvii.

In Feſto

Rub. S. JOANNIS NEPOMUCENI,

Presbyteri & Martyris,

Simplex.

Miſſa, Protexiſti, *de Communi unius Martyris Tempore Paſchali*, *p.* vij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui ob invictum beáti Joannis ſacramentále ſiléntium, novâ Eccléſiam tuam martyrii coróná decoraſti, da nobis ejus interceſſióne & exemplo, linguam cautè cuſtodíre; ac ómnia pótiùs mala, quàm ánimæ detrimentum, in hoc ſéculo toleráre; Per Dóminum.

Secreta.

HÆc tua, Dómine, myſtéria illum in nobis ignem accendant, quo ínclytus Martyr & Sacerdos tuus Joannes ea peragendo flagrábat; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

FRagilitátem noſtram, Dómine, Cœleſtis hæc menſa fórtium pane confirmet, qui beáti Mártyris & Sacerdótis tui Joannis tentátam contrà honórem ſacramenti conſtántiam, júgiter áluit ad victóriam; Per eumdem.

Die xix.

In Feſto

SANCTI CŒLESTINI, Virid.

Papæ.

Semiduplex.

Miſſa, Congregábo, *de Communi ſummi Pontificis non Martyris*, *p.* xiv. *Pro Com. S. Yvonis, Presb.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum Yvónem Preſbyterum, miſericórdiæ viſcéribus impleviſti; præſta quæſumus, ut quem páuperum patrem tuâ grátiâ effeciſti, benignum apud te júgiter habeámus interceſſórem; Per.

Secreta.

OBláta múnera, quæſumus, Dómine, propítius ſúſcipe; eaque víſcera caritátis, quæ beáto Yvóni Presbytero infudiſti, fac nos pérpeti ejus ſuffrágio perſentíre; Per.

Postcommunio. Orémus.

PRopitiáre, Dómine, pópulo tuo, cœleſti pane nutríto; & intercedente beáto Yvóne Presbytero, perpétuæ miſericórdiæ afflictis ómnibus impende ſubsídium; Per Dóminum.

Die xx.

In Feſto

SANCTI BAUDILII, Rub.

Martyris.

Simplex.

Tempore Paſchali, Miſſa, Protexiſti, *de Communi unius Martyris*, *p.* vij. *Collecta*, Adeſto. *ibid.*

Extrà Tempus Paſchale, Miſſa, A Dómino. *p.* iv.

DIE XXIV.
In Festo
Viol. S. JOANNIS FRANCISCI REGIS,
Presbyteri.
SEMIDUPLEX.
Missa, Justus. *de Communi Presbyterorum, p.* xxv.

DIE XXV.
In Festo
Rub. SANCTI URBANI,
Papæ & Martyris.
Missa, Ecce, *de Communi Summi Pontificis Martyris, pag.* xiij.

DIE XXVI.
In Festo
Vi id. SANCTI AUGUSTINI,
Cantuariensis Episcopi.
SIMPLEX.
Missa, Mittam, *de Communi Fundatorum Ecclesiarum, pag.* xv. *Collecta*, Deus, cujus ineffábili.

DIE XXVIII.
In Festo.
Viol. SANCTI GUILLELMI,
Aquitaniæ Ducis, Comitis Tolosani,
demùm Monachi.
SEMIDUPLEX.
Missa, Quis dabit, *de Communi Monachorum p.* xxviij. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.
DA nobis quæsumus, Dómine, beátum Guillelmum imitári; ut seculáribus expediti negótiis, donis cœléstibus, te largiente ditémur; Per Dóminum.

SECRETA.
UT accepta majestáti tuæ, nostra reddátur oblátio, dita nos, Deus, paupertátis spíritu, quo beátus Guillelmus, ut te solo dives esset, peritúra séculi bona calcávit; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.
DA nobis, Dómine, Angelórum pane satiátis, hanc cœléstis glóriæ suavitátem prægustáre, quâ replétus fidélis servus tuus Guillelmus, temporália cuncta fastidívit; Per Dóminum.

DIE XXIX.
In Festo
SANCTI GERMANI, *Virid.*
Parisiensis Episcopi.
SIMPLEX.
Missa, Exaltávi, *de Communi Pontificis, p.* xvij. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.
DEus, sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti: da Eccléstæ tuæ in ejus Natalítio exultanti ut apud misericórdiam tuam, exemplis ejus protegátur & méritis; Per. *M. P.*

SECRETA.
SAcrifícium nostrum tibi, Dómine, quæsumus, beáti Germáni Pontíficis precátio sancta concíliet, in cujus festivitáte solémniter exhibétur; Per Dóminum. *M. P.*

POSTCOMMUNIO. Orémus.
DEus, qui sanctum Pontíficem Germánum glorificásti in conspectu regum; da, ut qui pane nutrímur præbente delícias régibus, amícam régibus justis, & terríbilem delinquéntibus veritátem, ac sapiéntiam sectémur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat. *M. P.*

DIE XXXI.

DIE XXXI.
In Festo
SANCTI SILVII,
Episcopi.
SIMPLEX.

Missa, Exaltávi, *ut in Communi Pontificis*, *p.* xvij.

Virid.

FESTA JUNII.

DIE II.
In Festo
SS. MARTYRUM POTHINI,
Lugdunensis Episcopi, BLANDINÆ
Virginis, & Sociorum.
SEMIDUPLEX.

Rub.

INTROITUS.

Eccli. 44. LAudémus viros glorióſos, & parentes noſtros in generatióne ſua: ſapiéntiam ipſórum narrent pópuli, & laudem eórum núntiet Eccléſia. (*Tempore Paſchali.* Allelúia, allelúia.) Psal. 32. *PSALM.* Exultáte, juſti, in Dómino: * rectos decet collaudátio. Glória. Laudémus.

COLLECTA. Orémus.

M. P. MArtyrum tuórum Pothíni Pontíficis, Blandínæ Vírginis, & Sociórum ſolémnia recenſentes, ſúpplices te, Dómine, deprecámur ut in tua caritáte radicáti & fundáti, paſſiónes hujus témporis amóre illíus glóriæ quæ revelanda eſt in nobis, invicto ánimo ſuſtinére valeámus; Per.

DE SANCTIS MARCELLINO ET PETRO MARTYRIBUS.

M. P. DA nobis, omnípotens Deus, inter hujus vitæ diſcrímina, contínuum grátiæ tuæ præsídium; qui ſanctis Martyribus Marcellíno & Petro fídei tuæ conſtántiam, ut hoſtem antíquum víncerent, contuliſti; Per Dóminum.

Léctio libri Machâbæórum.

Lib. 1. Cap. 2. APpropinquavérunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit fíliis ſuis: Nunc confortáta eſt ſupérbia, & caſtigátio, & tempus ěverſiónis, & ira indignâtiónis. Nunc ergo, o fílii, æmulatóres eſtóte legis, & date ánimas veſtras pro teſtamento patrum veſtrórum, & mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus ſuis: & accipiétis glóriam magnam, & nômen æternum. Abraham nonne in tentatióne inventŭs eſt fidélis, & reputátum eſt ei ad juſtítiam? Joſeph in tempore angústiæ ſuæ cuſtŏdívit mandátum, & factus eſt dôminus Ægypti. Phínees pater noſter, zelándŏ zelum Dei, accépit teſtamentum ſacerdôtii æterni. Jeſus, dum ĭmplévit verbum, factus eſt dux in Iſrael. Caleb, dum teſtificátŭr in eccléſia, accépit herêditátem. David in ſua mĭſericórdia conſecútus eſt ſedem rêgni in ſécula. Elías, dum zelăt zelum legis, receptus êſt in cœlum. Ananías & Azárias ĕt Míſael credentes, liberáti ſûnt de flamma. Dániel in ſua sĭmplicitáte liberátus eſt de ôre leónum. Et ita cogitáte per generatiónem, & genĕratiónem, quia omnes qui ſperant in eum, non înfirmantur. Et à verbis viri peccătŏris ne timuéritis.

Tempore Paſchali.

Allelúia, allelúia. ℣. Síngulos illórum armávit non clypei & haſtæ munitióne, ſed ſermónibus óptimis & exhortatiónibus. 2. Mac. 15.

Allelúia, allelúia. ℣. Ibant prompti, de cœlo habentes adjutórem, & miſerantem ſuper eos Dóminum. Allelúia. Ibid. 11.

Poſt Pentecoſten.

GRADUALE. Quis ſímilis tuî in fórtibus, Dómine? magníficus in ſanctitáte, fáciens mirabília. ℣. Dex- Deut. 15.

tera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitúdine : déxtera tua percuſſit inimícum.

2. Mach. 11. Allelúia, allelúia. ℣. Ibant prompti de cœlo, habentes adjutórem, & miſerantem ſuper eos Dóminum. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 12. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Dico vobis amícis meis : Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & poſt hæc non habent ámpliùs quid fáciant. Oſtendam autem vobis quem timeátis. Timéte eum, qui, poſtquàm occíderit, habet poteſtátem míttere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timéte. Nonne quinque paſſéres véneunt dipóndio, & unus ex illis non eſt in oblivióne coram Deo? Sed & capilli cápitis veſtri, omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére ; multis paſſéribus pluris eſtis vos. Dico autem vobis : Omnis quicumque confeſſus fúerit me coram homínibus, & Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Judic. 5. *Offertorium.* Qui própriâ voluntáte obtuliſtis vos diſcrímini, benedícite Dómino. (*Temp. Paſch.* Allelúia.)

Secreta.

S. R. ADeſto, Dómine, munéribus noſtris ; & præſta, ut ſicut unánimis piétas beatórum Mártyrum tuórum, nobis indivíduæ caritátis præbet exemplum : ſic ſpíritum grátiæ tuæ, quo júgiter muniámur, ſemper implóret ; Per Dóminum.

De SS. Marcellino et Petro.

M. P. PRo ſanctórum tuórum Marcellíni & Petri ſánguine venerando, hóſtias tibi, Dómine, ſolémniter immolámus, tua mirabília pertractantes, per quem talis eſt perfecta victória ; Per Dóminum.

Præfatio de Martyribus.

Communio. Lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in ſánguine Agni : ídeò ſunt antè thronum Dei. (*Temp. Paſch.* Allelúia.) Apoc. 7.

Postcommunio. Orémus.

S. R. DEus, cujus virtútis eſſe cognóſcimus, ut ſancti Mártyres tui ánimas ſuas odiendo dilígerent, & perdendo ſervárent : præſta, ut per hujus participatiónem myſtérii, ad tantæ fidei exempla ſectanda, & eórum beáta recordátio nos íncitet, & orátio digna perdúcat ; Per.

De SS. Marcellino et Petro.

S. R. SAcramentis, Dómine, muniámur acceptis : & per interceſſiónem ſanctórum Mártyrum tuórum Marcellíni & Petri, contra omnes irruentes nequítias armis cœléſtibus protegámur ; Per Dóminum.

Die iii.

In Feſto

SANCTÆ CLOTILDIS

Reginæ Francorum, Viduæ. Viol.

Semiduplex.

Miſſa, Exultáte, *de Communi unius Viduæ, p.* xxxix. *præter Orationes & Epiſtolam.*

Collecta. Orémus.

M. P. REſpice, quæſumus, Dómine, ad Francórum benignus impérium ; & quibus per devótam ſanctæ Clotildis inſtántiam donum fidei contuliſti, iiſdem per ejus interceſſiónem tríbue ſincérum chriſtiánæ pietátis affectum ; Per.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 7. FRatres; si qua múlier fidélis habet virum infidélem, & hic consentit habitáre cum illa, non dimittat virum; sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem, & sanctificáta est múlier infidélis pĕr virum fidélem: alióquin fílii vestri immundi essent, nunc autem sâncti sunt. Quòd si infidélis discédit, discédat; non enim servitúti subjectus est frater aut sorŏr in hujúsmodi: in pace autem vocâvit nos Deus. Unde enim scis múlier, si virum salvum fácies? aut unde scis vir, si mulíerem salvam fácies? Nisi unicuíque sicut dĭvísit Dóminus, unumquemque sicut vocávĭt Dĕus, ita ámbulet.

Secreta.

M. P. EXaudi, Dómine, oblati virtúte múneris, pópulum sub patrocínio regínæ sanctæ tibi supplicantem: regnumque quod tibi subjécit, perpétuâ protectióne custódi; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. AUxilientur nobis, Dómine, sacramenta quæ súmpsimus, & quos per beátam Clotildem ad cœleste regnum vocáre dignátus es, ejusdem fac regni possessióne felíces; Per Dóminum.

Die v.

In Festo

SANCTI CLAUDII,

Virid.

Episcopi.

Semiduplex.

Missa, Exaltávi, *de Communi Pontificis*, xvij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DEus, Sanctórum tuórum lux & via, qui beátum Cláudium à pastoráli sollicitúdine, in solitúdinem abduxísti: exáudi nos propítius, & concéde, ut ejus exemplo & intercessióne honóres fúgere, & in novíssimo loco recúmbere gaudeámus; Per.

Secreta.

ACceptábile tibi sit, Dómine, nostræ servitútis officium; & prælta, ut beáti Cláudii Pontíficis imitatióne, mundi honóres contemnentes, per humilitátem nobis ad cœli glóriam viam præparémus; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

EFfunde in nos per hæc Sacramenta, Dómine, donórum tuórum abundántiam; ut cum beáto Pontífice Cláudio in æterna recepti tabernácula, laudis tuæ sacrifícium perénniter celebrémus; Per.

Die vi.

In Festo

SANCTI NORBERTI,

Virid.

Magdeburgensis Episcopi.

Semiduplex.

Missa, Státuit, *de Communi Pontificis*, xviij. *præter Orationes & Epistolam.*

Collecta. Orémus.

M. P. DA Eccléſiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Epíscopi Norberti pietátem tuam pro ipsa semper exórent, & fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Timótheum.

2. Tim. 2. CAríssime; Solícitè cura teipsum probábilem exhĭbére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractantem verbum vêritátis. Profána autem, & vanĭlóquia devíta: multùm enim proficiunt ad impietátem; & sermo eórum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus & Philétus, qui à veritáte excidérunt, dicentes resurrectiónem esse jam factam; & subvertérunt

quorûmdam fidem. Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens sĭgnáculum hoc; Cognóvit Dóminus qui ſunt ejus; &, Diſcédat ab iniquitáte omnis qui nóminat nômen Dómini. In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa áurea & argéntea, ſed & lígnĕă & fictília; & quædam quidem in honórem, quædam autem in côntuméliam. Si quis ergo emundáverit ſe ab iſtis, erit vas in honórem ſanctificátum, ĕt útile Dómino; ad omne opus bônum parátum. Juvenília autem desĭdéria fuge; ſectáre verò juſtítiam, fidem, caritátem, & pacem cum iis qui ínvŏcănt Dŏminum de corde puro.

Secreta.

ACcedéntibus ad aram tuam, Dómine, da nobis, eum pietátis affectum, quò fidélis Póntifex Norbertus exarſit: ut corde mundi & caritáte ferventes, plácitum tibi ſacrifícium exhibeámus; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

SUmpta myſtéria, quæſumus, Dómine, æternis nos præparent gáudiis, quæ beátus Póntifex Norbertus, fidéli diſpenſatióne proméruit; Per Dóminum.

Die viii.

In Feſto

Virid. SANCTI MEDARDI,

Noviomenſis Epiſcopi.

Simplex.

Miſſa, Státuit. *de Communi Pontificis*, *p.* xviij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DA, quæſumus, omnípotens Deus, ut beáti Medardi Pontíficis veneranda ſolémnitas, & devotiónem nobis áugeat & ſalútem; Per Dóminum.

Secreta.

PLáceat in conſpectu tuo, Dómine, noſtræ humilitátis oblátio; & præſta, ut beáti Sacerdótis tui Medardi mereámur, & imitatióne te ducem ſequi, & oratióne apud te defendi; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

COnſerva in nobis, Dómine, dona tua, & præſta, ut exemplo beáti Pontíficis Medardi tibi conſtanter adhærentes, cum ipſo in gáudium tuum mereámur intráre; Per.

Die xi.

In Feſto

SANCTI BARNABÆ, Rub.

Gentium Apoſtoli.

Duplex-Majus.

Introitus.

SEgregáte mihi Saulum & Bárnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. (*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia. *Psalm.* Dómine, probaſti me, & cognoviſti me; * tu cognoviſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam. Glória. Segregáte. Act. 13. Pſal. 138.

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum Bárnabam, plenum fide & Spíritu ſancto, ad opus converſiónis Géntium aſſúmere dignátus es: concéde propítius, ut mémores labóris & caritátis ejus, dignè Evangélio Chriſti quod prædicávit, converſári mereámur; Per eumdem ..... in unitáte ejuſdem. M. P.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

IN dĭébus illis; Qui diſperſi fuérant à tribulatióne quæ facta fúerat ſub Stéphano, perambulavérunt uſque Phœnícen, & Cyprum, & Antiochíam, némini loquentes verbum niſi sôlis Judæis. Erant autem Cap. 11.

quidam

quidam ex eis viri Cyprii & Cyrenæi, qui cùm introiſſent Antiochíam, loquebantŭr & ad Græcos, annuntiantes Dôminum Jeſum. Et erat manŭs Dómini cum eis, multuſque número credéntium converſus êſt ad Dóminum. Pervénit autem ſermo ad aures Eccléſiæ, quæ erat Jeroſólўmĭs, ſuper iſtis: & miſérunt Bárnabam uſque ad Antîochíam. Qui cùm perveniſſet, & vidiſsĕt grátiam Dei, gavîſus eſt. Et hortabátur omnes in propóſito cordis permănére in Dómino; quia erat vir bonus, & plenus Spíritu sâncto, & fide. Et appóſita eſt multa tûrba Dómino. Profectus eſt autem Bárnabas Tarſum, ŭt quæreret Saulum; quem cùm inveniſſet, perduxit Antîochíam. Et annum totum conversáti ſunt ibi in Eccléſia, & docuérŭnt turbam multam; ita ut cognominarentur primùm Antiochíæ dĭſcĭpuli, Chriſtiáni.

Tempore Paſchali.

Act. 11. Allelúia, allelúia. ℣. Bárnabas hortabátur omnes in propóſito cordis permanére in Dómino; quia erat vir bonus, & plenus Spíritu ſancto. & fide.

Act. 13. Allelúia, allelúia. ℣. Diſſeminabátur verbum Dómini: Diſcípuli quoque replebantur gáudio & Spíritu ſancto. Allelúia.

Poſt Pentecoſten.

Act. 11. & 14. *Graduale.* Paulus & Bárnabas miſſi à Spíritu ſancto, prædicábant verbum Dei. ℣. Fiduciáliter agébant in Dómino, teſtimónium perhibente verbo grátiæ ſuæ, dante ſigna & prodígia fieri per manus eórum.

Act. 11. Allelúia, allelúia. ℣. Bárnabas hortabátur omnes in propóſito cordis permanére in Dómino; quia erat vir bonus, & plenus Spíritu ſancto & fide. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 10. IN illo témpore, Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupŏrum. Eſtóte ergo prudentĕs ſicut ſerpentes, & ſímplices ſicut colŭmbæ. Cavéte autem ab homĭnibus. Tradent enim vos in concíliis, & in ſynagógis ſuis flagĕllábunt vos: & ad præſides & ad reges ducémini propter me, in teſtimónium illis & gĕntibus. Cùm autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodò ăut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora, quid loquămini. Non enim vos eſtĭs qui loquímini, ſed Spíritus Patris veſtri, qui lóquitur in vŏbis. Tradet autem frater fratrem in mortem, ĕt pater fílium, & inſurgent fílii in parentes, & morte eos affĭcient. Et érĭtĭs ódio ómnibus propter nomen mĕum. Qui autem perſeveráverit uſque ĭn fĭnem, hic ſalvus erit.

Dicitur Credo.

Act. 13. *Offertorium.* Ecce convértimur ad Gentes; ſic enim præcépit nobis Dóminus, Póſui te in lucem Géntium, ut ſis in ſalútem uſque ad extrémum terræ. (*Tempore Paſchali*, Allelúia.

Secreta.

M. P. REſpice, Dómine, meſſem tuam multam; & mitte operários in eam, hujus virtúte ſacrifícii, cui miniſtrántibus diſcípulis Spíritus ſanctus præcépit ſegregáre Bárnabam in opus ad quod aſſúmpſerat eum; Per ..... in unitáte ejuſdem Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

Præfatio de Apostolis.

Act. 15. *Communio.* Bárnabas & Paulus tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. (*Tempore Paſchali*, Allelúia.)

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P DA nobis, Dómine, tuo ſacraménto refectis, vidére Eccléſiam tuam, ſicut erat in diébus antíquis; quando perſeverantes in doctrína Apoſtolórum & in fractióne panis Bárnabas & álii diſcípuli, cor unum erant & ánima una; Per Dóminum.

DIE XIV.

In Feſto

SANCTI EXUPERII,

Virid. Toloſani Epiſcopi.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Pſal. 111. DIſperſit, dedit paupéribus; juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi: cornu ejus exaltábitur in glória. *PSALM.* Beátus vir, Ibid. qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis. Glória. Diſperſit.

COLLECTA. Orémus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui cùm dives eſſes, propter nos egénus factus es, ut tuâ inópiâ dívites eſſémus; concéde propítius, ut exímii imitatóris tui Exupérii Pontíficis veſtígiis inhærentes, contemptis fallácibus mundi divítiis, conſequámur ætérnas; Qui vivis & regnas.

Léctio líbri Job.

Cap 29. AUris áudiens beatificábat me, & óculus videns teſtimónium rĕddébat mihi; eò quòd liberaſſem páuperem vociferantem, & pupillum cui non êſſet adjútor. Benedíctio perítúri ſuper mĕ veniébat, & cor víduæ conſolâtus ſum. Juſtítĭă indútus ſum: & veſtívi me ſicut veſtimento & diadémate, judîcio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo; patĕr eram páuperum; & cauſam quam neſciébam, diligentíſſimè invêſtigábam. Conterébam molas iníqui, & de déntibus illíus aufĕrébam prædam: dicebamque: In nídulo meo móriar, & ſicut palma multiplicâbo dies. Radix mea aperta ĕſt ſecùs aquas, & ros morábitur in meſſiône mea. Glórĭă mĕa ſemper innovábitur.

GRADUALE. Inventus eſt perfectus, juſtus, & in témpore iracúndiæ factus eſt reconciliátio. ℣. Conſervávit legem Excelſi; ídeò jurejurando. dedit illi glóriam in gente ſua.

Allelúia, allelúia. ℣. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Nolíte theſaurizáre vobis theſauros in terra, ubi ærúgo & tínĕă demolítur; & ubi fures effódiunt & furănt̆ur. Theſaurizáte autem vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærúgo, neque tínĕă demolítur; & ubi fures non effódiunt nec furănt̆ur. Ubi enim eſt thĕſaurus tuus, ibi eſt & cor tŭum. Lucernă córporis tui eſt óculus tŭus. Si óculus tuŭs fúerit ſimplex, totum corpus tuum lúcidum ĕrit. Si autem óculus tuŭs fúerit nequam, totum corpus tuum tenebróſum ĕrit. Si ergo lumen quòd in te ĕſt, ténebræ ſunt, ipſæ ténebræ quantæ erunt? Nemo poteſt duóbus dóminis enim unum ódio habébit, ĕt álterum ſervíre: aut díliget; aut unum ſuſtinébit, & álterum contĕmnet. Non poteſtis Deo sĕrvĭre & mammónæ.

OFFERTORIUM. Offerébat holocauſta pro ſíngulis; dicébat enim: ne fortè peccáverint fílii mei: ſic faciébat cunctis diébus. Job. 1.

SECRETA.

OBláta múnera, quæſumus, Dómine, propítius ſúſcipe; eaque víſcera caritátis quæ beáto Exupério

Pontifici infudísti fac nos pérpeti ejus suffrágio persentíre; Per Dóminum.

PRÆFATIO de PONTIFICIBUS.

Luc. 12. *COMMUNIO.* Fidélis dispensátor & prudens, quem constítuit Dóminus suprà famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

REfecti, Dómine, cœléstibus sacramentis tuam exorámus cleméntiam; ut intercessióne beáti Pontíficis tui Exupérii per incrementum virtútum ad felicitátem nos fácias pervenire sempiternam; Per Dóminum.

DIE XV.
In Festo
Virid. SANCTI CRESCENTIS,
Primi Viennensis Episcopi.

SIMPLEX.

Missam, Mittam. *de Communi Fundatorum Ecclesiarum, pag.* xv. *Collecta*, Deus, qui ad géntium. *mutatâ voce* Presbyterum *in* Pontíficem, *& sic in Secreta & Postcommunione.*

DIE XVI.
In Festo
Rub. SS. CYRICI & JULITTÆ,
Matris ejus, Martyrum.

SIMPLEX.

INTROITUS.

1. Reg. 2. ARcus fórtium superátus est, & infirmi accincti sunt róbore.
Psal. 97. *PSALM.* Cantáte Dómino cánticum novum,* quia mirabília fecit. Glória. Arcus.

COLLECTA. Orémus.

PLetátem tuam, Dómine, súpplices deprecámur; ut dum sanctórum Cyrici & Julittæ Matris ejus passiónem cólimus, peccatórum véniam consequámur; Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cap. 4. JUstus, si morte præoccúpatus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis est non diuturna, neque annórum número computáta: cani autem sunt sensus hóminis, & ætas senectútis vita immáculáta. Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intéllectum ejus, aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis óbscúrat bona; & inconstántia concupiscéntiæ transvertit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Pópuli autem vidéntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcórdiis tália: quóniam grátia Dei, & misericórdia est in sanctos ejus, & réspectus in electos illíus.

GRADUALE. Fili mi, si te lactáverint peccatóres, ne acquiescas eis. ℣. Dignus sústine mortem, ut illa miseratióne te recípiam. Prov. 1.

Allelúia allelúia. ℣. Pro púero isto orávi; & dedit mihi Dóminus petitiónem meam, quam postulávi eum. Allelúia. 2. Machab. 7. 1. Reg. 1.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Márcum.

Cap. 10. IN illo témpore; Offerébant Jesu párvulos, ut tángeret illos. Discípuli autem comminabantur offerentibus. Quos cùm vidéret Jesus, indignè tulit, & ait illis: Sínite párvulos veníre ad me, & ne prohibúéritis eos: tálium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud. Et complexans eos, & impónens manus super illos, benedicébat eos.

1. Cor. 1. *OFFERTORIUM.* Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia, ut non gloriétur omnis caro in conſpectu ejus.

SECRETA.

M. P. PRæſta, quæſumus omnípotens Deus, ut hoc ſacrifícium ſinguláre, quod in honóre ſanctórum Mártyrum tuórum Cyrici & Julittæ tibi offérimus, caritátem nobis infundat, & inexpugnábile præſídium fiat; Per.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

Pſal. 8. *COMMUNIO.* Ex ore infántium & lacténtium, Dómine, perfeciſti laudem propter inimícos tuos.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. MArtyrum tuórum Cyrici & Julittæ feſta celebrántibus, proſint nobis, quæſumus, Dómine, percepta ſacramenta; & Sanctis tuis, quibus conferre dignátus es in paſſióne virtútem, intercedendi pro nobis tríbue facultátem; Per Dóminum.

DIE XIX.
In Feſto
SS. GERVASII ET PROTASII
Martyrum.

Rub. SEMIDUPLEX.

Miſſa, Propter te. *de Communi plurium Martyrum, pag.* ix. *præter Orationes & Epiſtolam.*

COLLECTA. Orémus.

M. A. MArtyrum tuórum, Dómine, Gervάſii & Protάſii palmas ánnuâ celebratióne venerantes, ſúpplices te rogámus, ut quos cœleſti glóriâ ſublimaſti, nobis pérpeti ſuffrágio

M. P. concédas ſubveníre; Per Dóminum.

Pro Commem. S. ROMUALDI, Abbatis, Da nobis; *in Comm. p.* xxvj. N°. 2.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 8. FRatres; Non ſunt condignæ paſſiónes hujus témporis ad fŭtúram glóriam, quæ revelâbitur in nobis. Nam expectátiŏ creatúræ revelatiónem filiórum Dêi expectat. Vanitáti enim creatúra ſubjecta eſt, non volens; ſed propter eum, qui ſubjécit eam in ſpe: quia & ipſa creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiôrum Dei. Scimus enim quòd omnis creatúră ingemiſcit, & párturit ûſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primítiăs Spíritus habentes; & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectantes, redemptiŏnem córporis noſtri.

SECRETA.

R. S. COncéde nobis, omnípotens Deus, ut his munéribus quæ pro ſanctórum Mártyrum Gervάſii & Protάſii honóre deférimus, & tibi placeámus, exhíbitis, & vivificémur acceptis; Per Dóminum.

DE S. ROMUALDO, Ut noſmetipſos, *p.* xxvij.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. EXaudi Dómine, preces noſtras; & intercedéntibus ſanctis Martyribus tuis Gervάſio & Protάſio, ſumpta redemptiónis noſtræ pignora, nobis præmia ſempiterna concílient; Per.

DE S. ROMUALDO, Deus, qui, *pag.* xxviij.

DIE XXI.
In Feſto
SANCTI RAYMUNDI,
Epiſcopi.

Virid. SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

1. Reg. 13. QUæſívit Dóminus ſibi virum juxtà cor ſuum, & præcépit ei ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum. Pſal. 131. *PSALM.* Memento, Dómine, David; * & omnis manſuetúdinis manſuetúdinis ejus. Glória. Quæſívit.

Collecta. Orémus.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Raymundi Pontíficis festa venerantes, & fídei muniámur auxílio, & caritátis proficiámus exemplo; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beátī Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 10. HAbentes, Fratres, fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, & viventem per velámen, id est, carnem suam, & sacerdótem magnum supĕr domum Dei; accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspersi corda à consciéntia mala, & ablúti corpus aqua munda: teneámus fidei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit) & considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis, & bonórum óperum; non deserentes collectiónem nostram, sicut consuetúdinis est quibusdam; sed consolantes, & tantò magis quantò vĭdĕritis appropinquantem diem.

Eccli. 44. *Graduale.* Inventus est perfectus, justus, & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. ℣. Conservávit legem Excelsi; ideò jurejurando dedit illi glóriam in gente sua.

Eccli. 39 Allelúia, allelúia. ℣. Non recédet, memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Allelúia.

Sequéntia sanctī Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 20. IN illo témpore; Jesus vocávit discípulos suos ad se, & ăit: Scitis, quia príncipes géntium dominantur eórum: & qui majóres sunt, potestátem exercent in ĕos. Non ita erit inter vos: Sed quicumque volúerit inter vos major fieri, sĭt vester minister: & qui volúerit inter vos primus esse, erit vester sĕrvus. Sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sĕd ministráre, & dare ánĭmăm sŭam redemptiónem pro multis.

Dicitur Credo.

Offertorium. Elégi eum mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incensum. 1. Reg. 2.

Secreta.

OFferat nos tibi secum, Dómine, Sacerdos in æternùm Unigénitus tuus, quem ófferens beátus Raymundus Póntifex, se cum plebe sua in odórem suavitátis immolávit; Per Dóminum.

Præfatio de Pontificibus.

Communio. Per me si quis introíerit, salvábitur, & ingrediétur, & egrediétur, & páscua invéniet. Joan. 10.

Postcommunio. Orémus.

DIvínis, Dómine, munéribus satiáti, quæsumus, ut beáti Raymundi Pontíficis tui suffragántibus méritis, salutáris víctimæ desiderátum sentiámus effectum; Per eumdem Dóminum.

Die xxii.
In Festo
SANCTI PAULINI, *Virid.*
Nolani Episcopi.

Semiduplex.

Introitus.

BEátus dives, qui inventus est sine máculâ, & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesauris: quis est hic? & laudábimus eum: fecit enim mirabília in vita sua. *Psalm.* Beátus qui intélligit super egénum & páuperem: * in die mala liberábit eum Dóminus. Glória. Beátus. Eccli. 31. Psal. 40.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui ómnia pro te relinquéntibus, in hoc século céntuplum, & in futúro vitam æternam promisísti : concéde propítius, ut sancti Pontíficis Paulíni vestígiis inhærentes, peritúra contemnámus, & ad sola mansúra suspirémus ; Per.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

2. Cor. 8. FRatres ; Scitis grátiam Dómini nostrĭ Jesu Christi, quóniam propter vos egénus factus est, cùm esset dives, ut illíus inópia vos dîvites essétis. Et consílium in hoc do ; hoc enim vobis útile est, qui non solùm fácere, sed & velle cœpistis ab anno prióre ; nunc verò ĕt facto perfícite : ut quemádmodum promptus est ánimus voluntátis, ita sit & perficiendi ex eo quôd habétis. Si enim voluntăs prompta est ; secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm id quôd non habet. Non enim ut áliis sit remíssio, vobis autĕm tribulátio, sed ex æquâlitáte. In præsenti témpore vestra abundántia illórum ĭnópiam súppleat : ut & illórum abundántia vestræ inópiæ sit supplementum, ut fiat æquálitas, sicut scriptum est ; Qui multum, non abundávit ; & quĭ mŏdicum, non minorávit.

Psal. 118. *Graduale.* Bonum mihi lex oris tui, Dómine, super míllia auri & argenti. ℣. Qui timent te, vidébunt me, & lætabuntur, quia in verba tua superspérávi.

Eccli. 31. Allelúia, allelúia. ℣. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino ; & eleemósynas illíus enarrábit omnis Eccléſia sanctórum. Allelúia.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 18. IN illo témpore ; Interrogávit Jĕsum quidam princeps, dĭcens : Magíster bone, quid fáciens vitam æternam possidébo ? Dixit autem ei Jesŭs : Quid me dicis bonum ? nemo bonus nisi solus Dĕus. Măndáta nosti : Non occídes : Non mœcháberis : Non furtum fácies : Non falsum testimónium dices : Honóra patrem tuum & mătrem. Qui ăit : Hæc ómnia custodívi à juventúte mĕa. Quo aŭdíto Jesus ait ĕi : Adhuc unŭm tibi deest : ómnia quæcumque habes vende, & da paupéribus, & habébis thesaurum in cœlo ; & veni, séquere mĕ. His ille audítis, contrĭstátus est ; quia dives erat vălde. Videns autem Jesus illŭm tristem factum, dĭxit : Quàm difficilè, qui pecúnias habent, in regnum Dei intrábunt ! Facílius est enim camélum per foráměn acus transíre, quàm dívitem intráre in regnum Dĕi. Et dixérunt qui audiĕbant, Et quis potest salvus fíeri ? Ait ĭllis : Quæ impossíbília sunt apud hómines, possibílĭă sŭnt apud Deum.

Offertorium. Elégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum ; quia misericórdiam & veritátem díligit Deus. Psal. 83.

Secreta.

M. P. DA nobis, Dómine, perfectæ caritátis sacrifícium, exemplo sancti Pontíficis Paulíni, cum altáris sancti oblatióne conjúngere, & beneficéntiæ stúdio sempiternam misericórdiam promeréri ; Per Dóminum.

II. Reg. 6. *Communio.* Ante Dóminum qui elégit me, & præcépit mihi ut essem dux super pópulum Dómini, vílior fiam plusquàm factus sum, & ero húmilis in óculis meis.

Postcommunio. Orémus.

M P. TRíbue nobis per hæc sancta, Dómine, illum affectum pietátis & humilitátis, quem ex hoc divíno fonte hausit sanctus Póntifex tuus Paulínus : & ipsíus intercessióne,

grátiæ tuæ divítias, in omnes qui te deprecantur, benignus effunde; Per.

Die xxiii.
In Vigilia Nativitatis
Viol. S. JOANNIS BAPTISTÆ.
Simplex.

Introitus.

Luc. 1. NE tímeas, Zacharía; exaudíta est orátio tua; & Elísabeth uxor tua páriet tibi fílium, & vocábis nomen ejus Joannem: & erit gáudium tibi, & exultátio: erit enim magnus coram Dómino; & Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ. Psal. 70. *Psalm.* In te, Dómine, sperávi; non confundar in æternum: * in justítia tua líbera me, & éripe me. Glória. Ne tímeas.

Collecta. Orémus.

S.R. PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat, & beáti Joannis Præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secúra pervéniat Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium; Qui tecum.

Léctio Jeremîæ Prophétæ.

Cap. 1. IN diébus illis; Factum est verbum Dómini âd me, dicens: Priusquàm te formárem in útĕrŏ, novi te: & ántequàm exíres de vulva, sanctificávi te, & Prophétam in géntibus dêdi te. Et dixi: A, a, a, Dómine Deus, eccĕ néscio loqui, quia puer êgo sum. Et dixit Dôminus ad me: Noli dícĕrĕ: Puer sum: quóniam ad ómnia quæ mittam te, ibis: & universa, quæcumque mandávero tîbi, loquéris. Ne tímeas ă fácie eórum: quia tecum ego sum ut érŭăm tĕ, dicit Dóminus.

Malac. 4. *Graduale.* Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam; & convertet cor patrum ad fílios, & cor filiórum ad patres eórum. ℣. Joannes ipse est Elías qui ventúrus est. Matt. 11.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 1. FUit in diébus Heródis regis Judææ sacerdos quidam nómine Zacharías, dĕ vice Abía; & uxor illíus de filiábus Aaron, & nomen ejus Elísabĕth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in ómnibus mandátis & justificatiónibus Dómĭnĭ sine queréla: & non erat illis filius, eo quòd esset Elísabeth stérilis, & ambo processíssent in diébus sŭis. Factum est autem cùm sacerdótio fungerétur, in órdine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetúdinem sacerdótii; sorte éxiit ut incensum póneret ingressus ĭn templum Dómini: & omnis multitúdo pópuli erat orans foris hora incĕnsi. Appáruit autem illĭ Angelus Dómini, stans à dextris altáris incĕnsi. Et Zacharías tŭrbátus est videns, & timor írruit super ĕum. Ait autem ad illum Aⁿngelus: Ne tímeas Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua; & uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, & vocábis nomen ejus Joannem; & erit gáudium tibi, & exultátio, & multi in nativitátĕ ejus gaudébunt: erit enim magnus coram Dómino; & vinum & síceram non bibet, & Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: & multos filiórum Israel convertet ad Dóminum Deum ipsŏrum. Et ipse præcédet ante illum in spíritu & vĭrtúte Elíæ: ut convertat corda patrum in fílios, & incrédulos ad prudéntiam justórum, paráre Dómino plebem perfĕctam. Et dixit Zacharías ad Aⁿngelum: Unde hoc sciam? egŏ enim sum senex, & uxor mea processit in diébus sŭis. Et rĕspondens Angelus dixit ĕi: Ego sum Gábriel qui asto ante Deum; & missus sum loqui ad te, & hæc tibi

evángelizáre : & ecce eris tacens, & non póteris loqui, uſque in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in témpore sŭo. Et erat plebs expectăns Zacharíam : & mirabantur quòd tardáret ipſe in tĕmplo. Egreſſus autem non pótĕrăt loqui ad illos ; & cognovérunt quòd viſiónem vidiſſet in tĕmplo. Et ipſe erăt ínnuens illis, & permanſit mŭtus. Et factum eſt ut impléti ſunt dies ŏfficii ejus, ábiit in domum sŭam. Poſt hos autem dies concépit Elísăbeth uxor ejus ; & occultábat ſe ménſibus quinque, dĭcens : Quia ſic fecit mihi Dóminus in diébus quibus reſpexit auferre oppróbrĭŭm mĕum inter hómines.

Pſal. 70. *Offertorium.* In te, Dómine, confirmátus ſum ex útero : de ventre matris meæ tu es protector meus.

Secreta.

EXhibéntibus tibi, Dómine, ſolemne ſacrifícium, quo ſancti Præcurſóris natalítia prævenímus ; da nobis, quæſumus, pœniténtiæ quam in deſerto prædicávit, dignos fructus fácere ; ut viam in córdibus noſtris præparémus Unigénito tuo, Dómino noſtro Jeſu Chriſto ; Qui tecum. M. P.

Præfatio Communis.

Communio. Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam ; qui præparábit viam tuam ante te. Marc. 1.

Postcommunio. Orémus.

PRæſta, quæſumus, Dómine, percepti virtúte ſacramenti, ut pópulus tuus ad plenæ devotiónis effectum beáti Joannis Baptiſtæ natalítiis præparétur, quem præmiſiſti paráre plebem perfectam Jeſu Chriſto Fílio tuo Dómino noſtro ; Qui tecum. M. P.



DIE XXIV. JUNII.

IN NATIVITATE

Alb. # S. JOANNIS BAPTISTÆ.

SOLEMNE-MAJUS.

INTROITUS.

Is. 49. DOminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei. Et pósuit os meum quasi gládium acútum: in umbra manûs suæ protexit me, & pósuit me sicut sagittam electam. Psal. 91. *PSALM.* Bonum est confitéri Dómino; * & psállere nómini tuo, Altíssime. Glória. Dóminus.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui præsentem diem honorábilem nobis in beáti Joannis Baptistæ Nativitáte fecísti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, & ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis æternæ; Per Dóminum.

Léctio Isaîæ Prophétæ.

Cap. 40. HÆc dîcit Dóminus: Loquímini ad cor Jerúsalem, & advŏcáte eam: quóniam compléta est malítia ejus, dimíssa est iníquitas illíus; suscépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccâtis suis. Vox clamantis in deserto: Parátĕ viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dêi nostri. Omnis vallis exaltábitur, & omnis mons & collis hŭmiliábitur: & erunt prava in directa, & áspera in vîas planas. Et revelábĭtŭr glória Dómini: & vidébit omnis caro páriter quòd os Dómini locûtum est. Vox dicêntis, Clama. Et dixi: Quid clamábo? Omnis caro fœnum, & omnis glória ejus quâsi flos agri. Exsiccátum est fœnum, ĕt cécidit flos, quia spíritus Dómini sufflâvit in eo. Verè fœnum est pópulus: exsiccátum est fœnum, ĕt cécidit flos: verbum autem Dómĭnĭ nŏstri manet in æternum.

GRADUALE. Priusquàm te formárem in útero, novi te, & ántequàm exíres de vulva, sanctificávi te. ℣. Misit Dóminus manum suam, & tétigit os meum; & dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo. Jer. 1.

Allelúia, allelúia. ℣. Inter natos mulíerum non surrexit major Joanne Baptistâ. Allelúia. Matt. 11.

PROSA.

JOannes cœléstia
Terris infert gáudia
Vates vatum máximus.
Sinu prodit stérili,
Christo, forte nóbili,
Ceu vox, Verbo próximus.
Hunc auróram grátiæ,
Nox specûs impérviæ
Velat ab infántia.
Hirtâ veste tégitur,
Escâ vili pascitur,
Mella gustat óbvia.
Plenus alto Númine,
Qui per antra síluit,
In Jordánis flúmine,
Tuba grandis sónuit.
Redemptóris vérticem
Tremens servus ábluit;
Per hunc patet índicem

Agnus qui nos díluit.
Ad Sponsi præséntiam
Amans gaudet óptimus :
Christo servat glóriam
Testis fidelíssimus.
Hæc lucerna férvidis
Quàm flagrat ardóribus,
Tam coruscat spléndidis
Undique fulgóribus.
Hic Præcursor tanti Regis,
Utriusque nexus legis,
Nondùm nascens renátus est
Tacens quid non effátus est ?
Hic assértor æquitátis,
Propugnátor castitátis,
Monstrátor veri lúminis,
Virgo néscius críminis.
Aulæ scelus insectátur,
Et caténis alligátur :
Mártyrum dux obtruncátur
Exsecrandis épulis.
Scelerata dum saltábat,
Thalamosque rex fœdábat
Justi cruor fluitábat,
Diris mistus póculis.
Christum, Vates, qui nascendo
Prædicas & moriendo,
Fac nos ire subsequendo
Tua per vestígia.
Agnum præbe jam placátum,
Tu præ cunctis quem laudátum,
Omni gente prædicátum,
Ingens ornat glória.
In cœlesti Cúria
Sit Agno victória. Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 1. Elísabeth implétum est tempus pariendi, & péperit fílium. Et audiérunt vicíni & cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa ; & congratulabantur ei. Et factum est, in die octávo venérunt circúmcídere púerum : & vocábant eum nómine patris sui, Zacharíam. Et respondens mater ejus, dixit : Nequáquam, sed vocábitur Joánnes. Et dixérunt ad illam : Quia nemo est in cognatióne tua, qui vocétur hoc nómine. Innuébant autem patri ejus, quem vellet vocári eum. Et póstulans pugillárem, scripsit, dícens : Joannes est nomen ejus. Et miráti sunt univérsi. Apertum est autem íllicò os ejus, et lingua ejus; & loquebátur, benedícens Deum. Et factus est timor super omnes vícinos eórum, & super ómnia montána Judææ divulgabantur ómnia verba hæc. Et posuérunt omnes qui audíerant, in corde suo, dicéntes: Quis, putas, puer iste erit ? Etenim manus Dómini erat cum illo. Et Zacharías pater ejus repletus est Spíritu sancto, & prophetávit, dícens: Benedictus Dóminus Deus Israel; quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Non dicitur Credo, *nisi in Ecclesiâ propriâ, aut nisi Dominicâ evenerit, vel intra Octavam Corporis Christi.*

Offertorium. Posuérunt omnes in corde suo, dicentes : Quis, putas, puer iste erit ? Etenim manus Dómini erat cum illo. Luc. 1.

Secreta.

S. R. Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus, beáti Joannis Baptistæ Nativitátem celebrantes : quæsumus, ut nos tua grátia ad eum perdúcat, quem sanctus Præcursor, M. P. & cécinit adfutúrum, & adesse monstrávit Salvatórem mundi Jesum Christum Fílium tuum ; Qui tecum vivit & regnat.

Præf. de S. Joanne Baptista.

Communio. Tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus. Luc. 1.

POSTCOMMUNIO. Orémus. M. P.

DEus, qui institúta legália, & sanctórum præcónia Prophetárum, in diébus beáti Joannis Baptistæ impleviſti: præsta, quæsumus, per hæc sacra mystéria quæ súmpsimus, ut cessántibus significatiónum figúris, ipsa sui manifestatióne véritas eloquátur, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster; Qui tecum.

DIE XXV.

In Festo

SANCTI SYLVESTRI, Virid.

Papæ.

SEMIDUPLEX.

Missa, Congregábo, *de Communi Summi Pontificis non Martyris, pag.* xiv. *cum Commemoratione Octavæ S. JOANNIS BAPTISTÆ, ut in die Festi.*

DIE XXVI.

DE OCTAVA S. JOANNIS BAPTISTÆ. Alb.

SEMIDUPLEX.

Missa, ut in die, suprà, p. 483.

Pro Commemoratione SS. JOANNIS ET PAULI, Martyrum.

COLLECTA. Orémus. M. P.

QUæsumus, omnípotens Deus, ut nos geminàta lætítia hodiernæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Joannis & Pauli glorificatióne procédit, quos éadem fides & pássio verè fecit esse germános; Per Dóminum.

De SS. JOANNE ET PAULO.

SECRETA.

M. P.

HOstias altáribus tuis, Dómine, placatiónis impónimus; poténtiam tuam in Sanctórum tuórum passiónibus honorando, & per eos nobis implorando véniam peccatórum; Per Dóminum.

De SS. JOANNE ET PAULO.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

SUmpsimus, Dómine, Sanctórum Mártyrum tuórum Joannis & Pauli solémnia celebrantes sacramenta cœléstia: præsta, quæsumus, ut quod temporáliter gérimus, æternis gáudiis consequámur; Per Dóminum. M. P.

DIE XXVII.

DE OCTAVA. Alb.

Missa, ut in die, suprà, 483.

DIE XXVIII.

In Festo

SANCTORUM IRENÆI, Rub.

Lugdunensis Episc. & Eccl. Doctoris, & Sociorum ejus Martyrum.

DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

LAudémus viros glorióſos, & parentes nostros in generatióne sua: sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, & laudem eórum núntiet Eccléſia. *PSALM.* Exultáte, justi, in Dómino: * rectos decet collaudátio. Glória. Laudémus. Eccli. 44. Psal. 32.

COLLECTA. Orémus.

DEus, invisíbilis fortitúdo certántium, adesto, quæsumus, nobis supplicántibus: ut qui hodiernâ die sanctórum Mártyrum tuórum Irenæi & Sociórum glorióſum triumphum recólimus, eórum méritis & précibus, contra spirituália nequítiæ muniámur; Per Dóminum. M. P.

Fit Commem. Octavæ S. JOANNIS BAPTISTÆ, ut suprà. 483.

Deindè Vigiliæ SS. Apostolorum PETRI & PAULI, Deus, qui nobis, *ut infrà in Missa de Vigilia.* 487.

Léctio Epístolæ beáti Joánnis Apóstoli.

CAríssimi; Nolíte omni spirítui crédere; sed probáte spíritus, si ex Deo sint: quóniam multi pseudo- 1. Joan. 4.

prophétæ exiêrunt in mundum. In hoc cognóscitur spíritus Dei: Omnis spíritus qui confitétur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spíritus qui solvit Jesum, ĕx Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis quóniam venit, & nunc jam in mûndo est. Vos ex Deo estis, filióli, & vĭcistis eum; quóniam major est qui in vobis est, quàm quî in mundo. Ipsi dĕ mundo sunt: ídeò de mundo loquuntur, & mundus êos audit. Nos ex Dêo sumus. Qui novit Deŭm, audit nos: Qui non est ex Deo, non âudit nos. In hoc cognóscimus Spíritum verĭtătis, & spíritum erróris.

Act. 15. *GRADUALE.* Confirmábat Ecclésias, præcípiens custodíre præcepta Apostolórum, & seniórum. ℣. Confúsi sunt, & erubuérunt omnes: simul in confusiónem abiérunt fabricatóres errórum.

Isaiæ. 45. Allelúia, allelúia. ℣. Tibi, Deus patrum nostrórum, confíteor, teque laudo quia sapiéntiam, & fortitúdinem dedisti mihi. Allelúia.

Dan. 2. Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem nŏn possunt occídere: sed pótiùs timéte eum, qui potest & ánimam & corpus pérdere in gehĕnnam. Nonne duo pásserĕs asse véneunt? & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vĕstro. Vestri autem capilli cápitis omnes numeráti sŭnt. Nolítĕ ergo timére: multis passéribus melióres estis vŏs. Omnis ergo qui confitébitur mĕ coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis ĕst. Qui autem negáverit mĕ coram homínibus, negábo & ego eum coram Patrĕ mĕo, qui in cœlis est. *Dicitur* Credo.

OFFERTORIUM. Magnus fuit, & acceptábilis plebi fratrum suórum, quærens bona pópulo, & loquens ea, quæ ad pacem pertinérent. Esth. 10.

SECRETA.

PEr hanc, quam offérimus hóstiam in beáti Irenæi & Sociórum Mártyrum solemnitáte, da nobis, Dómine, veritátem & pacem dilígere; ut & inviolátam teneámus Eccléſiæ fidem; & indivísam servémus unitátem; Per. M. P.

De Oct. Tua, Dómine, *suprà* 484.
De Vigilia, Beatórum, *infrà*, 487.
PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

COMMUNIO. Pro légibus & pro sanctis periérunt fratres mei: & nunc non mihi contingat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. 1. Mach. 13.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PEr hæc sacra mystéria, quæsumus, Dómine, da nobis fídei miserátus augmentum; ut quæ sanctos Mártyres tuos Irenæum & sócios usque ad sánguinem retenta glorificat, nos étiam justíficet veráciter hanc sequentes; Per Dóminum. S. R.

De Octava, Deus, qui, *suprà.* 485.
De Vigilia, Cœléstibus, *infrà* 487.
Evangelium Vigiliæ in fine, ut infrà.

Missa de Vigilia
SS. PETRI ET PAULI, Viol.
Apostolorum.

INTROITUS.

CONstítues eos Príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui in omni generatióne & generatióne: proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum. Psal. 4.

PSALM. Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi. Glória. Constítues. Ibid.

COLLECTA.

Collecta. Orémus.

S.R. DEus, qui nobis beatórum Apostolórum Petri & Pauli natalítia prævenire concédis : tríbue nos, quæsumus, semper & eórum benefíciis confovéri & oratiónibus adjuvári ; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

II. Cor. 5. FRatres; Scimus quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónĭs dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætêrnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est superíndŭĭ cupientes : si tamen vestíti, non nudi invêniámur. Nam & qui sumus in hoc tabernáculo, ingĕmíscimus graváti : eò quòd nólumus expoliári, sed superveστíri ; ut absorbeátur quod mortále êst, à vita. Qui autem éfficit nos in hŏc ipsum, Deus ; qui dedit nobis pîgnus Spíritus. Audentes ígitur semper, scientes quóniam dum sumus in córpore, peregrĭnámur à Dómino : (per fidem enim ambulámus, & non per spéciem :) audémus autem & bonam voluntátem habémus, magis peregrinári à córpore, & præsentĕs ĕsse ad Dóminum.

Act. 5. & 19. *Graduale.* In platéas ejiciébant infirmos, & ponébant in léctulis, ut veniente Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberarentur ab infirmitátibus suis. ℣. Super lánguidos deferebantur à córpore Pauli sudária ; & recedébant ab eis languóres, & spíritus nequam egrediebantur.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 18. IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis sŭis : Amen dico vobis, quæcumque alligavéritis super terram, erunt ligátă & in cœlo : & quæcumque solvéritis super terram, erunt solúta & in cœlo. Iterúm dico vobis, quia si duo ex vobis consénserĭnt super terram, de omni re quamcumque petíerint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis ĕst. Ubi enim sunt duo vel très congrégáti ĭn nómine meo, ibi sum in médio eŏrum. Tunc accédĕns Petrus ad eum, dĭxit : Dómine, quóties peccábit in me frater meus, & dimittam ei ? usque sépties ? Dicit illi Jesŭs : Non dico tibĭ usque sépties, sĕd ŭsque septuágies sépties.

II. Cor. 6. *Offertorium.* Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patiéntia, in angústiis, in plagis, in carcéribus.

Secreta.

M. P. BEatórum Apostolórum tuórum, Dómine, Petri & Pauli desideráta solémnia præsenti sacrifício prævenientes ; Præsta, quæsumus, ut eórum supplicatiónibus muniámur, quorum régimur principátu ; Per.

Præfatio Communis.

II. Cor. 4. *Communio.* In mortem trádimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli.

Postcommunio. Orémus.

CŒléstibus sacramentis, quæsumus, Dómine, mentes nostras corróbora ; nec ullis nos permittas tentatiónibus cóncuti, quos in Apostólicæ confessiónis petra solidásti ; Per Dóminum.

DIE XXIX. JUNII.

INFESTO

Rub. # SS. PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM.

SOLEMNE MAJUS.

INTROITUS.

Matt. 16. TU es Petrus, & super hanc petram ædificábo Eccléſiam meam; & portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam: & tibi dabo claves regni cœlórum. Psal. 18. *PSALM.* Cœli enarrant glóriam Dei; * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum. Glória. Tu es.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui hodiernam diem Apoſtolórum tuórum Petri & Pauli martyrio conſecraſti: da Eccléſiæ tuæ eórum in ómnibus ſequi præceptum, per quos religiónis ſumpſit exórdium; Per Dóminum.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 4. IN diébus illis; Replétus Spíritu ſancto Pêtrus, dixit: Príncipes pópuli, & ſeniôres, audíte. Si nos hódie dijudicámur in benefacto hóminis infirmi, in quo iſte ſalvus factus eſt; notum ſit ómnibus vobis & omni plebi Iſrael: quia in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti Nazaréni quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, in hoc iſte adſtat coram vôbis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobátus eſt à vobis ædificántibus, qui factus eſt in caput ánguli; & non eſt in álio âliquo ſalus. Nec enim áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus; in quo opórteat nos sâlvos fieri. Videntes autem Petri conſtántiam & Joannis, comperto quòd hómines eſſent ſine lítteris, & idiótæ; admirabantur, & cognoſcébant eos quóniam cum Jeſu fúerant: hóminem quoque videntes ſtantem cum eis, qui curátus fúerat, nihil póterant contradícere. Juſſérunt autem eos foràs extra cóncílium ſecédere: & conferébant ad ínvicem, dicentes: Quid faciémus homínibus iſtis? quóniam quidem notum ſignum factum eſt per eos, ómnibus habitántibus Jerúſalem: manifeſtum eſt, & non pôſſumus negáre. Sed ne ámpliùs divúlgétur in pópulum, comminémur eis ne ultrà loquantur in nómine hoc ûlli hóminum. Et vocantes eos, denuntiavérunt ne omnínò loquerentur, neque docérent in nômine Jeſu. Petrus verò & Joannes reſpondentes, dixêrunt ad eos: Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos pótiùs audíre quàm Deum, judicáte: non enim póſſumus quæ vídimus & audívimus non loqui.

GRADUALE. Deus élégit per os meum audíre Gentes verbum Evangélii, & crédere. ℣. Et qui novit corda Deus, teſtimónium perhíbuit, dans illis Spíritum ſanctum, fide puríficans corda eórum. Act. 15.

II. Petr. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem & præséntiam, ſpeculatóres facti illíus magnitúdinis, cùm eſſémus cum ipſo in monte ſancto. Allelúia.

PROSA.

TE laudámus, ô Regnátor;
O Paſtórum, Chriſte, Paſtor,
Summis in Princípibus.
Tibi memor gratulétur,
Et conceſſis gloriétur
Pia plebs paréntibus.
Hi ſunt Sion fundamenta;
Hi columnæ, fulcimenta,
Turres, propugnácula.
Hi biſſénæ turbæ duces;
Hi ſtellantis aulæ faces,
Orbis & orácula.
His ambóbus orbis ceſſit,
His ambóbus nox receſſit
Pulſa lumináribus.
Petro vertex principátûs,
Paulo verbi magiſtrátus
Obtigit in géntibus.
Illi claves committuntur:
Huic arcánæ res panduntur
Rapto ſuper æthera.
Hæc fœcunda nos lactárunt
Ore, ſcriptis, & potárunt
Sponſæ matris úbera.
Arcem impérii
Chriſto ſubjíciunt,
Et Sacerdótii
Caput ſtabíliunt.
Athlétæ férvidi
Debellant númina:
Torrentes límpidi
Manant in flúmina.
Navis Petri non quaſsátur;
Contra fluctus obfirmátur:
Hac in arca grex ſalvátur
Integer credéntium.
Quin olympus reſerátur;
Vel indignis obſerátur;
Sors æterna temperátur
Ad Petri judícium.
Quanta cœlo merces datur!
Cruce Petrus conſummátur,
Ferro Paulus obtruncátur:
Sic ſe litant hóſtiæ.
Hic triumphus bellatórum;
Hæc coróna magiſtrórum;
Binum lumen oculórum
Sic micat Eccléſiæ.
Petre, radix unitátis;
Paule, jubar veritátis;
Super aſtra qui regnátis,
Datæ jure poteſtátis,
Nos è cœlo régite.
Quos in fide genuiſtis,
Quos præceptis imbuiſtis,
Quos exemplo docuiſtis,
Quos cruóre perfudiſtis,
Deo nos conjúngite. Amen.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

IN illo témpore; Dicit Simóni Petro Jesŭs: Simon Joannis, díligis me plus his? Dicit ĕi: Etiam, Dómine, tu ſcis quia amo tĕ. Dicit ĕi: Paſce agnos mĕos. Dicit ei ĭterùm: Simon Joannis, díligis me? Ait ĭlli: Etiam, Dómine, tu ſcis quia amo tĕ. Dicit ĕi: Paſce agnos mĕos. Dicit ei tĕrtiò: Simon Joannis, amas me? Contriſtátus eſt Petrus, quia dixĭt ei tértiò, Amas me? & dixit ĕi: Dómine, tŭ ómnia noſti: tu ſcis quia amo tĕ. Dixit ĕi: Paſce oves mĕas. Amen, amen dico tibi: Cùm eſſes júnior, cingébas te, & ambulábăs ubi volébas: cùm autem ſenúeris, extendes manus tuas, & álius te cinget, & ducet quò tu non vĭs. Hŏc autem dixit, ſignificans quă mŏrte clarificatúrus eſſet Deum. Cap. 21.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Cùm ſenúeris, extendes manus tuas, & álius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit Jeſus Petro, ſignificans quâ morte clarificatúrus eſſet Deum. Joan. 21.

Secreta.

S. P. HOstias, Dómine, quas nómini tuo sacrandas offérimus, apostólica prosequátur orátio; ut per quos M. P. Eccléſia tua inítium divínæ cognitiónis accépit, per eos usque in finem séculi cápiat grátiæ cœlestis augmentum; Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

I. Petr. 5. *Communio.* Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet, confirmábit, solidabitque. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

S. R. FAmíliam tuam quam cœlesti alimento satiásti, Dómine, propítius intuére, & Apostólicis defende præsídiis; ut eórum précibus gubernétur, quibus nítitur, te constituente, princípibus; Per Dóminum.

Die xxx.

In Commemoratione

Rub. SANCTI PAULI,

Apostoli.

Duplex-Majus.

Introitus.

II. Tim. 4. BOnum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex.

Psal. 138. *Psalm.* Dómine, probásti me, & cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meam, & resurrectiónem meam. Glória. Bonum.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne, docuísti; da, quæsumus, ut cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus; Per Dóminum.

Fit Commem. Octavæ S. Joannis, Deus, qui præsentem, *suprà*, 483.

Deindè de S. Petro.

DEus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cœlestis, ánimas ligandi atque solvendi Pontifícium tradidísti; concéde, ut intercessiónis ejus auxílio, à peccatórum nostrórum néxibus liberémur; Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Gálatas.

Cap. 1. NOtum vobis fácio, Fratres, Evangélium, quod evangelizátum est à me, quia non est sĕcundùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici; sed per revelatiónem Jesû Christi. Audístis enim conversatiónem meam aliquando ĭn Judaísmo; quóniam supra modum persequébar Eccléſiam Dei, & expugnábam illam, & proficiébam in Judaísmo supra multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor exístens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei, qui me segregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárĕm illum in géntibus: contínuò non acquiévi cârni & sánguini. Neque veni Jerosólymam ad anteceſſóres meos Apóstolos; sed ábĭi in Arábiam: & íterùm reversus sûm Damascum. Deinde post annos tres veni Jerosólymam vidére Petrum; & mansi apud eum diébus quíndecim: álium autem Apostolórum vidi néminem, nisi Jacóbum frâtrem Dómini. Quæ autĕm scribo vobis, ecce corăm Dĕo, quia non méntior.

Gal. 2. *Graduale.* Qui operátus est Petro in Apostolátum Circumcisiónis, operátus est & mihi inter Gentes. ℣. Grátiâ Dei sum id quod sum: I. Cor. 15. & grátia ejus in me vácua non fuit; sed abundántiùs ómnibus laborávi; non ego autem, sed grátia Dei mecum.

Allelúia,

II. Tim. 8. Allelúia, allelúia. ℣. Pátior, sed non confundor; scio enim cui crédidi. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudentes, sicut serpentes, & símplices sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, & in synagógis suis flagéllábunt vos: & ad præsides & ad reges ducémini propter me, in testimónium illis, & géntibus. Cùm autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium; & insurgent fílii in parentes, & morte eos afficient. Et éritis ódio ómnibus propter nomen meum. Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Dicitur Credo.

Rom. 15. *Offertorium.* Grátia data est mihi à Deo, ut sim minister Christi Jesu in Géntibus, sanctíficans Evangélium Dei; ut fiat oblátio Géntium accepta, & sanctificáta in Spíritu sancto.

Secreta.

M. P. FIat, quæsumus, Dómine, Ecclésiæ tuæ oblátio accepta, & sanctificáta in Spíritu sancto: & multitúdo Géntium apud te séntiat intercessórem, quem in fide hábuit doctórem & magistrum Per... in unitáte ejusdem.

De Octava, Tua, Dómine, *suprà*, 484.

De S. Petro.

ECclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces & hóstias beáti Petri Apóstoli tui commendet orátio; ut quod pro ipsíus glória celebrámus, nobis prosit ad véniam; Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Phil. 1. *Communio.* Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. ECclésiam tuam beáti Pauli Apóstoli prædicatióne edoctam, nullâ sinas, Dómine, fallácià violári; & ad peragendum quæ dócuit, hujus virtúte sacramenti, fidélibus tuis efficáciam tríbue; Per.

De Octava, Deus, qui instítúta, *suprà*, 485.

De S. Petro.

LÆtíficet nos, Dómine, munus oblátum; ut sicut in Apóstolo tuo Petro te mirábilem prædicámus, sic per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem; Per Dóminum.

FESTA JULII.

Die I.

Octava Nativitatis.

S. JOANNIS BAPTISTÆ, *Rub.*

Et Festum

Decollationis ejusdem.

Duplex - Minus.

Introitus.

Psal. 118. LOquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, & non confundébar: & meditábar in mandátis tuis, quæ dilexi. *Psalm.* Ibid. Beáti immaculáti in via: * qui ámbulant in lege Dómini. Glória. Loquébar.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui beátum Joannem Baptiſtam, & naſcentis & morientis Fílii tui Præcurſórem eſſe voluiſti: concéde, ut ſicut ille veritátis & juſtítiæ martyr occúbuit; ita nos pro veritáte & juſtítia ad mortem uſque certémus; Per eumdem.

Pro Commem. Octav. SS. Petri & Pauli, Collecta, Deus, qui hodiernam diem. *ſuprà*, 488.

Léctio Malachîæ Prophétæ.

Cap. 4. HÆc dicit Dóminus êxercítuum: Mementóte legis Móyſi ſervi mei, quam mandávi ei in Horeb ad omnĕm Iſrael, præcepta êt judícia. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequàm véniat dies Dómini magnŭs & horríbilis: & convertet cor patrum ad fílios, & cor filiórum ad patres eórum; ne forte véniam, & percútĭăm tĕrram anathémate.

Joan. 5. *Graduale.* Joannes teſtimónium perhíbuit veritáti: ille erat lucerna ardens & lucens.

Eccli. 48. ℣. In diébus ſuis non pertímuit príncipem; & poténtiâ nemo vicit illum.

Pſal. 39. Allelúia, allelúia. ℣. Juſtítiam tuam, Dómine, non abſcondi in corde meo: veritátem tuam, & ſalutáre tuum dixi. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 6. IN illo témpore; Heródes miſit ac ténuit Joannem, & vinxit eum in cárcere, propter Herodíadem uxórem Philippĭ fratris ſui, quia dúxerat ĕam. Dicébat enim Jŏannes Heródi; Non licet tibi habére uxórem fratris tŭi. Heródias autem inſidiăbátur illi: & volébat occídere eum, nec pŏterat. Heródes enim metuébat Joannem, ſciens eum virŭm juſtum & ſanctum: & cuſtodiébat eum, & audíto eo multa faciébat, & libenter eum audiĕbat. Et cùm dies opportúnŭs accidiſſet, Heródes natális ſui cœnam fecit princípibus, & tribúnis, & primis Galilæ. Cùmque introiſſet fília ipsíus Herodíadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Heródi, ſimulquĕ recumbéntibus; rex ait puĕllæ: Pete ă me quod vis, & dabo tĭbi. Et jŭrávit illi; Quia quidquid petíeris dabo tibi, licèt dimídium regni mĕi. Quæ cùm exiſſet, dixit matri sŭæ: Quid petam? At illa dĭxit: Caput Joannis Baptĭſtæ. Cùmque introiſſet ſtatim cum feſtinatĭóne ad regem; petívit, dĭcens: Volo ut prótinùs dĕs mihi in diſco caput Joannis Baptĭſtæ. Et contriſtátus eſt rĕx. Propter jusjurandum, & propter ſimul diſcumbentes, nóluit eăm contriſtáre: ſed miſſo ſpiculatóre, præcépit afferri caput ejus in dĭſco. Et decollávit eum in cárcere; & áttulit capŭt ejus in diſco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri sŭæ. Quo audíto, diſcípuli ejus venérunt, & tulérŭnt corpus ejus: & poſuérŭnt illud in monumento.

Dicitur Credo.

Joan. 1. *Offertorium.* Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes: hic venit in teſtimónium; ut teſtimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum.

Secreta.

M. P. DA nobis, Dómine, per hæc múnera quæ tibi offérimus, illam tuárum rectitúdinem ſemitárum, quam beátus Joannes vox in deſerto clamantis edócuit, & fuſo ſánguine ſignávit; Per.

De Octava SS. Apostolorum, Hóſtias, Dómine, *ſuprà*, 490.

Præfatio de S. Joanne-Baptista.

Matt. 17. *Communio.* Dico vobis quia Elías jam venit, & non cognovérunt eum; ſed fecérunt in eo quæcumque voluérunt.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PUrificet nos & róboret, quæsumus, Dómine, corpus & sanguis Agni immaculáti, quem súmpsimus; ut veritátem & castitátem cum beáto Joanne inviolábili fide sectantes, per patiéntiam victóres éffici mereámur; Per eumdem.

De Octava SS. APOSTOLORUM, Famíliam tuam, *suprà*, 490.

DIE II.

In Festo VISITATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

SOLEMNE-MINUS.

INTROITUS.

Luc. 1. EXultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respexit humilitátem ancillæ suæ.

Psal. 44. *PSALM.* Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi. Glória. Exultávit.

M. P. *COLLECTA.* Orémus.

ADesto Eccléſiæ tuæ miséricors Deus, & fílios adoptiónis júgiter in ejus sinu purífica; qui, Maríæ clausus útero, Joannem in sinu Elísabeth sanctificásti; Qui vivis.

De Octava SS. APOSTOLORUM, Deus, qui hodiernam diem, *suprà*, 488.

Léctio Cántici Cânticórum.

Cap. 2. ECce iste venit sáliens in móntibus, transîliens colles. Símilis est dilectus meus cápreæ, hinnulôque cervórum. En ipse stat post părietem nostrum, respíciens per fenestras, prospíciens pêr cancellos. En dilectus meus lôquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, columba mea, formósă mea, & veni: jam enim hyems tránsiit, imber ábiit & recessit; flores apparuérunt in terra nostra; tempus putatiónis advénit; vox túrturis audíta est in terra nostra; ficus prótulit grossos suos; víneæ florentes dedérunt odôrem suum. Surge, amíca mea, speciósă mea, & veni: columba mea in foramínibus petræ, in cavêrna macériæ. Ostende mihi fáciem tuam; sonet vox tua ĭn áuribus meis: vox enim tuă dŭlcis, & fácies tua decóra.

GRADUALE. Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. ℣. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Luc. 1.

Allelúia, allelúia. ℣. Beáta quæ credidísti, quóniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 1. EXurgens María in diébus illis ábiit in montána cum festinatióne, in civĭtátem Juda: & intrávit in domum Zacharíæ, & salutávit Elísabĕth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ E'lísabeth, exultávit infans in útero ĕjus. Et repléta est Spíritu sancto E'lísabeth; & exclamávit voce magna, & dĭxit: Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructŭs ventris tui: & unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ ĭn áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero mĕo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Dŏmino. Et ait Marĭa: Magníficat ánĭmă mea Dóminum: & exultávit spírĭtŭs mĕus in Deo salutári meo.

Dicitur Credo.

Luc. 1. *OFFERTORIUM.* Ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exultávit in gáudio infans in útero ejus, & repléta est Spíritu sancto. Allelúia.

SECRETA.

M. P. SIcut beatíſſimæ Unigéniti tui Matris humilitátem gratam habuiſti, Dómine; ita majeſtáti tuæ acceptum ſit hoc noſtræ ſervitútis ſacrifícium; Per eumdem.

De Octava SS. APOSTOLORUM, Hóſtias, *ſuprà* 490.

PRÆFATIO de B. M. VIRGINE.

Luc. 1. *COMMUNIO.* Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. LArgíre, quæſumus, Dómine, fidélibus tuis, ut quem in útero latentem beátus Joannes cum exultatióne præſenſit, ejuſdem in hoc ſacramento abſcónditi præſéntiam cum ſancta lætítia ſentiámus; Qui tecum vivit.

De Octava SS. APOSTOLORUM, Famíliam tuam, *ſuprà* 490.

DIE III.

In Feſto

SANCTI MARTIALIS,

Primi Lemovicenſis Epiſcopi.

Virid. SEMIDUPLEX.

Miſſa, Mittam, *de Communi Fundatorum Eccleſiarum, p.* xv. *Collecta*, Deus, cujus ineffábili. *pag.* xvj. *Fit Commemoratio Octavæ SS. PETRI & PAULI, per Orationes de Feſto.*

DIE IV.

In ORDINATIONE ET TRANSLATIONE

SANCTI MARTINI,

Epiſcopi.

Virid. SEMIDUPLEX.

Miſſa, Manus mea, *ut in ejuſdem Feſto infrà die* xj. *Novembris, præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui pópulo tuo æternæ ſalútis beátum Martínum miniſtrum tribuiſti: præſta, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, interceſſórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum.

De SS. Apoſtolis PETRO & PAULO. Deus, qui hodiernam diem *ut ſuprà*, 488.

SECRETA.

ACcedéntibus ad altáris tui tremenda myſtéria, quæſumus, Dómine, timóris & amóris ſpíritum infunde, quo beátus Martínus venerandum ſacerdótium & reformávit oblátum, & impóſitum fidéliter implévit; Per Dóminum.

De SS. APOSTOLIS, Hóſtias, *ſuprà*, 490.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DA nobis, Deus unitátis ſacramento refectis, perfectum in ómnibus cum tua voluntáte concórdiam; ut ſicut beátus Martínus totum ſe tibi, ſive ad vitam, ſive ad mortem, ſubjécit, ita & nos ſive vivámus, ſive moriámur, tui eſſe gloriémur; Per Dóminum.

De SS. APOSTOLIS, Famíliam, *ſuprà*, 490.

DIE V.

DE OCTAVA

SS. APOSTOLORUM

PETRI ET PAULI.

Rub. SEMIDUPLEX.

Miſſa, ut in die præter Epiſtolam & Evangelium quæ ſequuntur.

Léctio Epíſtolæ beáti Pêtri Apóſtoli.

II. Cap. 3. FRatres: Novos cœlos & novam terram, ſecundùm promiſſa Dómini, expectámus; in quibus juſtítia hábitat. Propter quod, Caríſſimi, hæc expectantes, ſatágite immaculáti & invioláti ei invenîri in pace. Et Dómini noſtri longanimitátem, ſalútem arbitrémini: ſicut & caríſſimus frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi ſapiéntiam ſcripſit vobis; ſicut & in

ómnibus epístolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficília intellectu, quæ indocti & instábiles deprávant, sicut & cæteras scriptúras ad suam ipsórum perdîtiónem. Vos, ígitur, fratres, præscientĕs custódite: ne insipiéntium erróre traducti, excidátis à própria fîrmitáte. Créscite verŏ in grátia, & in cognitióne Dómini nostri & salvatóris Jesû Christi. Ipsi glória & nunc & in diem æternĭtătis. Amen.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 9. IN illo témpore; Respondens Petrus: dixit Jesŭ: Ecce nos relíquimus ómnia, & secútĭ sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit ĭllis: Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in sede majĕstátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israël. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros proptĕr nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætĕrnam possidébit. *Dicitur* Credo.

DIE VI.
OCTAVA
SS. APOSTOLORUM
PETRI ET PAULI,
Et Festum
OMNIUM SS. PONTIFICUM.

Rub. In Sede Romana *B. PETRI SUCCESSORUM.*

DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

II. Esdr. 9. LOcútus es, Dómine, cum Pátribus nostris de cœlo, & mandáta, & ceremónias, & legem præcepísti eis: & dedísti eis regna; & pópulos, & possedérunt terram, & multiplicásti fílios eórum sicut stellas cœli. *PSALM.* Omnes gentes, pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis. Glória. Locútus es. Psal. 46.

COLLECTA. Orémus. M. P.

DEus, qui suprà beáti Petri confessiónem ædificátam Eccléstam, per ejus in Romána Sede Successóres gubernáre non désinis: præsta, ut eórum intercessióne, quos suprémæ ipsíus dignitátis hærédes, fídei incorruptæ defensóres, immarcessibilisque glóriæ partícipes effecísti, unitátis centro firmiter adhærentes, ad te Príncipem Pastórum pervenire felíciter valeámus; Qui vivis.

Léctio Ezechiêlis Prophétæ.

Cap. 34. HÆc dîcit Dóminus: Salvábo gregem meum, & non erit ultrà in rapínam, & judicábo inter pêcus & pecus. Et suscitábo super eas pastórem unum, qui pascat eas, servŭm meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis în pastórem. Ego autem Dóminus erŏ eis in Deum: & servus meus David princeps in médio eórum: ego Dóminus locûtus sum. Et fáciam cum eis pactum pacis, & cessáre fáciam béstĭăs péssimas de terra; & qui hábitant in deserto, secúri dôrmient in sáltibus. Et ponam eos in circúitu collis mei benĕdictiónem: & dedúcam imbrem in témpore suo: plúviæ benedictiônis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra suă absque timóre: & scient quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum & erúero eos de manu imperântium sibi. Et non erunt ultrà in rapínam in géntibus, neque béstiæ terræ devŏrábunt eos; sed habitábunt confidenter absque ûllo terróre. Et suscitábo eis germĕn nominátum: & non erunt ultrà imminúti fame in terra, neque portábunt ultrà opprôbrium géntium. Et scient quia ego

Dóminus Deus eórum cum eis, & ipſi pópulus meŭs domus Iſrael, ait Dôminus Deus. Vos autem greges mei, greges páſcuæ meæ hómines eſtis; & ego Dóminus Deŭs vĕſter, dicit Dóminus Deus.

Cant. 8. *GRADUALE.* Vínea fuit pacífico in ea, quæ habet pópulos : trádidit eam cuſtódibus. ℣. Réſpice de cœlo, Dómine, & vide, & víſita víneam iſtam, & pérfice eam : fiat manus tua ſuper virum déxteræ tuæ.

Iſaiæ. 61. Allelúia, allelúia. ℣. Vos Sacerdótes Dómini, miniſtri Dei noſtri, fortitúdinem géntium comedétis, & in glória eórum ſuperbiétis. Allelúia.

PROSA. Te laudámus, *ut in die.*

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 16. IN illo témpore; Venit Jeſus in partes Cæsăréæ Philippi : & interrogábat diſcípulos ſuos, dĭcens : Quem dicunt hómines eſſe Fílium hóminis? At illi dixĕrunt : Alii Joannem Baptiſtam, álii autem Elíam, álii verŏ Jeremíam, aut unum ex Prophĕtis. Dixit illis Jesŭs : Vos autem quem me eſſe dícitis? Reſpondĕns Simon Petrus, dĭxit : Tu es Chriſtus Fílius Dei vĭvi. Reſpondĕns autem Jeſus, dixit ĕi : Beátus es, Simon Barjóna; quia caro & ſanguis non revĕlávit tibi, ſed Pater, meus qui in cœlis ĕſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo E'ccléſiam meam; & portæ ínferi non prævalébunt adversùs ĕam. Et tibi dabo claves regni cœlŏrum. Et quodcumque ligáveris ſuper terram, erit ligátŭm & in cœlis : & quodcumque ſólveris ſupĕr tĕrram, erit ſolútum & in cœlis.

Dicitur Credo.

Deut. 33. *OFFERTORIUM.* Pópulos vocábunt ad montem : ibi immolábunt víctimas juſtítiæ. Beátus es tu Iſrael : Quis símilis tui, Pópule, qui ſalváris in Dómino?

SECRETA.

HOſtias, Dómine, quas nómini tuo ſacrandas offérimus, Sanctórum tuórum proſequátur orátio, ut per quos Eccléſia tua veræ fídei ſervávit integritátem, per eos uſque in finem ſéculi cápiat grátiæ cœleſtis augmentum; Per. S. R.

PRÆFATIO de APOSTOLIS.

I. Mac. 14. *COMMUNIO.* Dedérunt ſe perículo, & reſtitérunt adverſáriis, ut ſtarent ſancta eórum, & lex : & glóriâ magnâ glorificavérunt gentem ſuam.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. NUllum primum niſi Chriſtum ſequentes; & Cáthedræ Petri communióne ſociátos : da nos, Deus, Agnum ſemper in ea domo comédere, quam beáti Pontífices Petri ſucceſſóres, doctrínæ & virtútum ſplendóre illuſtrárunt; Per eumdem.

DIE VII.

In Feſto SANCTI THOMÆ,

Rub. Cantuarienſis Epiſcopi & Martyris.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Pſal. 68. PErſecúti ſunt me inimíci mei injuſtè : extráneus factus ſum frátribus meis, quóniam zelus domûs tuæ comédit me, Dómine.

Ibid. *PSALM.* Salvum me fac, Deus; *quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam. Glória. Perſecúti ſunt.

COLLECTA. Orémus.

M. P. OMnípotens ſempiterne Deus, qui beáto Thomæ Pontífici & Mártyri tuo uſque ad mortem pro juſtítia certáre tribuiſti : fac nos ejus méritis vitæ frágilis amórem abjícere, & ad te qui ſolus vera vita es pervenire; Qui vivis & regnas.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

II. Cor. 6. FRatres; Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ à dextris & à sinístris; per glóriam, & ignobilitátem; per infámiam ĕt bonam famam: ut seductóres, & veráces; sicut qui ignóti, & cógniti; quasi morientes, & ecce vívimus; ut castigáti, & non mortificáti; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil hăbĕntes, & ómnia possidentes.

Psal. 70. *GRADUALE.* Firmamentum meum & refúgium meum es tu, Deus meus: tu es patiéntia mea, Dómine. ℣. Quantas ostendísti mihi tribulatiónes! Et conversus vivificásti me.

Psal. 68. Allelúia, allelúia. ℣. Salus tua, Deus, suscépit me: laudábo nomen Dei cum cántico, & magnificábo eum in laude. Allelúia.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 15. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hăbuit. Si de mundo fuissétis, mundus quod suŭm erat dilígeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptéreà odit vos mŭndus. Mementóte sermónis mei, quem egŏ dixi vobis: Non est servus major dómino sŭo. Si me persecúti sunt, ĕt vos persequentur: Si sermónem meum servavérunt, & vestrum servăbunt. Sed hæc ómnia fácient vobis proptĕr nomen meum; quia nésciunt eum, qui misit mĕ. Si non venissem, & locútus fuissem eis, peccátŭm non habérent: nunc autem excusatiónem non habent de peccáto sŭo. Qui me odit, & Patrem meum ŏdit. Si ópera non feciſsem in eis quæ nemo álius fecit, peccátŭm non habérent: nunc autem & vidérunt, & odérunt me, & Patrem mĕum. Sed ut adimpleátur sermo, qui in lege eórŭm scriptus est: Quiă ŏdio habuérunt me gratìs.

OFFERTORIUM. Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo. Psal. 115.

SECRETA.

SUscipe múnera, Dómine, quæ in beáti Thomæ Mártyris tui atque Pontíficis veneranda solemnitáte deférimus: & præsta, ut ipsíus interventu mereámur adversa mundi toleráre, & ad cœléstia regna ferventi devotióne properáre; Per. M. P.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

COMMUNIO. Vídeant qui odérunt me, & confundantur; quia tu Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me. Psal. 85.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

SUmptis repléti munéribus, quæsumus, Dómine Deus noster, ut intercedente beáto Thoma Mártyre tuo atque Pontífice, mereámur mandátis tuis perseveranter inténdere, & incursus persequéntium constanter toleráre; Per Dóminum. M. P.

DIE VIII.

In Festo

SANCTI PROSPERI, Viríd.

Ecclesiæ Doctoris.

SEMIDUPLEX.

Missa, In médio, *de Communi Doct.* xxj. *præter Orationes sequentes.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum Próſperum, exímium grátiæ Chriſti defenſórem effeciſti; ádjuva nos ejus interceſſióne, ut in vácuum à nobis éadem grátia tua nunquàm recipiátur; Per.

Secreta.

OBláti virtúte ſacrifícii; præſta, miſéricors Deus, ut corda noſtra, exemplo beáti Próſperi, ſacris intenta doctrínis, & intélligant quod ſequantur; & ſequendo, vitam æternam apprehendant; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

CŒléſtibus refecti myſtériis, te, Dómine, ſupplíciter exorámus, ut intercedente beáto Próſpero, & errórum vitémus perícula, & ſincéræ fídei præmium per bona ópera áſſequi valeámus; Per Dóminum.

Die ix.

In Feſto

SANCTI ODONIS,

Virid. Urgellenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Miſſa, Státuit, *ut in Communi Pontificis*, *p.* xviij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

EXaudi, quæſumus, Dómine, preces noſtras, quas in beáti Odónis Pontíficis feſtivitáte deférimus; & ejus qui tibi dignè méruit famulári, intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos abſolve peccátis; Per.

Pro Commemor. S. Ephrem, Monachi. Collecta Omnípotens, *ut in Communi Monachorum*, *p.* xxviij.

Secreta.

HOſtias noſtras, quæſumus, Dómine, ſanctus Póntifex Odo nómini tuo reddat acceptas; qui eas tibi dignè offerendo complácuit; Per.

Præfatio de Pontificibus.

Postcommunio. Orémus.

COrporis & ſánguinis tui, Dómine, participatióne refecti in honóre beáti Odónis Pontíficis, quæſumus, ut à cunctis adverſitátibus muniámur, & expiáti máculis peccatórum, virtútibus informémur; Qui vivis & regnas.

Die x.

In Feſto

SS. SEPTEM FRATRUM, Rub.

et sanctæ Felicitatis,

Eorum Matris, Martyrum.

Simplex.

Introitus.

LAudáte, púeri, Dóminum: laudáte nomen Dómini, qui habitáre facit ſtérilem in domo, matrem filiórum lætantem. Psal. 112. *Psalm.* Sit nomen Dómini benedictum * ex hoc nunc & uſque in ſéculum. Glória. Laudáte. Ibid.

Collecta. Orémus.

DA nobis, miſéricors Deus, unánimes in fide & dilectióne tua perſeveráre, qui ſanctos Mártyres tuos eſſe tribuiſti ſincérâ caritáte in vita concordes, & gloriósâ confeſſióne in morte conjunctos; Per. M. P.

Léctio libri Machâbæórum.

IN diébus illis; Suprà modum mater mirábilis, & bonórum memória digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub uníus diéi témpore conſpíciens, bono ánimo ferébat propter ſpem quam in Deum habébat; síngulos illórum hortabátur voce pátriâ fórtiter, repléta ſapiéntiâ, & femíneæ cogitatióni maſculínum ánimum ínſerens, dixit ad eos: Néſcio quáliter in útero meo apparuiſtis; neque enim ego ſpíritum & ánimam donávi vobis 2. Mac. 7.

&

& vitam, & ſingulórum membra non egŏ ipſa compégi : ſed enim mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit orí-ginem, & ſpíritum vobis íterùm cum miſericórdia reddet & vitam, ſicut nunc voſmetipſos dĕſpĭcitis propter leges ejus.

Sap. 3. *GRADUALE.* Juſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. ℣. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori : illi autem ſunt in pace.

Matt. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Beáti qui perſecutiónem patiuntur propter juſtítiam ; quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 12. IN illo témpore ; Loquente Jĕſu ad turbas, ecce mater ejus & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ĕi. Dixit autem ei quĭdam : Ecce mater tua & fratres tuĭ foris ſtant, quærentes tĕ. At ipſe reſpondens dĭcenti ſibi, ăit : Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei ? Et extendens manum in dĭſcípulos ſuos, dĭxit : Ecce mater mea, & fratres mĕi. Quicumque enim fécerit voluntátem Patris mei qui ĭn cœlis eſt ; ipſe meus frater, ĕt sŏror & mater eſt.

Phil 1. *OFFERTORIUM.* Vobis donátum eſt pro Chriſto non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini.

SECRETA.

M. P. HOſtias, tibi, Dómine, offérimus, ſupplíciter exorantes, ut ſicut Sancti tui mundum in tua virtúte vicérunt, ita nos à mundánis terróribus póſtulent expedíri ; Per Dóminum.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

COMMUNIO. Hi ſunt qui venérunt de tribulatióne, magna, & lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in ſánguine Agni. Apoc. 7.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SUmpſimus, Dómine, divína ſacramenta, Sanctórum Mártyrum tuórum triumphum recolentes : præſta, quæſumus, ut quæ ipſis ad tormenta perferenda robur contulérunt, nobis præbeant inter adverſa conſtántiam ; Per Dóminum.

DIE XI.
In Feſto
SANCTI BENEDICTI, Viol.
Abbatis.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Jer. 9. QUis dabit me in ſolitúdine, & derelinquam pópulum meum, & recédam ab eis ? quia omnes ſunt cœtus prævaricatórum. Pſal. 54. *PSALM.* Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam : * intende mihi, & exaudi me. Glória. Quis dabit.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui beátum Benedictum Abbátem, de ejus quæ in mundo eſt concupiſcéntiæ corruptióne ereptum, Chriſto fidéliter adhærére feciſti ; quæſumus, ut contra ſéculi hujus illécebras tuâ virtúte roboráti, brávium ſupernæ vocatiónis conſtanter pérſequi, & felíciter áſſequi valeámus ; Per eumdem.

Léctio Epíſtolæ beáti Joânnis Apóſtoli.

1. Joan. 2. FIlíoli ; Nolíte dĭlígere mundum, neque ea quæ in mûndo ſunt. Si quĭs díligit mundum, non eſt cáritas Pâtris in eo. Quóniam omne

quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, & concupiscéntia oculórum, & sŭpérbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mûndo est. Et mundus transit, & concupiscêntia ejus. Qui autem facit voluntátĕm Dĕi, manet in æternum.

3. Reg. 19. II. Mach. 2. *Graduale.* Surgens ábiit, & perrexit in desertum, & mansit in spelunca. ℣. Tunc descendérunt multi, quærentes judícium & justítiam in desertum; & sedérunt ibi.

Act. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Verbis plúrimis testificátus est, & exhortabátur eos, dicens: Salvámini à generatióne ista prava. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 19. IN illo témpore; Respondens Petrus dixit Jesŭ: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeratióne cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ; sedébitis & vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israël. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam æternam possidébit.

Heb. 13. *Offertorium.* Exeámus ad Jesum extra castra, impropérium ejus portantes; non enim habémus hîc manentem civitátem, sed futúram inquírimus: per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo.

Secreta.

SAcrifícium crucis recolentes, fac, quæsumus, Dómine, Crucifixi gloriémur impropério; & quam beátus Benedictus Frátribus suis præmonstrávit futúram civitátem, tanquam hóspites & peregríni fidéliter inquirámus; Per eumdem.

Præfatio de Abbatibus.

Pſal. 21. *Communio.* Anima mea Dómino vivet, & semen meum sérviet ipsi.

Postcommunio. Orémus.

PEr tui virtútem Sacramenti tríbue nobis, quæsumus, Dómine, ut beáti Benedicti Abbátis exempla sequentes, non diligámus mundum, neque ea quæ in mundo sunt; & sic cáritas Patris in nobis máneat; Qui vivis.

Die xiii.
In Festo
SANCTI SILÆ,
Rub. Gentium Apostoli.

Semiduplex.

Introitus.

Pſal. 67. CAntáte Deo, psalmum dícite nómini ejus, qui edúcit vinctos in fortitúdine. *Psalm.* Exurgat Deus, & dissipentur inímici ejus, * & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Glória. Cantáte.

Collecta. Orémus.

DEus, qui per beátum Silam, virum primum in frátribus, viam salútis Géntibus annuntiári voluisti, da Eccléſiæ tuæ, ut quem ministrum fidélem experta est, benignum apud te júgiter hábeat intercessórem; Per Dóminum.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Cap. 16. FActum est eúntibus nobis ad oratiónem, puellam quamdam habentem spíritum pythónem obviáre nobis, quæ quæstum magnum præstábat dóminis suis dîvinando. Hæc subsecúta Paulum, & nos, clamábat, dicens: Isti hómines servi Dei excelsi sunt, qui annúntiant vobis vîam salútis. Hoc autem faciébat mûltis dié-

bus. Dolens autem Paulus, & conversus, spirítui dixit: Præcípio tibi in nómine Jesu Christi exîre ab ea. Et éxiit eâdem hora. Videntes autem dómini ejus quia exívit spes quæstus eórum, apprehendentes Paulum & Silam, perduxérunt in forum ad príncipes: & offerentes eos magistrátibus, dixérunt: Hi hómines conturbant civitátem nostram, cùm sint Judæi: & annúntiant morem, quem non licet nobis suscípere, neque fácere, cùm sîmus Románi. Et cucurrit plebs adversùs eos; & magistrátus, scissis túnicis eórum, jussérunt eos vîrgis cædi. Et cùm multas plagas eis imposuíssent, misérunt eos in cárcerem, præcipientes custódi ut diligenter custodîret eos. Qui cùm tale præceptum accepísset, misit eos in interiórem cárcerem, & pedes eórum strînxit ligno. Médiâ autem nocte, Paulus & Silas orantes, laudábant Deum; & audiébant eos, qui in custôdia erant. Súbitò verò terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta cárceris. Et statim aperta sunt ómnia óstia; & universórum víncula sôlúta sunt. Expergefactus autem custos cárceris, & videns jánuas ápertas cárceris, evagináto gládio, volebat se interfícere, æstimans fugîsse vinctos. Clamávit autem Paulus voce magnâ, dicens: Nihil tibi mali féceris: universi ênim hìc sumus. Petitoque lúmine, introgréssus est; & tremefactus procídit Paulo & Silæ ad pedes: & prodúcens eos foràs, ait: Dómini, quid me oportet fácere, ut salvus fiam? At illi dixérunt: Crede in Dóminum Jesum; & salvus eris tu & dômus tua. Et locúti sunt ei verbum Dómini, cum ómnibus qui erant in dômo ejus. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eórum; & baptizátus est ipse, & omnis domŭs ĕjus contínuò.

Graduale. Eduxit eos Dóminus de ténebris & umbra mortis, & víncula eórum disrúpit. ℣. Custos cárceris, cùm perduxísset eos in domum suam, appósuit eis mensam, & lætátus est cum omni domo sua, credens Deo. Psal. 106. Act. 16.

Allelúia, allelúia. ℣. Passi & contuméliis affecti in Philippis, fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Allelúia. 1. Thess. 2.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupŏrum. Estóte ergo prudentĕs, sicut serpentes, & símplices sicut colŭmbæ. Cavéte autem ab homĭnibus. Tradent enim vos in concíliis, & in synagógis suis flagĕllábunt vos: & ad præsides & ad reges ducémini propter me, in testimónium illis, & gĕntibus. Cùm autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodò aut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora, quid loquămini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vŏbis. Tradet autem frater fratrem in mortem, ĕt pater fílium; & insurgent fílii in parentes, & morte eos affícient. Et éritĭs ódio ómnibus propter nomen mĕum. Qui autem perseveráverit usque ĭn fĭnem, hic salvus erit. Cap. 10.

Dicitur Credo.

Offertorium. Cúpidè volebámus trádere vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras. 1. Thess. 2.

Secreta.

DEus, qui sanctis Apóstolis tuis tribuísti, ut apertis ad eórum oratiónem cárceris óstiis, captivórum víncula solverentur; eórumdem intercessióne nobis tríbue, ut oblátum

majestáti tuæ redemptiónis nostræ sacrifícium nos ab ómnibus vínculis expédiat peccatórum; Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

1. Thess. 5. *Communio.* Deus pacis sanctíficet vos per ómnia : Fidélis est qui vocávit vos.

Postcommunio. Orémus.

DEus, qui discípulos olim per beátum Silam Apóstolum in cœléstis doctrínæ virtúte confirmásti; concéde, illíus précibus, Sacramenti tui perceptióne recreátis, in eadem doctrína perseveráre, & felicitátis æternæ fieri partícipes; Per.

Die xiv.

In Festo

Virid. SANCTI BONAVENTURÆ,

Albanensis Episcopi & Doctoris.

Semiduplex.

Missa, In médio, *de Communi Doctorum*, *p.* xxj. *præter Epistolam & Evangelium quæ sequuntur.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

1. Tim. 4. CAríssime; Attende lectióni, exhortatióni et doctrínæ. Noli neglígere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam, cum impositióne mánuum prêsbytérii. Hæc meditáre, in his esto : ut profectus tuus manifêstus sit ómnibus. Attende tibi, & doctrínæ : ínsta in illis. Hoc enim fáciens, & teipsum salvum fácies, & eos qui te audiunt.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 20. IN illo témpore; Jesus vocávit discípulos suos ad se, & ait : Scitis, quia príncipes géntium dominantur eórum : & qui majóres sunt, potestátem exercent in eos. Non ita erit inter vos: Sed quicumque volúerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui volúerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre, & dare ánimam suam redemptiónem pro multis.

Dicitur Credo.

Die xv.

In Festo

SANCTI HENRICI, Viol.

Imperatoris.

Simplex.

Missa, Os justi, *de Communi Justorum*, *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum Henrícum de terréno império ad regnum æternum transtulísti; te súpplices exorámus, ut sicut illum grátiæ tuæ suavitáte illécebras séculi superáre fecísti; ita nos fácias mundi blandimenta vitáre, & ad te puris méntibus pervenire; Per Dóminum.

Secreta.

DA nobis, quæsumus, Dómine, per hæc múnera quæ tibi offérimus, eam ánimi constántiam, quam beáto Henríco tribuísti, ut mundi hujus nec mutémur malítiâ, nec fallácia deprimámur; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

DEus, qui beáto Henríco veram æterni regni felicitátem toto cordis affectu concupíscere tribuísti; fac nos, quæsumus, ejusdem felicitátis amatóres, cujus in hoc Sacramento pignus accépimus; Per.

Die xvii.

In Festo

SANCTORUM SPERATI Rub.

& Sociorum Martyrum.

Simplex.

Missa, Dedisti, *de Communi plurium Martyrum*, *p.* x.

Die xviii.
In Festo
S. THOMÆ AQUINATIS,
Ecclesiæ Doctoris.
Duplex - Minus.

Virid.

Introitus.

Eccli. 51.

QUæsívi sapiéntiam palàm in oratióne mea, & efflóruit tanquam præcox uva: possédi cum ipsa cor ab inítio; propter hoc non derelinquar. *Psalm.* Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua. Glória. Quæsívi.

Psal. 91.

Collecta. Orémus.

M. P.

DEus, qui Eccléſiam tuam beáti Thomæ Doctóris mirâ eruditióne claríficas, & sanctâ operatióne fœcundas; da nobis, quæsumus, & quæ dócuit, intellectu conspícere; & quæ egit, imitatióne complére; Per.

Léctio libri Sâpiéntiæ.

Cap. 7.

OPtávi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum; quóniam omne aurum, in comparatióne illíus, aréna est exígua; & tamquam lutum æstimábitur argentum in conspéctu illíus. Super salútem & spéciem dilexi illam; & propósui pro luce habére illam, quóniam inextinguíbile est lúmen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honestas per mânus illíus. Et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia; & ignorábam quóniam horum ómnium mater est: quam sine fictióne dídici, & sine invídia commúnico, & honestátem illíus nôn abscondo. Infinítus enim thesaurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

Graduale. Tu sápiens es, sicut habet sapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia super terram. ℣. Quia petísti sapiéntiam & sciéntiam, sapiéntia & sciéntia data sunt tibi.

2. Reg. 14.

2. Paral. 1.

Allelúia, allelúia. ℣. Non judicávi me scire áliquid nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Allelúia.

1. Cor. 2.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 5.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut míttatur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux múndi. Non potest cívitas abscondi supra montem pósita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub módio, sed supér candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cœlum & terra, ióta unum, aut unus apex non præteríbit à lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum: qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

Dicitur Credo.

Offertorium. Cógnitus est in verbis suis fidélis, & invocávit Dóminum omnipotentem in oblatióne Agni invioláti.

Eccli. 46.

Secreta.

M. A. DEus, qui beátum Thomam non minùs virginitátis amóre, quàm sacræ doctrínæ stúdio, feciſti conſpícuum : ſupplicantis Eccléſiæ munéribus adeſto ; & concéde ut, ſicut ille non áliam præter te mercédem concupívit, ita nos in tuî ſolíus amóre quieſcámus ; Per Dóminum.

Præfatio de Doctoribus.

Pſal. 30. *Communio.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abſcondiſti timéntibus te !

Postcommunio. Orémus.

M. P. SPiritálem dulcédinem in ſuo fonte guſtántibus concéde, Dómine, beáti Doctóris Thomæ précibus, ea quæ tibi plácita ſunt, ad tui nóminis glóriam, prudenter inveſtigáre, veráciter agnóſcere, & fidéliter adimplére ; Per Dóminum.

Die xix.

In Feſto

Viol. S. VINCENTII A PAULO, Presbyteri.

Duplex-Minus.

Introitus.

Pſal. 131. PAuperes Sion ſaturábo pánibus : Sacerdótes ejus índuam ſalutári, & ſancti ejus exultatióne exultábunt. *Psalm.* Memento, Dómine, David, * & omnis manſuetúdinis ejus. Glória. Páuperes.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui ad evangelizandum paupéribus, & Eccleſiáſtici Ordinis decórem promovendum, beátum Vincéntium Apoſtólicâ virtúte roboraſti ; præſta, quæſumus, ut cujus pia mérita veneramur, virtútum quoque inſtruámur exemplis ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

2. Cor. 4. FRatres ; Habentes adminiſtratiónem, juxta quod miſericórdiam conſecúti ſumus, non defícimus ; ſed abdicámus occulta dedecóris, non ambulantes in aſtútia, neque adulterantes, verbum Dei, ſed in manifeſtatióne veritátis commendantes noſmetipſos ad omnem conſciéntiam hóminum côram Deo. Quòd ſi étiam opertum eſt Evangélium noſtrum, in iis qui péreunt eſt opertum, in quibus Deus hujus ſéculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illumináti̇o Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imâgo Dei. Non enim noſmetipſos prædicámus, ſed Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum ; nos autem ſervos veſtros pêr Jeſum. Quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illuxit in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei, in fácie Chriſti Jeſu. Habémus autem theſaurum iſtum in vaſis fictílibus, ut ſublímitas ſit virtútis Dei, & non ex nobis.

Is. 61. *Graduale.* Ad annuntiandum manſuétis miſit me Dóminus, ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam, & clauſis apertiónem ; ut prædicárem annum placábilem Dómino. ℣. Paraſti in dulcédine tuâ páuperi Deus : Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multâ. Pſal. 67.

Allelúia, allelúia. ℣. Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem ; annuntiantis bonum, prædicantis ſalútem ! Allelúia. Iſaiæ. 52.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 9. IN illo témpore ; Circuíbat Jeſus omnes civitates & caſtella, docens in Synagógis eórum, & prædicans

Evangélium regni, & curans omnem languórem & omnem infirmitátem. Videns autem turbas, mísertus est eis, quia erant vexáti & jacentes sicut oves non habentes pastórem. Tunc dicit Discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem páuci. Rogáte ergó Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam.

1. Paral. 31. *Offertorium.* Operátus est bonum & rectum, & verum coram Dómino Deo suo, in universa cultúra ministérii domus Dómini, juxta legem & cæremónias, volens requírere Deum suum in toto corde suo: fecitque & prosperátus est.

Secreta.

M. P. SUscipe, quæsumus, Dómine, propítius quas tibi offérimus hóstias, eóque domûs tuæ zelo nos accende, quo Beáti Vincéntii Sacerdótis tui cor inflammásti; Per Dóminum.

Præfatio de Presbyteris.

Psal. 106. *Communio.* Satiávit ánimam iánem, & ánimam esurientem satiávit bonis, sedentes in ténebris & umbrâ mortis, vinctos in mendicitáte & ferro.

Postcommunio. Orémus.

M. P. NObis, quæsumus, Dómine, amóris tui Sacramento refectis concéde, ut exemplo & intercessióne Beáti Vincéntii, tibi indefessâ caritáte famulantes, æternam labórum nostrórum mercédem percípere mereámur; Per Dóminum.

Die xx.
In Festo
Rub. SANCTÆ MARGARITÆ,
Virginis & Martyris.
Semiduplex.

Missa, Tenuísti, *de Communi Virginis & Martyris*, *p.* xxxiij.

Fit Comm. S. Arsenii, Solitarii, ut in Communi Solitarii, p. xxix.

Die xxi.
In Festo
SANCTI VICTORIS, Alb.
Martyris.
Semiduplex.

Missa, Probávit, *de Communi unius Martyris, p.* vj. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

COntere, Dómine, sátanam sub pédibus nostris; qui beáto Victóri Mártyri tuo, in confessióne tui nóminis, cultum dæmoniórum calcáre tribuísti; Per Dóminum. M. P.

Secreta.

HOstias, quæsumus, Dómine, súscipe placátus oblátas, intercedente beáto Victóre Mártyre tuo, qui molâ contrítus, se tibi velut panem mundum óbtulit; Per Dóminum nostrum Jesum Christum. M. P.

Postcommunio. Orémus.

EXultémus, Dómine, lætítiâ spirituáli, beáti Mártyris tui Victóris triumphum recolentes: & sacramenta quæ in ejus solemnitáte percépimus, nobis ad fídei & caritátis augmentum proficiant; Per Dóminum. M. P.

Die xxii.
In Festo
S. MARIÆ MAGDALENES. Alb.
Duplex-Majus.

Introitus.

MIhi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam; ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas in portis fíliæ Sion. *Psalm.* Quàm bonus Israel Deus, * his qui recto sunt corde! Glória. Mihi. Psal. 72. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, cujus Unigénitus post resurrectiónem suam primò Maríæ Magdalénæ appáruit: præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne, eumdem in déxtera tua sedentem vidére mereámur Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

Léctio Cántici Cânticórum.

Cap. 3. SUrgam, & circuíbo civitátem: per vicos & platéas quæram quem díligit ânima mea. Quæsívi illum, & nôn invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt cívitátem. Num quem díligit ánima mea vidístis? Páululùm cùm pertránsissem eos, invéni quem díligit ânima mea. Ténui eum, nec dimittam.

Psal. 72. *Graduale.* Quid mihi est in cœlo, & à te quid vólui super terram? ℣. Defécit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum.

Cant. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Fíliæ Jerúsalem, si invenéritis dilectum, nuntiáte ei quia amóre lángueo. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 20. IN illo témpore; María stabat ad monúmentum foris, plórans. Dum ergo fleret, inclinávit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: Múlier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulérunt Dóminum meum; & néscio ubi posuérunt eum. Hæc cùm dixísset, conversa est retrorsùm, & vidit Jesum stantem; & non sciébat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Múlier, quid ploras? quem quæris? Illa exístimans quia hortulánus esset, dicit ei: Dómine, si tu sustulísti eum, dícito mihi ubi posúisti eum; & ego eum tóllam. Dicit ei Jesus: Maria. Convérsa illa, dicit ei: Rabbóni (quod dícitur Magíster.) Dicit ei Jesus: Noli me tángere: nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis; Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum. Venit María Magdaléne annúntians discípulis quia Vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

Dicitur Credo.

Offertorium. Anima mea liquefacta est, ut locútus est dilectus meus. Cant. 5.

Secreta.

M. P. ACcepta sint tibi Dómine, múnera quæ offérimus, intercedente beátâ Maríâ Magdaléne, quæ de suis facultátibus minístrávit Unigénito Fílio tuo Dómino nostro, Qui tecum.

Præfatio de Sanctis qui cum Christo vixerunt.

Cant. 3. *Communio.* Invéni quem díligit ánima mea; ténui eum, nec dimittam.

Postcommunio. Orémus.

M. P. MYsteriórum tuórum, Dómine, sancta percéptio, perseverantem illum nobis amórem infundat, quo beáta María Magdaléne tibi immobíliter adhæsit; Qui vivis.

Die xxiii.

In Festo

Rub. SANCTI APOLLINARIS, Ravennensis Episcopi, & Martyris.

Simplex.

Missa, Confortáti sunt. *de Communi unius Martyris Pontificis*, *p.* ij. *præter Orationes sequentes.*

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui hunc diem beáti Apolliníris Sacerdótis & Mártyris tui pretiósâ morte consecrásti; tríbue nobis fámulis tuis, ut cujus venerandam

celebrámus

celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur ; Per.

Secreta.

M. P. REspice, Dómine, propítius super hæc múnera, quæ, in beáti Sacerdótis & Mártyris tui Apollináris Commemoratióne, pro nostris offensiónibus immolámus; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. TUa sancta sumentes, quæsumus, Dómine, ut beáti Apollináris nos fóveant continuáta præsídia : quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári ; Per Dóminum.

Die xxv.

In Festo SANCTI JACOBI, (Zebedæi,) Apostoli.

Rub. Duplex-Majus.

Introitus.

Marc. 1. VIdit Jesus Jacóbum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, componentes rétia in navi; & vocávit illos : Et relicto patre suo secúti sunt eum. Psal. 138. *Psalm.* Dómine, probásti me, & cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, & resurrectiónem meam. Glória Patri. Vidit.

Collecta. Orémus.

M. P. OMnípotens sempiterne Deus, qui Apostolórum tuórum primítias beáti Jacóbi sánguine dedicásti ; da, quæsumus, Eccléſiæ tuæ, ejus semper & confessióne firmári, & patrocíniis confovéri ; Per Dóminum.

Pro Commemoratione Sancti Christophori Martyris.

M. P. ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui beáti Mártyris tui Christóphori natalítiis gloriámur, nec minis injustè persequéntium, nec ullis perturbémur adversis ; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Cap. 2. FRatres ; Abundántiùs oportet observáre nos eă, quæ audívimus ; ne fortè perêffluámus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus ; & omnis prævaricátio, & inobediéntia accépit justam mercédis retrĭbutiónem : quómodò nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem ? Quæ cùm inítium accepísset enarrári per Dóminum, ab eis, qui audiérunt, in nos confĭrmáta est, contestante Deo signis, & portentis, & váriis virtútibus, & Spíritus sancti distribuťiŏnibus secundùm suam voluntátem.

Graduale. Assumpsit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem, & ascendit in montem ut oráret. ℣. Transfigurátus est ante eos, & resplénduit fácies ejus sicut sol. Luc. 9. Math. 17.

Allelúia, allelúia. ℣. Vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre. Allelúia. Joan. 1.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 20. IN illo témpore, Accessit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cŭm filiis suis, adórans & petens áliquid ab ĕo. Qui dixit ĕi : Quid vis? Ait ĭlli : Dic ut sédeant hi duŏ fílii mei, unus ad déxteram tuam, & unus ad sinistram, in regno tŭo. Respondĕns autem Jesus, dĭxit : Nescítis quid petătis. Potestis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum ? Dicunt ĕi : Pŏssumus. Ait ĭllis : Cálicem quidĕm meum bibétis : sedére autem ad déxteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus parátŭm ĕst à Patre meo.

Dicitur Credo.

Psal. 115. *OFFERTORIUM.* Cálicem salutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo: Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : pretiósa in conspectu Dómini mors sanctórum ejus.

SECRETA.

M. P. MUnda nos, Dómine, Passiónis Fílii tui salutári baptísmate: ut in honóre sancti Jacóbi, quem primum inter Apóstolos cálicis ejus partícipem esse voluísti, beneplácitum tibi sacrifícium offerámus ; per eumdem.

DE S. CHRISTOPHORO.

M. P. OBláta múnera, quæsumus, Dómine, tuâ benedictióne sanctífica ; quæ, te donante ; nos illâ flammâ tuæ dilectiónis accendat, per quam sanctus Cristóphorus tormenta sui córporis universa devícit; Per Dóminum.

PRÆFATIO de APOSTOLIS.

Rom. 8. *COMMUNIO.* Quis nos separábit à caritáte Christi ? an persecútio ? an gládius ? sed in ómnibus superámus propter eum qui dilexit nos.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. INebriátos cálice Christi tui, Dómine, fac nos ad ómnia pro tuo nómine subeunda parátos esse ; & præsta ut beáti Apóstoli tui Jacóbi précibus & exemplo, nec persecútio, nec gládius separáre nos possit à caritáte tua, quæ est in eódem Christo Jesu Fílio tuo Dómino nostro; Qui tecum.

DE S. CHRISTOPHORO.

M. P. BEáti Mártyris tui Christóphori victóriam divíno convívio celebrántes, te, Dómine, depóscimus, ut panem vitæ hìc edéntibus des víncere, & vincéntibus des édere de ligno vitæ in paradíso ; Per Dóminum.

DIE XXVI.

In Festo
SS. JOACHIM ET ANNÆ
Parentum B. Mariæ Virginis.

Viol.

DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

Psal. 89. SEmel jurávi in sancto meo, si David méntiar; Semen ejus in ætérnum manébit. *PSALM.* Misericórdias Dómini * in ætérnum cantábo. Glória. Semel. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui beátis Jóachim & Annæ tantam grátiam conferre dignátus es, ut ex eis unigéniti Fílii tui mater nascerétur : concéde propítius, ut quorum festivitátem celebrámus, eórum précibus promíssam in Christo salútem consequámur ; Per eumdem.

Léctio lîbri Géneseos.

Cap. 26. IN diébus illis ; Appáruit Isaac Dôminus, & ait : Ne descendas in Ægyptum, sed quiésce in terra quam díxero tibi ; & peregrînáre in ea : eróque tecum, & benedîcam tibi. Tibi enim & sémini tuo dabo universas regiónes has, complens juramentum, quod spopondi Abraham pâtri tuo. Et multiplicábo semen tuum sicût stellas cœli : dabóque pósteris tuis universas regiônes has. Et benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedíerit Abraham voci meæ, & custodíerit præcepta & mandáta mea, & cerêmônias legesque serváverit.

Psal. 88. *GRADUALE.* In ætérnum servábo David misericórdiam meam, & testamentum meum fidéle ipsi. ℣. Non profanábo testamentum meum : & quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Pſal. 97. Allelúia, allelúia. ℣. Recordátus eſt Dóminus miſericórdiæ ſuæ, & veritátis ſuæ dómui Iſrael. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 3. IN illo témpore; Jeſus erat incípiens quaſi annórum triginta, ut putabátur, fílius Joſeph. Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joſeph, qui fuit Matháthiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heſli, qui fuit Nagge, qui fuit Maath, qui fuit Matháthiæ, qui fuit Sémei, qui fuit Joſeph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zoróbabel. Qui fuit Saláthiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Jeſu, qui fuit Elíezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Símeon, qui fuit Juda, qui fuit Joſeph, qui fuit Jona, qui fuit Elíakim, qui fuit Mélea, qui fuit Menna, qui fuit Máthatha, qui fuit Nathan, qui fuit David. Qui fuit Jeſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz. Qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon, qui fuit Amínadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ. Qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ. Qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Rágaü, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cáïnan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe. Qui fuit Lamech, qui fuit Máthúſale, qui fuit Henoch. Qui fuit Jared, qui fuit Maláleel, qui fuit Cáïnan, qui fuit Henos. Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Pſal. 91. *Offertorium.* Juſtus ut palma florébit: ſicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantáti in domo Dómini, in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Secreta.

M. P. SUſcipe, quæſumus, Dómine, ſacrifícium majeſtáti tuæ oblátum; & præſta ut ejus benedictiónis, quam Abrahæ & ſémini ejus promiſiſti, intercedéntibus beátis Jóachim & Annâ, mereámur eſſe partícipes; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Præfatio de Sanctis ad Familiam Christi pertinentibus.

Iſaiæ. 44. *Communio.* Effundam ſpíritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictiónem meam ſuper ſtirpem tuam.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui ex homínibus naſci dignátus es, ut hómines fáceres fílios Dei; quæſumus, ut quos pane filiórum ſatiaſti, adoptiónis Spíritu júgiter ſanctífices; Qui cum eódem Deo Patre & Spíritu ſancto vivis & regnas Deus.

Die xxix.

In Feſto

SANCTI LUPI, *Virid*

Trecenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Miſſa Exaltávi, *de Communi Pontificum, p.* xvij.

Die xxx.

In Feſto

S. IGNATII LOYOLÆ, *Viol.*

Presbyteri.

Semiduplex.

Miſſa, Juſtus, *de Communi Preſbyterorum, pag.* xxv.

Die xxxi.
In Festo
SANCTI GERMANI,
Autissiodorensis Episcopi.

Semiduplex.

Virid

Introitus.

Psal. 88. LOcútus es in visióne sanctis tuis, & dixísti: Pósui adjutórium in potente, & exaltávi electum de plebe mea. *Psalm.* Misericórdias Dómini * in æternum cantábo. Glória Patri. Locútus es in visióne.

Collecta. Orémus.

M. P. DA nobis, Dómine, in hac sancti Germáni festivitáte, cœléstis grátiæ, quam ille verbis, opéribus, & miráculis asséruit, præsens adesse præsídium; ut dum tanti Præsulis exempla mirámur & cólimus, ejus étiam fidem & actiónes imitémur; Per Dóminum.

Léctio libri Deutêronómii.

Cap. 20. IN diébus illis; Locútus est Dóminus ad Môysen, dicens: Si exíeris ad bellum contra hostes tuos, & víderis equitátus & currus, & majórem quam tu hábeas adversárii exércitus multitúdinem, non tímébis eos: quia Dóminus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de têrra Ægypti. Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdŏs ante áciem; & sic loquêtur ad pópulum: Audí Israel; Vos hódie contra inimícos vestros pugnam commíttitis: non pertimescat cor vestrum; nolíte metúere, nolíte cédere, nec formidétis eos; quia Dóminus Deus vester in médio vestri est, & pro vobis contra adversários dimicábit, ut érŭăt vŏs de perículo.

Eccli. 39. *Graduale.* In terram alienigenárum géntium pertránsiet, & ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ. ℣. Lætificábat Jacob in opéribus suis: perambulávit civitátes, & pérdidit ímpios ex eis, & congregávit pereuntes. 1. Machab. 3.

Allelúia, allelúia. ℣. Audívi vocem turbárum multárum dicéntium, Allelúia: Salus, & glória, & virtus Deo nostro est: & íterum dixérunt: Allelúia, Allelúia. Apoc. 19.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 25. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hănc: Homo péregrè proficíscens, vocávit servos suos, & trádidit illĭs bona sua: & uni dedit quinque talenta, álii autem duo, álii verò unum, unicuíque secundùm própriam virtútem; & profectus est stătim. Abiit autem qui quinque talenta accéperat, & operátus est in eis, & lucrátus est ália quinque: simíliter & qui duo accéperat lucrátŭs ĕst ália duo: qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, & abscondit pecúniam dómini sŭi. Post multum verò témporis venit dóminus sĕrvórum illórum, & pósuit ratiónem cum ĕis. Et accédens qui quinque tălenta accéperat, óbtulit ália quinque talenta, dĭcens: Dómine, quinque talenta tradĭdisti mihi; ecce ália quinque superlucrátus sŭm. Ait illi dóminus ĕjus: Euge, serve bonĕ, & fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam; intra in gáudium dómini tŭi. Accessit autem & qui duo tălenta accéperat, & ăit: Dómine, duo talenta tradĭdisti mihi, ecce ália duo lucrátus sŭm. Ait illi dóminus ĕjus: Euge, serve bonĕ, & fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam; intra in gáudium dómini tŭi. Accédens autem & qui unum tălentum accéperat, ăit: Dómine, scio quia homo durus es; metis ubi non seminásti, & cóngre-

gas

gas ubĭ non ſparſiſti : & timens ábii, & abſcondi talentum tuum in terra : ecce habes quod tuum ĕſt. Reſpondens autĕm dóminus ejus, dixit ĕi : Serve male, & piger, ſciébas quia meto ubi non ſémino, & cóngrĕgŏ ubi non ſparſi : opórtuit ergo te commíttere pecúniam meam numulárĭis ; & véniens ego recépiſſem útique quod meum eſt cum usŭra. Tóllite ítaque ăb eo talentum ; & date ei, qui habet decem talĕnta. Omni enim habenti dábitur, ĕt abundábit : ei autem qui non habet, & quod vidétur habére, auferétur ab ĕo. Et inútilem ſervum ejícite in ténebras ĕxterióres : illic erĭt flĕtus, & ſtridor déntium.

Eccli. 46. *Offertorium.* Invocávit Dóminum omnipotentem, in oppugnando hoſtes circumſtantes úndique, in oblatióne Agni invioláti ; & Dóminus contrívit príncipes & duces.

Secreta.

BEnedíctio tua, Dómine, larga deſcendat ; quæ múnera noſtra, deprecante ſancto Germáno Pontífice tuo, tibi reddat accepta, & nobis ſacramentum redemptiónis efficiat ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

Præfatio de Pontificibus.

Sap. 10. *Communio.* Sapiéntia honeſtávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus.

Postcommunio. Orémus.

M. P. PErceptis, Dómine, ſacramentis, beáto Germáno Pontífice tuo interveniente, deprecámur ; ut quæ pro ejus celebráta ſunt glóriâ, nobis proficant ad medélam ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Festa Augusti.

Die I.

In Feſto S. Petri ad Vincula.

Rub. Duplex-Minus.

Introitus.

Act. 12. NUnc ſcio verè quia miſit Dóminus Angelum ſuum, & erípuit me de manu Heródis, & de omni expectatióne plebis Judæórum. *Psalm.* Benedícam Dóminum in omni témpore : * ſemper laus ejus in ore meo. Glória. Nunc ſcio.

Psal. 33.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui beátum Petrum Apóſtolum, à vínculis abſolútum, illæſum abíre feciſti ; noſtrórum quæſumus, abſolve víncula peccatórum ; ut, ab eórum néxibus expediti, viam mandatórum tuórum, líberâ mente currámus ; Per.

Pro Commemorat. Sanctorum Machabæorum.

M. P. FRaterna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet, quæ & fídei noſtræ præbeat incrementa virtútum, & multíplici nos ſuffrágio conſolétur. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 12. IN diébus illis ; Miſit Heródes rex manus, ut afflígeret quoſdam dê Eccléſia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joânnis gládio. Videns autem quia plăcéret Judæis, appóſuit ut apprehênderet & Petrum. Erant autem dies âzymórum. Quem cùm apprehendiſſet, miſit in cárcerem, tradens quátuor quaterniónibus mílitum cŭſtodiendum, volens poſt Paſcha producere êum pópulo. Et Petrus quidem ſervăbátur in cárcere : orátio au-

tem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Dêum pro eo. Cùm autem productúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus căténis duábus: & custódes ante óstium custodiêbant cárcerem. Et ecce Angelus Dómini ástitit; & lumen refulsit ĭn habitáculo: percussóque látere Petri, excitávit êum, dicens: Sûrge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mânibus ejus. Dixit autem Aⁿngelus ad eum: Præcíngere, & cálcea te câligas tuas. Et fêcit sic. Et dîxit illi: Circumda tibi vestĭmentum tuum, & sêquere me. Et éxiens sequebátur eum; & nesciébat quia verum est, quod fĭébat per Angelum: existimábat autem se vîsum vidére. Transeuntes autem primam & secundam custódiam, venérunt ad portam férream, quæ ducit ăd civitátem; quæ ultro apêrta est eis. Et exeuntes processérŭnt vicum unum: & contínuò discessit Aⁿngelus ab eo. Et Petrus ad se revêrsus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dónĭnŭs Angelum suum, & erípuit me de manu Heródis, & de omni expectatióně plĕbis Judæórum.

Sap. 10. *Graduale.* Custodívit illum Dóminus ab inimícis, & à peccatóribus liberávit eum. ℣. Descendit cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit illum.

Psal. 56. Allelúia, allelúia. ℣. Misit de cœlo Dóminus & liberávit me. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 16. IN illo témpore; Venit Jesus in partes Cæsăréæ Philippi: & interrogábat discípulos suos, dĭcens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixĕrunt: Alii Joannem Baptistam, álii autem Elíam, alii verŏ Jeremíam, aut unum ex Prophĕtis. Dixit illis Jesŭs: Vos autem quem me esse dícitis? Respondĕns Simon Petrus, dĭxit: Tu es Christus Fílius Dei vĭvi. Respondĕns autem Jesus, dixit ĕi: Beátus es, Simon Barjóna; quia caro & sanguis non revĕlávit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis ĕst. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam; & portæ ínferi non prævalébunt adversùs ĕam. Et tibi dabo claves regni cœlŏrum. Et quodcumque ligáveris super terram, erit ligátŭm & in cœlis: & quodcumque sólveris supĕr tĕrram, erit solútum & in cœlis. *Dicitur* Credo.

Offertorium. Dirupísti, Dómine, víncula mea, tibi sacrificábo hóstiam laudis. Psal. 115.

Secreta.

SUscipe Dómine exhíbitum tibi in hac festivitáte, sacrifícium nostræ redemptiónis: & qui beátum Petrum Apóstolum pro nómine Jesu caténis vincíri voluísti; præsta ut nos hæc pretiósa víncula venerantes, véritas tua nos efficiat, & fide captívos, & caritáte líberos; Per eumdem. M. P.

De SS. Machabæis.

REspice, Dómine, múnera & preces matris nostræ Eccléſiæ; ad quam pertinuísse agnóscimus sanctos Mártyres tuos, fide in Christum justificátos, & illíus passiónum societáte consummátos; Per eumdem. M. P.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, & erípiet eos: gustáte & vidéte quóniam suávis est Dóminus: beátus vir qui sperat in eo. Psal. 33.

Postcommunio. Orémus.

DEus, qui beátum Petrum Apóstolum, Eccléſiâ pro eo sine intermissióne orante, à vínculis liberásti: per hæc sacra quæ súmpsimus M. P.

concéde propítius, ut ipso pro Eccléſia júgiter interveniente, perfectâ libertáte donári mereámur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

De SS. Machabæis.

M. P. DEus, qui certantes pro légibus tuis per Chriſtum ſuſtentas ac récipis; da ſanctórum interceſſióne Fratrum, ut quod illis operáta eſt fides in Chriſtum naſcitúrum, id in nobis Chriſti pro ómnibus mórtui, & ſuâ nos carne reficientis fides & diléctio operétur; Per eumdem.

Die II.
In Feſto
SANCTI STEPHANI,
Rub. Papæ & Martyris.

Simplex.

Miſſa, Ecce Conſtítui te, *de Communi ſummi Pontificis Martyris*, xiij. *præter Epiſtolam ſequentem.*

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Theſſalônicenſes.

II. Theſſ. 2. DEbémus grátias ágere Deo ſemper pro vobis, Fratres, dilecti à Deo, quòd elégerit vos Deus primítias in ſalútem, in ſanctificatióne Spíritus, & in fidĕ veritátis: in qua & vocávit vos per Evangélium noſtrum, in acquiſitiónem glóriæ Dómini noſtri Jesû Chriſti. Itaque, fratres ſtate; & tenéte traditiónes, quăs didiciſtis, ſive per ſermónem, ſive per Epîſtolam noſtram. Ipſe autem Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolatiónem æternam, & ſpĕm bonam in grátia, exhortétur corda veſtra, & confirmet in omnĭ ŏpere & ſermóne bono.

Die III.
IN REVELATIONE
SEU
INVENTIONE CORPORIS
SANCTI STEPHANI, Rub.
PROTOMARTYRIS.

Duplex-Minus.

Introitus.

Eccli. 48. AMplificátus eſt in mirabílibus ſuis; & mórtuum prophetávit corpus ejus; in vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabília operátus eſt. *Psalm.* Exaltábo te, Dómine, quóniam ſuſcepiſti me, * nec delectaſti inimícos meos ſuper me. Glória Patri. Amplificátus eſt. Pſal. 29.

Collecta. Orémus.

OMnípotens, ſempiterne Deus, qui ſacrum beatíſſimi Protomártyris Stéphani corpus fidélibus tuis reveláre dignátus es: concéde, ejus interceſſiónis auxílio, nos ab inſtántibus tribulatiónibus liberári, & ætérnis conſolatiónibus adimpléri; Per Dóminum.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 7 & 8. IN diébus illis; Cùm eſſet Stéphanus plenŭs Spíritu ſancto, intendens in cœlum vidit glóriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dêi, & ait: Ecce vídĕŏ cœlos apertos, & Fílium hóminis ſtantem à dêxtris Dei. Exclamantes autem voce magna, continuérŭnt aures ſuas, & ímpetum fecérunt unanîmiter in eum. Et ejicientes eum extra civitátĕm lapidábant: & teſtes depoſuérunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabâtur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocantĕm, & dicentem: Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpîritum meum. Pósĭtĭs autem génibus, clamávit voce mâgna, dicens: Dómine, ne ſtátuas illis hôc

peccátum. Et cŭm hoc dixíſſet, obdormîvit in Dómino. Saulus autem erat conſéntiens nêci ejus. Facta eſt autem in illa die perſecútio magna in Eccléſia quæ erăt Jeroſólymis; & omnes diſperſi ſunt per regiónes Judææ & Samaríæ, prăter Apóſtolos. Curavérunt autem Stéphanum virĭ timoráti, & fecérunt planctŭm măgnum ſuper eum.

1. Mac. 3. *GRADUALE.* In ſéculum memória ejus in benedictióne; & nominátus eſt uſque ad novíſſimum terræ. ℣. Juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi: cornu ejus exaltábitur in glória.

Pſal. 111.

Eccli. 49. Allelúia, allelúia. ℣. Oſſa ipsíus viſitáta ſunt; & poſt mortem prophetavérunt. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 23. IN illo témpore; Dicébat Jesŭs: Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypócritæ, qui ædificátis ſepulcra Prophetárum, & ornátis monŭmenta juſtórum; & dícitis: Si fuiſſémus in diébus patrum noſtrórum, non eſſémus ſócii eórum in ſánguine Prophetărum. Itaque teſtimónio eſtis vŏbiſmetipſis, quia fílii eſtis eórum, qui Prophétas occidĕrunt. Et vos implête menſúram patrum veſtrŏrum. Serpentes, genímĭnă viperárum, quómodò fugiétis à judício gehennæ? Ideò ecce ego mitto ad vos Prophétas, & Sapientes, & Scribas: & ex illis occidétis, & crucifigétis; & ex illis flagellábitis in ſynagógis veſtris, & perſequémini de civitáte ĭn civitátem: ut véniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effúſus eſt ſuper terram, à ſánguine Abel juſti, uſque ad ſánguinem Zachariæ fílii Barachíæ, quem occidĭſtis inter templum & altáre.

Dan. 9. *OFFERTORIUM.* Nunc exaudi, Deus noſter, oratiónem ſervi tui, & preces ejus; & oſtende fáciem tuam ſuper ſanctuárium tuum.

SECRETA.

M. P. DEus, qui beáti Protomártyris Stéphani relíquias, ad ſolátium, & confirmatiónem fidélium, miſericórditer revelaſti: fámulos tuos, memóriam mirabílium tuórum recolentes, da huic ſacræ menſæ plenos fide & Spíritu ſancto miniſtráre; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem.

PRÆFATIO de MARTYRIBUS.

Pſal. 34. *COMMUNIO.* Anima mea exultábit in Dómino, & delectábitur ſuper ſalutári ſuo: ómnia oſſa mea dicent: Dómine, quis símilis tibi?

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui per reliquiárum Protomártyris tui revelatiónem, vitæ ſpem immortális in méntibus fidélium excitaſti; præſta, ut, percepto immortalitátis alimento, ad æternam beatitúdinem pervenire mereámur; Per Dóminum noſtrum.

DIE IV.

In Feſto SANCTI DOMINICI, Presbyteri.

Viol.

SEMIDUPLEX.

Miſſa, Sacerdótes, *ut in Communi unius Presbyteri*, xxiij *præter Orationes ſequentes.*

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui Eccléſiam tuam beáti Domínici illumináre dignátus es méritis & doctrínis: concéde, ut ejus interceſſióne temporálibus non deſtituátur auxíliis, & ſpirituálibus ſemper proficiat incrementis; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. PRæces, quas tibi, Dómine, offérimus, intercedente beáto Domínico, clementer intende; & hujus virtúte sacrifícii, propugnatóres fídei, grátiæ tuæ protectióne confirma; Per Dóminum.

PRÆFATIO de PRESBYTERIS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PErcípiat Eccléſia tua, Deus, cœléstis participatióne sacramenti, plenæ devotiónis effectum in hâc beáti Domínici festivitáte; ut cujus prædicatióne flóruit, ejus intercessióne juvétur; Per Dóminum.

DIE VI.
In Festo
TRANSFIGURATIONIS
DOMINI.
SOLEMNE-MINUS.

INTROITUS.

Psal. 103. CONfessiónem & decórem indúisti, Dómine, amictus lúmine sicut vestimento. *PSALM.* Ibid. Bénedic, ánima mea, Dómino: * Dómine, Deus meus, magnificátus es vehementer. Glória. Confessiónem.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui fídei sacramenta in Unigéniti tui glorióſa Transfiguratióne patrum testimónio roborásti; & adoptiónem filiórum perfectam, voce delapsâ in nube lúcida mirabíliter præsignásti: concéde propítius, ut ipsíus Regis glóriæ nos coherédes efficias, & ejusdem glóriæ tríbuas esse consortes: [Per eumdem.]

Léctio Epístolæ beáti Pêtri Apóstoli.

2. Petr. 1. CAríssimi; Non doctas fábulas secúti, notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem & præséntiam: sed speculatóres facti illíus mâgnitúdinis. Accípiens enim à Deo Patre honórem & glóriam, voce delapsa ad eum hujuscémodi à măgnífica glória; Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihi complácui: ipsum audíte. Et hanc vocem nos audívimus dĕ cœlo allátam, cùm essémus cum ipso in mônte sancto. Et habémus firmiórem prŏphéticum sermónem; cui benefácitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginóso loco, donec dies eluceſcat, & lúcifer oriătur in córdibus vestris.

GRADUALE. Speciósus formâ præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℣. Spécie tuâ & pulcritúdine tuâ intende, prósperè procéde, & regna. Psal. 44.

Allelúia, allelúia. ℣. Nos revelátâ fácie glóriam Dómini speculantes in eamdem imáginem transformámur. Allelúia. 1. Cor. 3.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

IN illo témpore; Assúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus: & ducit illos in montem ĕxcelsum seorsùm; & transfigurátus est ante ĕos. Et resplénduit fácies ejŭs sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nĭx. Et ecce apparuérunt illis Móyses & Elías cum eo loquĕntes. Respondĕns autem Petrus, dixit ad Jesŭm: Dómine, bonŭm ĕst nos hìc esse: si vis, faciámus hìc tria tabernácula; tibi unum, Móysi unum, & Elíæ ŭnum. Adhŭc eo loquente, ecce nubes lúcida obumbrávit ĕos. Et ecce vox de nube, dĭcens: Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihĭ benè complácui: ipsum audĭte. Et audientes discípuli, cecidérunt ĭn fáciem suam, & timuérunt vălde. Et accessit Jesus, ĕt tétigit eos: dixitque ĕis: Súrgite, & nolíte timĕre. Levantes autĕm óculos suos, Cap. 17.

néminem vidérunt, nisi solum Jesŭm. Et descendéntĭbŭs illis de monte, præcépit eis Jesus, dĭcens : Némini dixéritis visiónem, donec Fílĭŭs hŏminis à mórtuis resurgat.

Dicitur Credo.

Matt. 17. *Offertorium.* Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihi benè complácui ; ipsum audíte.

Secreta.

M. P. Celebrantes hoc sacrifício Unigéniti tui transfiguráti mystérium ; da nos, Deus, ipsíus Evangélio sic adhærére, ut ad illam glóriam, cujus in se spéciem Apóstolis ostendit, & suspiráre júgiter, & felíciter pervenire valeámus ; [Per eumdem.]

Præfatio de Incarnatione Domini.

Psal. 83. *Communio.* Concupiscit & déficit ánima mea in átria Dómini ; cor meum & caro mea exultavérunt in Deum vivum : mélior est dies una in átriis tuis super míllia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. Cœléstia, quæsumus, Dómine, alimenta quæ súmpsimus, in ejus nos transforment imáginem, cujus claritátem gloriósâ Transfiguratióne manifestáre voluísti ; [Qui tecum.]

Die vii.

In Festo

Rub. SANCTI XYSTI,

Papæ & Martyris.

Semiduplex.

Missa, Ecce constítui te, *de Communi summi Pontificis, Mart.* xiij.

Die ix.

In Festo

Rub. SANCTI ROMANI,

Martyris.

Simplex.

Missa, Probávit. *de Communi*, vj. *præter Orationes sequentes.*

Collecta. Orémus.

Deus, cujus múnere sanctus Románus fidem mirábili victóriâ propugnávit, da infirmitáti nostræ ejus intercessióne virtútem, ut fidem quam voce profitémur, ópere exequámur ; Per Dóminum.

Secreta.

Infirmitátem nostram, quæsumus, Dómine, hujus sacrifícii grátiâ corróbora ; ut contrà insídias inimíci vigilando & orando certantes, beáti Román Mártyris tui précibus & exemplo vincámus ; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

Suscipientes, Dómine, pignus æternæ vitæ, ne permittas propter amórem odíbilis vitæ admíttere illícita ; qui sancto Mártyri Román dedísti propter timórem & amórem tuum duros córporis dolóres libenter pati ; Per Dóminum.

Die x.

In Festo

SANCTI LAURENTII, Rub.

Diaconi & Martyris.

Duplex-majus.

Introitus.

Dominus mihi adjútor ; non timébo quid fáciat mihi homo : Dóminus mihi adjútor ; & ego despíciam inimícos meos. Psal. 117.

Psalm. Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus. Glória. Dóminus. Ibid.

Collecta. Orémus.

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas extínguere ; qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre ; Per Dóminum. S. R.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 51. COnfitébor tibi, Dómine rex, & collaudábo te Deum salvátórem meum: confitébor nómini tuo; quóniam adjútor & protector factus es mihi, & liberásti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium; & in conspectu astántium factus es mîhi adjútor. Et liberásti me secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui à rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam; & de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me; à pressúra flammæ, quæ circúmdedit me; & in médio ignis non sùm æstuátus: de altitúdine ventris ínferi, & à lingua coinquináta, & à verbo mendácii, à rege iníquo, & à lîngua injusta. Laudábit usque ad mortem ánĭmă mea Dóminum; & vita mea appropinquans erat in infêrno deorsùm. Circumdĕdérunt me úndique, & non erat qui âdjuváret. Respíciens eram ad adjŭtórium hóminum, êt non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, & operatiónis tuæ, quæ ă século sunt: quóniam éruis sustinentes te, Dómine, & líbĕrăs ĕos de mánibus géntium.

Psal. 16. *Graduale.* Probásti, Dómine, cor meum, & visitásti nocte. ℣. Igne me examinásti, & non est inventa in me iníquitas.

Psal. 70. Allelúia, allelúia. ℣. Tamquam prodígium factus sum multis, & tu, Dómine, adjútor fortis: repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Amen, ămen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum mănet. Si autĕm mórtuum fúerit, multum fructum ăffert. Qui amat ánimam suăm, perdet eam: & qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit ĕam. Si quis mihi minístrăt, me sequátur: & ubi sum ego, illic & minister meus ĕrit. Si quis mihi ministráverit, honorificábĭt ĕum Pater meus.

1. Petr. 1. *Offertorium.* Probátio fídei ejus, multò pretiósior auro, quod per ignem probátur, inveniétur in laudem, & glóriam, & honórem, in revelatióne Jesu Christi.

Secreta.

S. R. SUscipe, Dómine, múnera, quæ tibi offérimus; & beáti Lauréntii gloriósam passiónem da nobis digno fídei fervóre venerári; cui hanc grátiam contulísti, ut igni superpósitus, & igne caritátis tuæ succensus, idem tibi ara & sacrifícium, idem sacerdos esset & templum; Per.

Isaiæ. 49. *Communio.* Glorificátus sum in óculis Dómini; & Deus meus factus est fortitúdo mea.

Postcommunio. Orémus.

M. P. FIdéles tui, Dómine, córpore & sánguine tuo muníti, adversa ómnia despíciant; sicut beátus Levíta Lauréntius illâ escâ saginátus, illo cálice ébrius, tormenta non sensit; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

DIE XII.

In Festo

SANCTÆ CLARÆ, *Viol.*

Virginis, Clarissárum Abbatissæ.

SEMIDUPLEX.

Missa, Adducentur, *ut in Communi Virginum, p.* xxxiv. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

TRíbue, quæsumus, virtútum cœléstium Deus ut hæc sanctæ Claræ Vírginis tuæ sacra solémnia ter-

réna contémnere nos éxcitent, & bona ambíre sempiterna; Per.

Secreta.

INcruentum Agni sacrifícium majestáti tuæ offerentes, te, Dómine, súpplices exorámus, ut ad cœlestes ejus núptias cum sancta Vírgine Clara intráre, vitæ integritáte mereámur; Per eumdem.

Postcommunio. Orémus.

AGni Vírginum sponsi córpore & sánguine refectis, tríbue nobis, Dómine, ut, cum sancta Vírgine Clara apud te vivámus in cœlis, quem in terris pósita, totâ mente dilexit; Per eumdem.

Die xiii.

In Festo

SANCTÆ RADEGUNDIS,

Viol. Viduæ, Francorum Reginæ.

Semiduplex.

Missa, Exultáte, *de Communi sanctæ Viduæ, p.* xxxix. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DEus, cujus amóre, beáta Radegundis ex aulæ tumultu, spretis mundi illécebris, in solitúdinem evolávit; tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere & amáre cœléstia; Per Dóminum.

Secreta.

AB omni nos, quæsumus, Dómine, mentis & córporis inquinatióne purificet hóstia salutáris, beátæ Radegundis Regínæ précibus, quæ à terrénis ómnibus expedíta, ut divíno vacáret ótio, partem óptimam elégit à se non auferendam, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

Postcommunio. Orémus.

DEus, qui in hoc convívio quasi lacteséens, Spíritûs tui suavitáte nos récreas; fac ut imitatióne beátæ Radegundis, à século ad te attracti, digni reddámur, qui delíciis lætémur æternis; Qui vivis... in unitáte ejusdem.

Die xiv.

In Vigilia

ASSUMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Alb.

Duplex-Minus.

Introitus.

SItívit in te ánima mea, Dómine: quàm multipliciter tibi caro mea, in terra deserta, & ínvia, & inaquósa! *Psalm.* Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo. Glória. Sitívit.

Psal. 62.

Ibid.

[*In Dominica dicitur* Glória.]

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui virgínalem úterum beátæ Maríæ, in quo requiéscéres, elígere dignátus es; da nobis Assumptiónis ejus solémnia præveniéntibus, dignum in córdibus nostris habitáculum tuæ præparáre Majestáti; Qui vivis.

M. P.

Léctio Cántici Cânticórum.

SIcut líliŭm inter spinas, sic amíca mea înter filias. Sicut malus intĕr ligna silvárum, sic dilectus meus înter fílios. Sub umbra illíus, quem desiderávi, sedi: & fructus ejus dulcis gûtturi meo. Introduxit me ĭn cellam vináriam: ordinávit in me câritátem. Fulcíte me flóribus, stĭpáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus sŭb cápite meo, & déxtera illíus amplexâbitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas cĕrvosque campórum ne suscitétis, neque evigiláre faciátis dilectam, quoădŭsque ipsa velit.

Cap. 2.

Graduale. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ; & volábo & requiescam. ℣. Transíbo in locum tabernáculi

Psal. 54.

Psal. 41.

bernáculi admirábilis, usque ad domum Dei, in voce exultatiónis, & confessiónis.

[*In Dominica tantùm, additur*

Psal. 15. Allelúia, allelúia. ℣. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo, Dómine: delectatiónes in déxtera tua usque in finem. Allelúia.]

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 19. IN illo témpore; Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Cùm vidisset ergo Jesus matrem, & discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

[*In Dominica dicitur* Credo.]

Psal. 131. *Offertorium.* Surge, Dómine, in réquiem tuam, tu, & Arca sanctificatiónis tuæ; & sancti tui exultent.

Secreta.

DA nobis, Dómine, his sacrifíciis de beátæ Vírginis Maríæ glorificatióne in te lætári; & ejus apud te patrocínia fiduciáliter implorare, quæ & carne mater Christi, & caritáte mater nostra est; Per eumdem. M. P.

Præfatio de B. M. V. Et te in Veneratióne.

Communio. Spíritus & sponsa dicunt, Veni.: Etiam vénio citò: Amen, veni, Dómine Jesu. Apoc. 22.

Postcommunio. Orémus.

PEr hæc múnera cœléstia, quæ nobis præbére dignáris, tríbue nos, Dómine, totâ mente inhærére cœléstibus: ut cum beáta Dei genitríce María nostræ percipiámus expectatiónis effectum; Per eumdem. M. P.



DIE XV. AUGUSTI.

INFESTO

ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

ANNUALE-MAJUS.

Alb.

INTROITUS.

Psal. 44. ASTitit Regína à dextris tuis, Deus, in veſtítu deauráto, circúmdata varietáte: afferentur tibi vírgines poſt eam in lætítia & exultatióne. *PSALM.* Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi. Glória. Aſtitit.

COLLECTA. Orémus.

S. R. VEneranda nobis, Dómine, hujus diéi feſtívitas opem cónferat ſalutárem in qua ſancta Dei Génitrix mortem ſúbiit temporálem; nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum de ſe génuit incarnátum; Qui tecum.

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 11. & 12. IN diébus illis; Apertum eſt templum Dei in cœlo; & viſa eſt arca teſtamenti ejus ĭn templo ejus: & facta ſunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grândo magna. Et ſignum magnum ăppáruit in cœlo: Múlier amicta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus cŏrŏna ſtellárum duódecim.

Cant. 2 & 4. *GRADUALE.* En dilectus meus lóquitur mihi; Surge, própera, amíca mea, columba mea, formóſa mea, & veni. ℣. Veni de Líbano, ſponſa mea; veni, coronáberis.

Allelúia, allelúia. ℣. Póſuit Rex diadéma regni in cápite ejus. Allelúia. Esther 2.

PROSA.

PLAUDAMUS cum ſúperis;
Arca novi fœderis
Templo ſedet glóriæ.
Alto regnat ſólio,
Juncta mater Fílio,
Párticeps victóriæ.
Quos eſt paſſa péctore,
Quanto Natus fœnore,
Dolóres remúnerat!
Circumfúſa lúmine,
Solo minor Númine,
Quot bonis exúberat!
IPSA fit fons grátiæ,
Quæ fontem juſtítiæ
Sinu ſuo prótulit.
Quis per matrem Fílium
Rogávit auxílium,
Et dona non rétulit?
VIRGO cœlo célſior,
Angeliſque púrior,
Nobis ſis propítia.
Regnet in pectóribus,
Regnet in opéribus,
Quâ dives es, grátia.
TE tota gens óbſecrat,
Tibi ſe Rex cónſecrat,
Et ſuum impérium.
Serva Regem Gálliæ;
Ama dici pátriæ
Tutum patrocínium. Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 10. IN illo témpore; Intrávit Jesus in quoddam castellum; & múlier quædam Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et huic erat soror nómine María; quæ étiam sedens secus pedes Dómini, audiébat verbum illius. Martha autem satagébat circa frequens ministérium. Quæ stetit, & ait: Dómine, non est tibi curæ, quòd soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi, ut me ádjuvet. Et respondens dixit illi Dóminus: Martha, Martha, sollícita es, & turbáris erga plúrima. Porrò unum est necessárium. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea.

Dicitur Credo.

Luc. 1. *Offertorium.* Beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.

Secreta.

M. P. MUnera nostra, Dómine, apud tuam cleméntiam Dei Genitrícis commendet orátio; quam de præsenti século pro conditióne carnis migrantem, inæstimábili glóriâ coronásti; & potenti intercessióne nobis apud te tríbuis subveníre; Per eumdem.

Præfatio de B. Maria, Et te in Assumptione.

Judit. 13. *Communio.* Benedicta es tu, fília, à Dómino Deo excelso, præ ómnibus muliéribus super terram; quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, glorificátor humílium, qui beátam Maríam Vírginem hodiernâ die super Angelos extulísti; da nobis cœlesti pane in hac solemnitáte nutríti, ut ejus imitatióne nosmetipsos in ómnibus humiliantes, à te exaltári mereámur; Per Dóminum.

Intra Octavam Assumptionis B. Mariæ.

Alb. *Missa ut in die Festi, præter Epistolam & Evangelium.*

Léctio Cántici Cânticórum.

Cap. 4. TOta pulcra es, ámica mea, & mácula non êst in te. Veni de Líbano, sponsa mea, veni dè Líbano, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir & Hermon, de cubílibus leónum, de môntibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa; vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, & in uno crine côlli tui. Quàm pulcræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! pulcrióra sunt úbera tua vino, & odor unguentórum tuórum super ômnia arómata. Favus distillans lábia tua, sponsa; mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentórum tuórum sicut ôdor thuris. Hortus conclúsus, soror mea sponsa; hortus cónclusus, fons signátus.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 1. IN illo témpore; Repléta est Spíritu sancto Elísabeth, & exclamávit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gaudio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum; & exultávit spíritus meus

in Deo salutári meo; quia respexit humilitátem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *Dicitur* Credo.

Alb. *DOMINICA intra Octavam, dicitur Missa ut in die Festi, cum Comm. Dominicæ occurrentis.*

DIE XVI.
In Festo
SANCTI ROCHI.
DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

Viol. Deut. 32. IGnis succensus est in furóre meo, & ardébit: congregábo super eos mala; inebriábo sagittas meas sánguine; & gládius meus devorábit carnes: Utinam sáperent, & intellígerent, ac novíssima providérent! Psal. 6. *PSALM.* Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me. Glória. Ignis.

COLLECTA. Orémus.

M. P. POpulum tuum, quæsumus, omnípotens Deus, ad te confugientem, intercedente beáto Rocho, paternâ récipe pietáte; ut qui tuæ iracúndiæ flagella formídant, tuâ mereantur misericórdiâ liberári; Per Dóminum.

Pro Commem. Octavæ ASSUMPTIONIS. Veneranda. 520.

Léctio libri Regum.

II. Reg. 24. IN diébus illis; Immísit Dóminus pestiléntiam in Israel, de manè usque ad tempus constitútum; & mórtui sunt ex pópulo, à Dan usque ad Bersábee, septuaginta míllia virórum. Cùmque extendísset manum suam Angelus Dómini super Jerúsalem, ut dispérderet eam; misertus est Dóminus super afflictióne, & ait Angelo percutiénti pópulum: Súfficit; nunc cóntine mânum tuam. Erat autem Angelus Dómini juxta áream Areuna Jêbusæi. Dixitque Dávid ad Dóminum, cùm vidísset Angelum cædéntem pópulum: Ego sum qui peccávi, ego iníquè egi: isti qui oves sunt, quid fecérunt? Vertátur, óbsecro, manus tua contra me, & contra domum pâtris mei. Venit autem Gad ad David in die illa, & dixit ei: Ascende, & constítue altáre Dómino in área Areuna Jêbusæi. Et ascendit David juxta sermónem Gad, quem præcéperat ei Dóminus.

GRADUALE. Orábat Dóminum Deum suum, dicens: Cur, Dómine, iráscitur furor tuus contra pópulum tuum? ℣. Quiescat ira tua, & esto placábilis super nequítia pópuli tui: placatusque est Dóminus. Exod. 32.

Allelúia, allelúia. ℣. Dixit Deus, ut dispérderet eos, si non electus ejus stetísset in conspectu ejus, ut avérteret iram ejus. Allelúia. Psal. 105.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

IN illo témpore; Circuíbat Jesus omnes civitátes, & castella, docens in synagógis eórum, & prædicans Evangélium regni, & curans omnem languórem & omnem infirmitátem. Videns autem turbas, mísertus est eis; quia erant vexáti & jacentes, sicut oves non habentes pastórem. Tunc dicit discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci: rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Cap. 9.

OFFERTORIUM. Si mísero pestiléntiam, conversus autem pópulus meus deprecátus me fúerit, & égerit pœniténtiam; propítius ero peccátis eórum, & sanábo terram eórum. II. Paral. 7.

SECRETA.

SECRETA.

M. P. SAcro múnere placátus averte, Dómine, intercedente beáto Rocho, à fidélibus tuis cunctos miserátus erróres, eosque ab omni contágio pestis defende; ut quos méritò flagellas dévios, fóveas tuâ miseratióne correctos; Per Dóminum.

Pro Commem. Octavæ ASSUMPTIONIS, Múnera. 521.

Psal. 106. *COMMUNIO.* Clamavérunt ad Dóminum: misit verbum suum, & sanávit eos, & erípuit eos de interitiónibus eórum: confiteantur Dómino misericórdiæ ejus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PAne nutrítos cœlesti, da nos, Deus, ab iis, quæ corpóribus nostris nóxia sunt, précibus beáti Rochi, ita esse immúnes; ut, ejus imitatióne, ea quæ tibi dísplicent, caveámus sollicítiùs, & cértiùs devitémus; Per Dóminum.

Pro Commem. Octavæ ASSUMPTIONIS, Deus, glorificátor. 521.

DIE XVII.
DE OCTAVA.

DIE XVIII.
DE OCTAVA.

DIE XIX.
In Festo
SANCTI LUDOVICI,
Tolosani Episcopi.
DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

Sap. 7. SApiéntiam amávi, & exquisívi à juventúte mea: Habébo propter hanc claritátem ad turbas, & honórem apud senióres. Psal. 25. *PSALM.* Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum; * & in Dómino sperans, non infirmábor. Glória. Sapiéntiam.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui beáto Ludovíco Pontífici in brevi consummáto, témpora multa explére tribuísti, concéde nobis grátiæ tuæ auxílio sic in hujus vitæ stádio cúrrere, ut, tempus redimentes, felicitátis æternæ brávium accipiámus; Per Dóminum.

De Oct. Assu. Veneranda. 520.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cap. 4. JUstus consummátus in brevi explévit têmpora multa. Plácita enim erat Deŏ ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Pópuli autem vidéntes, & non intelligentes, nec ponentes in prǽcórdiis tália: quóniam grátia Dei, & misericórdia est in sanctos ejus, & respectus in elêctos illíus. Condemnat autem justus mórtuŭs vivos ímpios, & juventus celériùs consummáta, longam vîtam injusti. Vidébunt enim finem sapientis, & non intélligent quid cogitáverĭt de illo Deus, & quare mŭnierit illum Dóminus.

Job. 21. *GRADUALE.* Benedíctio perítúri super me veniébat, & cor víduæ consolátus sum. ℣. Oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram páuperum.

I. Cor. 9. Allelúia, allelúia. ℣. Omnibus ómnia factus sum ut omnes fácerem salvos. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 20. IN illo témpore; Jesus vocávit discípulos suos ad se, & ăit: Scitis, quia príncipes géntium dominantur eórum: & qui majóres sunt, potestátem exercent in ĕos. Non ita erit inter vos: Sed quicumque volúerit inter vos major fieri, sĭt vester minister: & qui volúerit inter vos primus esse, erit vester sĕrvus. Sicut Fílius

hóminis non venit miniſtrári, sĕd miniſtráre, & dare ánĭmăm sŭam redemptiónem pro multis.

Dicitur Credo.

Job. 42. *Offertorium.* Ite ad ſervum meum, & offerte holocauſtum: ſervus meus orábit pro vobis: fáciem ejus ſuſcípiam.

Secreta.

SAcrifícia, Dómine, quæ in honórem ſancti Ludovíci Pontíficis tuæ offérimus majeſtáti, nobis ſint ad ſalútem efficácia, & tuæ plácita pietáti; Per Dóminum.

De Oct. Assump. Múnera. 521.

Præfatio de Pontificibus.

Matt. 25. *Communio.* Euge ſerve bone, & fidélis; quia ſuper pauca fuiſti fidélis, ſuper multa te conſtítuam; intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio. Orémus.

QUos Angelórum pane refícere dignátus es, Dómine, fac Angélicam vitam dúcere, & exemplo ſancti Pontíficis Ludovíci ſic tibi adhærére in terris, ut cum ipſo cœléſtium gaudiórum partícipes éffici mereámur; Per eumdem.

De Octava Assumptionis, Deus, glorificátor. 521.

Die xx.

In Feſto

SANCTI BERNARDI,

Abbatis & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex-Minus.

Virid. *Introitus.*

Gen. 12. EGrédere de terra tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrábo tibi: & benedícam tibi, & magnificábo nomen tuum. Pſalm. 83. *Psalm.* Quàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini. Glória. Egrédere.

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum Bernardum Abbátem, caritátis tuæ igne ſuccenſum, in Eccléſia tua lucére ſimul & ardére feciſti; ejus interceſſióne concéde, eódem nos caritátis ſpíritu ferventes, coram te ſemper ut fílios lucis ambuláre; Per.... in unitáte ejuſdem. M. P.

De Oct. Assum. Veneranda. 520.

Léctio Malachîæ Prophétæ.

AD vos mándátum hoc, o Sâcerdótes. Si noluéritis audíre, & ſi noluéritis pónere ſuper cor, ut detis glóriam nómini meo, ait Dóminŭs exercítuum; mittam in vos egeſtátem, & maledícam bendictiónibus veſtris, & maledícam illis: quóniam non poſuiſtis sûper cor. Ecce ego projíciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnĭtátum veſtrárum, & aſſûmet vos ſecum. Et ſciétis quia miſi ad vos mándátum iſtud, ut eſſet pactum meum cum Levi, dicit Dóminus êxercítuum. Pactum meum fuit cum eŏ vitæ & pacis; & dedi ei timórem, & tímuit me, & à fácie nóminis mêi pavébat. Lex veritátis fuit ĭn ore ejus: & iníquitas non eſt inventa in lâbiis ejus. In pace & æquitáte ambŭlávit mecum; & multos avertit ab inîquitáte. Lábia enim ſacerdótis cŭſtódient ſciéntiam, & legem requírent ex ore ejus: quiă A*ngelus Dómini exercítuum eſt. Cap. 2.

Graduale. Habébo claritátem ad turbas, & honórem apud ſenióres júvenis; & in conſpectu poténtium admirábilis ero. ℣. Fácies príncipum mirabuntur me, tacentem me ſuſtinébunt, & loquentem me reſpícient. Sap. 8.

Allelúia, allelúia. ℣. Narrábo nomen tuum, Dómine, frátribus meis; in médio Eccléſiæ laudábo te. Allel. Pſal. 21.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 19. IN illo témpore; Respondens Petrus dixit Jesu: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cúm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ; sedébitis & vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israël. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam æternam possidébit.

Dicitur Credo.

Is. 51. *Offertorium.* Ponet Dóminus desertum ejus quasi delícias, & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini: gáudium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, & vox laudis.

Secreta.

M. P. DEus, qui beáti Bernardi verbo & exemplo, multos in angustam viam, quæ ducit ad vitam, intráre tribuísti: súscipe propítius oblatiónem nostram, & concéde, ut & nos seculária desidéria abnegantes, ad illam pervenire mereámur pátriam, ad quam ipse totis desidériis anhelávit; Per Dóminum.

De Octavâ Assum. Múnera. 521.

Præfatio de Abbatibus.

Jer. 2. *Communio.* Ad ómnia, quæ mittam te, ibis; & universa, quæcumque mandávero tibi, loquéris: ne tímeas, quia tecum ego sum, dicit Dóminus.

Postcommunio. Orémus.

M. A. DEus, qui ex ore beáti Bernardi rivos sapiéntiæ salutáris, ad irriganda pópuli tui péctora, deduxísti; concéde propítius, ut extincto in nobis per hoc sacramentum mundánæ sapiéntiæ gustu, te solum veræ sapiéntiæ fontem sitiámus; Per.

De Oct. Assum. Deus. 521.

Alb. DIE XXI.

DE OCTAVA.

Pro Commemoratione

S. Privati, Episcopi, & Mart.

Collecta, Deus, qui per beátum. *ut in Communi Fundat. Ecclesiarum, p.* xv.

Alb. DIE XXII.

Octava

ASSUMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS,

ET COMMEMORATIO

Voti Ludovici XIII. Regis Christianissimi.

DUPLEX-MAJUS.

Introitus.

Eccli. 24. IN Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta símiliter requiévi, & in Jerúsalem potestas mea. *Psalm.* Psal. 144. Exaltábo te, Deus meus Rex, * & benedícam nómini tuo in séculum, & in séculum séculi. Glória. In Sion.

Collecta. Orémus.

DEus, qui sanctíssimam Vírginem Maríam genitrícem tuam, super Choros Angelórum exaltátam, fidélibus tuis patrónam providísti; óculis misericórdiæ Francórum respícere dignéris impérium, quod tutélæ ejusdem Vírginis Rex piíssimus voto perpétuo commendávit; Qui vivis.

Pro Commemoratione Sancti Symphoriani Martyris.

Collecta. Orémus.

M. P. SAncti Mártyris Symphoriáni mérita nos, Dómine, pretiósa tueantur; in quibus ópera tua prædicantes, & exemplis ejus accendi, & præmiis sociári mereámur; Per Dóminum.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 24. QUasi cedrus exaltáta sum in Líbano, & quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, & quasi plantátio rosæ in Jêricho. Quasi olíva speciósa in campis; & quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans ódórem dedi : quasi myrrha electa, dedi suavitâtem odóris. Et quasi storax, & gálbanus, & úngula, & gutta, & quasi Líbanus non incísus, vaporávi habitatiónem meam ; & quasi bálsamum non místum ôdor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honôris & grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : & flores mei fructus honóris & hônestátis. Ego mater pulcræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & sanctæ spei.

Judith 15. *GRADUALE.* Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. ℣. Omnis cívitas nostra, universæ famíliæ nostræ in conspectu tuo sunt; sint ómnia nostra sub lege tua.

Ibid. 3.

Isai. 60. Allelúia, allelúia. ℣. Gens & regnum quod non servíerit tibi, períbit : Pópulus autem tuus omnes justi, in perpétuum hereditábunt terram. Allelúia.

PROSA, Plaudamus. *ut in Festo, pag.* 520.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 11. IN illo témpore; Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter qui te portávit, & úbera, quæ suxísti. At ille dixit : Quin immò ; beáti, qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Rex ábiit cum universa multitúdine, ubi erat tabernáculum fœderis Dei; ascenditque ad altáre coram tabernáculo fœderis, & óbtulit hóstias. II. Paral. 1.

SECRETA.

DEus, cui, in honórem Vírginis Deíparæ, quæ est arca tui fœderis novi, piíssimus Francórum Rex se, & suum regnum consecrávit; virtúte hóstiæ quam tibi immolámus, & potenti ejusdem beátæ Vírginis intercessióne, contínuis Regem & regnum defende subsídiis; Per eumdem Dóminum.

De S. SYMPHORIANO.

ACcedéntium ad divína mystéria sursùm érige corda, Deus; ut ad martyrium properantis & animáti à matre athlétæ tui Symphoriáni exemplo, vitam hanc fastidiámus, qui te vívere & regnáre memínimus in cœlis; Per Dóminum. M. P.

PRÆFATIO de B. M. V. Et te in Assumptióne.

COMMUNIO. Si timuéritis Dóminum & serviéritis ei, & vos, & Rex qui ímperat vobis, non derelinquet Dóminus pópulum suum : Absit autem, ut cessem oráre pro vobis. I. Reg. 12.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, qui non désinis tuis nos refícere sacramentis, fac ut cum beáta María semper Vírgine, æterni gáudii simus partícipes, qui eam gentis nostræ patrónam sincérâ pietáte venerámur; Per Dóminum.

De S. SYMPHORIANO.

DEus, qui Mártyri tuo Symphoriáno vitam hódie non tulísti, sed mutásti in méliùs; fac nos suávis virtúte sacramenti, ad æternam vitam temporáli morte redimendam semper parátos; Per Dóminum. M. P.

DIE XXIII.
In Festo
S. JOANNÆ - FRANCISCÆ
FREMIOT DE CHANTAL,
Monialium Visit. S. M. Fundatricis.
SEMIDUPLEX.

Missa, Exultáte. *ut in Comm. sanctæ Viduæ,* xxxix. *cum Orat. sequentibus.*

Viol.

COLLECTA. Orémus.

M. P. OMnípotens & miséricors Deus, quo protegente beáta Joanna-Franciſca, tuo amóre ſuccenſa, & admirábili ſpíritûs fortitúdine per omnes vitæ sémitas in viâ perfectiónis donáta, Eccléſiam tuam novâ prole illuſtrávit; ejus méritis & précibus concéde, ut qui infirmitátis noſtræ cónſcii de tuâ virtúte confídimus, cœleſtis grátiæ auxílio, cuncta nobis adverſántia vincámus; Per.

SECRETA.

M. P. ILlo nos amóris igne, quæſumus, Dómine, hæc hóſtia ſalutáris inflammet, quo beátæ Joannæ-Franciſcæ cor vehementer incendit, & flammis aduſſit æternæ caritátis; Per.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SPíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infunde; ut quos cœleſtis panis virtúte ſatiaſti, beátâ Joannâ-Franciſcâ intercedente, fácias terréna deſpícere, & te ſolum Deum purâ mente ſectári; Per Dóminum.

DIE XXIV.
In Festo
SANCTI BARTHOLOMÆI,
Apoſtoli.
DUPLEX - MAJUS.

Rub.

INTROITUS.

Psal. 95. ANnuntiáte de die in diem ſalutáre Dei: annuntiáte inter gentes glóriam ejus; in ómnibus pópulis mirabília ejus. *PSALM.* Cantáte Dómino cánticum novum: Ibid. * cantáte Dómino, omnis terra. Glória. Annuntiáte.

COLLECTA. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempiterne Deus, qui hujus diéi venerandam, ſanctamque lætítiam in beáti Apóſtoli tui Bartholomæi feſtivitáte tribuiſti: da Eccléſiæ tuæ, quæſumus, & amáre quod crédidit, & prædicáre quod dócuit; Per Dóminum.

Léctio Actuum Apôſtolórum.

Cap. 5. IN diébus illis; exurgens princeps ſacerdótum, & omnes qui cum illo erant (quæ eſt hæreſis Sadducæórum) rĕpléti ſunt zelo; & injecérunt manus in Apóſtolos, & poſuérunt eos in cuſtôdia pública. Angelus autem Dómini per noctem apĕrĭĕns jánuas cárceris, & edúcens êos, dixit: Ite, & ſtantes loquímini ĭn templo plebi ómnia verba vîtæ hujus. Quĭ cùm audiſſent, intravérunt dilúculo in templum; êt docébant. Advéniens autem princeps ſacerdótum, & qui cum eo erant, convocavérunt concílium, & omnes ſenióres filiórŭm Iſrael: & miſérunt ad cárcerem, ut addûcerentur. Cùm autem veniſſent miniſtri, & aperto cárcere non invĕniſſent illos; reverſi nuntiavêrunt, dicentes: Cárcerem quidem invénimus clauſum cum omni diligéntia, & cuſtódes ſtantĕs ante jánuas; aperientes autem, néminem întus invénimus. Ut autem audiérunt hos ſermónes magiſtrátus templi, & príncĭpĕs ſacerdótum; ambigébant de illis quîdnam fíeret. Advéniens autem quidam nuntĭávit eis, quia Ecce viri, quos poſuiſtis in in cárcerem, ſunt templo ſtantes, & docêntes pópulum. Tunc ábiit magiſtrátus cum miniſtris, & adduxit illŏs ſine vi: timébant enim pópulum, ne lapîdarentur. Et cùm adduxiſſent illos, ſtatuérŭnt in concílio: & interrogávit eos princeps ſacerdôtum, dicens: Præci-

piendo præcépimus vobis ne docerétis in nómine isto ; & ecce replestis Jerúsalem doctrína vestra, & vultis indúcere super nos sánguinem hóminis istíus. Respondens autem Petrus & Apóstoli, dixérunt : Obedíre oportet Deo magis quàm homínibus.

Psal. 44. *Graduale.* Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : constítues eos príncipes super omnem terram. ℣. Mémores erunt nóminis tui, in omni generatione & generatióne : proptéreà populi confitebuntur tibi in æternum.

Matt. 19. Allelúia, allelúia. ℣. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicantes duódecim tribus Israel. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 6. IN illis diébus éxiit Jesus in montem oráre ; & erat pernoctans in oratióne Dei. Et cùm dies factus esset, vocávit discípulos suos : & elégit duódecim ex ipsis, quos & Apóstolos nominávit, Simónem, quem cognominávit Petrum, & Andréam fratrem ejus, Jacóbum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, Jacóbum Alphæi, & Simónem qui vocátur Zelótes, & Judam Jacóbi, & Judam Iscariótem qui fuit pröditor. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis, qui vénerant ut audírent eum, & sanarentur à languóribus sùis. Et qui vexabantur à spirítibus immundis, curabantur : & omnis turba quærébat eum tángere ; quia virtus de illo éxibat, & sanábat omnes. *Dicitur* Credo.

I. Cor. 4. *Offertorium.* Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tamquam morti destinátos ; quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus.

Secreta.

BEáti Apóstoli tui Bartholomæi solémnia recensentes, quæsumus, Dómine, ut ejus auxílio tua benefícia capiámus, in cujus honóre tibi laudis hóstias immolámus ; Per. M. P.

Præfatio de Apostolis.

Luc. 22. *Communio.* Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis : & ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus, regnum ; ut edátis & bibátis super mensam meam in regno meo.

Postcommunio. Orémus.

SUmptum, Dómine, pignus redemptiónis æternæ, sit nobis, quæsumus, interveniente beáto Bartholomæo Apóstolo tuo, vitæ præséntis auxílium páriter & futúræ ; Per. M. P.

DIE XXV.

In Festo

SANCI LUDOVICI, *Viol.*

Regis Franciæ.

DUPLEX-MAJUS.

Introitus.

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur Rex, & super salutáre tuum exultábit vehementer ; desidérium cordis ejus tribuísti ei, & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. *Psalm.* Prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Glória. In virtúte. Psal. 20. Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti : ejus quæsumus méritis & intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consortes ; Qui tecum vivit. M. P.

Léctio libri Machâbæórum.

I. Mach. 3. IN diébus illis; Dilatávit Judas glóriam populo suo, & índuit se lorícăm sicut gigas, & succinxit se arma béllica sua in prœliis, & protegábat castra glâdio suo. Símilis factus est leóni in ŏpéribus suis, & sicut cátulus leónis rúgiens in venâtióne. Et persecútus est iníquos, perscrútans eos: & qui conturbábant pópulum suum, eos succendit flammis: & repulsi sunt inimíci ejus præ timóre ejus, & omnes operárii iniquitátis contŭrbáti sunt: & directa est salus in mânu ejus. Et exacerbábat reges multos, & lætificábat Jacob in ŏpéribus suis, & in séculum memória ejus in benedíctióne. Et perambulávit civitátes Juda, & pérdĭdĭt ímpios ex eis, & avertit iram ab Israel. Et nominátŭs ĕst usque ad novíssimum terræ.

Pſal. 88. *Graduale.* Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. ℣. Manus mea auxiliábitur ei; & bráchium meum confortábit eum.

Pſal. 143. Allelúia, allelúia. ℣. Benedictus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 19. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hănc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longinquam accípĕrĕ sibi regnum, & revĕrti. Vocátis autem decem servis suis, dedit ĕis decem mnas, & ait ad illos: Negotiámini dum vĕnio. Cives autem ejus óderant eum: & miserunt legatiónem pŏst illum, dicentes; Nólumus hunc regnáre super nŏs. Et factum est, ut redíret ăccepto regno; & jussit vocári servos quibus dedit pecúniam, ut sciret quantùm quisque negotiátus ĕsset. Venit autem primus, dĭcens: Dómine, mna tua decem mnas acquisĭvit. Et ait illi: Euge bone serve; quia in módico fŭisti fidélis, eris potestátem habens super decem civitătes. Et alter venit, dĭcens: Dómine, mna tua fecit quinque mnăs. Et huic ăit: Et tu esto super quinque civitătes. Et alter venit, dĭcens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo ăustérus es; tollis quod non posuisti, & metis quod non seminăsti. Dicit ĕi: De ore tuo te júdico, serve nĕquam. Sciébas quòd ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, & metens quod nŏn seminávi: & quare non dedisti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegissem illam? Et astántibus dĭxit: Auferte ăb illo mnam, & date illi qui decem mnas hăbet. Et dixérunt ĕi: Dómine, habet decem mnăs. Dico autem vobis, quia omni habenti dábitur, ĕt abundábit: ab eo autem qui non habet, & quŏd hăbet, auferétur ab eo.

Eccli. 47. *Offertorium.* De omni corde suo laudávit Dóminum, & dilexit Deum, qui fecit illum: dedit in celebratiónibus decus, ut laudárent nomen sanctum Dómini, & amplificárent manè Dei sanctitátem.

Secreta.

M. P. DA nobis, quæsumus, Dómine, per hæc múnera quæ tibi offérimus, eam ánimi constántiam, quam beáto Ludovíco tribuisti ut nec próspéris efferámur, nec dejiciámur adversis; Per Dóminum.

Præfatio de Justis.

Pſal. 5. & 137. *Communio.* Introíbo in domum tuam, Dómine, adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui beáto Ludovíco inter falláces temporális regni delícias veram ætérni regni felicitátem toto corde concupíscere tribuísti ; fac nos, quæsumus, ejusdem felicitátis amatóres, cujus in hoc sacramento pignus accépimus ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

DIE XXVII.

In Festo

Virid. SANCTI CÆSARII,

Arelatensis Episc. & Eccl. Doct.

DUPLEX-MINUS.

Missa, In médio. *de Communi Doctorum*, *pag.* xxj. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Cæsárium ministrum tribuísti : præsta, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis ; Per Dóminum.

SECRETA.

S. R. MUnera nostra, Dómine, sacris altáribus imponentes, quæsumus cleméntiam tuam, ut des nobis illam sequi doctrínam, quam beátus Cæsárius Póntifex tuus & verbo dócuit, & ópere complévit ; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. A. PEr hujus participatiónem mystérii, quæsumus, Dómine, fidélis pópuli mentes eâ vultûs tui claritáte illustra, quam beáto Cæsário mirabíliter infudísti : ut, ipso intercedente, promissiónum tuárum magnitúdinem, quæ intelligéntiæ nostræ vires súperat, fidei óculis intuéri valeámus ; Per Dóminum.

DIE XXVIII.

In Festo

SANCTI AUGUSTINI, Virid.

Hipponensis Episc. & Eccl. Doct.

DUPLEX-MAJUS.

[*In Cathedr.* SOLEMNE-MINUS.]

INTROITUS.

DEus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illuxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei. 2. Cor. 4.

PSALM. Dóminus illuminátio mea & salus mea : * quem timébo ? Glória. Deus. Psal. 26.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens & misércors Deus, qui beátum Augustínum Evangélii grátiæ tuæ testem, & propugnatórem in Eccléstia suscitásti ; ejusdem grátiæ, quæsumus, in nobis ostende virtútem : ut & voluntátem tuam, te docente, cognóscere ; & eam corde magno valeámus, te operante, perfícere ; Per Dóminum. M. P.

Pro Commem. S. JULIANI, Martyris.

[In Cathed. *sub eadem conclusione.*]

DEus, qui in corde beáti Mártyris Juliáni ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia, te vincente, despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur ; Per Dóminum. M. P.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

FRatres ; abjiciámus ópĕră tenebrárum, & induámur ârma lucis. Sicut in die honestè ambulémus ; non in comessatiónibus, & ebrietátibus : non in cubílibus, & impudicítiis : non in contentióne, & æmŭlatióne : sed induímini Dóminum Jesum Cap. 13. & 14.

sum Christum, & carnis curam ne fecéritis in dêsidériis. Infirmum autem ĭn fĭde assúmite.

Eccli. 46. & 21. *GRADUALE.* Máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgentes hostes, quam glóriam adeptus est! ℣. Sciéntia illíus tamquàm inundátio, & consílium sicut fons vitæ.

Act. 20. Allelúia, allelúia. ℣. Minístérium verbi accépi à Dómino Jesu testificári Evangélium grátiæ Dei. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 5. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis. Vos estis sal tĕrræ. Quòd si săl evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foras, & conculcétur ab homĭnibus. Vos estis lux mŭndi. Non potĕst cívitas abscondi supra montem pŏsita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub módio, sed supĕr candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sŭnt. Sic lúceat lux vestră coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis ĕst. Nolíte putáre quóniam veni sólvere Legĕm, aut Prophétas: non veni sólvere, sed adimplĕre. Amen quippĕ dico vobis, donec tránseat cœlum & terra, ióta unum, aut unus apex non præteríbit à lege, donec ómnia fĭant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur ĭn regno cœlórum: qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vŏcăbitur in regno cœlórum.

Dicitur Credo.

Cor. 1. *OFFERTORIUM.* Annuntiámus Christum, docentes omnem hóminem in omni sapiéntia; ut exhibeámus omnem hóminem perfectum in Christo Jesu: in quo & labóro, certando secundùm operatiónem ejus, quam operátur in me in virtúte.

SECRETA.

M. P. DEus, quem beátus Augustínus ómnium bonórum suórum auctórem, humánæ cónscius infirmitátis, agnóvit: da nobis, ex ejus imitatióne, pro collátis benefíciis, hanc tibi dignè laudis hóstiam offerre; quia tua nobis tunc dona próderunt, cùm accepta tuæ retulérimus majestáti; Per Dóminum.

De S. JULIANO. [In Cathed. *sub eadem conclusione.*]

M. P. OFferéntibus tibi, Dómine sacrifícium salutáre in honóre sancti Juliáni Mártyris tui, præsta, quæsumus, ut sicut ille, abjectâ séculi milítiâ, soli regi Christo militáre vóluit; ita nos, spretis mundi oblectamentis, tibi soli placére studeámus; Per eumdem.

PRÆFATIO de DOCTORIBUS.

Eccli. 37. *COMMUNIO.* Sapiens in pópulo hereditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in æternum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. AMor qui semper ardes & nunquam extíngueris, cáritas, Deus noster, accende nos igne tui amóris per hæc sacramenta quæ súmpsimus; & præsta, ut exemplo beáti Augustíni, ex omni corde tibi inhærentes in terris, æternùm te ipso frui mereámur in cœlis; Per Dóminum.

De S. JULIANO. [In Cathed. *sub eadem conclusione.*]

S. R. HÆc divína mystéria, quæsumus, Dómine, præstent nobis in beáti Juliáni Mártyris celebritáte, tuæ miseratiónis abundántius auxílium; ut de tanti agóne certáminis discat pópulus christiánus, & firmâ solidári patiéntiâ, & piâ exultáre victóriâ; Per Dóminum.

DIE XXXI.

In Festo

Virid. SANCTI PAULINI,

Trevirensis Episcopi, & Confessoris.

SIMPLEX.

Missa, Exaltávi, *de Communi Pontif. pag.* xvij. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

DEus, pro cujus nómine beátus Paulínus Confessor tuus & Póntifex duri labóres exílii invictâ fide sustínuit; da nobis ejus exemplo magìs elígere afflígi in hoc século, quàm temporális peccáti habére jucunditátem; Per Dóminum nostrum.

SECRETA.

COnforta nos præséntis sacrifícii virtúte, Deus, & largíre nobis inviolábilem fídei firmitátem, qui beáto Paulíno dedísti superátis tentatiónibus, in confessióne tui nóminis perseveráre; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

QUos bonis tuis, Dómine, satiásti, eórum, quæsumus, plácita tibi pérfice desidéria: ut adversùs mundi perícula, beáti Paulíni Confessóris & Pontíficis exemplo, in tuæ veritátis amóre firmentur & crescant; Per eumdem.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.

In Festo

SANCTI ÆGIDII, Viol.

Abbatis.

SEMIDUPLEX.

Missa, Circuiérunt. *de Communi Abbatum, pag.* xxvj. *præter Orationes sequentes.*

COLLECTA. Orémus.

SAncti Abbátis Ægídii supplicatiónibus tríbue nos, Deus, adjuvári; ut quæ piè crédidit appetámus, & quod justè sperávit consequámur; Per Dóminum. M. P.

SECRETA.

SIc nobis, quæsumus, Dómine, interveniente beáto Ægídio, per hoc sacrifícium adesto placátus; ut nos & à peccátis, & à periculis ómnibus miserátus absólvas; Per Dóminum. M. P.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DA nobis, Dómine, sacramento cœlesti refectis, ut beáti Ægídii intercessiónem implorantes, & quæ digna sunt postulémus, & postuláta júgiter consequámur; Per Dóminum. M. P.

DIE II. SEPTEMBRIS.

IN FESTO

SANCTORUM MARTYRUM

Rub. # ANTONINI,

ECCLESIÆ CATHEDRALIS,

ET TOTIUS DIŒCESIS PATRONI,

AC SOCIORUM EJUS

JOANNIS ET ALMACHII.

ANNUALE-MAJUS.

INTROITUS.

Psal. 95. ANnuntiáte inter gentes, quóniam omnes dii géntium dæmónia; Dóminus autem

Ibid. cœlos fecit. *PSALM.* Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra. Glória. Annuntiáte.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens sempiterne Deus, qui per glorióſæ paſſiónis certámina, ad immortáles triumphos Mártyres tuos Antonínum, ſócioſque ejus extuliſti, da Eccléſiæ tuæ dignam pro tantâ ſolemnitáte lætítiam, ut quorum patrocínia pio amóre ampléctitur, horum & accendátur exemplis, & interceſſiónibus adjuvétur; Per Dóminum noſtrum.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 66. HÆc dîcit Dóminus: Vénio ut cóngregem cum ómnĭbŭs géntibus & linguis, & vénient, & vidébunt glôriam meam. Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſalváti fuérint, ad gentes in mare, in Africam & Lydiam, tendentes ſagittam, in Itáliam & Græciam, ăd ínſulas longè, ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glôriam meam. Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres veſtros de cunctis géntibus donum Dómino, in equis, & in quadrígis, & in lécticis, & in mulis, & in carrúcis, ad montem ſanctum meum Jerúsălem, dicit Dóminus, quómodò ſi ínferant fílii Iſraël munus in vaſe mundo in dômum Dómini. Et aſſúmam ex eis in Sacerdótĕs & Levítas, dîcit Dóminus. Quia ſicut cœli novi & terra nova, quæ ego fácio ſtare coram mĕ, dicit Dóminus, ſic ſtabit ſemen veſtrum & nômen veſtrum. Et erit menſis ex menſe, & sábbătŭm ex sábbato: véniet omnis caro ut adóret coram făcĭĕ mĕa, dicit Dóminus.

GRADUALE. Qui ſunt iſti qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad Iſaiæ 60.

Act. 16. feneſtras ſuas? ℣. Iſti hómines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annúntiant vobis viam ſalútis.

Hebr. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Salus in nos confirmáta eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & váriis virtútibus. Allelúia.

PROSA.

LÆTIS concéntibus
Gentis Apóſtolos,
Sonis concórdibus,
Illuſtres æmulos
Ad aſtra tóllite.
Horum labóribus
Affulſit véritas:
Et ab erróribus
Purgáta Cívitas,
Certátim pſállite.
FALSIS numínibus
Cæci dum ſérviunt,
Horum ſermónibus
Nubes diffúgiunt:
Jam Chriſtus cólitur.
Clari miráculis,
Verboque férvidi;
Dum ſe periculis
Tradunt impávidi,
Fides diſpérgitur.
JAM adeſt ſæviens
Mundi ferócitas;
Sed virtus pátiens,
Invicta véritas
Ambit ſupplícia.
Tela minántia
Dum ſpernunt álacres,
Suos ad fórtia
Obfirmans Mártyres,
Fit præſens grátia.
IN vinclis líbera
Mens non dejícitur:
Heróum æmula
Virtus dum pátitur,
Se lubens ímmolat.
Fremens crudélitas
Delúſa fállitur;
Victrix nam cáritas,
Dum ferro tóllitur,
Ad cœlos évolat.
Vos, quorum ſánguine
Tellus hæc rúbuit,
Quo tanquam ſémine
Fides efflóruit,
Athlétæ nóbiles:
Ferte ſupplícibus
Nobis ſubsídium;
Eſtóte précibus
Gentis præsídium;
O Chriſti púgiles.
Amen.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Euntes in mundŭm univerſum, prædicáte Evangélium omni creatŭræ. Qui credíderit, & baptizátus fúĕrĭt, ſalvus erit: qui verò non credíderit, condemnăbitur. Signa autem eŏs, qui credíderint, hæc ſequĕntur: In nómine meo dæmónia ejícient; linguis loquentur novis; ſerpentes tollent; & ſi mortíferum quid bíberint, nŏn eis nocébit: ſuper ægros manus ĭmpŏnent, & benè habébunt. Cap. 16.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Dómine Deus, qui feciſti patres electos, & ſanctificaſti eos, áccipe ſacrifícium pro univerſo pópulo tuo Iſraël, & cuſtódi partem tuam, & ſanctífica. II. Mac. 1.

SECRETA.

GLóriam tibi, Dómine, & lætítiam nobis ſalutáris tui reddat ſacrifícium ſolemne, quod tibi hâc ſacrâ die offérimus, gaudentes, & congratulantes ſanctis Mártyribus tuis, quibus gáudium fuit immolári ſuprà ſacrifícium & obséquium fidei noſtræ; Per Dóminum. M. P.

PRÆFATIO de S. ANTONINO.

COMMUNIO. Grátias Deo ſuper inenarrábili dono ejus. Allelúia. II. Cor. 9.

POSTCOMMUNIO.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, qui beáti Antoníni ac sociórum ejus Joannis & Almáchii ministério, eam nobis grátiam contulísti, ut ex infidélibus fidéles, ex peccatóribus justi efficerémur; adésto opéribus tuis, adésto munéribus; ut quibus inest fídei justificátio, non desit grátiæ fortitúdo; Per.

DIE III.

In Festo

Virid. S. GREGORII MAGNI,

Papæ & Eccleſiæ Doctoris.

DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

Eze-ch. 34. VIsitábo oves meas, & suscitábo pastórem qui pascat eas: ego autem Dóminus ero eis in Deum; & servus meus princeps in médio eárum. *PSALM.* Psal. 79. Qui regis Israel, intende; * qui dedúcis velut ovem Joseph. Glória. Visitábo.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, coróna Pontíficum, & lucerna Doctórum, qui beátum Gregórium Eccléſiæ tuæ providísti Pontíficem & Doctórem: quæsumus, ut ejus nos semper & documentis erúdias, & exemplis informes; Per Dóminum.

Fit Commem. Oct. S. ANTONINI.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Timótheum.

II. Tim. 4. CAríssime; Testíficor coram Deo & Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos & mórtuos, per adventum ipsíus ĕt regnum ejus: prædica verbum, insta opportúnè, importúnè, árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia êt doctrína. Erit enim tempus cùm sanam doctrínam non sustinébunt; sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magistrŏs, prurientes áuribus; & à veritáte quidem audítum, avertent, ad fábulas autem côntertentur. Tu verò vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérĭum tuum imple: sôbrius esto. Ego enĭm jam delíbor, & tempus resolutiónis mêæ instat. Bonum certámen certávi, cursŭm consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa dĭe justus judex non solùm autem mihi, sed ĕt iis qui díligunt adventum ejus.

GRADUALE. De omni corde suo laudávit Dóminum: & stare fecit cantóres contra altáre, & in sono eórum dulces fecit modos. ℣. Dedit in celebratiónibus decus, ut laudárent nomen sanctum Dómini, & amplificárent manè Dei sanctitátem. Eccli. 47.

Allelúia, allelúia. ℣. Curávit gentem suam, & liberávit eam à perditióne, & adeptus est glóriam in conversatióne gentis. Allelúia. Eccli. 50.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 5. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Vos estis sal tĕrræ. Quòd si săl evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homĭnibus. Vos estis lux mŭndi. Non potĕst cívitas abscondi supra montem pŏsita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub módio, sed supĕr candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sŭnt. Sic lúceat lux vestră coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis ĕst. Nolíte putáre quóniam veni sólvere legĕm aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplĕre. Amen quippĕ dico vobis, donec tránseat cœlum & terra, ióta

unum, aut unus apex non præteríbit à lege donec ómnia fíant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur ĭn regno cœlórum: qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vŏcăbitur in regno cœlórum.

Dicitur Credo.

Eccli 32. *Offertorium.* Rectórem te posuérunt? noli extolli; curam illórum habe, ut lætéris propter illos, & ornamentum grátiæ accípias corónam.

Secreta.

M. P. DEus, qui beátum Gregórium, príncipis Apostolórum non dignitátis tantùm, sed humilitátis & caritátis herédem effecísti: præsta, ut, qui in ejus festivitáte, Christum propter nos humiliátum offérimus, sincérâ tibi humilitáte subjecti, quæ tua sunt, líberâ caritáte exercére valeámus; Per eumdem Dóminum nostrum.

Fit Commem. Octavæ S. Antonini.

Præfatio de Doctoribus.

Prolo. Eccli *Communio.* Scripsit quæ ad doctrínam & sapiéntiam pértinent; ut desíderantes díscere quemádmodum opórteat instituére mores, confirmentur ad legítimam vitam.

Postcommunio. Orémus.

S. R. DEus, qui frumenta tui elóquii, beátum Pontíficem Gregórium esuriéntibus pópulis dispertíre fecísti: concéde fámulis tuis, per hæc sacra Mystéria, toto mentis affectu serváre quod dócuit; ut eódem apud te obtinente, illuc mereámur súbsequi quò pervénit; Per Dóminum.

Fit Commem. Octavæ S. Antonini.

Die IV.

In Festo SS. Lazari, Marthæ, et Mariæ,

Act. Christi Hospitum.

Duplex - Minus.

Introitus.

Ps. 100. OCuli mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: ámbulans in via immaculáta, hic mihi minístrabat. *Psalm.* Misericórdiam Ibid. & judícium * cantábo tibi, Dómine. Glória. Oculi mei.

Collecta. Orémus.

M. P. PRæsta, quæsumus, Dómine, ut cum Lázaro in novitáte vitæ ambulantes, te in tuis cum Martha páscere, & à te cum María verbi tui meditatióne pasci mereámur; Qui vivis.

Fit Commemoratio Octavæ.

Léctio lîbri Regum.

4. Reg. 4. FActă ĕst quædam dies, & transíbat Elisêus per Sunam. Erat autem ibĭ múlier magna, quæ ténuit eum ut comêderet panem. Cùmque frequentĕr inde transíret, divertébat ad eam, ut comêderet panem. Quæ dixit ad vîrum suum: Animadverto quòd vir Dei sanctus est iste, qui transĭt per nos frequenter: faciámus ergo ei cœnáculum parvum; & ponámus ei in eo léctulum, & mensam, & sellam, & candelábrum; ut cùm vénerit ad nos, mâneat ibi. Facta est ergŏ dies quædam, & véniens divertit in cœnăculum, & requiévit ibi.

Sap. 8. *Graduale.* In amicítia sapiéntiæ delectátio bona, & præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus. ℣. Non habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convictus illíus, sed lætítiam & gáudium.

Joan. 11. Allelúia, allelúia. ℣. Diligébat Jesus Martham, & sorórem ejus Maríam, & Lázarum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 11. IN illo témpore, Erat quidam languens Lázărus à Bethánia, de castello Maríæ, & Marthæ soróris ějus. (María autem erat, quæ unxit Dóminum unguento, & exterśit pedes ejus căpillis suis: cujus frater Lázarus infirmabătur.) Misérunt ergo sorórěs ejus ad eum, dicěntes: Dómine, ecce quem amas, infirmătur. Aúdiěns autem Jesus, dixit ěis: Infírmitas hæc nŏn est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per ĕam. Diligébat autĕm Jesus Martham, & sorórem ejus Maríam, & Lăzarum. Ut ergo audívit quia ĭnfirmabátur, tunc quidem mansit in eódem loco duóbus diĕbus. Deinde post hæc dixit discípulis sŭis: Eámus in Judæam ĭterùm. Dicunt ei discĭpuli: Rabbi, nunc quærébant te Judæi lapidáre, & íterùm vadis illuc? Respondit Jesŭs; Nonne duódecim sunt horæ diéi? Si quis ambuláverit in die, non offendit, quia lucem hujŭs mundi videt: si autem ambuláverit in nocte, offendit, quia lux non est in ĕo. Hæc ait; & post hæc dicit ĕis: Lázarus amícŭs nostĕr dormit: sed vado ut à somno éxcitem ĕum. Dixérunt ergo discípuli ějus: Dómine, si dormit, salvus ĕrit. Díxerat autem Jesus dĕ morte ejus; illi autem putavérunt quia de dormitióne somni dĭceret. Tunc ergo Jesus dixit eis manifĕstè: Lázarus mórtuus est: & gáudeo propter vos, ut credátis, quóniam nŏn eram ibi: sed eámus ad ĕum. Dixit ergo Thomas, quĭ dícitur Dydimus, ad condiscĭpulos: Eámus & nos, ut moriámur cum ĕo. Venĭt ítaque Jesus, & invénit eum quátuor dies jam in monumento habĕntem. Erat autem Bethánia juxta Jerosólymam quasi stádiis quĭndecim. Multi autem ex Judæis vénerant ad Marthăm, & Maríam, ut consolarentur eas de fratre sŭo. Martha ergo ut audívit quia Jesus venit, ŏccurrit illi; María; autem domi sedĕbat. Dixit ergo Martha ad Jesŭm: Dómine, si fuísses hìc, frater meus non fŭisset mórtuus: sed & nunc scio, quia quæcumque popósceris à Deo, dabit tibi Dĕus. Dicit illi Jesŭs: Resurget frater tŭus. Dicit ei Mărtha: Scio quia resurget in resurrectióne in novíssimo dĭe. Dixit ei Jesŭs: Ego sum resurréctio, & vita: qui credit in me, étiam si mórtŭŭs fúerit, vivet; & omnis, qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætĕrnum. Credis hoc? Ait ĭlli: Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílĭŭs Dei vivi, qui in hunc mundum venĭsti. Et cŭm hæc dixisset, ábiit, & vocávit Maríam sorórem suam siléntio, dĭcens: Măgister adest, & vocat tĕ. Illa ut audívit, surgit citò, ĕt venit ad eum: nondum enim vénerat Jesus in castellum; sed erat adhuc in illo loco, ubi occúrrerat ei Mărtha. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam; cùm vidissent Maríam, quia citò surrexit & éxiit, sĕcúti sunt eam, dicentes, quia Vadit ad monumentum, ut ploret ĭbi. María ergo, cùm venísset ubĭ erat Jesus; videns eum, cécidit ad pedes ejus, & dicit ĕi: Dómine, si fŭisses hìc, non esset mórtuus frater mĕus. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui vénerant cŭm ea, plorantes, infrémuit spíritu, & turbávit seipsum, & dĭxit: Ubi posuistis eum? Dicunt ĕi: Dómine, veni, & vĭde. Et lacrymátus est Jesŭs. Dixérunt ergo Judæi: Ecce quómodò amábat ĕum!

Quidam autem ex ipsis dixĕrunt : Non póterat hic, qui apéruit ócŭlŏs cæci nati, fácere ut hic non morerétur? Jesus ergo rursùm fremens ĭn semetipso, venit ad monuměntum. Erăt autem spelunca : & lapis superpósitus erat ĕi. Ait Jesŭs : Tóllite lăpidem. Dicĭt ei Martha, soror ejus qui mórtuus fŭerat : Dómine, jam fœtet, quatriduánus est ĕnim. Dicit ei Jesŭs : Nonne dixi tibi, quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei? Tulérunt ergo lăpidem. Jesus autem, elevátis sursùm óculis, dĭxit : Pater, grátias ago tibi, quóniam ăudisti me : ego autem sciébam quia semper me audis ; sed propter pópulum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misĭsti. Hæc cùm dixisset, voce magna clamăvit : Lázare, veni fŏras. Et statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus pedes ĕt manus ínstitis ; & fácies illíus sudário erat ligăta. Dixit eis Jesŭs : Sólvite eum, & sínite abĭre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Maríam & Martham, & víderant quæ fecit Jĕsŭs, credidérunt in eum.

Psal. 29. *Offertorium.* Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam : salvasti me à descendéntibus in lacum : psállite Dómino, sancti ejus, quóniam vita in voluntáte ejus.

Secreta.

M. P. Offérimus tibi, Dómine, in hac festivitáte, hóstiam salutárem, tuam pro peccatóribus misericórdiam deprecantes ; ut, intercedéntibus sanctis hospítibus tuis, à peccáti consuetúdine ad eam vocem excitáti resipiscant, quæ suscitávit quatriduánum à monumento ; Per Dóminum.

Fie Commemoratio Octavæ.

Præfatio de Sanctis qui cum Christo vixerunt.

Joan. 12. *Communio.* Fecérunt cœnam Jesu ; & Martha ministrábat : Lázarus verò unus erat ex discumbéntibus cum eo : María unxit pedes Jesu, & extersit capillis suis.

Postcommunio. Orémus.

M. P. Domine Jesu, qui in nobis per hæc divína sacramenta manére dignáris ; fac nos, quæsumus, cœléstium benedictiónum partícipes, quibus sanctos hóspites tuos, Lázarum, Martham, & Maríam cumulasti ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Fit Commem. Octavæ.

DIEBUS INTRA OCTAVAM SANCTI ANTONINI.

Rub. *Missa ut in die, exceptis Epistolâ & Evangelio.*

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

II. Cor. 2. Fratres ; Deo grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ manifestat per nos, ĭn omni loco : quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis, qui salvi fiunt, & in iis qui péreunt : áliis quidem odor mortis in mortem ; áliis autem odor vîtæ in vitam. Et ad hæc quis tam idóneus? Non enim sumus sicut plúrimi, adulterantĕs verbum Dei : sed ex sinceritáte, sed sicut ex Deo, coram Deo in Chrîsto lóquimur. Incípimus íterùm nosmetipsos commendáre? aut numquid egémus, sicut quidam, commendatítiis epístolis ad vos, aut ex vobis? Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris, quæ scitur & légitur ăb ómnibus homínibus : manifestáti quòd Epístola estis Christi, ministráta à nobis, & scripta non atrămĕnto, sed Spíritu Dei vivi. Cap. 2.

Sequéntia

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Dico vobis ămicis meis; Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, & poſt hæc non habent ámpliùs quid făciant. Oſtendăm autem vobis quem timeătis. Timéte eum, quĭ, poſtquàm occíderit, habet poteſtátem míttere in gehĕnnam. Ită dico vobis, hunc timĕte. Nonne quinque páſsĕrĕs véneunt dipóndio, & unus ex illis non eſt in oblivióne coram Deo? Sed & capillĭ cápitis veſtri omnes numeráti sŭnt. Nolítĕ ergo timére; multis paſséribus pluris eſtis vŏs. Dicŏ autem vobis; Omnis quicumque confeſſus fúerit me coram hominíbus, & Fílius hóminis confitébĭtŭr illum coram Angelis Dei.

Dicitur Credo.

Die v.

DE OCTAVA.

Die vi.

DE OCTAVA.

Die vii.

DE OCTAVA

Pro Comm. S. Clodoaldi, Presb.

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum Clodoaldum propter te humiliátum in ſéculo, & Sacerdótii múnere, & virtútum ſplendóre ſublimaſti: tríbue nos ejus exemplo tibi dignè miniſtráre, & per ejus interceſſiónem grátiâ ſemper & mérito proficere; Per. M. P.

Secreta.

TE, Dómine, fídei noſtræ ſalutiſque auctórem, cum ſancto Sacerdóte Clodoaldo confitentes, quæſumus, ut hanc de mánibus noſtris hóſtiam laudis clementer ſuſcípias; & quâ religióne ipſe vota ſua tibi réddidit, eâdem nobis tríbuas noſtra perſólvere; Per Dóminum. M. P.

Postcommunio. Orémus.

SUmentes, Dómine, in feſtivitáte ſancti Clodoaldi Sacerdótis, divína myſtéria, te ſúpplices deprecámur, ut erectis ad cœléſtia méntibus, ómnia detrimentum fácere valeámus propter eum, qui ſeipſum nobis totum dedit, Jeſum Chriſtum Fílium tuum Dóminum noſtrum, qui tecum. M. P.



DIE VIII. SEPTEMBRIS.

INFESTO

NATIVITATIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

SOLEMNE-MAJUS.

Alb.

INTROITUS.

Psal. 88. DIspósui testamentum electis meis : jurávi David servo meo , Usque in æternum præparábo semen tuum , & ædificábo in generatiónem & generatiónem sedem tuam. *PSALM.* Misericórdias Dómini * in æternum cantábo. Glória. Dispósui.

Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui secundùm propósitum voluntátis tuæ , mundum tibi reconciliáre voluisti : præsta , quæsumus , ut qui Nativitátem Vírginis Maríæ, de qua natus est nobis Christus Salvátor , cum gáudio celebrámus ; ipsam quam Fílius operátus est salútem , Matris intercessióne consequámur ; [Per eumdem.]

Fit Commem. Octav. sub eadem conclusione.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Cap. 11. EGrediétur virga de rădíce Jesse , & flos de radíce êjus ascendet. Et requiescet super eum Spíritus Dómini ; Spíritus sapiéntiæ, & intellectus ; Spíritus consílii , & fortitúdinis ; Spíritus sciéntiæ , êt pietátis : & replébit eum Spíritus timôris Dómini. Non secundùm visiónem oculórum judicábit , neque secundùm audítum áurium árguet : sed judicábit in justítia páuperes , & árguet in æquitáte pro mansŭétis terræ : & percútiet terram virga oris sui , & spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lŭmbórum ejus; & fides cĭnctŏrium renum ejus.

GRADUALE. Benedícam ei , & ex illa dabo fílium , cui benedictúrus sum. ℣. Hic erit magnus , & Fílius Altíssimi vocábitur , & regnábit in domo Jacob in æternum.

Gen. 17. Luc. 1.

Allelúia , allelúia. ℣. Laudáte Dóminum Deum nostrum , qui in me ancilla sua adimplévit misericórdiam suam , quam promísit dómui Israel. Allelúia.

Judit. 13.

PROSA.

GAudii primórdium ,
Et salútis núntium
Diem nostræ cánimus.

Quæ dat hora Vírginem ,
Spondet Deum hóminem :
En venit quem quærimus.

QUAM in matrem éligit ,
Hujus ortum dírigit ,
Deus omnis grátiæ.

Domum quam inhábitet ,
Mox è qua nos vísitet
Ornat sol justítiæ.

QUOT micat lumínibus ,
Suis Deus úsibus
Quod vas fingit glóriæ !

Quot latent mirácula !
Fiet hæc nubécula
In vim magnam plúviæ.

Benedicta Fília,
Tota plena grátiâ,
Tota ſine mácula.

Cœli quod jam hábitas,
Pande nobis ſémitas,
Prece, Virgo, ſédulâ.

Iram promerúimus,
Chriſte; pacem pétimus:
Hanc da Matris précibus.

Ut in nobis máneas,
Corda noſtra præbeas
Pura culpis ómnibus.
Amen.

Inítium ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 1. Liber generatiónis Jeſu Chriſti fílii David, fílii Abrahăm. Abraham génuit Iſaac: Iſaac autĕm génuit Jacob: Jacob autem génuit Judam, & fratres ĕjus. Judas autem génuit Phares & Zaram de Thamar: Phares autem génuit Eſron: Eſron autem génuit Aram: Aram autem génuit Amínadab: Amínadab autem génuit Naaſſon: Naaſſon autĕm génuit Salmon: Salmon autem génuit Booz de Rahăb. Booz autem génuit Obed ex Ruth: Obed autĕm génuit Jeſſe: Jeſſe autem génuit David rĕgem. David autem rex génŭĭt Salomónem ex ea quæ fuit Urĭæ. Sálomon autem génuit Róboam: Róboam autem génuĭt Abíam: Abías autem génuit Aſa: Aſa autem génŭĭt Jóſaphat: Jóſaphat autem génuit Jorăm. Joram autem génuit Ozíam: Ozías autem génuit Jóathan: Jóathan autĕm génuit Achaz: Achaz autem génuit Ezechĭam. Ezechías autem génuit Manaſſen: Manaſſes autĕm génuit Amon: Amon autem génuit Josĭam. Josías autem génuit Jechóniam ĕt fratres ejus, in tranſmigratióne Babylŏnis. Et poſt tranſmigratiónem Babylónis, Jechónias génuit Săláthiel: Saláthiel autem génuit Zoróbabĕl. Zoróbabel autem génuit Abíud: Abíud autem génuit Elíacim: Elíacim autem génuit Azor: Azor autĕm génuit Sadoc: Sadoc autem génuit Achĭm. Achim autem génuit Elíud, Elíud autem génuit Eleázar: Eleázar autĕm génuit Mathan: Mathan autem génuit Jacŏb. Jacob autem génuit Jŏſeph virum Maríæ, de qua natus eſt Jĕsŭs, qui vocátur Chriſtus.

Dicitur Credo.

Offertorium. Benedícam tibi, complens juramentum, quod ſpopondi Abraham patri tuo: & benedicentur in ſémine tuo omnes gentes terræ. Gen. 26.

Secreta.

Sacrifícium hodiernæ ſolemnitátis verus ille juſtítiæ ſol illuſtret, Dómine, qui oritúrus ex alto, Matrem ſuam hódie, quaſi auróram conſurgentem, præmíſit; & venientem in mundum puríſſimâ luce illumináv it Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; [Qui tecum vivit & regnat.] M. P.

Fit Commem. Oct. ſub eadem concluſione.

Præfatio de B. M. Virgine. Et in Nativitáte.

Communio. Dóminus dabit benignitátem; & terra noſtra dabit fructum ſuum. Pſal. 84.

Postcommunio. Orémus.

Exultantes in ortu Vírginis matris, & naſcitúrum ex ea Salvatórem expectantes, glóriam tibi, Deus, adorandi oblatióne ſacrifícii reddídimus: præſta, ut ejuſdem ſacrifícii participatióne bonam voluntátem, ac promiſſam bonæ voluntátis homínibus pacem habére mereámur; [Per eumdem Dóminum noſtrum.] M. P.

Fit Commem. Oct. ſub eadem concluſione.

DIE IX.
OCTAVA
Rub. SANCTORUM MARTYRUM
ANTONINI,
Et Sociorum
JOANNIS & ALMACHII.
DUPLEX-MAJUS.

Missa ut in die Festi, exceptis Orationibus.

COLLECTA. Orémus.

M. P. PRótegat nos, Dómine, sæpiùs beatórum Mártyrum tuórum Antoníni & Sociórum ejus repetíta solémnitas; ut quorum patrocínia sine intermissióne recólimus, perpétuam defensiónem sentiámus; Per Dóminum.

De NATIVITATE B. M. V.

M. P. DEus, qui secundùm propósitum voluntátis tuæ, mundum tibi reconciliáre voluísti: præsta, quæsumus, ut qui Nativitátem Vírginis Maríæ, de qua natus est nobis Christus Salvátor, cum gáudio celebrámus; ipsam quam Fílius operátus est salútem, Matris intercessióne consequámur.

De S. GORGONIO, Martyre.

M. P. ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui beáti Mártyris tui Gorgónii natalítiis gloriámur, nec minis injustè persequéntium, nec ullis perturbémur adversis; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. BEnedíctio tua, Dómine, super hæc múnera nostra descendat, quæ majestátis tuæ pro triumpho sanctórum Mártyrum tuórum Antoníni, Joannis & Almáchii offérimus; humíliter deprecantes ut quorum fidem tenémus, páriter justítiam imitémur; Per Dóminum.

De NATIVITATE B. M. V.

M. P. SAcrifícium hodiernæ solemnitátis verus ille justítiæ sol illustret, Dómine, qui oritúrus ex alto, Matrem suam hódie, quasi auróram consurgentem, præmísit; & venientem in mundum purísimâ luce illumináv it Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster.

De S. GORGONIO.

REspice, Dómine, propítius super hæc múnera, quæ in beáti Mártyris tui Gorgónii festivitáte pro nostris offensiónibus immolámus; Per Dóminum.

PRÆFATIO de S. ANTONINO.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, cui nec præteritórum momenta defíciunt, nec ulla est expectátio futurórum; tríbue permanentem peractæ quam recólimus sanctórum Antoníni & Sociórum ejus solemnitátis effectum; ut quod recordatióne percúrrimus, semper in ópere teneámus; Per Dóminum.

De NATIVITATE B. M. V.

M. P. EXultantes in ortu Vírginis matris, & nascitúrum ex ea Salvatórem expectantes, glóriam tibi, Deus, adorandi oblatióne sacrifícii reddídimus: præsta, ut ejusdem sacrifícii participatióne bonam voluntátem, ac promíssam bonæ voluntátis homínibus pacem habére mereámur.

De S. GORGONIO.

TUa sancta sumentes, quæsumus, Dómine, ut beáti Gorgónii Mártyris nos fóveant continuáta præsídia; quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári; Per Dóminum.

Intra Octavam
NATIVITATIS B. MARIÆ.

Alb. *Missa ut in die Festi (præter Epistolam & Evangelium) cum Commemoratione Festorum occurrentium.*

Léctio libri Parâlipómenon.

Lib. 1. Cap. 17. IN diébus illis; Factus est sermo Dei ad Nathân, dicens: Sic loquéris ad servum mêum David: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Ego tuli te, cùm in páscuis sequéreris gregem, ut esses dux pópuli mei Israel. Et fui tecum quocumque perrexísti; & interféci omnes inimícos tuos coram te; fecíque tibi nomen, quasi uníus magnórum, qui celebrântur in terra. Et dedi locum pópulo meo Israel: plantábitur, & habitábit in eo, & ultrà nón commovébitur: nec fílii iniquitátis átterent eos, sicut à princípio, ex diébus quibus dedi júdices pópulo meo Israel; & humiliávi universos inimîcos tuos. Annúntio ergo tibi, quòd ædificatúrus sit tibi Dôminus domum. Cùmque impléveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos; suscitábo semen tuum post te, quod erit de fíliis tuis, & stabíliam rêgnum ejus. Ipse ædificábit mihi domum & firmábo sólium ejus usque în æternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in fílium; & misericórdiam meam non áuferam ab eo, sicut ábstuli ab eo, qui ânte te fuit. Et státuam eum in domo mea, & in regno meo usque in sempiternum: & thronus ejus erit firmíssimus în perpétuum. Juxta ómnia verba hæc, & juxta universam visióne̊m ístam, sic locútus est Nathan ad David.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 1. IN illo témpore; Ait Angelus Maríæ: Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur; & dabit illi Dóminus Deus sedem Dávid patris ejus: & regnábit in domo Jacob in æternum; & regni ejus non erit finis.

Dicitur Credo.

Dominica intra Octavam, dicitur Missa de Dominica cum Commemoratione Octavæ.

Die x.
DE OCTAVA.
Pro Commemoratione
SANCTI NICOLAI
Tolentinatis.

Collecta. Orémus.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut quam fidélis servus tuus Nicoláus accépit à justo Júdice corónam, eamdem & nos, ejus intercessióne, post consummátum ritè cursum, recípere mereámur; Per Dóminum.

Secreta.

SUscipe, quæsumus, Dómine, devotiónis nostræ múnera; & interveniente beáto Nicoláo, Presbytero, ómnia à nobis mala propitiátus averte; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

BEáti Nicolái Presbyteri, Dómine, suffrágiis exorátus, perceptâ nos sacramenti tui virtúte defende; Per Dóminum.

Die xi.
DE OCTAVA.
Pro Commemoratione
SS. PROTI et HYACINTHI,
Martyrum.

Collecta, Deus, invisíbilis. *de Communi plurium Martyrum, pag.* ix.

Die xii.
DE OCTAVA.
Pro Commemoratione
SANCTI MAXIMINI,
Epíscopi.

Collecta. Orémus.

DIrige oves tuas, Dómine, in viam salútis æternæ, quam beáti Pontíficis Maximíni vita cum doctrína monstrávit; & fac nos eódem intercedente, sic ejus súbsequi vestígia, ut cum ipso coronári mereámur; Per Dóminum.

Secreta.

PLebis tuæ, Dómine, quæsumus, ad te corda converte, his sacrifíciis exorátus, & quam beáti Maximíni Pontíficis tui facis patrocíniis adjuvári, perpétuis non désinas gubernáre præsídiis; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

SUbvéniant nobis apud te, Dómine, mérita beáti Maximíni Pontíficis tui, quæ & in vera doctrína nos confirment, & suscepti sacraménti salutárem effectum nobis obtíneant; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Die xiii.
DE OCTAVA.
Pro Commemoratione
SANCTI EUSEBII,
Vercellensis Epíscopi.

Collecta. Orémus.

FAc nos, Dómine Deus, imitári Sacerdotálem Constántiam beáti Eusébii Confessóris tui atque Pontíficis; ut fidem servantes quam dócuit, ejusdem corónæ consortes efficiámur; Per Dóminum.

Secreta.

ACceptábilem tibi, Dómine, reddat oblatiónem nostram intercéssio beáti Eusébii Pontíficis, qui in propugnanda Fílii tui divinitate persecutiónem passus, tandem de hóstibus suis glorióse triumphávit; Per eumdem.

Postcommunio. Orémus.

SUmpta sacraménta, quæsumus, Dómine, íntegram in córdibus nostris conservent consubstantiális Verbi tui fidem, quam beátus Eusébius sánguine suo confirmáre ardenter concupívit; Per eumdem.

Die xiv.
In Festo
EXALTATIONIS S. CRUCIS. Rub.
Solemne-Minus.

Introitus.

CHristus delens quod adversùs nos erat chirógraphum decréti, ipsum tulit de médio, affígens illud cruci; & expólians principátus & potestátes, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. Col. 2.

Psalm. Dóminus regnávit, exultet terra: * lætentur ínsulæ multæ. Glória Patri. Christus. Psal. 96.

Collecta. Orémus.

DEus, qui nos hodiernâ die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnuâ solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis præmia in cœlo mereámur; Per eumdem. S. R.

De Nativitate B. Mariæ Virginis. Deus, qui. *suprà pag.* 540.

Léctio libri Numerórum.

Cap. 21. IN diébus illis ; Locútus pópulus contra Deum & Môyſen , ait : Cur eduxiſti nos de Ægypto , ut morerémur in ſolitúdine ? Deeſt panis , non ſunt aquæ : ánima noſtra jam náuſeat ſuper cibo îſto leviſſimo. Quámobrem miſit Dóminus in pópulum ignítos ſerpentes ; ad quorum plagas , & mortes plurimórum , venérunt ad Móyſen , âtque dixérunt : Peccávimus , quia locúti ſumus contra Dóminum , & te : ora ut tollat à nôbis ſerpentes. Oravitque Móyſes pro pópulo , & locútus eſt Dôminus ad eum : Fac ſerpentem æneum , & pone eum pro ſigno : qui percuſſus aſpéxerit êum, vivet. Fecit ergo Móyſes ſerpentem æneum , & pósuit eum pro ſigno ; quem cùm percuſſi áſpicerent , ſanabantur.

Joan. 3. *Graduale.* Sicut Móyſes exaltávit ſerpentem in deſerto , ita exaltári oportet Fílium hóminis. ℣. Ut omnis qui credit in ipſum , non péreat , ſed hábeat vitam æternam.

Sap. 14. Allelúia , allelúia. ℣. Benedictum eſt lignum , per quod fit juſtítia. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 12. IN illo témpore ; Dixit Jeſus turbis Judæórum : Nunc judícium eſt mundi : nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras : & ego ſi exaltátus fúero à terra , ómnia traham ad meipſum. Hoc autem dicébat , ſignificans qua morte eſſet moritúrus. Reſpondit ei túrba : Nos audívimus ex lege , quia Chriſtus manet in æternum ; & quómodò tu dicis , Oportet exaltári Fílium hóminis ? quis eſt iſte Fílius hóminis ? Dixit ergo eis Jesus : Adhuc módicum lumen in vobis eſt : ambuláte dum lucem habétis , ut non vos ténebræ comprehéndant. Et qui ámbulat in ténebris neſcit quò vádat. Dum lucem habétis , crédite in lucem , ut fílii lucis ſitis.

Dicitur Credo.

Offertorium. Eum , qui non nóverat peccátum , pro nobis peccátum fecit Deus , ut nos efficerémur juſtítia Dei in ipſo. II. Cor. 5.

Secreta.

SAcrifícium , Dómine , quod tibi in memóriam paſſiónis Fílii tui immolámus , placátus intende ; & per virtútem Crucis ejus nos , ad conterendas adverſárum poteſtátum insídias , in tuæ protectiónis ſecuritáte conſtítue ; Per eumdem. M. P.

De Nativitate B. M. V. Sacrifícium , *ſuprà p.* 541.

Præfatio de Cruce.

Communio. Qui étiam próprio Fílio ſuo non pepercit , ſed pro nobis ómnibus trádidit illum ; quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit ? Rom. 8.

Postcommunio. Orémus.

TRahat nos & ómnia deſidéria noſtra ad ſeipſum , Dómine , exaltátus à terra Unigénitus tuus ; &, per ineffábile , cujus partícipes facti ſumus , Crucis & Altáris ſacrifícium , dóceat nos cum ipſo humiliári , ut in ipſo exaltémur Dómino noſtro Jeſu Chriſto Fílio tuo ; Qui tecum. M. P.

De Nativitate B. M. V. Exultantes , *ſuprà , p.* 541.

℣ *Jejunia Quatuor-Temporum celebrantur Feria IV , VI. & Sabbato poſt Feſtum Exaltationis S. Crucis.*

FERIA QUARTA Viol.

Quatuor - Temporum Septembris.

[*Si hodie , vel Feria VI. aut Sabbato , occurrat Feſtum Semiduplex , aut ſuprà ; Miſſa dicitur de Feſto , cum*

Commemoratione de Feria, cujus legitur Evangelium in fine: & tertia Oratio est pro Ordinandis.]

Introitus.

Psal. 103. OMnia à te expectant, Dómine, ut des illis escam in témpore: dante te illis, cólligent; aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte: avertente autem te fáciem, turbabuntur.

Ibid. *Psalm.* Bénedic ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer. Glória. Omnia.

Kyrie, eléison.

Non dicitur Dóminus vobiscum. *Sed statim dicitur* Orémus. Flectámus, &c. *ritu notato suprà, p.* 8. *quod servatur quoties dicendum est.*

Collecta. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

S. R. MIsericórdiæ tuæ remédiis quæsumus, Dómine, nostram ádjuva fragilitátem; ut quæ suâ conditióne attéritur, tuâ cleméntiâ reparétur; Per Dóminum.

Lectio sequens cantatur in tono Lectionum à Lectore Albâ induto.

Léctio Amos Prophétæ.

Cap. 9. ECce dies véniunt, dicit Dóminus; & comprehendet arátor messórem, & calcátor uvæ mittentem semen: & stillábunt montes dulcédinem, & omnes colles culti erunt. Et convertam captivitátem pópuli mei Israel, & ædificábunt civitátes desertas, & inhabitábunt: & plantábunt víneas, & bibent vinum eárum: & fácient hortos, & cómedent fructus eórum. Et plantábo eos super humum suam: & non evellam eos ultra de terra sua quam dedi eis, dicit Dóminus Deus tŭus.

Jer. 5. *Graduale.* Metuámus Dóminum Deum nostrum, qui dat nobis plúviam temporáneam & serótinam in témpore suo, plenitúdinem ánnuæ messis custodientem nobis. ℣. Observa, ne postquam habúeris cunctárum rerum cópiam, elevétur cor tuum, & non reminiscáris Dómini Dei tui. Deut. 8.

Dóminus vobiscum.

Collecta. Orémus.

Sine Flectámus génua.

S. R. DEus, qui nos collectis terræ frúctibus, per abstinéntiam tibi grátias referre voluisti; ut hæc ad necessitátem, non ad delícias nos percepisse discámus: da nobis, ut quod carni subtráhimus, egéntium proficiat alimento; & inter usum temporálium, inhæreant corda nostra desidériis æternórum; Per Dóminum.

Secunda Oratio, A cunctis, *p.* cxl. *Tertia pro Ordinandis*, Eccléstæ tuæ, *p.* cxliv. *& sic Feriâ VI. & Sabbato sequenti.*

Léctio libri Esdræ.

II. Esdr. Cap. 8. IN diébus illis; Congregátus est omnis pópulus, quasi vir unus, ad pláteam, quæ est antĕ portam aquárum, & dixérunt Esdræ Scribæ ut afferret librum legis Móysi, quam præcéperat Dóminus Israéli. Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitúdine virórum & mulíerum, cunctisque qui pótĕrănt intellígere, in die prima mênsis séptimi. Et legit in eo apertè in plátea quæ erat ante portam aquárum, de manè usque ad médiam diem, in conspectu virórum & mulíerum ĕt sapiéntium; & aures omnis pópuli erant erêctæ ad librum. Stetit autem Esdras Scriba super gradum lígneum, quem fécĕrăt ad loquendum: & stetérunt juxta eum; Matháthias, & Seméia, & Ania, & Uria, & Hélcia, & Maásia, ad déxteram ejus; & ad siniſtram, Phadáia, Mísael, & Mélchia, & Hasum, & Hasbádana, Zacharía, êt Mosollam.

Et

Et apéruit Esdras librum coram omni pópulo ; super universum quippe pópŭlŭm eminébat : & cùm aperuisset eum, stetit ômnis pópulus. Et benedixit Esdras Dómino Deo magno : & respondĭt omnis pópulus : Amen, amen : elevans mânus suas. Et incŭrváti sunt, & adoravérunt Deum prôni in terram. Porrò Jósue, & Bani, & Serébia, Jamin, Accub, Septhái, Odía, Maásia, Célita, Azárias, Józabed, Hanan, Phaláia, Levítæ, siléntium faciébant in pópulo ad audĭendam legem : pópulus autem stabat in grâdu suo. Et legérunt in libro legis Dei distinctè & apertè ad ĭntelligendum : & intellexérunt cùm lêgerétur. Dixit autem Nehemías (ipse est Athérsatha) & Esdras Săcerdos & Scriba, & Levítæ interpretantes univêrso pópulo : Dies sanctificátus est Dómĭnŏ Deo nostro ; nolíte lugére, & nôlíte flere. Flebat enĭm omnis pópulus, cùm audíret vêrba legis. Et dîxit eis : Ite, comédite pínguia, & bíbite mulsum, & & míttite partes his qui non præparăvérunt sibi ; quia sanctus dies Dómini est : & nolíte contristári ; gáudium étĕnĭm Dŏmini est fortitúdo nostra.

Baru. 1. *GRADUALE.* Peccávimus ante Dóminum Deum nostrum, & non audívimus vocem Dómini Dei nostri, ut

Baru. 2. ambularémus in mandátis ejus. ℣. Et nunc, Dómine, avertátur ira tua à nobis : exaudi preces nostras, ut sciat omnis terra quia tu es Dóminus Deus noster.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 9. IN illo témpore ; Respondens Jesu unus de turba, dĭxit : Magíster, áttuli fílium meum ad te, habentem spíritum mutum, qui ubicumque eum apprehénderit, allídit illum ; & spumat, & stridet déntĭbŭs, & arescit : & dixi discípulis tuis ut ejícerent illum, & non potuĕrunt. Qui rĕspondens eis, dĭxit : O generátio incrédula, quámdiu apud vos ero ? quámdiu vos pátiar ? afférte illum ad mĕ. Et attulérunt ĕum. Et cùm vidísset eum, statim spíritus contŭrbávit illum ; & elísus in terram volutabátur spŭmans. Et interrogávit patrem ĕjus : Quantum témporis est, ex quo ei hoc áccidit ? At ille ăit : Ab infántia ; & frequenter eum in ignem & in aquas misit, ŭt eum pérderet : sed si quid potes, ádjuva nos, misertus nŏstri. Jesus autem ait ĭlli : Si potes crédere, ómnia possibília sunt credĕnti. Et contínuò exclámăns pater púeri, cum lácrymis aiĕbat : Credo, Dómine ; ádjuva incredulitátem mĕam. Et cùm vidéret Jesus concŭrrentem turbam, comminátus est spirítui immundo, dicens ĭlli : Surde & mute spíritus, ego præcípio tibi ; Exi ab eo, & ámpliùs ne intróeas in ĕum. Et exclámans & multùm discerpens eŭm, éxiit ab eo ; & factus est sicut mórtuus, ita ut multi dícerent, quia mórtuus ĕst. Jesus autem tenĕns manum ejus, elevávit eum, & surrĕxit. Et cùm intrŏisset in domum, discípuli ejus secrétò interrogábant ĕum : Quare nos non potúimus ejícere eum ? Et dixit ĭllis : Hoc genus in nullo potest exíre, nisi in oratĭŏne & jejúnio.

OFFERTORIUM. Honóra Dómi- Prov. 3. num de tua substántia, & de primítiis frugum tuárum : & implebuntur hórrea tua saturitáte, & vino torculária tua redundábunt,

SECRETA.

TIbi, Dómine, ómnium Creatóri jejúnia sancta cum munéribus deférimus, beneficéntiam tuam S. R. de prætéritis frúctibus glorificantes,

& de futúris supplíciter exorantes ; ut dum de perceptis non invenímur ingráti, de percipiendis non judicémur indigni ; Per Dóminum.

Secunda , Oblatiónem nostram , *p.* cxl. *Tertia pro Ordinandis* , Deus, qui minístrántibus , *p.* cxliv.

Psal. 103. *COMMUNIO.* De fructu óperum tuórum , Dómine , satiábitur terra , ut edúcas panem de terra , & vinum lætíficet cor hóminis : ut exhílaret fáciem in óleo , & panis cor hóminis confirmet.

S. R. *POSTCOMMUNIO.* Orémus.

SUmptis, Dómine, in hac jejunió-rum solemnitáte cœléstibus sacramentis ; quæsumus , ut eórum operante virtúte , cum subsídiis corporálibus quæ tuâ nobis largitáte donásti, profectum quoque capiámus animárum ; Per Dóminum.

Secunda , Mundet & múniat , *p.* cxlj. *Tertia pro Ordinandis* , Bone Pastor , *p.* cxliv.

Viol. # FERIA SEXTA

Quatuor - Temporum Septembris.

INTROITUS.

Psal. 37. INiquitátes meæ supergressæ sunt caput meum ; & sicut onus grave gravátæ sunt super me. Dómine, ante te omne desidérium meum , & gémitus meus à te non est abscón-

Ibid. ditus. *PSALM.* Dómine , ne in furóre tuo árguas me : * neque in ira tua corrípias me. Glória. Iniquitátes.

COLLECTA. Orémus.

M. P. ADesto , quæsumus , omnípotens Deus ; & in jejúnio corporáli , mentem nostram opéribus tuórum réfice mandatórum ; Per Dóminum.

Secunda Oratio , A cunctis. *Tertia pro Ordinadis , ut notantur , suprà , Feriâ IV.*

Léctio Oséê Prophétæ.

Cap. 14. HÆc dicit Dôminus Deus : Convértere , Israel , ad Dóminum Deum tuum : quóniam corruisti in iniquitâte tua. Tóllite vobiscum verba , & convértimini ad Dóminum ; & dîcite ei : Omnem aufer iniquitátem , áccipe bonum ; & reddémus vítulos labiórum nostrórum : Assur non salvábit nos ; super equum non ascendémus , nec dicémus ultrà : Dii nostri ópera mánuum nostrárum ; quia ejus , qui in te est , miserêberis pupilli. Sanábo contritiónes eórum , díligam eos spontáneè ; quia aversus est furor mêus ab eis. Ero quasi ros, Israel germinábit sicut lílium , & erumpet radix êjus , ut Líbani. Ibunt rami ejus , erit quasi olívæ glória ejus , & odor êjus ut Líbani. Convertentur sedentes in umbra ejus ; vivent trítico , & germinábunt quasi vínea : memoriále ejus sicut vînum Líbani. Ephraim quid mihi ultrà idóla ? Ego exáudiam , & dírigam eum ego ut ábietem virentem : ex me fructus tuus invêntus est. Quis sápiens , & intélliget ista ? Intélligens , & sciet hæc ? Quia rectæ viæ Dómini , & justi ambúlabunt in eis : prævaricatóres vêrò córruent in eis.

Psal. 24. *GRADUALE.* Custódi , Dómine , ánimam meam , & érue me : non erubescam , quóniam sperávi in te. ℣. Réspice in me , & miserére meî , quia únicus & pauper sum ego.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 7. IN illo témpore ; Rogábat Jesum quidam dè Pharisæis , ut manducáret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi , discúbuit. Et ecce múlier quæ erat in civitáte peccátrix , ut cognóvit quòd accubuisset in domo Pharisæi, áttulit alábastrum unguenti : & stans retrò secus pedes ejus , lácry-

mis cœpit rigáre pedes ejus, & cápillis cápitis ſui tergébat, & oſculabátur pedes ejus, & unguento ungĕbat. Videns autem Phariſæus, qui vocáverat eum, aĭt intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet Prophéta, ſciret útique quæ & qualis eſt múlier quæ tangit eum; quia peccátrix ĕſt. Et rĕſpondens Jeſus, dixit ad ĭllum: Simon, hábeo tibi áliquid dĭcere. At ille ăit: Magiſter, dĭc. Duo debitóres erant cuídam fæneratóri: unus debébat denários quingentos, & álius quinquagĭnta. Non habéntibus illis unde rédderent, dŏnávit utriſque: quis ergo eum plus díligit? Rĕſpondens Simon, dĭxit: Æſtimo quia is cui plus donăvit. At ille dixit ĕi: Rectè judicăſti. Et conversŭs ad mulíerem, dixit Simŏni: Vides hanc mulíerem? Intrávi in domum tuam: aquam pédibus meĭs non dediſti; hæc autem lácrymis rigávit pedes meos, & cápillis ſuis tĕrſit. Oſculum mihĭ non dediſti: hæc autem, ex quo intrávit, non ceſſávit oſculári pedes mĕos. Oleo caput meŭm non unxiſti; hæc autem unguento unxit pedes mĕos. Propter quŏd dico tibi; Remittuntur ei peccáta multa, quóniam dilexit mŭltum. Cui autĕm minus dimíttitur, minus dĭligit. Dixit autem ad ĭllam: Remittuntur tibi peccăta. Et cœpérunt qui ſimul accumbébant dícĕrĕ intra ſe: Quis eſt hic: qui étiam peccáta dimittit? Dixit autem ad mulĭerem: Fides tuă te ſalvam fecit; vade in păce. Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciébat per civitátes & caſtella, prædicans & evangelízans regnum Dei; & Duódecim cum illo, & mulíeres áliquæ quæ erant curátæ à ſpirítibus malignis & ĭnfirmitátibus: María quæ vocátur Magdaléne, de qua ſeptem dæmónia exíerant, & Joanna uxor Chuſæ procuratóris Heródis, & Suſanna, & áliæ multæ, quæ miniſtrábănt ĕi de facultátibus ſuis.

Cap. 8.

Offertorium. Póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum, deprecári in jejúniis, ſacco & cínere; & dixi: Dómine Deus, magne & terríbilis, peccávimus, iniquitátem fécimus: inclína, Deus meus, aurem tuam, & audi: áperi óculos tuos, & vide deſolatiónem noſtram. Dan. 9.

Secreta.

HAnc oblatiónem, Dómine, quam tibi pro peccátis noſtris offérimus, propítius réſpice: & præſta ut qui, te contemnendo, culpam incúrrimus; te ſuper ómnia diligendo, véniam conſequámur; Per Dóminum noſtrum. M. P.

Communio. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; quia Dóminus benefécit tibi: quia erípuit ánimam meam de morte, óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu. Pſal. 114.

Postcommunio. Orémus.

NOn habéntibus, Dómine, unde reddámus tibi, dimitte nobis omne débitum noſtrum, & aſſidentes ſacræ menſæ tuæ fac te plus dilígere, quibus plura donaſti; Per Dóminum noſtrum. M. P.

SABBATO. *Viol.*

Quatuor - Temporum Septembris.

[*In Cathedrali & Collegiatis duæ Miſſæ, prima de Beata Maria in Sabbato aut Feſto occurrente poſt Tertiam ſine Commemoratione; ſecunda de Sabbato poſt Sextam, ſine Commemoratione Feſti. In utraque dicitur Oratio pro Ordinandis & Evangelium S. Joannis in fine.*]

¶ *In Miſſis privatis, ſecunda Oratio de Feriâ, tertia pro Ordinandis.*

Introitus.

Psal. 94. VEníte, adorémus, & procidámus: & plorémus ante Dóminum qui fecit nos: quia ipse est Dóminus Deus noster. Ibid. *Psalm.* Veníte, exultémus Dómino: * jubilémus Deo salutári nostro. Glória. Veníte.

Kyrie, eléison.

Non dicitur Dóminus vobíscum: *& sic ante Orationes sequentes.*

Collecta. Orémus.

Flectámus génua. Leváte, *ut suprà, pag.* 8.

S. R. OMnípotens sempiterne Deus, qui per continéntiam salutárem corpóribus medéris & méntibus: majestátem tuam supplíciter exorámus: ut piâ jejunántium deprecatióne placátus, & præséntia nobis subsídia tríbuas, & futúra; Per Dóminum.

Quinque Lectiones sequentes cantantur in tono Lectionum à Lectoribus Albâ indutis.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.

Cap. 33. ECce dies véniunt, dicit Dóminus: & suscitábo verbum bonum, quod locútus sum ad domum Israel, & ad domum Judă. In diébus illis, & in témpore illo germináre fáciam David germen Justítiæ: & fáciet judícium & justítiam in terra. In diébus illis salvábitur Juda, & Jerúsalem habitábit confidenter: & hoc est nomen, quod vocábunt eum, Dóminus justus noster. Quia hæc dicit Dóminus: Non interíbit de David vir, qui sédeat super thronum domus Israël. Et de Sacerdótibus & de Levítis non interíbit vir à fácie mea, qui ófferat holocautómata, & incendat sacrifícium, & cædat víctimas ómnibus diébus. Et factum est verbum Dómini ad Jeremíam, dicens: Hæc dicit Dóminus: Si írritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in témpore suo: & pactum meum írritum esse póterit cum David servo meo, ut non sit ex eo fílius qui regnet in throno ejus, & Levítæ & Sacerdótes ministri mei. Sicut enumerári non possunt stellæ cœli, & metíri aréna maris; sic multiplicábo semen David servi mei, & Levítas ministros mĕos.

Graduale. Benedícite Dóminum omnes servi Dómini; qui státis in domo Dómini, in átriis domûs Dei nostri. ℣. Extóllite manus vestras in sancta, & benedícite Dóminum. Psal. 133.

Collecta. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

TUére, quæsumus, Dómine, famíliam tuam: ut salútis æternæ remédia, quæ, te inspirante, requírimus, te largiente, consequámur; Per Dóminum. M. P.

Léctio libri Levítici.

Cap. 23. IN diébus illis; Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Décimo die mensis hujus séptimi, dies expiatiónum erit celebérrimus, & vocábitur sanctus: affligetisque ánimas vestras in eo, & offerétis holocaustum Dómino. Omne opus servíle non faciétis in témpore diéi hujus: quia dies propitiatiónis est, ut propitiétur vobis Dóminus Deus vester. Omnis ánima quæ afflicta non fúerit die hac, períbit de pópulis suis: & quæ óperis quídpiam fécerit, delébo eam de pópulo suo. Nihil ergo óperis faciétis in eo: legítimum sempiternum erit vobis in cunctis generatiónibus & habitatiónibus vestris. Sábbatum requietiónis est, & affligétis ánimas vestras die nono mensis. A véspera usque ad vésperam celebrábitis sábbata vĕstra.

Judit. 8. *GRADUALE.* Quia pátiens Dóminus est, pœniteámus, & indulgéntiam ejus fusis lácrymis postulémus. ℣. Humiliémus illi ánimas nostras; & dicámus flentes Dómino, ut fáciat nobiscum misericórdiam suam.

COLLECTA. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

S. R. DEus, in cujus conspectu nullus hóminum per se ínnocens est; delicta pópuli tui, quæsumus, propitiátus averte: ut quos própriæ conscientiæ reátus accúsat, bonitátis tuæ patiéntia fáciat véniam promeréri; Per Dóminum.

Léctio libri Levítici.

Cap. 23. IN diébus illis; Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere fíliis Israel: A quinto-décimo die mensis séptimi, quando congregavéritis omnes fructus terræ vestræ, celebrábitis férias Dómini septem diébus. Die primo, & die octávo erit sábbatum, id est réquies. Sumetisque vobis die primo fructus árboris pulchérrimæ, spatulasque palmárum, & ramos ligni densárum fróndium, & sálices de torrente; & lætabímini coram Dómino Deo vestro. Celebrabitisque solemnitátem ejus septem diébus per annum. Legítimum sempiternum erit in generatiónibus vestris. Mense séptimo festa celebrábitis, & habitábitis in umbráculis septem diébus. Omnis qui de génere est Israel, manébit in tabernáculis: ut discant pósteri vestri, quòd in tabernáculis habitáre fécerim fílios Israel, cùm edúcerem eos de terra Ægypti. Ego Dóminus Deus vĕster.

Psal. 38. *GRADUALE.* Advena ego sum apud te, Dómine, & peregrínus, Psal. 118. sicut omnes patres mei. ℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ in loco peregrinatiónis meæ.

COLLECTA. Orémus.

Flectámus génua. Leváte.

S. R. OMnípotens & miséricors Deus, ad cujus beatitúdinem sempiternam non fragilitáte carnis, sed alacritáte mentis ascénditur; fac nos in hac peregrinatióne átria supernæ civitátis, & te inspirante semper ambíre, & tuâ indulgéntiâ felíciter introíre; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Léctio Zacharíæ Prophétæ.

Cap. 8. HÆc dicit Dóminus exercítuum: Sicut cogitávi, ut afflígerem vos, cùm ad iracúndiam provocassent patres vestri me, dicit Dóminus, & non sum misertus: sic conversus cogitávi in diébus istis ut benefáciam dómui Juda, & Jerúsalem: nolíte timére. Hæc sunt ergo verba quæ faciétis: Loquímini veritátem unusquisque cum próximo suo; veritátem, & judícium pacis judicáte in portis vestris. Et unusquisque malum contra amícum suum ne cogitétis in córdibus vestris; & juramentum mendax ne diligátis: ómnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dóminus. Et factum est verbum Dómini exercítuum ad me, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Jejúnium quarti, & jejúnium séptimi, & jejúnium décimi erit dómui Juda in gáudium & lætítiam, & in solemnitátes præcláras: veritátem tantùm & pacem dilĭgite.

Mich. 7. *GRADUALE.* Revertétur Dóminus, & miserébitur nostrî: depónet iniquitátes nostras; & projíciet in profundum maris ómnia peccáta nostra. ℣. Dabis, Dómine, veritátem Jacob, misericórdiam Abraham, quæ jurásti pátribus nostris à diébus antíquis.

Collecta. Orémus.
Flectámus génua. Leváte.

S. R. DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, ut jejunando, tuâ grátiâ satiémur; & abstinendo, cunctis efficiámur hóstibus fortióres; Per.

Léctio Daniélis Prophétæ.

Cap. 3. IN diébus illis; Angelus Dómini descendit cum Azária & sóciis ejus in fornácem: & excussit flammam ignis de fornáce, & fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem: & non tétigit eos omninò ignis, neque contristávit, nec quidquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant, & glorificábant, & benedicébant Deum in fornáce, dicéntes:

Dan. 3. *Canticum.* Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum; *Chorus.* Et laudábilis & gloriósus & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum. *Chorus.* Et laudábile & superexaltátum in ómnibus séculis. ℣. Benedictus es in templo sancto glóriæ tuæ; *Chorus.* Et superlaudábilis & supergloriósus in sécula. ℣. Benedictus es in throno regni tui; *Ch.* Et superlaudábilis & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictus es qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim; *Chor.* Et laudábilis & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictus es in firmamento cœli; *Chor.* Et laudábilis & gloriósus in sécula. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto; *Chor.* Benedictus es, Dómine Deus patrum nostrórum. ℣. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. *Ch.* Laudábilis & gloriósus, & superexaltátus in sécula. ℣. Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum; *Chor.* Et laudábilis & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

Dóminus vobiscum.
Collecta. Orémus.
Sine Flectámus génua.

S. R. DEus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium; concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Secunda, A cunctis. *Tertia pro Ordinandis, ut notantur suprà Feriâ IV.*

In Missa Ordinationis Orationes in Pontificali, vel infrà, p. cxliv.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 9. FRatres; Tabernáculum factum est primum, in quo erant candelábra, & mensa, & propŏsítio panum, quæ dîcitur Sancta. Post velamentum autem secundum, tabernáculum quod dícitur Sancta sanctórum, áureum habens thuríbulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna áurea habens manna & virga Aaron, quæ frondúerat, & tábulæ testamenti; superque eam erant Chérubim glóriæ obumbrántia propĭtiatórium: de quibus non est modò dicêndum per síngula. His verò ita compósitis; in priori quidem tabernáculo semper introíbant sacerdótes sacrificiórum offícia consummantes: in secundo autem, semel in anno solus Póntifex, non sine sánguine quem offert pro sua, & pópuli ignorántia: hoc significante Spíritu sancto, nondum propalátam esse sanctórum viam, adhuc prióre tabernáculo hăbente statum: quæ parábola est témporis instantis, juxta quam múnera & hóstiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscién̄tiam perfectum fácere servientem, solúmmodò in cibis &

in pótibus, & váriis baptiſmátibus, & juſtítiis carnis uſque ad tempus correctiônis impóſitis. Chriſtus autem aſſiſtens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum non manufactum, id eſt, non hujus creátiónis; neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, ſed per próprium sánguinem, introívit ſemel in Sancta, æterna redemptióne inventa.

Pſal. 135. *TRACTUS.* Confitémini Dómino, quóniam bonus, quóniam in æternum miſericórdia ejus. Quia in humilitáte noſtra memor fuit noſtrî, quóniam in æternum miſericórdia ejus. Et redémit nos ab inimícis noſtris, quóniam in æternum miſericórdia ejus.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 13. IN illo témpore; Dicébat Jeſus hanc ſimilitúdinem: Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invénit. Dixit autem ad cultórem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo vénio quærens fructum in ficúlnea hac, et non invénio: ſuccíde ergo illam; ut quid étiam terram óccupat? At ille reſpondens, dicit illi: Dómine, dimitte illam & hoc anno, uſque dum fódiam circa illam, et mittam ſtércora: & ſi quidem fécerit fructum; ſin autem, in futúrum ſuccídes eam. Erat autem docens in ſynagóga eórum sábbatis. Et ecce múlier quæ habébat ſpíritum infirmitátis annis decem & octo: & erat inclináta, nec omnínò póterat ſursùm reſpícere. Quam cùm vidéret Jeſus, vocávit eam ad ſe, & ait illi: Múlier, dimiſſa es ab infirmitáte tua. Et impósuit illi manus, & confeſtìm érecta eſt, & glorificábat Deum. Reſpondens autem archiſynagógus, indignans quia sábbato curaſſet Jeſus, dicébat turbæ: Sex dies ſunt in quibus oportet operári: in his ergo veníte, & curámini, & non in die sábbati. Reſpondens autem ad illum Dóminus, dixit: Hypócritæ, unuſquiſque veſtrum sábbato non ſolvit bovem ſuum, aut ásinum à præsépio, & ducit adaquáre? Hanc autem fíliam Abrahæ, quam alligávit sátanas ecce decem et octo annis, non opórtuit ſolvi à vínculo iſto die sábbati? Et cùm hæc díceret, erubeſcébant omnes advérsárii ejus: & omnis pópulus gaudébat in univerſis quæ gloriósè fiébant ab eo.

Matt. 3. *OFFERTORIUM.* Fácite fructum dignum pœniténtiæ: jam enim ſecúris ad radícem arbórum póſita eſt: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur.

SECRETA.

S. R. HOſtia, Dómine, tuis aſpéctibus immolanda, nos quæſumus, ab ómnibus vítiis potenter abſolvat, pariterque mentes noſtras & córpora ſpiritáli ſanctificatióne fœcundet; Per Dóminum.

Pſal. 118. *COMMUNIO.* Fiat miſericórdia tua, Dómine, ut conſolétur me, ſecundùm elóquium tuum ſervo tuo: véniant mihi miſeratiónes tuæ, & vivam.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PErfíciant in nobis, Dómine, quæſumus, tua ſacramenta quod cóntinent; ut quæ nunc ſpécie gérimus, rerum veritáte capiámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per.

Die xv.
Octava
NATIVITATIS
& Festum
NOMINIS B. M. VIRGINIS.
Duplex-Majus.

Alb.

Introitus.

Psal. 44. COncupíscet Rex decórem tuum : vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii ; mémores erunt Nóminis tui in omni generatióne & generatióne. *Psalm.* Eructávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi. Glória. Concupíscet.

Collecta. Orémus.

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus ; ut fidéles tui, qui sub sanctíssimæ Vírginis Maríæ Nómine & protectióne lætantur, ejus piâ intercessióne à cunctis malis liberéntur in terris, & ad gáudia ætérna perveníre mereántur in cœlis ; Per.

Léctio lîbri Judith.

Cap. 13. BEnedícta es tu fília à Dómĭnŏ Deo excelso, præ ómnibus muliéribus sûper terram. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimĭcórum nostrórum : quia hódie Nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútĭs Dŏmini in ætérnum.

Gen. 12. *Graduale.* Magnificábo Nomen tuum, dixit Dóminus : benedícam benedicéntibus tibi, & maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicéntur universæ cognatiónes terræ.

Judit. 11. ℣. Magna eris, & Nomen tuum nominábitur in universa terra.

Judit. 13. Allelúia, allelúia. ℣. In omni gente quæ audíerit Nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël. Allelúia.

Prosa, Gaudii primórdium, *ut in die Festi.*

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 1. IN illo témpore ; Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galílææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, dĕ domo David ; & Nomen Vírginis Marĭa. Et ingréssus Angelus ad eam, dĭxit : Ave grátiâ plenă, Dóminus tecum : benedícta tu in muliĕribus. Quæ cùm audísset, turbáta est in sĕrmóne ejus : & cogitábat qualis esset ista salutătio. Et ait Angelus ĕi : Ne tímeas María : invenísti enim grátĭăm apud Deum : Ecce concípies in útero, & páries Fílium, & vocábis Nomen ejus Jesŭm. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur ; & dabit illi Dóminus Deus sedem Davĭd patris ejus : & regnábit in domo Jacob in æternum, & regnĭ ĕjus non erit finis.

Dicitur Credo.

Judit. 13. *Offertorium.* In me ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël : Confitémini illi omnes, quóniam bonus, quóniam in séculum misericórdia ejus.

Secreta.

QUas ad tui Nóminis laudem preces & hóstias offérimus, Dómine, acceptas tibi reddat Beátæ Maríæ Vírginis intercéssio, quam potentíssimam apud te Mediatrícem & Advocátam nobis providísti ; Per.

Præfatio de Beata Maria. Et te in Nativitáte.

Luc. 1. *Communio.* Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum Nomen ejus ; & misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum.

Postcommunio.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

MEnsæ tuæ delíciis pasti, Dómine Jesu Christe, cleméntiam tuam implorámus; ut qui totum nos habére voluisti per Maríam, ipsíus patrocíniis munítos, cœléstibus donis nos ditáre non cesses; Qui vivis & regnas.

DIE XVI.

In Festo

Rub. SS. CORNELII PAPÆ, ET S. CYPRIANI, EPISCOPI, MARTYRUM.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Dan. 11. DOcti in pópulo docébunt plúrimos: & ruent in gládio, & in flamma, & in captivitáte. Psal. 111. *PSALM.* Beátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis. Glória. Docti.

COLLECTA. Orémus.

BEatórum Mártyrum atque Pontíficum Cornélii & Cypriáni, quæsumus, Dómine, nos tibi sancta commendet orátio, qui simul & vigóre Sacerdótii claruérunt, & glorióſæ passiónis triumpho refulsérunt; Per.

Pro Commemor. S. EUPHEMIÆ Virginis & Martyris, Collecta, Deus, qui inter, *ut in Communi, pag.* xxxij.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

II. Cor. 2. FRatres; Deo grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ manifestat per nos, ĭn omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis, qui salvi fiunt, & in iis qui péreunt: áliis quidem odor mortis in mortem; áliis autem odor vîtæ in vitam. Et ad hæc quis tam idóneus? Non enim sumus sicut plúrimi, adulterantĕs verbum Dei: sed ex sinceritáte, sed sicut ex Deo, coram Deo in Chrîsto lóquimur. Incípimus íterùm nosmet ipsos commendáre? aut numquid egémus, sicut quidam, commendatítiis epístolis ad vos, aut ex vobis? Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris, quæ scitur & légitur ăb ómnibus homínibus: manifestáti quòd Epístola estis Christi, ministráta à nobis, & scripta non atrămĕnto, sed Spíritu Dei vivi. Cap. 2.

GRADUALE. Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? Magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília. ℣. Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine: déxtera tua, Dómine, percussit inimícum. Exod. 15.

Allelúia, allelúia. ℣. In nómine tuo, Dómine, spernémus insurgentes in nobis. Allelúia. Psal. 43.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Dico vobis ămícis meis; Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, & post hæc non habent ámpliùs quid făciant. Ostendăm autem vobis quem timeătis. Timéte eum, quĭ, postquàm occíderit, habet potestátem míttere in gehĕnnam. Ită dico vobis, hunc timĕte. Nonne quinque pássĕrĕs véneunt dipóndio, & unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed & capillĭ cápitis vestri omnes numeráti sŭnt. Nolítĕ ergo timére; multis passéribus pluris estis vŏs. Dicŏ autem vobis; Omnis quicumque confessus fúerit me coram homínibus, & Fílius hóminis confitébĭtŭr illum coram Angelis Dei. Cap. 12.

OFFERTORIUM. Euntes ibant & flebant, mittentes sémina sua: venientes autem vénient cum exultatióne, portantes manípulos suos. Psal. 125.

Secreta.

DA nobis, Deus, sanctórum Mártyrum & Pontíficum Cornélii & Cypriáni exemplo, Fílii tui mortem, sicut præsentis oblatióne sacrifícii, sic verbo & opéribus, coram ómnibus annuntiáre; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

De S. Euphemia. Da nobis, *pag.* xxxiij.

Præfatio de Martyribus.

Deut. 20. *Communio.* Dóminus Deus vester in médio vestrî est, & pro vobis contra adversários dimicábit, ut éruat eos.

Postcommunio. Orémus.

PEr hæc mystéria quæ súmpsimus, quæsumus, Dómine; ut sanctórum Mártyrum & Pontíficum Cornélii & Cypriáni exemplo, Spíritûs tui fortitúdine indúti, Evangélii veritáti & voce & ópere valeámus testimónium perhibére; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

De S. Euphemia, Deus, qui beátæ, *pag.* xxxiij.

Die xvii.

In Festo

SANCTI LAMBERTI,

Trajectensis Episcopi & Martyris.

Simplex.

Introitus.

Psal. 26. SI consistant adversùm me castra, non timébit cor meum: si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperábo. *Psalm.* Dóminus illuminátio mea & salus mea: * quem timébo? Glória. Si consistant. Ibid.

Collecta. Orémus.

OMnípotens sempiterne Deus, qui beáto Lamberto Pontífici & Mártyri tuo usque ad mortem pro justítiâ certáre tribuísti: fac nos ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere; & ad te, qui solus vera vita es, pervenire; Per Dóminum. M. P.

Léctio Epístolæ beátî Pauli Apóstoli âd Timótheum.

CAríssime; Sectáre justítiam, fidem, caritátem, & pacem cum iis, qui ínvocant Dóminum de côrde puro. Stultas autem & sine disciplína quæstiónes devíta; sciens quia gênerant lites. Servum autem Dómini non oportet litigáre; sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patientem, cum modéstia corripientem eos, qui resistunt veritáti, nequando Deus det illis pœniténtiam ad cognoscendam veritátem; & resipíscant à diáboli láqueis, à quo captívi tenéntur ad ipsíus voluntátem. II. Tim. 2.

Graduale. Firmamentum meum & refúgium meum es tu, Deus meus; tu es patiéntia mea, Dómine. ℣. Quantas ostendísti mihi tribulatiónes, & conversus vivificásti me! Psal. 70.

Allelúia, allelúia. ℣. Viríliter age, & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum. Allelúia. Psal. 26.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Non est discípulus super magístrum, nec servus súper dóminum suum: súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus; & servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt, quantò magìs doméstticos ejus? Ne ergo timúéritis eos: nihil enim est opertum quod non revelábitur, & occultum quod non Cap. 10.

sciĕtur. Quod dico vobis in ténĕbrĭs, dícite in lúmine; & quod in aure audítis, prædicáte super tĕcta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem nŏn possunt occídere; sed pótiùs timéte eum qui potest & ánimam & corpus pérdere in gehĕnnam. Nonne duo pásserĕs asse véneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli cápitis omnes numeráti sŭnt. Nolítĕ ergo timére; multis passéribus melióres estis vŏs. Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui ĭn cœlis est: qui autem negáverit me coram homínibus, negábo & ego eum coram Patrĕ mĕo qui in cœlis est.

Psal. 115. *Offertorium.* Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo.

Secreta.

M. P. SUscipe múnera, Dómine, quæ in beáti Lamberti Mártyris tui atque Pontíficis festivitáte deférimus: & præsta, ut ipsíus interventu mereámur adversa mundi toleráre, & ad cœléstia regna ferventi devotióne properáre; Per Dóminum.

Præfatio de Martyribus.

Psal. 85. *Communio.* Vídeant qui odérunt me, & confundantur; quia tu, Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me.

Postcommunio. Orémus.

M. P. SAcris repléti munéribus, quæsumus, Dómine Deus noster, ut intercedente beáto Lamberto Mártyre tuo atque Pontífice, mereámur mandátis tuis perseveranter intendere, & incursus persequéntium constanter toleráre; Per Dóminum.

Die xviii.

In Festo

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI, Virid.

Episc. Constantinop. & Eccl. Doct.

Duplex-Minus.

Introitus.

Eccli. 39. DOminus magnus spíritu intelligéntiæ replébit illum; & ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, & in lege testamenti Dómini gloriábitur. Psal. 9. *Psalm.* Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua. Glória. Dóminus.

Colecta. Orémus.

M. P. DA nobis in sacro ministério, Dómine, spíritum sapiéntiæ & fortitúdinis, quo beátus Joannes Chrysóstomus peccantes argúere non déstitit, & multíplices ærumnas pro tui nóminis amóre superávit; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

II. Cor. 10. FRatres; In carnĕ ambulantes, non secundùm carnem mîlitámus. Nam arma milítiæ nostræ non carnália sunt, sed poténtia Deo ad destructiónem munitiónum, consília destruentes, & omnem altitúdinem extollentem se adversùs sciéntiam Dei; & in captivitátem redigentes omnem intellectum in ŏbséquium Christi; & in promptu habentes ulcísci omnem inobediéntiam, cùm implétă fŭerit vestra obediéntia.

Eccli. 37. *Graduale.* Vir perítus multos erudívit: fructus sensûs illíus fidéles sunt. ℣. Dóminus dírigit consílium ejus & disciplínam; & in abscónditis suis consiliábitur.

Eccli. 51. Allelúia, allelúia. ℣. Danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 12. IN illo témpore; Jesus clamávit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. Ego lux in mundum veni; ut omnis, qui credit in me, in ténebris non máneat. Et si quis audíerit verba mea, & non custodíerit; ego non júdico eum: non enim veni ut júdicem mundum, sed ut salvíficem mundum. Qui spernit me, & non áccipit verba mea: habet qui júdicet eum. Sermo quem locútus sum, ille judicábit eum in novíssimo die. Quia ego ex meipso non sum locútus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandátum dedit quid dicam, & quid loquar. Et scio quia mandátum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Páter sic loquor.

Dicitur Credo.

Psal. 88. *OFFERTORIUM.* Véritas mea, & misericórdia mea cum ipso; & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

SECRETA.

M P. DA nos, Deus, in hujus oblatióne sacrifícii, leváre puras ad te manus sine ira & disceptatióne, & beáti Joannis Chrysóstomi exemplo, munus nostrum ad altáre tuum non offerre, nisi pacíficos; Per.

PRÆFATIO de DOCTORIBUS.

Eccli. 39. *COMMUNIO.* Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Eccléfia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DA nobis, misércors Deus, interveniente beáto Joanne Chrysóstomo Pontífice, ut tremenda mystéria quæ súmpsimus, nos in tua caritáte confirment, & constantes veritátis defensóres efficiant; Per.

DIE XIX.

In Festo

SANCTÆ CAMILLÆ, Rub.

Virginis & Martyris.

SIMPLEX.

Missa, Secundùm, *de Communi unius Virginis Martyris, p.* xxxij. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

DEus, sanctæ puritátis amátor, qui beátæ Camillæ castum virginitátis propósitum infudísti; da nobis, quæsumus, sic ejus agónem gloriósum venerári, ut perpétuis ejusdem mereámur fovéri præsídiis; Per Dóminum.

SECRETA.

OBlatiónes pópuli tui, quæsumus, Dómine, sanctæ Vírginis & Mártyris tuæ Camillæ pássio beáta concíliet: & quæ nostis apta non sunt méritis, fiant tibi plácita ejus deprecatióne; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

SAnctæ Vírginis & Mártyris tuæ Camillæ, quæsumus, Dómine, intercessióne nos adjuva, in cujus hódiè festivitáte, córpore & sanguine Fílii tui nos refecísti; Qui tecum.

DIE XXI.

In Festo

SANCTI MATTHÆI, Rub.

Apostoli & Evangelistæ.

DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

EXalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem: exalta, noli timére: dic civitátibus Juda, Ecce Deus vester. *PSALM.* Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi. Glória. Exalta. Is. 40. Psal. 44.

COLLECTA.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui ineffábili misericórdiâ, beátum Matthæum ex publicáno Apóstolum elígere dignátus es: da nobis, ejus exemplo & intercessióne, ut post te, relictis ómnibus, ambulantes, tibi firmiter adhærére valeámus; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joânnis Apóstoli.

Cap. 4. ECce sedes pósĭtă erat in cœlo: & in médio sedis, & in circúitu sedis, quátuor animália plena óculis ântè & retrò. Et ánimal primum símile leóni, & secundum ánimal símile vítulo, & tértium ánimal habens fácĭĕm quasi hóminis, & quartum ánimal símile âquilæ volanti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas; & in circúitu, & intus plena sunt óculis: & réquiem non habébant die ăc nocte, dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui est, & qui ventûrus est. Et cùm darent illa animália glóriam, & honórem, & benedictiónem sedenti super thronum, viventi in sécŭlă seculórum; procidébant viginti quátuor senióres ante sedentem in throno, & adorábant vĭvĕntem in sécula seculórum.

Phil. 3. *Graduale.* Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta. ℣. Omnia detrimentum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam.

Eph. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Factus sum Evangélii minister secundùm donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operatiónem virtútis ejus. Allelúia.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 9. IN illo témpore; Vidit Jesus hóminem sedentem in telónio, Mătthæum nómine; & ait ĭlli: Séquere mĕ. Et surgens, secútus est ĕum. Et factum est discumbentĕ eo in domo, ecce multi publicáni & peccatóres venientes, discumbébant cum Jesu & discípulis ĕjus. Et videntĕs Pharisæi, dicébant discípulis ĕjus: Quare cum publicánis & peccatóribus mandúcat magister vester? At Jĕsus áudiens, ăit: Non est opus văléntibus médicus, sed malè habĕntibus. Euntes autĕm díscite quid est; Misericórdiam volo, & non sacrifĭcium. Non enim veni vocárĕ jŭstos, sed peccatóres.

Dicitur Credo.

Gal. 1. *Offertorium.* Cùm plácuit ei, qui me vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum; contínuò non acquiévi carni & sánguini.

Secreta.

M. P. GLóriam beáti Apóstoli Matthæi venerantes, tibi, Dómine, hóstias laudis & placatiónis offérimus: præsta ut per quem Ecclésia inítium Evangélicæ cognitiónis accépit, per eum promissi regni felicitátem consequátur; Per.

Præfatio de Apostolis.

Luc. 5. *Communio.* Relictis ómnibus, secútus est Jesum: & fecit ei convívium magnum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. SAlutáris illíus gáudii partícipes, quo Dóminum Jesum in domo sua convívam beátus Matthæus excépit, supplíciter te, Dómine, deprecámur, ut ejus sanet nos grátia medicinális, qui venit vocáre peccatóres, Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus; Qui tecum.

Die xxii.

In Festo SS. MAURICII ET SOCIORUM, Martyrum.

Rub.

Semiduplex.

Introitus.

Rom. 8. PRopter te, Dómine, mortificámur totâ die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui dilexit nos. Psal. 45. *Psalm.* Deus noster, refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis. Glória. Propter te.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, pro te certántium fortitúdo, & coróna per te vincéntium; da nobis, quæsumus, ut qui in beatórum mártyrum Maurícii & Sociórum passióne virtútem tuam prædicámus; per eamdem contra salútis hostes firmâ fide roborémur; Per.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joânnis Apóstoli.

Cap. 7. IN diébus illis; Unus de senióribus dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & undè venérunt? Et dixi illi: Dómine mî, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sânguine Agni. Ideò sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitábit sûper illos. Non esúrient, neque sítient ámpliùs, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum; & absterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum.

Graduale. Gládium evaginavérunt peccatóres, ut trucident rectos corde. ℣. Salus autem justórum à Dómino; & protector eórum in témpore tribulatiónis. Psal. 36.

Allelúia, allelúia. ℣. Momentáneum & leve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis. Allelúia. II. Cor. 4.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sûis: Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem nŏn possunt occídere: sed pótiùs timéte eum, qui potest & ánimam & corpus pérdere in gehĕnnam. Nonne duo passĕrĕs asse véneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli cápitis omnes numeráti sŭnt. Nolítĕ ergo timére; multis passéribus melióres estis vŏs. Omnis ergo qui confitébitur mĕ coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis ĕst: Qui autem negáverit mĕ coram homínibus, negábo & ego eum coram Patrĕ mĕo, qui in cœlis est.

Offertorium. Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se: tamquam aurum in fornáce probávit illos, & quasi holocausti hóstiam accépit illos. Sap. 3.

Secreta.

M. P. DEvotiónis nostræ, quæsumus, Dómine, tibi grata sint múnera, quæ in Sanctórum tuórum commemoratióne dignè deférimus, si & actus illórum páriter subsequámur; Per Dóminum.

Communio. Sicut abundant passiónes Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolátio nostra. II. Cor. 1.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PRæsta, quæsumus, Dómine, per hæc sacra mystéria, ut sicut Légio sancta pro tui nóminis confessióne méruit victóriæ palmam; ita & nos in ejusdem fidei professióne perseverantes, illórum glóriæ partícipes éffici mereámur; Per Dóminum.

DIE XXIII.

In Festo

SANCTÆ THECLÆ,

Virginis & Martyris.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Rub. Pſal. 72. TEnuisti manum déxteram meam, Dómine; & in voluntáte tua deduxisti me, & cum glória susceptisti me. *PSALM.* Ibid. Quàm bonus Israel Deus, * his, qui recto sunt corde! Glória. Tenuisti.

COLLECTA. Orémus.

M. P. PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut præclára Virgo Thecla, sicut in mulíebri sexu prima Domínicæ passiónis imitátrix exístuit; ita fragilitáti nostræ promptam se adjutrícem exhíbeat; Per eumdem Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

II. Cor. 10. FRatres; Quĭ gloriátur, in Dómino glôriétur. Non enim qui seipsum commendat, ille prŏbátus est: sed quem Dêus commendat. Cap. 11. Utinam sustinerétis módicum quid insipĭéntiæ meæ: sed & supportâte me. Æmulor enim vos Dei æmulâtióne. Despondi enim vŏs uni viro vírgĭnĕm cāstam exhibére Christo.

Pſal. 40. *GRADUALE.* In hoc cognóvi, Dómine, quóniam voluisti me, quóniam non gaudébit inimícus meus super me. ℣. Me autem propter innocéntiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Pſal. 55. Allelúia, allelúia. ℣. In Deo sperávi: non timébo quid fáciat mihi homo. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 22. IN illo die accessérunt ad Jesum Sadducæi, qui dicunt non esse resŭrrectiónem; & interrogavérunt eum dicĕntes: Magistĕr, Móyses dixit: Si quis mórtuus fúerit non habens fílium, ut ducat frater ejus uxórem illíus, & súscitet semen fratri sŭo. Erant autem apud nos septem fratres: & primus, uxóre ducta, defunctus est; & non habens semen, relíquit uxórem suam fratri suo; símíliter secundus, & tértĭŭs, usque ad séptimum: novíssimè autem ómnium & múlier defuncta ĕst. In resurrectióne ergo cujus erit de septem uxor? Omnes enim habuérunt ĕam. Respondĕns autem Jesus, ait ĭllis. Errátis nescientes Scriptúras, neque vĭrtútem Dei: in resurrectióne enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectióne autem mortuórum non legístis quod dictum est à Deo dĭcente vobis, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortŭŏrum, sed vivéntium.

OFFERTORIUM. Ne tradas me, Pſal. 139. Dómine, à desidério meo peccatóri; cogitavérunt contra me; ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

SECRETA.

M. P. DEus, apud quem pretiósa est virgínitas quæ Mártyres facit; da nobis in hac oblatióne cordis mundítiam; da fídei firmitátem, quam beáta Virgo Thecla, étiam inter tormenta, servávit illæsam; Per.

Psal. 118.

COMMUNIO. Príncipes persecúti sunt me gratìs, & à verbis tuis formidávit cor meum: lætábor ego super elóquia tua, sicut qui invénit spólia multa.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P.

DEus, qui nos infirmióris sexûs exemplo ad confessiónem tui nóminis accendis: da nobis per hæc sacramenta quæ súmpsimus, ut nec mundi blandientis capiámur illécebris, nec minantis terróribus moveámur; Per Dóminum nostrum.

DIE XXIV.

In Festo

Rub.

SS. ANDOCHII, THYRSI, FELICIS ET ANDEOLI,

Martyrum.

SIMPLEX.

INTROITUS.

Psal. 43.

DEdisti nos, Dómine, tamquam oves escárum: Posuisti nos oppróbrium, subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro: hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te, & iniquè non égimus in testamento tuo. *PSALM.* Deus, áuribus nostris audívimus: * Patres nostri annuntiavérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum. Glória. Dedisti.

Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M. P.

PRótegat Eccléstam tuam Deus, sanctórum Mártyrum tuórum Andóchii, Thyrsi, Felícis & Andéoli veneranda orátio; & quorum natálem celebrámus, præsta pérpeti auxílio sublevári; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pêtri, Apóstoli.

I. Petr. 4.

CAríssimi; Nolíte peregrinári in fervóre, qui ad tentatiónem vobis fit, quasi novi áliquid vôbis contingat. Sed communicantes Christi passiónibus gaudéte: ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis êxultantes. Si exprobrámini in nómine Christi, bĕáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos rêquiescit. Nemo autem vestrum patiátur ŭt homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum âppetítor. Si autem ut Christiánus, non erubescat; glorificet autem Deum in îsto nómine. Quóniăm tempus est, ut incípiat judícium à dômo Dei. Si autĕm primùm à nobis, quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justŭs vix salvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi, qui patiuntur secundùm voluntátem Dei, fidéli creatóri commendent ánĭmăs sŭas in benefactis.

GRADUALE. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. ℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace. Sap. 3.

Allelúia, allelúia. ℣. Beáti, qui persecutiónem patiuntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Allelúia. Matt. 5.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 24.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Vidéte ne quis vos sedŭcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicentĕs; Ego sum Christus: & multos sedŭcent. Auditúri enĭm estis prælia, & opiniónes prælĭorum. Vidéte ne turbĕmini. Oportĕt enim hæc fieri, sed nondum est fĭnis. Consurget enim gens in gentem, ĕt regnum in regnum, & erunt pestiléntiæ, & fames, & terræ motus per lŏca. Hæc autem ómnia, inítia sunt dolŏrum. Tunc

tradent vos in tribulatiónem, & ŏccídent vos : & éritis ódio ómnĭbŭs gĕntibus propter nomen meum.

Phil. 1. *OFFERTORIUM.* Vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini.

SECRETA.

M. P. HOstias tibi, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum Andóchii, Thyrsi, Felícis & Andéoli commemoratióne deférimus; supplíciter obsecrantes, ut & indulgéntiam nobis páriter cónferant & salútem; Per Dóminum.

Apoc. 7. *COMMUNIO.* Hi sunt qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PRosint nobis, Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis, sacramenta cœléstia: ut qui in tua protectióne confídimus, cuncta nobis adversántia, te ádjuvante, vincámus; Per Dóminum.

DIE XXV.
In Festo
Rub. ## SANCTI FIRMINI,
Episcopi & Martyris.
SIMPLEX.

Missa, Mittam, *de Communi Fundatorum Ecclesiarum*, *pag.* xv. *præter Orationes sequentes.*

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui per beátum Firmínum Mártyrem tuum atque Pontíficem, infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti; da nobis ejus intercessióne in fide stábiles, & à spe Evangélii quod prædicávit, immóbiles permanére; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

SECRETA.

OFferendórum tibi múnerum, Deus, auctor & dator; adauge in nobis eam, quæ tibi acceptábile sacrifícium est, bonórum invisibílium fidem: ut, quæ beátum Firmínum evexit ad glóriam passiónis, éadem nos perdúcat ad plenitúdinem sanctitátis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus. M. P.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

REspice, Dómine, famíliam tuam, quam beátus Firmínus génuit verbo veritátis, & Christi carnis áluit sacramento: & quos grátia tua fecit illíus minístério fidéles, fáciat ejusdem précibus in caritáte fervéntes; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus. M. P.

DIE XXVII.
In Festo
SS. COSMÆ ET DAMIANI, Rub.
Martyrum.
SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

PRopter te, Dómine, mortificámur totâ die; æstimáti sumus sicut oves occisiónis: sed in his ómnibus superámus propter eum qui dilexit nos. *PSALM.* Deus noster, refúgium & virtus;* adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis. Glória. Propter. Rom. 8. Psal. 45.

COLLECTA. Orémus.

MAgnificet te, Dómine, sanctórum tuórum Cosmæ & Damiáni veneranda solémnitas; quâ & illis glóriam sempiternam, & opem nobis ineffábili providéntiâ contulísti; Per Dóminum nostrum. S. R.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 38. HOnóra médicum propter nĕcessitátem : étenim illum creâvit Altíssimus. A Deo est enĭm omnis medéla, & à rege accípiet donâtiónem. Disciplína médici exaltábĭt caput illíus, & in conspectu magnatórum côllaudábitur. Altíssimus creávit de terra mĕdicamenta, & vir prudens non abhorrêbit illa. Nonne à ligno indulcáta est aqua amára ? Ad agnitiónem hóminŭm virtus illórum, & dedit homínibus sciéntiam Altíssimus, honorári in mirabîlibus suis. In his curans mitigábit dolórem, & unguentárius fáciet pigmenta suavitátis, & unctiónes conficiĕt sanitátis, & non consummabuntur ôpera ejus. Pax enim Dei super fâciem terræ. Fili, in tua infirmitáte ne dĕspícias teipsum ; sed ora Dóminum, & ipse curâbit te. Averte à delicto, ĕt dírige manus, & ab omni delicto mûnda cor tuum. Da suavitátem & memŏriam similáginis, & impingua oblatiónem, & da locum médico ; étenim illŭm Dóminus creávit : & non discédat à te, quia ópera ejus sunt nêcessária. Est enim tempus quando in manus illórum incurras : ipsi verò Dóminum deprecabuntur, ut dírigat réquiem eórum, & sanĭtătem, propter conversatiónem illórum.

Pſal. 36. *GRADUALE.* Gládium evaginavérunt peccatóres, ut trucident rectos corde. ℣. Salus autem justórum à Dómino ; & protector eórum in témpore tribulatiónis.

2. Cor. 4. Allelúia, allelúia. ℣. Momentáneum & leve tribulatiónis nostræ suprà modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis. Allelúia.

EVANGELIUM, Descendens Jesus de monte, *ut in Com. plur. Mart. p.* ix.

Sap. 3. *OFFERTORIUM.* Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se : tamquam aurum in fornáce probávit illos, & quasi holocausti hóstiam accépit illos.

SECRETA.

S. R. ADesto, Dómine, munéribus, quæ tibi offérimus in tuórum festivitáte Sanctórum : & quos pati pro tuo nómine voluisti, fac eos fidélibus tuis suffragári ; Per Dóminum.

PRÆFATIO de SS. MARTYRIBUS.

2. Cor. 1. *COMMUNIO.* Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolátio nostra.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. SIt nobis, Dómine, sacramenti tui certa salvátio, quæ cum beatórum Mártyrum tuórum Cosmæ & Damiáni précibus implorátur ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XXIX.
In Festo
SANCTI MICHAELIS, ET OMNIUM SS. ANGELORUM.
SOLEMNE-MINUS.

Alb.

INTROITUS.

Psal. 102. BEnedícite Dóminum, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, qui fácitis verbum ejus ad audiendam vocem sermónum ejus.

Ibid. *PSALM.* Bénedic, ánima mea, Dómino : * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. Glória. Benedícite.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui miro órdine Angelórum minístéria hominumque dispensas : concéde propítius, ut à quibus tibi minístrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur ; Per Dóminum.

Léctio

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 12. FActum eſt prælĭŭm magnum in cœlo : Míchael, & Angeli ejus præliabantur cum dracóne ; & draco pugnábat, & ángeli ejus, & non valuérunt, neque locus inventus eſt eórum âmpliùs in cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antíquus, qui vocátur diábolus & ſátanas, qui ſedúcit univerſum orbem : & projectus eſt in terram ; & ángeli ejus cum illo mîſſi ſunt. Et audívi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtăs Chriſti ejus : quia projectus eſt accuſátor fratrum noſtrórum, qui accuſábat illos ante conſpectum Deĭ nŏſtri die ac nocte.

Apo 3 & 4 & 7. *GRADUALE.* Ecce ſedes póſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens ; & omnes Angeli ſtabant in circúitu throni : & cecidérunt in conſpectu throni in fácies ſuas, & adoravérunt Deum. ℣. Míllia míllium miniſtrábant ei, & décies míllies centéna míllia aſſiſtébant ei.

Dan. 7.

Pſal. 137. Allelúia, allelúia. ℣. In conſpectu Angelórum pſallam tibi, Deus meus : adorábo ad templum ſanctum tuum, & confitébor nómini tuo. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 18. IN illo témpore ; Acceſſérunt diſcípuli ad Jeſum, dicĕntes : Quis, putas, major eſt in regno cœlórum ? Et ádvocans Jeſus párvulum, ſtátuit eum ĭn médio eórum, & dĭxit : Amen dico vobis, niſi converſi fuéritis, & efficiámĭnĭ ſicut párvuli ; non intrábitis in regnum cœlŏrum. Quicumque ergo humiliáverit ſe ſicŭt párvulus iſte, hic eſt major in regno cœlŏrum. Et qui ſuſcéperit unum párvulum talem ĭn nómine meo, me ſŭſcipit. Qui autem ſcandalizáverit unum de puſillis iſtis, quĭ in me credunt, éxpedit ei ut ſuſpendátur mola aſinária in collo ejus, & demergátur in profundum măris. Væ mundo à ſcăndalis. Neceſſe eſt enim ŭt véniant ſcándala : verúmtamen væ hómini illi, per quem ſcándalum vĕnit. Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalízat te ; abſcíde eum, ĕt prójice abs te ; bonum tibi eſt ad vitam íngredi débilem, vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem ætĕrnum. Et ſi óculus tuus ſcandalízat te, érue eum, ĕt prójice abs te : bonum tibi eſt cum uno óculo in vitam intráre, quàm duos óculos habentem mitti in gehennam ĭgnis. Vidéte ne contemnátis unum ĕx his puſillis : dico enim vobis, quia Angeli eórum in cœlis ſemper vident fáciem Patrĭs mĕi, qui in cœlis eſt.

Dicitur Credo.

Apoc. 8. *OFFERTORIUM.* Stetit Angelus ante altáre, habens thuríbulum áureum : & data ſunt illi incenſa multa : & aſcendit fumus incenſórum de oratiónibus Sanctórum, de manu Angeli coram Deo. Allelúia.

SECRETA.

M. P. FAc nos, Dómine, cum Angelis ſanctis ad altáre tuum trementes & amantes aſsíſtere ; ut oblatiónes noſtras ad thronum majeſtátis tuæ déferant, tamquam ſuavíſſimi odóris incenſum ; & largam ad nos réferant grátiæ tuæ benedictiónem ; Per.

PRÆFATIO de SS. ANGELIS.

Apoc. 5. *COMMUNIO.* Vidi Agnum ſtantem tanquam occíſum ; & audívi vocem Angelórum multórum dicéntium : Dignus eſt Agnus, qui occíſus eſt, accípere virtútem & divinitátem. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui nobis panem Angelórum in hoc ſéculo manducáre tríbuis : concéde propítius, ut eórum & puritátis in terra, & beatitúdinis in cœlo, partícipes eſſe mereámur ; Per eumdem.

DIE XXX.
In Feſto
Viol. ## SANCTI HIERONYMI,
Presbyteri, & Eccleſiæ Doctoris.
DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Pſal. 76. COgitávi dies antíquos, & annos æternos in mente hábui : & meditátus ſum nocte cum corde meo; & exercitábar, & ſcopébam ſpíritum meum. *PSALM.* Voce meâ ad Dóminum clamávi ; * voce meâ ad Deum, & intendit mihi. Glória. Cogitávi.

Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui Eccléſiæ tuæ in exponendis ſacris Scriptúris beátum Hierónymum Doctórem máximum providére dignátus es : præſta, quæſumus, ut, ejus ſuffragántibus méritis, quod ore ſimul & ópere dócuit, te adjuvante, exercére valéamus ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beatĭ Pauli Apóſtoli, âd Timótheum.

II. Tim. 3. CAríſſime ; Omnes, qui piè volunt vívere ĭn Chriſto Jeſu, perſecutiónem pâtientur. Mali autem hómines & ſeductóres prŏficient in pejus, errantes & in errôrem mittentes. Tu verò pérmane in iis, quæ didiciſti, & crédita ſunt tibi ; ſciĕns à quo didíceris : & quia ab infántia ſacras lítteras noſti, quæ te poſſunt inſtrúere ad ſalútem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis Scriptúra divínitùs inſpiráta útilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendŭm in juſtítia : ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opŭs bŏnum inſtructus.

GRADUALE. Sápiens in Prophétis vacábit, & occulta proverbiórum exquíret. ℣. Ipſe palàm fáciet diſciplínam doctrínæ ſuæ, & in lege teſtamenti Dómini gloriábitur. Eccli. 39.

Allelúia, allelúia. ℣. Potens in Scriptúris, fervens ſpíritu loquebátur, & docébat diligenter ea quæ ſunt Jeſu. Allelúia. Act. 18.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 5. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis. Vos eſtis ſal tĕrræ. Quód ſi săl evanúerit, in quo ſaliétur? Ad níhilum valet ultrà, niſi ut mittátur foras, & conculcétur ab hómĭnibus. Vos eſtis lux mŭndi. Non poteſt cívitas abſcondi ſupra montem pŏſita. Neque accendunt lucernam, & ponŭnt eam ſub módio, ſed ſuper candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sŭnt. Sic lúceat lux veſtră coram homínibus, ut vídeant ópera veſtra bona, & glorífícent Patrem veſtrum, qui in cœlis ĕſt. Nolíte putáre quóniam veni ſólvere Legĕm, aut Prophétas : non veni ſólvere, ſed adimplĕre. Amen quippĕ dico vobis, donec tránſeat cœlum & terra, ióta unum, aut unus apex non præteríbit à Lege, donec ómnia fĭant. Qui ergo ſólverit unum de mandátis iſtis mínimis, & docúerit ſic hómines, mínimus vocábitur ĭn regno cœlórum : qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vŏcăbitur in regno cœlórum. *Dicitur* Credo.

OFFERTORIUM. Curro, non quaſi in incertum : pugno, non quaſi I. Cor. 9.

áerem

áerem vérberans; sed castígo corpus meum, & in servitútem rédigo.

Secreta.

M. P. TRíbue nobis, Deus, sancti Doctóris Hierónymi exempla sectári, & in timóre sancto tremendam nostræ salútis hóstiam tuæ offerre majestáti; Per.

Præfatio de Doctoribus.

Psal. 118. *Communio.* Confige timóre tuo carnes meas; à judíciis enim tuis tímui: óculi mei defecérunt in salutáre tuum, & in elóquium justítiæ tuæ.

Postcommunio. Orémus.

M. P. SAncta tua, quæ súmpsimus, Dómine, intercedente beáto Hierónymo, tuórum éxcitent corda fidélium; ut sacris intenta doctrínis, & intélligant quod sequantur; & sequendo, vitam æternam apprehendant; Per Dóminum.

FESTA OCTOBRIS.

DOMINICA PRIMA.

In Solemnitate

ROSARII

Beatæ Mariæ Virginis.

Duplex-Majus.

Alb.

Introitus.

Luc. 1. BEátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Psal. 102. *Psalm.* Bénedic, ánima mea, Dómino; * & ómnia quæ intra me sunt nómini sancto ejus. Glória. Beátam.

Collecta. Orémus.

DEus, cujus Unigénitus, per vitam, mortem, & resurrectiónem suam, nobis salútis æternæ præmia comparávit: concéde fidélibus tuis hæc mystéria sanctíssimo beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntibus, & imitári quod cóntinent, & ássequi quod promittunt; Per eumdem Dóminum.

Fit Commemoratio Dominicæ & Sanctorum occurrentium.

Léctio líbri Júdicum.

Judic. 5. CEcinérunt Débbora & Baraăc fílius Abínoem in illo dîe, dicentes: Qui sponte obtulístis de Israel ánimas vestrăs ad perículum, benedîcite Dómino. Audíte reges, auribŭs percípite príncipes: Ego sum, ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Iſrael. Dómine, cùm exíres de Seir, & transíres per regiónes Edŏm, terra mota est, cœlique ac nubes distillavêrunt aquis. Montes fluxérunt à fácie Dómini, & Sínai à fácie Dómini Dei Iſrael. In diébus Samgar fílii Anath, in diébus Jahel quiĕvérunt sémitæ: & qui ingrediebantur per eas, ambulavérunt per câlles dévios. Cessavérunt fortes in Israel, & quievérunt; donec súrgeret Débbora, súrgeret mater in Iſrael. Nova bella elégit Dóminus, & portăs hŏstium ipse subvertit.

Judith 13. *Graduale.* Benedicta es tu Fília à Dómino Deo excelso, præ ómnibus muliéribus super terram. ℣. Benedixit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 1. IN illo témpore; Exclamávit voce magna Elísabeth, & dixit ad Maríam; Benedictă tŭ inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tŭi. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dó-

mini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero mĕo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Dŏmino. Et ait Maria: Magníficat ánima mea Dóminum; & exultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respexit humilitátem ăncillæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potĕns ĕst, & sanctum nomen ejus.

Dicitur Credo.

Psal. 44. *Offertorium.* Concupiscet rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum: & fíliæ Tyri in munéribus; vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Secreta.

GRata tibi fiant múnera quæ beátæ Vírginis Maríæ mánibus, tibi offerenda, commendámus, Dómine; & qui nihil nos habére voluísti quod per Maríæ manus non transíret, ipsâ interveniente, donis tuis nos ditáre non cesses; Per Dóminum.

Commemoratio Dominicæ, & Sanctorum occurrentium.

Præfatio de B. Maria V. Et te in veneratióne.

Communio. Benedixit Dóminus fíliis tuis in te: pósuit fines tuos pacem.

Postcommunio. Orémus.

Psal. 147. GRátias tibi, Dómine, pro coltátis referímus beneficiis, qui nos & Unigéniti tui pretiósâ carne récreas, & potenti Matris ejus interцessióne sustentas; Per eumdem Dóminum.

Commem. Dominicæ, & Sanctorum occurrentium.

Evangelium Dominicæ in fine.

Die 1.

In Festo

SANCTI REMIGII,

Virid.

Remensis Episcopi.

Duplex-Minus.

Introitus.

QUæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum, & præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. *Psalm.* Memento, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus. Glória. Quæsívit.

1. Reg. 13.

Psal. 131.

Collecta. Orémus.

DEus, qui per beáti Remígii documenta Francórum tibi colla ferócia subdidísti; largíre supplícibus tuis, ut per iter salútis quo sanctus Póntifex incessit, dono tuæ pietátis ad te gradiámur; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

FRatres; Dei sŭmus adjutóres: Dei agricultúra estis, Dei ædicâtio estis. Secundùm grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architectus fundămentum pósui: álius autem supêrædíficat. Unusquisque autem vídeat quómodò sŭperædíficet: fundamentum enim áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quŏd ĕst Christus Jesus.

I. Cor. 3.

Graduale. Da mihi intellectum, Dómine, & scrutábor legem tuam, & custódiam illam in toto corde meo. ℣. Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, quia ómnia mandáta tua æquitas.

Psal. 118.

Allelúia, allelúia. ℣. Lábia sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus. Allelúia.

Malac. 1. 2.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 24. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illŭd autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, & non síneret pérfodi domum sŭam. Ideò & vos ĕstóte paráti; quia qua nescítis hora Fílius hóminis ventúrus ĕst. Quis, putas, est fidélis servus, & prudens, quem constítuit dóminus suus super fămíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cùm vénĕrit dóminus ejus, invénerit sic faciĕntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bonă sŭa constítuet eum.

1. Reg. 2. *OFFERTORIUM.* Elégi eum mihi in sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incensum.

SECRETA.

M. P. QUâ virtúte immutatúrus es dona obláta, Dómine, eádem immúta, & ad te reflecte corda nostra, sancti Remígii précibus; ad cujus præceptum, victórem regem persuasísti incéndere quod adoráverat, & quod incénderat, adoráre; Per Dóminum.

PRÆFATIO de PONTIFICIBUS.

Joan. 10. *COMMUNIO.* Per me si quis introíerit, salvábitur; & ingrediétur, & egrediétur, & páscua invéniet.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. POpulum, Dómine, quem tibi beátus Remígius subjécit, contra spirituália nequítiæ, ejus précibus, perpétuò defende: &, quos in trádita sibi fide servásti constantes, redde percepti virtúte sacramenti in data tibi fide veráces; Per Dóminum.

DIE II.
In Festo
SANCTORUM ANGELORUM CUSTODUM.
DUPLEX-MAJUS.

Alb.

INTROITUS.

Exod. 23. ECce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in via, & introdúcat in locum, quem parávi. *PSALM.* Pſal. 26. Dóminus illuminátio mea, & salus mea: * quem timébo? Glória. Ecce.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui ineffábili providéntiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris: largíre supplícibus tuis, & eórum semper protectióne defendi, & æternâ societáte gaudére; Per.

Pro Commem. S. LEODEGARII, Episcopi & Martyris.

COLLECTA. Orémus.

M. P. OMnípotens sempiterne Deus, qui beáto Leodegário Pontífici & Mártyri tuo usque ad mortem pro justítia certáre tribuísti: fac nos ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere, & ad te, qui solus vera vita es, pervenire; Per eumdem.

Léctio lîbri Exodi.

Cap. 23. DIxit Dóminus ad Móysen; Hæc dices fíliis Israel: Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & cŭstódiat in via, & introdúcat in locum quêm parávi. Observa eum, & audi vocem ejus, nec contĕmnendum putes; quia non dimittet cùm peccáveris, & est nomen mêum in illo. Quòd si audíeris vocem ejus, & fecĕrĭs ómnia, quæ loquor; inimícus ero inimícis tuis, & afflígam affligentes te; præcedetquĕ tĕ Angelus meus.

Psal. 90. *GRADUALE.* Angelis ſuis Deus mandávit de te, ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus portábunt te, ne umquam offendas ad lápidem pedem tuum.

Hebr. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Omnes ſunt adminiſtratórii ſpíritus, in miniſtérium miſſi propter eos, qui hereditátem cápient ſalútis. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 18. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vidéte ne contemnátis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eórum in cœlis ſemper vident fáciem Patris mei qui in cœlis eſt. Venit enim Fílius hóminis ſalváre quod perierat. Quid vobis vidétur? Si fúerint alícui centum oves, & erráverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in móntibus, & vadit quærere eam quæ errávit? Et ſi contígerit ut ínveniat eam; amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonaginta novem, quæ non erravérunt. Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut péreat unus de puſillis iſtis.

Dicitur Credo.

Apoc. 8. *OFFERTORIUM.* Data ſunt Angelo incenſa multa, ut daret de oratiónibus Sanctórum ómnium ſuper altáre áureum, quod eſt ante thronum Dei.

SECRETA.

M. P. OFferant tibi, Dómine, Angeli tui múnera noſtra: &, ut exaudiantur à te, cùm oratiónes noſtras récitant in conſpectu tuo, da nobis obſerváre eos, & audíre vocem eórum; Per Dóminum.

DE S. LEODEGARIO.

M. P. SUſcipe múnera, Dómine, quæ in beáti Leodegárii Mártyris tui atque Pontíficis veneranda feſtivitáte deférimus; & præſta, ut ipsíus interventu mereámur adverſa mundi toleráre, & ad cœléſtia regna ferventi devotióne properáre; Per Dóminum.

Judit. 13. *COMMUNIO.* Cuſtodívit me Angelus Dómini euntem, & commorantem, & revertentem: confitémini illi, omnes, quóniam bonus, quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. QUos tantis, Dómine, in vitam æternam dignáris páſcere ſacramentis, angélico miniſtério dírige in viam juſtítiæ; Per Dóminum.

De S. LEODEGARIO.

M. P. SUmptis repléti munéribus, quæſumus, Dómine Deus noſter, ut intercedente beáto Leodegário Mártyre tuo atque Pontífice, mereámur mandátis tuis perſeveranter inténdere, & incurſus perſequéntium conſtanter toleráre; Per Dóminum.

DIE III.
In Feſto
SANCTI TROPHIMI,
Primi Arelatenſis Epiſcopi.
SEMIDUPLEX.

Virid. *INTROITUS.*

Iſaiæ. 66. MIttam ex eis qui ſalváti fúerint, ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam; & annuntiábunt glóriam meam géntibus. Psal. 95. *PSALM.* Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra. Glória. Mittam.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui ad Géntium illuminatiónem, beátum Tróphimum Pontíficem prædicatiónis Evangélicæ glóriâ decoraſti; præſta, ut quos per ipsíus documenta eſſe donaſti fidéles, meritórum imitatóres eſſe concédas; Per Dóminum.

Pro Commemoratione SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ.

Collecta. Orémus.

M. P. ILlúmina, quæsumus, Dómine, mentis nostræ ténebras; qui ad beáti Pauli Apóstoli prædicatiónem, Dionysium Areopagítam in admirábile lumen Evangélii transtulísti; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 3. FRatres; Quid est Apollo? quid verò Paulus? Minístri ejus, cuĭ credidístis, & unicuíque sicut Dóminus dedit. Ego plantávi, Apollo rigávit: sed Deus incremêntum dedit. Itaque neque qui plantat est áliquĭd, neque qui rigat: sed qui incremêntum dat, Deus. Qui autem plantăt & qui rigat, ûnum sunt. Unusquísque autem própriam mĕrcédem accípiet secundùm sûum labórem. Dei enim sumŭs adjutóres: Dei agricultúra estis, Dei ædificâtio estis. Secundùm grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architectus fundămentum pósui: álius autem supêrædíficat. Unusquísquĕ autem vídeat quómodo supêrædificet. Fundamentum enim áliud nemo potest pónere, prætĕr ĭd quod pósitum est, quod est Chrîstus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam; uniuscujusque opus manĭfestum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur: & uniuscujusque opus qualĕ sit, ignis probábit.

Act. 26. *Graduale.* In gentes ego mitto te, aperíre óculos eórum, ut convertantur à ténebris ad lucem, & de potestáte sátanæ ad Deum. ℣. Ut accípiant remissiónem peccatórum, & sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me. Allelúia, allelúia. ℣. Auxílio adjútus Dei, géntibus annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, & converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera facientes. Allelúia. Ibid.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 17. IN illo témpore; Sublevátis Jesus óculis in cœlum, dĭxit: Pater sancte, serva eos in nómine tuo, quos dĕdisti mihi: ut sint unum, sicut & nŏs. Cŭm essem cum eis, ego servábam eos in nómine tŭo. Quos dedisti mihĭ, custodívi: & nemo ex eis périit, nisi fílius perditiónis, ut Scriptúra impleătur. Nunc autĕm ad te vénio: & hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in semetĭpsis. Ego dedi eis sermónem tuum, & mundus eŏs ódio hábuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mŭndo. Non rogo ut tollăs eos de mundo, sed ut serves eos à mălo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mŭndo. Sanctífica eos in verităte. Sermo tuus véritas ĕst. Sicut tu me mĭsisti in mundum, & ego misi eos in mŭndum. Et pro eis egŏ sanctífico meipsum; ut sint & ipsi sanctificáti in verităte. Non pro eis autĕm rogo tantùm, sed & pro eis, qui credĭturi sunt per verbum eórum in me.

Offertorium. Nos non spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est; & lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína Spíritus. 1. Cor. 2.

Secreta.

PLebs tua, Dómine, per hæc sacrifícia, dignas tibi réferat pro inenarrábili dono fídei gratiárum actiónes; & intercedente beáto Tróphimo obtíneat, ut sacris intenta doctrínis, quæcumque justa, & sancta sunt, toto corde sectétur; Per.

De S. Dionysio Areopagita.

M. P. INcruentum tibi, Dómine, in festivitáte Mártyris tui Dionysii offérimus sacrifícium ; quo Unigéniti tui mortem annuntiámus, donec véniat judicatúrus orbem in æquitáte ; Qui tecum.

Act. 9. *Communio.* Eccléfia ædificabátur, ámbulans in timóre Dómini, & consolatióne sancti Spíritûs replebátur.

Postcommunio. Orémus.

SAlutári mystério, quæsumus, Dómine, conserva in fidéli pópulo misericórdiam tuam ; ut quos per beátum Tróphimum Pontíficem ab erróris liberásti calígine, veritátis tuæ firmiùs inhærére fácias documento ; Per Dóminum.

De S. Dionysio Areopagita.

M. P. PAstis, Dómine, pretióso córpore & sánguine unigéniti Fílii tui, da quæsumus, intercedente beáto Dionysio Mártyre tuo atque Pontífice, perseveranti caritáte in te esse, de te vívere, & ad te movéri ; Per eumdem Dóminum nostrum.

Die iv.

In Festo
S. FRANCISCI ASSISINATIS.

Semiduplex.

Introitus.

Viol. [Psal. 26. PAter meus & mater mea dereliquérunt mea : Dóminus autem assumpsit me. *Psalm.* Ibid. Dóminus illuminátio mea, & salus mea : * quem timébo ? Glória. Pater meus.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui te párvulis & humílibus reveláre non dedignáris ; tríbue nobis, quæsumus, imitatióne beáti Franciſci, & stultam hujus mundi dedíscere sapiéntiam, & solum edíscere Jesum Christum crucifixum ; Qui tecum vivit.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

I. Cor. 4. FRatres ; Spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, êt homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prúdentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos aûtem ignóbiles. Usque in hanc horam & esurímus, & sitímus, & nudi sumus, & cólaphis cædimur, & instábiles sumus, & laborámus operantês mánibus nostris : maledícimur, & benedícimus : persecutiónem pátimur, & sustinémus : blasphemámur, & obsecrámus : tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, ómnium perípsêma usque adhuc.

Psal. 16. Psal. 26. *Graduale.* Propter verba labiórum tuórum, Dómine, ego custodívi vias duras. ℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea, fáciem tuam, Dómine, requíram.

Psal. 141. Allelúia, allelúia. ℣. Tu es spes mea, Dómine, pórtio mea in terra vivéntium. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 11. IN illo témpore ; Respondens Jesus dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli & terræ, quia abscondísti hæc à sapiéntibus & prudéntibus ; & revelásti ea párvulis. Ita Pater ; quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt à Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Fílius, & cui volúerit Fílius revelâre. Veníte ad me, omnes qui laborátis & onerâti estis, & ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me quia mitis sum êt húmilis corde : & inveniétis réquiem animábus vê-

ſtris. Jugum enim meum ſuávĕ ĕſt, & onus meum leve.

Phil. 3. *Offertorium.* Omnia detrimentum feci, ut Chriſtum lucrifáciam ad cognoſcendum illum, & virtútem reſurrectiónis ejus, & ſocietátem paſſiónum illíus, configurátus morti ejus.

Secreta.

M. P. BEáti Franciſci interceſſióne, quæſumus, Dómine, noſtra tibi commendétur oblátio; qui, ut ſe pléniùs majeſtáti tuæ offerret, terrénis ómnibus bonis conſtanter renuntiávit; Per Dóminum.

Pſal. 141. *Communio.* Educ de cuſtódia ánimam meam ad confitendum nómini tuo, Dómine: me expectant juſti, donec retríbuas mihi.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui in beáti Franciſci exemplo, humilitátis nobis iter oſtendiſti: da nobis, per hæc ſacra myſtéria, ut viam tibi plácitæ virtútis, quam ille ingreſſus eſt, ſine offenſióne currámus; Per Dóminum.

Die v.

In Feſto

Rub. SANCTÆ FIDIS,

Virginis & Martyris.

Semiduplex.

Miſſa. Secundùm, *de Communi Virg. Mart. pag.* xxxij.

Die vi.

In Feſto

Viol. SANCTI BRUNONIS,

Monachi.

Semiduplex.

Introitus.

Hebr. 11. CIrcuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egentes, anguſtiáti, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudínibus errantes, in móntibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ. *Psalm.* Exaudi, Deus, oratiónem meam: * intende mihi, & exaudi me. Glória. Circuiérunt.

Pſal. 54.

Collecta. Orémus.

M. P. SAncti Brunónis, quæſumus, Dómine, interceſſiónibus adjuvémur: ut qui majeſtátem tuam júgiter delinquendo offéndimus, ejus méritis & précibus noſtrórum delictórum véniam conſequámur; Per Dóminum.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 35. LÆtábitur deſerta & ínvia, & exultábĭt ſolitúdo, & florébit quâſi lílium. Gérmĭnans germinábit, & exultábit lætabûnda & laudans. Glória Líbani data eſt ei, decor Cărméli, & Saron; ipſi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dêi noſtri. Confortáte manŭs diſſolútas, & génua debília rôboráte. Dícĭtĕ puſillánimis: Confortámini, & nolíte timére; ecce Deus veſter ultiónem addúcet retributiónis; Deus ipſe véniet & ſalvâbit vos. Tunc aperientŭr óculi cæcórum, & aures ſurdôrum patébunt. Tunc ſáliet ſicut cervus claudus, & aperta erĭt lingua mutórum; quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitúdine: & quæ erat árida, erit in ſtagnum; & ſítiens, in fôntes aquárum. In cubílibus, in quibus priùs dracónĕs habitábant, oriétur viror câlami & junci. Et erit ibi ſémita & via, & viă ſancta vocábitur: non transíbit per eam pollútus; & hæc erit vobis directa via, ita ut ſtulti non êrrent per eam. Non erit ibi leo; & mala béſtia non aſcendet per eam, nec inveniétur ibi: & ambŭlăbunt, qui liberáti fúerint.

Graduale. Secéſſerat in deſertum locum; ibíque inter feras vitam cum ſuis agébat, ne partícipes eſſent

II. Mac. 5.

I. Mac. 2. coinquinatiónis. ℣. Descendérunt multi, quærentes judícium & justítiam, in desertum, & sedérunt ibi.

Is. 35. Allelúia, allelúia. ℣. Gérminans germinábit solitúdo, & exultábit lætatabunda & laudans. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris, & vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revértatur à núptiis: ut, cùm vénerit, & pulsáverit, confestim apériant ei. Beati servi illi, quos, cùm vénerit dóminus, invénerit vigilántes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & fáciet illos discúmbere, & tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secunda vigília, & si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua horâ fur veníret, vigiláret útique, & non síneret pérfodi domum súam. Et vos éstóte paráti; quia qua hora non pútátis, Fílius hóminis véniet.

Phil 3. *Offertorium.* Quæ retrò sunt oblivíscens, ad ea verò quæ sunt prióra extendens meipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu.

Secreta.

M. P. SUscipe, Dómine, sacrifícium placatiónis & laudis, quod nos, interveniente beáto Brunóne, & à terrénis expédiat affectibus, & in perpétua gratiárum actióne constítuat; Per Dóminum nostrum.

Præfatio de Monachis.

Deut. 8. *Communio.* Dóminus Deus ductor tuus, eduxit rivos de petra durissima, & cibávit te manna in solitúdine.

Postcommunio. Orémus.

M. P. PRótege nos, Dómine, per hæc sacramenta quæ súmpsimus in festivitáte sancti Brunónis: & concéde, ut, à mundi periculis ac tentatiónibus líberi, in tua semper grátia perseverémus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

Die vii.
In Festo
SS. SERGII ET BACCHI, Rub.
Martyrum.
Simplex.

Introitus.

Pſal. 32. ECce óculi Dómini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericórdia ejus, ut éruat ánimas eórum. *Psalm.* Exultáte, justi, in Dómino: * rectos decet collaudátio. Glória. Ecce.

Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. SAnctórum Mártyrum tuórum nos, Dómine, Sérgii & Bacchi beáta mérita prosequantur, & tuo semper fáciant amóre ferventes; Per.

Léctio Libri Sapiéntiæ.

Cap. 5. JUsti in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum, & cogitátio illórum âpud Altíssimum. Ideò accípient regnum decóris, & diadéma speciéi de manu Dómini: quóniam déxtera sua teget eos, & bráchio sancto suo defêndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus: & armábit creatúram ad ultiónem inîmicórum. Induet pro thórace justítiam, & accípiet pro gálea judîcium certum. Sumet scutum inexpúgnabile, æquitátem.

Pſal. 43. *Graduale.* Salvasti nos, Dómine, de affligéntibus nos, & odientes nos

confudísti

confudiſti. ℣. In Deo laudábimur totâ die, & in nómine tuo confitébimur in ſécula.

Pſal. 89. Allelúia, allelúia. ℣. Lætáti ſumus pro diébus, quibus nos humiliaſti, annis quibus vídimus mala. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 9. IN illo témpore; Dicébat Jeſus ad ŏmnes: Si quis vult pŏſt me veníre, ábneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotídie, & ſequátur mĕ. Qui enim volúerit ánimam ſuam ſalvam fácĕrĕ, perdet illam: nam qui perdíderit ánimam ſuam propter me, ſalvam fáciet illam. Quid enim próficit homo, ſi lucrétur uníverſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui fáciat? Nam qui me erubúerit, ĕt meos ſermónes, hunc Fílius hóminis erubeſcet, cùm vénerit in majeſtáte ſua, ĕt Pătris, & ſanctórum Angelórum.

1. Petr. 1. *Offertorium.* Módicum nunc oportet contriſtâri in váriis tentatiónibus; ut probátio fídei veſtræ multò pretióſior auro, quod per ignem probátur, inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem in revelatióne Jeſu Chriſti.

Secreta.

M. P. OBlatórum tibi múnerum Deus auctor & dator, præſta ut hoc ſacrifícium ſinguláre, quod Sanctis tuis in paſſióne cóntulit claritátem, nobis tríbuat in tribulatióne præſídium; Per Dóminum.

Præfatio de Martyribus.

Pſal. 65. *Communio.* Transívimus per ignem & aquam; & eduxiſti nos in refrigérium.

Postcommunio. Orémus.

M. P. PEr hæc ſacramenta, quæſumus, Dómine, da nobis fídei miſerátus augmentum; ut quam Mártyres tui Sérgius & Bacchus sánguinis effuſióne profeſſi ſunt, eam nos opéribus ſervâre valeámus; Per.

Die ix.

In Feſto

SANCTORUM DIONYSII,

Rub. Primi Pariſienſis Epiſcopi,

et sociorum martyrum.

Duplex-minus.

Introitus.

Rom. 10. QUam ſpecióſi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Pſal. 125. *Psalm.* In convertendo Dóminus captivitátem Sion: * facti ſumus ſicut conſoláti. Glória. Quàm ſpecióſi.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui hodiernâ die beátum Dionyſium Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte conſtántiæ in paſſióne roboraſti; quique illi ad prædicandum Géntibus glóriam tuam, Rúſticum & Eleuthérium ſociáre dignátus es: tríbue nobis, quæſumus, ex eórum imitatióne, pro amóre tuo próſpera mundi deſpícere, & nulla ejus adverſa formidáre; Per.

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 52. HÆc dîcit Dóminus; Sciet pópulus meus nomen meum ĭn die illa: quia ego ipſe qui loquébar, êcce adſum. Quàm pulcri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalútem, dĭcentis Sion: Regnábit Deus tuus! Vox ſpeculatórum tuórum: levavérunt vocĕm, ſimul laudábunt: quia óculo ad óculum vidébunt, cùm convérterit Dôminus Sion. Gaudéte, & laudáte ſimul, deſerta Jĕrúſalem, quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, redémit Jerûſalem. Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum in ócŭlĭs ómnium géntium: & vidébunt omnes finĕs tĕrræ ſalutáre Dei noſtri.

Is. 29. *GRADUALE.* Sanctificábunt sanctum Jacob, & Deum Israel prædicábunt, & scient errantes spíritu intellectum. ℣. Tunc aperientur óculi cæcórum, & aures surdórum patébunt, & aperta erit lingua mutórum.

Is. 35. II. Cor. 2. Allelúia, allélúia. ℣. Deo grátias qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ manifestat per nos. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Euntes prædícáte, dicentes: quia appropinquávit regnum cœlórum. Infirmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite: gratìs accepístis, gratìs dáte. Nolíte possidére aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas túnicas, neque calceamentá, neque virgam: dignus enim est operárius cibo súo. In quamcumque autem civitátem aut castellum intravéritis, interrogáte quis in eá dignus sit: & ibi manéte, donec exeátis. Intrantes autem in domum, salutáte eam, dicentes: Pax huic dómui. Et si quidem fúerit domus illa digna, véniet pax vestra super eam: si autem non fúerit digna, pax véstra revertétur ad vos.

Rom. 9. *OFFERTORIUM.* Vocábo non plebem meam, plebem meam: & erit; in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea vos; ibi vocabuntur fílii Dei vivi.

SECRETA.

SUscipe, Dómine, múnera quæ tibi in beatórum Dionysii & Sociórum ejus Mártyrum tuórum festivitáte deférimus; & pópulo tuo, quem tibi ex ómnibus géntibus elegísti, veritátis tuæ lumen ostende; Per Dóminum.

Jer. 31. *COMMUNIO.* Ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in pópulum: omnes enim cognoscent me à mínimo eórum usque ad máximum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

REfectam Sacramentis cœléstibus famíliam tuam, Dómine, conserva, & intercedéntibus beátis Dionysio & Sóciis ejus Martyribus tuis, præsta ut eruditiónibus tuis semper multiplicétur & donis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

DIE XI.

In Festo SANCTI HONORATI, Virid.

Tolosani Episcopi.

SIMPLEX.

Missa, Exaltavi, *de Communi Pontificis*, *p.* xvij. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

DA Eccléstiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Episcopi Honoráti pietátem tuam pro ipsa semper exórent, & fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per.

SECRETA.

ACcedéntibus ad aram tuam, Dómine, da nobis eum pietátis affectum quo fidélis Póntifex Honorátus exarsit; ut corde mundi, & caritáte ferventes, plácitum tibi sacrifícium exbibeámus; Per Dóminum.

PÆFATIO de PONTIFICIBUS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

SUmpta mystéria, quæsumus, Dómine, æternis nos præparent gáudiis, quæ beátus Póntifex Honorátus fidéli dispensatióne proméruit; Per Dóminum.

DIE XIII.
In Festo
Viol. SANCTI GERALDI,
Comitis Aureliacensis.
SIMPLEX.

Missa, Os Justi. *ut in Communi Justorum, pag.* xxx.

DIE XIV.
In Festo
Rub. SANCTI CALLISTI,
Papæ & Martyris.
SIMPLEX.

Missa, Ecce constítui te, *ut in Commmuni summi Pontificis Martyris, pag.* xiij.

DIE XV.
In Festo
Alb. SANCTÆ THERESIÆ,
Virginis.
SEMIDUPLEX.

Missa, Adducentur, *ut in Communi Virginis non Martyris, p.* xxxiv. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui beátæ Vírginis Theréſiæ mónitis & exemplo ſervos tibi & ancillas ſuſcitaſti, in quos de Spíritu tuo effúnderes; da nobis, ejus imitatióne ac précibus, & cœleſtis doctrínæ pábulo nutríri, & veræ perfectiónis deſidério accendi; Per..... in unitáte ejuſdem.

SECRETA.

M. P. ORáre ſicut oportet, & propter Chriſtum ómnia detrimentum fácere dóceat nos, Dómine, ſanctificátor hujus ſacrifícii Spíritus tuus; qui Vírgini Theréſiæ dedit alas ſicut columbæ, ut ad te oratiónis ſublimitáte voláret, & rerum terrenárum contemptu in te requiéſceret; Per eumdem .... in unitáte ejuſdem.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. EXultent cor noſtrum & caro noſtra in te, Dómine, hujus virtúte myſtérii; cujus inebriáta dulcédine beáta Virgo Theréſia aut pati vóluit, aut mori; Per Dóminum.

DIE XVI.
In Festo
SANCTI BERTRANDI, *Virid.*
Epiſcopi.
SIMPLEX.

Missa, Statuit, *de Communi Pontificis, pag.* xviij.

DIE XVII.
In Festo
SANCTI GAUDERICI, *Viol.*
Agricolæ.
SIMPLEX.

Missa, Os Justi, *de Communi Justorum, pag.* xxx.

DIE XVIII.
In Festo
SANCTI LUCÆ, *Rub.*
Evangeliſtæ.
DUPLEX-MAJUS.

INTROITUS.

Is. 52. QUàm pulcri ſuper montes pedes evangelizantis & prædicantis pacem; evangelizantis bonum, prædicantis ſalútem; dicentis Sion, regnábit Deus tuus! *PSALM.* Dóminus regnávit, exultet terra; * lætentur ínſulæ multæ. Glória. Quàm pulcri.

Pſal. 96.

COLLECTA. Orémus.

S. R. INtervéniat pro nobis, quæſumus, Dómine, ſanctus tuus Lucas Evangeliſta; qui crucis mortificatiónem júgiter in ſuo córpore pro tui nóminis honóre portávit; Per.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Timótheum.

II. Tim. 4.

CAríssime ; Vígila, in ómnibus labóra, opus fac ĕvangelistæ, ministérium tûum imple. Sôbrius esto. Ego enĭm jam delíbor, & tempus resolutiónis mêæ instat. Bonum certámen certávi, cursŭm consummávi, fîdem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa diĕ justus judex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui díligunt advêntum ejus. Festína ad me venîre citò. Demas enim me relíquit, díligens hoc séculum, & ábiit Thessalonícam; Crescĕns in Galátiam; Titus în Dalmátiam. Lucas est mêcum solus. Marcum assúme, ĕt adduc tecum : est enim mihi útilis in mînistérium. Tychicum autem mîsi Ephesum. Pénulam, quam relíqui Tróade apud Carpum, vénĭĕns affer tecum, & libros, máximè âutem membránas. Alexander ærárius multa mală mihi ostendit : reddet illi Dóminus secundùm ópera ejus ; quem & tu devíta : valdè enim réstitit vêrbis nostris. In prima mea defensióne nemo mihi ádfuit, sed omnes me dĕreliquérunt: non illis împutétur. Dóminus autem mihi ástitit, & confortávit me ; ut per me prædicátio impleátur, & áudĭănt omnes gentes : & liberátus sum de ôre leónis. Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo : & salvum fáciet in regnŭm suum cœleste ; cui glória in sécula secŭlŏrum. Amen.

Eph. 3.

GRADUALE. Minister factus sum Evangélii secundùm operatiónem virtútis Dei. ℣. Mihi data est grátia hæc, evangelizáre investigábiles divítias Christi.

I. Thess. 1.

Allelúia, allelúia. ℣. Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm, sed in virtúte, & in plenitúdine multa, & in Spíritu sancto. Allel.

Inítium sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 1.

QUóniam quidem multi conáti sunt ordináre narratiónem, quæ in nobis complétæ sunt, rerum ; sicut tradidérunt nobis, qui ab inítio fŭérunt sermónis : visum est mihi, assecúto ómnia à princípio diligenter, ex órdine tibi scríbere, óptime Theóphile; ut cognoscas eórum verbórum, de quibus erudítŭs ĕs, veritátem.

Dicitur Credo.

I. Thess. 2.

OFFERTORIUM. Sicut probáti sumus à Deo ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur ; non quasi homínibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.

SECRETA.

S. R.

DOnis cœléstibus da nobis, quæsumus, Dómine, líberâ tibi mente servíre : ut múnera quæ deférimus, interveniente beáto Evangelistâ tuo Lucâ, & medélam nobis operentur & glóriam ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

PRÆFATIO DE APOSTOLIS.

I. Petr. 1.

COMMUNIO. Verbum Dómini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod evangelizátum est in vos.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut quod de sancto altári accépimus, précibus beáti Evangelistæ tui Lucæ, in fide Evangélii nos immóbiles efficiat ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Die xx.

In Festo

SANCTI CAPRASII,

Rub. Presbyteri & Martyris.

Simplex.

Missa, Si consistant, *ut in Communi unius Martyris Presb. pag.* iij.

Die xxi.

In Festo

SS. URSULÆ ET SOCIARUM,

Rub. Virginum & Martyrum.

Semiduplex.

Introitus.

Apoc. 19. AUdívi quasi vocem turbæ magnæ, dicéntium: Allelúia, gaudeámus & exultémus, quia venérunt núptiæ Agni.

Psal. 96. *Psalm.* Dóminus regnávit, exultet terra: * lætentur ínsulæ multæ. Glória. Audívi.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui singulári providéntiâ beátam Ursulam, & Sócias ejus, ad virginitátis & mártyrii palmam provexísti: da nobis eárum intercessióne, ita vários séculi æstus pertransíre, ut ad æternæ salútis portum felíciter perveníre mereámur; Per Dóminum nostrum Jesum Chistum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Pro Com. S. Hilarionis, *Abbatis, Collecta*, Da nobis, *ut in Communi*, *p.* xxvj.

Léctio Epístolæ beátī Pauli Apóstoli âd Corínthios.

II. Cor. 6. FRatres; Vos estis templum Dei vivi, sicŭt dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos; & ero illórum Deus, & ipsi erunt mîhi pópulus. Propter quod exíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus, & immundum nĕ tetigéritis: & ego recípiam vos: & ero vobis in patrem, & vos éritis mihi in fílios ĕt fílias, dicit Dóminus omnípotens.

Matt. 25. *Graduale.* Mediâ nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit; exíte óbviàm ei. ℣. Venit sponsus, & quæ parátæ erant, intraverunt cum eo ad núptias.

Apoc. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Vírgines sunt, & sequuntur Agnum quocumque íerit: sine mácula enim sunt ante thronum Dei. Allelúia.

Sequéntia sanctī Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 25. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hănc: Símile erit regnum cœlórŭm decem virgínibus; quæ accipientes lampades suas, exiérunt obviàm sponso & spŏnsæ. Quinque autem ex eĭs erant fátuæ, & quinque prudĕntes. Sed quinque fátuæ, acceptis lampádibus, non sumpsérŭnt óleum secum: prudentes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampădibus. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes & dormiĕrunt. Média autem nocte clamŏr factus est; Ecce sponsus venit, exíte óbviàm ĕi. Tunc surrexérunt omnĕs vírgines illæ, & ornavérunt lámpades sŭas. Fátuæ autem sapiéntibus dixĕrunt: Date nobis dĕ óleo vestro, quia lámpades nostræ extinguŭntur. Respŏndérunt prudentes, dicĕntes: Ne fortè non sufficĭăt nobis & vobis, ite pótiùs ad vendentes, & émite vŏbis. Dum autem irent émĕrĕ, venit sponsus: & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, & clausa est jănua. Novíssimè verò véniunt ĕt réliquæ vírgines, dicĕntes:

Dómine, Dómine, áperi nŏbis. Aᵛt ille reſpondens, ăit: Aᵛmen dico vobis, Néſcio vŏs. Vigĭláte ítaque, quia neſcítĭs dĭem neque horam.

Pſal. 44. *Offertorium.* Afferentur vírgines in lætítia & exultatióne, adducentur in templum Regis.

Secreta.

M. P. DEus, à quo cuncta ímpetrat unanímiter ſupplicántium vis grata fidélium, ſúſcipe hanc oblatiónem famíliæ tuæ; & ſanctárum Mártyrum invictam in ſervanda fide & virginitáte conſtántiam venerántibus, da veritátem caſtè quærere, fórtiter tuéri, & in caritáte fácere; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fíliu tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

De S. Hilarione, Ut noſmetipſos, *pag.* xxvij.

Apoc. 7. *Communio.* Venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui nos ad æternæ vitæ convívium vocáre dignáris: da nobis, quæſumus, parátam paupéribus tuis ita deguſtáre hujus ſacramenti dulcédinem; ut dívites in fide, torrente voluptátis tuæ potári cum ſanctis Virgínibus mereámur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

De S. Hilarione, Deus, qui beátum, *pag.* xxviij.

Die xxiv.

In Feſto SANCTI EREMBERTI, Toloſani Epiſcopi.

Virid.

Simplex.

Miſſa, Exaltávi, *de Communi Pontificis*, *pag.* xvij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

MIſericórdiam tuam nobis, quæſumus, Dómine, ſancti Eremberti Pontíficis intercéſſio beáta concíliet; ut qui inceſſábili culpâ offéndimus, ejuſdem aſsíduis précibus, ab omni reátu liberémur; Per.

Secreta.

TRíbue nos, Dómine, per hæc múnera, exemplo ſancti Pontíficis Eremberti, réquiem in te ſolo quærere; & per boni óperis patiéntiam, quam ille longo & multíplici miniſtério comprobávit, ad eam pervenire; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

Postcommunio. Orémus.

EFfunde in nos per hæc Sacramenta, Dómine, tuórum donórum abundántiam; ut cum beáto Pontífice Eremberto in æterna recepti tabernácula, laudis tuæ ſacrifícium perénniter celebrémus; Per Dóminum.

Die xxv.

In Feſto SS. CRISPINI & CRISPINIANI, Martyrum.

Rub.

Simplex.

Miſſa, Propter te, *de Communi*, *pag.* ix.

Die xxviii.
In Festo
SS. SIMONIS ET JUDÆ,
Apostolorum.
Duplex-Majus.

Rub.

Introitus.

Psal. 95. ANnuntiáte de die in diem salutáre Dei : annuntiáte inter gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília ejus. Ibid. *Psalm.* Cantáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino, omnis terra. Glória. Annuntiáte.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : da nobis sanctórum Simónis & Judæ précibus, M. P. ut quod fides cognóscit, spes desíderet, & cáritas apprehendat ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Léctio Epístolæ beáti Jûdæ Apóstoli.

℣. 17. CAríssimi ; Mémores estóte verbórum, quæ prædicta sunt ab Apóstolis Dómini nostri Jesu Christi, qui dicébant vobis, quóniam in novíssimo témpore vénient illusóres, secundùm desidéria sua ambulantes in impîetátibus. Hi sunt, qui ségregant semetipsos, animáles, Spíritum nôn habentes. Vos autem, caríssimi, superædificantes vosmetipsos sanctíssimæ vestræ fídei, in Spíritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectióne Dei serváte, expectantes misericórdiam Dómini nostri Jesu Christi in vîtam æternam. Et hos quidem arguíte judicátos ; illos verò salváte, de igne râpientes. Aliis autem miseréminí in timóre : odientes & eam, quæ carnális est, maculâtam túnicam. Ei autem, qui potens est vos conserváre sine peccáto, & constitúere ante conspectum glóriæ suæ immaculátos in exultatióne in adventu Dómini nostri Jesu Christi, soli Deo salvatóri nostro, per Jesum Christum Dóminum nostrum, glória & magnificéntia, impérium & potestas, ante omne séculum, & nunc, & in ómnia sécula seculórum : Amen.

Graduale. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : constítues eos príncipes super omnem terram. ℣. Mémores erunt nóminis tui, in omni generatióne & generatiónem : propterèa pópuli confitebuntur tibi in æternum. Psal. 44.

Allelúia, allelúia. ℣. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicantes duódecim tribus Israel. Allelúia. Matt. 19.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis suis : Adhuc módicum, & mundus me jam non videt. Vos autem vidétis me : quia ego vivo, & vos vivétis. In illo die vos cognoscétis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandáta mea, et servat ea ; ille est, qui díligit me. Qui autem díligit me, diligétur à Patre meo : & ego díligam eum, & manifestábo ei meipsum. Dicit ei Judas, non ille Iscariótes : Dómine, quid factum est, quia manifestatúrus es nobis teipsum, & non mundo ? Respondit Jesus, & dixit ei : Si quis díligit me, sermónem meum servábit, & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & mansiónem apud eum faciémus. Cap. 14.

Dicitur Credo.

I. Cor. 4.

Offertorium. Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit tamquam morti destinátos, quia spectáculum facti sumus mundo, & ángelis, & homínibus.

Secreta.

M. P.

SUpplices te, Dómine, deprecámur; ut præséntis sacrifícii virtúte, & intercedéntibus beátis Apóstolis Simóne & Juda, quod temporáliter gérimus, ad vitam nobis proficiat æternam; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Præfatio de Apostolis.

Luc. 22.

Communio. Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis; & ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus, regnum; ut edátis & bibátis super mensam meam in regno meo.

Postcommunio. Orémus.

S. R.

PErceptis, Dómine, sacramentis, súpplices te exorámus; ut, intercedéntibus sanctis Apóstolis tuis Simóne & Juda, quæ pro illórum veneranda gérimus passióne, nobis proficiant ad medélam, Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Die xxix.

In Festo

Rub. SANCTI QUINTINI,

Martyris.

Simplex.

Missa, A Domino, *de Communi*, *pag.* iv.

Die xxx.

In Festo

SANCTI LEONIS, *Virid.*

Papæ, & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex-Minus.

Missa, Congregábo, *ut in Communi summi Pontificis*, *pag.* xiv. *præter Epistolam & Evangelium.*

Léctio Epístolæ beáti Joânnis Apóstoli.

II. Joan. ℣. 7.

CAríssimi; Multi seductóres exiérunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum věnisse in carnem: hic est seductor &ântichristus. Vidéte vosmetipsos, ne perdátis quæ opĕráti estis: sed ut mercédem plenam accîpiátis. Omnis qui recédit, & non pérmanet in doctrína Christĭ, Deum non habet: qui pérmanet in doctrína, hic & Patrem & Fîlium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrínam non affert; nolíte recípĕrĕ eum in domum, nec Ave êi dixéritis. Qui enim dicĭt illi Ave, commúnicat opérĭbŭs ĕjus malignis.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 16.

IN illo témpore; Venit Jesus in partes Cæsăreæ Philippi; & interrogábat discípulos suos, dĭcens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixĕrunt: Alii Joannem Baptistam, álii autem Elíam, álii verŏ Jeremíam, aut unum ex Prophĕtis. Dicit illis Jesŭs: Vos autem quem me esse dícitis? Respondĕns Simon Petrus, dĭxit: Tu es Christus, Fílius Dei vĭvi. Respondĕns autem Jesus, dixit ĕi: Beátus es, Simon Barjóna; quia caro & sanguis non revĕlávit tibi, sed Pater meus qui in cœlis ĕst. Et ego dico tib,

quia

quia Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo E͡ccléſiam meam, & portæ ínferi non prævalébunt adversùs ĕam. Et tibi dabo claves regni cœlŏrum. Et quodcùmque ligáveris ſuper terram, erit ligátŭm & in cœlis; & quodcùmque ſólveris ſupĕr tĕrram, erit ſolútum & in cœlis. *Dicitur* Credo.

Die xxxi.

In Vigilia

OMNIUM SANCTORUM.

Duplex-Minus.

Introitus.

Viol. Pſal. 139. Ibid. JUſti confitebuntur nómini tuo, Dómine; & habitábunt recti cum vultu tuo. *Psalm.* Eripe me, Dómine, ab hómine malo: * à viro iníquo éripe me. Glória. Juſti.

S.R. *Collecta.* Orémus. DOmine Deus noſter, multíplica ſuper nos grátiam tuam: & quorum prævenímus glorióſa ſolémnia, tríbue patiéntiam in quovis experimento tribulatiónis æmulári, ut perpétuis eórum gáudiis ſociári mereámur; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 11. FRatres; Sancti per fidem vicérunt regna, operáti ſunt juſtítiam, adepti ſunt repromiſſiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti ſunt in bello, caſtra vertérŭnt exterórum: accepérunt mulíeres de reſurrectióne môrtuos ſuos. Alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes rĕdemptiónem, ut meliórem invenírent reſurrêctiónem. Alii verò ludíbria & vérbera experti, ínſuper ĕt víncula & cárceres; lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii môrtui ſunt. Circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egentes, anguſtiáti, afflicti; quibus dignus nŏn erat mundus: in ſolitudínibus errantes, in móntibus & ſpeluncis, & in cavêrnis terræ. Et hi omnes teſtimónio fídei probáti, non accepérunt reprŏmiſſiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providente, ut non ſinĕ nŏbis conſummarentur.

Graduale. Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcendit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. ℣. Mors ultrà non erit, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt. I. Cor. 2. Apoc. 21.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 6. IN illo témpore; Elevátis Jeſus óculis in diſcípulos ſuos, dicĕbat: Bĕáti páuperes, quia veſtrum eſt regnum Dĕi. Beáti, qui nŭnc eſurítis, quia ſaturabĭmini. Beátĭ, qui nunc fletis; quia ridĕbitis. Beáti éritis, cùm vos óderint hómines, & cùm ſeparáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen veſtrum tanquam malum, proptĕr Fílium hóminis: gaudéte in illa die, & exultáte; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo: ſecundùm hæc enim faciébant Prophétis patres eŏrum. Verúmtamen væ vobis divítibus: quia habétis conſolatiónem vĕſtram. Væ vobis, qui ſatŭráti eſtis, quia eſurietis. Væ vobis, qui rĭdétis nunc; quia lugébitis, & flĕbitis. Væ, cùm benedíxĕrĭnt vobis hómines: ſecundùm hæc enim faciébant pſeudoprŏphĕtis patres eórum.

Pſal. 88. *Offertorium.* Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die, & in juſtítia tua exaltabuntur, quóniam glória virtútis eórum tu es.

SECRETA.

S. R. ALtáre tuum, Dómine, munéribus cumulámus oblátis: da, quæsumus, ut ad salútem nostram ómnium Sanctórum tuórum precatiónes proficiant, quorum solémnia ventúra prævenímus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.



COMMUNIO. Lætentur omnes, qui sperant in te, Dómine: in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis. Psal. 5.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. OPtátæ celebritátis gáudia sacris mystériis prævenientes; quæsumus, Dómine, ut ómnium Sanctórum semper veneratióne lætémur, & eórum perpétuâ supplicatióne muniámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

FESTA NOVEMBRIS.

Die I.

IN FESTO

OMNIUM SANCTORUM.

Rub.

ANNUALE-MAJUS.

Introitus.

Hebr. 12. ACcessístis ad civitátem Dei viventis, Jerúsalem cœléstem, & multórum míllium Angelórum frequéntiam; & Eccléſiam primitivórum qui conſcripti ſunt in cœlis. Psal. 47. *Psalm.* Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus. Glória. Accessístis.

Collecta. Orémus.

S. R. M. P. OMnípotens ſempiterne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita ſub una tríbuis celebritáte venerári; quæſumus, ut deſiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis interceſſóribus largiáris; Per.

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 7. IN diébus illis; Ecce ego Joannes vidi quátuor Angelos ſtantes ſuper quátŭŏr ángulos terræ, tenentes quátuor ventos ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ûllam árborem. Et vidi alterum Angelum aſcendentem ăb ortu ſolis, habentem ſignum Dêi vivi. Et clamávit voce magnă quátuor Angelis, quibus datum eſt nocére terræ & mâri, dicens: Nolíte nocére terræ & marĭ, neque arbóribus, quoadúſque ſignémus ſervos Dei noſtri in frôntibus eórum. Et audívi número ſignatórum, centum quadraginta quátŭŏr míllia ſignáti, ex omni tribu filiórum Iſrael. Ex tribu Juda, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribu Ruben, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribu Gad, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribu Aſer, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribŭ Néphthali, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribŭ Manaſſe, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribŭ Símeon, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribu Levi, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribŭ Iſſachar, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribŭ Zabúlon, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribu Joſeph, duódecim mîllia ſignáti. Ex tribŭ Bénjamin, duódecim mîllia ſignáti. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus, & tríbubus, ĕt pópulis, & linguis; ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in mânibus eórum. Et clamábant voce mâgna, dicentes: Salŭs Deo noſtro, qui ſedet ſuper thrônum, & Agno. Et omnes Angeli ſtabant in circúitu throni, & ſeniórum, & quátŭŏr animálium: & cecidérunt in conſpectu throni in fácies ſuas, &

adoravérunt Dêum, dicentes: Amen; benedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro in ſécula ſecŭlŏrum: Amen.

Mart. 13. Apoc. 22. *GRADUALE.* Fulgébunt juſti ſicut ſol in regno Patris eórum. ℣. Dóminus Deus illuminábit illos, & regnábunt in ſécula ſeculórum.

Pſal. 83. Allelúia, allelúia. ℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; in ſécula ſeculórum laudábunt te. Allel.

PROSA.

Joan. B. De Contes, Decanus Pariſ. SPONSA Chriſti, quæ per orbem
Mílitas, Eccléſia,
Prome cantus, & ſacrátos
Dic triumphos cœlitum.

Hæc dies cunctis dicáta,
Mixta cœli gáudiis,
Læta currat, & ſolemni
Pérſonet melódiâ.

LAUREATUM ducit agmen
Juncta Mater Fílio,
Sola quæ partu pudórem
Virgo numquam pérdidit.

Mox ſequuntur Angelórum
Adminiſtri ſpíritus,
Siderúmque conditóri
Mille laudes cóncinunt.

HIS Joannes vate major,
Præco Chriſti prævius,
Patriarchæ cum Prophétis,
Accinunt dulci melo.

Príncipes ſacri ſenátûs,
Orbis almi júdices,
Sédibus celſis ſublímes,
Facta pendunt ómnium.

PRODIGI vitæ, cruóre
Purpuráti Mártyres,
Auſpicáti morte vitam,
Pace gaudent pérpeti.

Turba ſacra Confitentum,
Cum Levítis Præſules,
Séculi luxu rejecto,
Perfruuntur glóriâ.

POMPA nuptiális, Agno
Conſecrátæ Vírgines,
Líliis, roſiſque ſponſum
Æmulantur próſequi.

Omnibus ſors hæc beáta,
Glóriam Deo dare,
Et potentem confitéri,
Terque ſanctum dícere.

CŒLITES ô vos beáti,
Quos Deus felícitat,
Súpplicum votis adeſte,
Et favéte ſínguli.

Hauſta fonte liberáli
Dona, terris fúndite:
Pace noſtris in diébus
Obtinéte pérfrui.

UT Deo cum ſanctitáte
Serviámus ſúbditi,
Glóriæ poſthàc futúri,
Quam tenétis, cómpotes.

Amen.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 5. IN illo témpore; Videns Jeſus turbas, aſcendit in mŏntem. Et cùm ſediſſet, acceſſérunt ad eum dĭſcípuli ejus: & apériens os ſuum docébat eos, dĭcens: Beátĭ páuperes ſpíritu: quóniam ipſórum eſt regnum cœlŏrum. Bĕáti mites: quóniam ipſi poſſidébunt tĕrram. Bĕáti, qui lugent: quóniam ipſi conſolabŭntur. Beáti, qui eſúriunt ĕt sítiunt juſtítiam: quóniam ipſi ſaturabŭntur. Beáti mĭſericordes: quóniam ipſi miſericórdiam conſequĕntur. Beátĭ mundo corde: quóniam ipſi Deum vidĕbunt. Bĕáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabŭntur. Beáti, qui perſecutiónem patiuntŭr propter juſtítiam: quóniam ipſórum eſt regnum cœlŏrum. Beáti eſtis cùm maledíxerint

vobis,

vobis, & perſecúti vos fúerint, & díxerint omne malum adversùm vos, mentientẽs, propter me : gaudéte, & exultáte, quóniam mercẽs vẽſtra copióſa eſt in cœlis.

Dicitur Credo.

Pſal. 67. *OFFERTORIUM.* Mirábilis Deus in Sanctis ſuis ; Deus Iſrael ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ : benedictus Deus.

SECRETA.

M. P. GRata tibi ſint, Dómine, múnera, quæ pro cunctórum offérimus honóre Sanctórum : ut eórum, te donante, concíves eſſe mereámur, quos de ſua jam immortalitáte ſecúros, ſcimus eſſe adhuc de noſtra ſaúte ſollícitos ; Per Dóminum.

PRÆFATIO de SANCTIS per totam Octavam.

Apoc. 5. *COMMUNIO.* Occíſus es, Dómine, & redemiſti nos in ſánguine tuo ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne ; & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdótes. Allelúia.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. MIrábilem te, Deus, & unum Sanctum in ómnibus Sanctis tuis adorantes, grátiam tuam implorámus ; quâ, perficientes ſanctificatiónem in timóre tuo, ex hac menſa peregrinántium, ad cœleſtis pátriæ perenne convívium tranſeámus ; Per Dóminum.

DIE II.

Niger.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

SOLEMNE-MINUS.

INTROITUS.

Psal. 73. REspice, Dómine, in testamentum tuum; ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi, & ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *PSALM.* Ut quid Deus, repulisti in finem; * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? ℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine, * & lux perpétua lúceat eis. Réspice.

COLLECTA. Orémus.

S. R. FIdélium, Deus ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum, famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis & regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

I Cor. 15. FRatres; Ecce mystérium vôbis dico: Omnes quidĕm resurgémus, sed non omnes immutábimur. In momento, in ictu óculi, in nŏvissima tuba: canet enim tuba & mórtui resurgent incorrupti & nos immutábimur. Oportet enim corruptíbile hoc indúere incŏrruptiónem; & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immŏrtalitátem: tunc fiet sermo, quĭ scriptus est, absorta est mors în victória. Ubi est mors victória tua? Ubi est mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis pĕccátum est: virtus verò peccâti lex. Deŏ autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminŭm nŏstrum Jesum Christum.

GRADUALE. Quis novit potestátem iræ tuæ, & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre? Convértere, Dómine, úsquequò? & deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Dómine, Pater noster es tu, ne irascáris, Dómine, satis, & ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ: ecce réspice, pópulus tuus omnes nos. Psal. 89. Isaiæ. 64.

TRACTUS. Dómine omnípotens, ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te. Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es misércors; & miserére nostrî, quia peccávimus ante te. Dómine omnípotens, Deus Israel, audi nunc oratiónem mortuórum Israel. Baru. 3.

PROSA.

Cardinalis Latinus Malabrance.

DIes iræ, dies illa,
Crucis expandens vexilla,
Seclum solvet in favilla.
Quantus tremor est futúrus,
Quando Judex est ventúrus,
Cuncta strictè discussúrus.
TUBA mirum spargens sonum,
Per sepulchra regiónum,
Coget omnes ante thronum.
Mors stupébit & natúra,
Cùm resurget creatúra,
Judicanti responsúra.
LIBER scriptus proferétur,
In quo totum continétur,
Unde mundus judicétur.
Judex ergo cùm sedébit,

Quidquid latet apparébit,
Nil inultum remanébit.
Quid sum miser tunc dictúrus?
Quem patrónum rogatúrus?
Cùm vix justus sit secúrus.
Rex tremendæ majestátis,
Qui salvandos salvas gratìs,
Salva me, fons pietátis.
Recordare, Jesu pie,
Quòd sum causa tuæ viæ;
Ne me perdas illâ die.
Quærens me, sedisti lassus;
Redemisti, crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.
Juste Judex ultiónis,
Donum fac remissiónis
Ante diem ratiónis.
Ingemisco tanquam reus,
Culpâ rubet vultus meus:
Supplicanti parce, Deus.
Peccatricem absolvisti,
Et latrónem exaudisti;
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ:
Sed tu bonus fac benignè
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præsta,
Et ab hœdis me sequestra,
Státuens in parte dextra.
Confutátis maledictis,
Flammis ácribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro supplex & acclínis,
Cor contrítum quasi cinis;
Gere curam mei finis.
Lacrymosa dies illa,
Quâ resurget ex favilla.
Judicandus homo reus:
Huic ergo parce, Deus.
Pie Jesu Dómine,
Dona eis réquiem. Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 5. IN illo témpore; Jesus dixit Judæis: Amen, ámen dico vobis; quia venit hora, & nunc est, quando mórtui áudient vocem Fílii Dei; & qui audíerint, vívent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Fílio habére vitam in semetipso: & potestátem dedit ei judícium fácere, quia Fílius hóminis est. Nolíte mírari hoc; quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, áudient vocem Fílii Dei. Et procédent, qui bona fecérunt in resurrectiónem vitæ: qui verò mala égérunt, in resurrectiónem judícii.

Offertorium. Dómine Deus patrum nostrórum, justus es in ómnibus quæ fecisti nobis; peccávimus enim & delíquimus: * Et nunc fac nobiscum secundùm multitúdinem misericórdiæ tuæ, & érue nos de médio ardentis flammæ. ℣. Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum, & exaudi oratiónes servórum tuórum. * Et nunc fac nobiscum secundùm multitúdinem misericórdiæ tuæ, & érue nos de médio ardentis flammæ. Dan. 3. Eccli. 36.

Secreta.

HOstias, quæsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum famularumque tuárum offérimus, propitiátus intende: ut quibus fídei christiánæ méritum contulisti, dones & præmium; Per Dóminum. S. R.

Præfatio de Defunctis.

Communio. Benefáciat vobis Deus, & memínerit testamenti sui, & fáciat pacem; reconciliétur vobis, nec vos déserat: & nunc hìc sumus orantes pro vobis. 2. Mac. 1.

Postcommunio. Orémus.

ANimábus, quæsumus, Dómine, famulórum famularumque tuárum, in hoc venerábili sacrifício, oratio proficiat supplicántium: ut eas & à peccátis ómnibus éxuas, & tuæ re- M. A.

demptiónis fácias esse partícipes ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

Loco Ite, missa est, *dicitur* Requiescant in pace. ℟. Amen. *Non datur Benedictio.*

Intra Octavam
OMNIUM SANCTORUM,

Rub. *Non fit de ullo Festo, nisi sit Festum principale Patroni.*

Missa dicitur ut in die, præter Epistolam & Evangelium quæ suis diebus notantur.

Die iii.
DE OCTAVA.

Missa integra ut in die Festi.

Die iv.
DE OCTAVA.

Missa de Octava omnium Sanctorum, ut in die Festi, præter Epistolam & Evangelium.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Ephésios.

Cap. 1. FRatres ; Benedictus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo : sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti & immaculáti in conspectu ejus in cáritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propósitum volŭntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilecto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secundùm divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis, in omni sapiéntĭă, & prudéntia : ut notum faceret nobis sacramentum voluntátis suæ, secundùm beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sûnt, in ipso. In quo étiam & nos sorte vocáti sumus, prædestináti secundùm propósitum ejus, qui operátur ómnia secundùm consílium volŭntátis suæ ; ut simus in laudem glóriæ ejŭs nŏs, qui antè sperávimus in Christo.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 13. IN illo témpore ; Jesus ibat per civitátes, & căstella docens, & iter fáciens in Jerúsalĕm. Ait autem illi quĭdam : Dómine, si pauci sunt, qui salvantur ? Ipse autem dixit ad ĭllos : Conténdite intráre per ăngustam portam : quia multi, dico vobis, quærent intráre, & non pŏterunt. Cùm autem intráverit paterfamílias, & cláuserit óstium, incipiétis foris stare, & pulsárĕ óstium, dicentes ; Dómine, áperi nŏbis. Et respondĕns dicet vobis : Néscio vos unde sĭtis. Tunc incipĭétis dícere ; Manducávimus coram te, & bíbimus, & in platéis nostris docuĭsti. Eᵛt dicet vobis ; Néscio vos unde sitis : discédite à me, omnes operárii iniquitătis. Ibi erit fletus, ĕt stridor déntium : cùm vidéritis Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes Prophétas in regno Dei, vos autem expelli fŏras. Et vénient ab Oriente, & Occidente, & Aquĭlóne, & Austro ; & accumbent in regno Dĕi. Et ecce sunt novíssimi quĭ erunt primi, & sŭnt prĭmi, qui erunt novíssimi.

Dicitur Credo.

Die vi.

DE OCTAVA.

Miſſa ut in die Feſti , præter Epiſtolam & Evangelium.

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 21. IN diébus illis ; Unus de ſeptem Angelis súſtulit me in ſpíritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi civitátem ſanctam Jerúſalem deſcendentem de cœlo à Deo, habentem claritátem Dei ; & lumen ejus símile lápidi pretióſo tamquam lápidi jáſpidis, sîcut cryſtallum. Et habébat murum magnum & altum, habentem portas duódecim, & in portis Angelos duódecim ; & nómina inſcripta, quæ ſunt nómina duódecim tríbuum filiórum Iſrael. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilóne portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occáſu pôrtæ tres. Et murus civitátis habens fundámenta duódecim, & in ipſis duódecim nómina duódecim Apoſtolôrum Agni. Et qui loquebátur mecum, habébat menſúram arúndíneam áuream, ut metirétur civitátem, & portas êjus, & murum. Et cívitas in quadro póſita eſt, & longitúdo ejus tanta eſt quanta & lâtitúdo. Et menſus eſt civitátem de arúndine áurea per ſtádia dúódecim míllia : & longitúdo, & altitúdo, & latitúdo ejus, æquâlia ſunt. Et menſus eſt murum ejus centum quadraginta quátúor cubitórum, menſúra hóminis, quæ eſt Angeli. Et erat ſtructúra muri ejus ex lápide jáſpide : ipſa verò cívitas, aurum mundum símile vîtro mundo. Et fundamenta muri civitátis, omni lápide pretiôſo ornáta. Fundamentum primum, jaſpis ; ſecundum ſapphírus ; tértium, chalcedónius ; quartum, ſmaragdus ; quintum, sárdonyx ; ſextum, sárdius ; ſéptimum, chryſolíthus ; octávum, beryllus ; nonum, topázius ; décimum, chryſópraſus ; undécimum, hyacinthus ; duodécimum, âmethyſtus. Et duódecim portæ, duódecim margarítæ ſunt, per ſíngulas ; & ſíngulæ portæ erant ex ſíngulis margarítis : & platéa civitátis aurum mundum, tamquam vîtrum pellúcidum. Et templum non vidi in ea : Dóminus enim Deus omnípotens templum illíus êſt, & Agnus. Et cívitas non eget ſole, neque luna, ut lúceant in ea : nam cláritas Dei illumínávit eam, & lucerna êjus eſt Agnus. Et ambulábunt gentes in lúmine ejus ; & reges terræ áfferent glóriam ſuam & honôrem in illam. Et portæ ejus non cláudentur per diem : nox enim non êrit illic. Et áfferent glóriam & honórem gêntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens & mendácium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 14. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Non turbétur cor véſtrum. Créditis in Deum : & in me crédite. In domo Patris mei manſiónes multæ ſunt. Si quóminus dixiſſem vobis ; quia vado paráre vobis locum. Et ſi abíero, & præparávero vobis locum ; íterùm vénio, & accípiam vos ad me ipſum ; ut ubi ſum ego, & vos ſitis. Et quò egò vado, ſcitis, & viam ſcitis. Dicit ei Thomas : Dómine, néſcimus quò vadis : & quómodo póſſumus viam ſcire ? Dicit ei Jeſus : Ego ſum via, et véritas, & vita : nemo venit ad Patrem, niſi per me.

Dicitur Credo.

Die viii.
Octava
OMNIUM SANCTORUM,
& Veneratio
SS. RELIQUIARUM.
Duplex-Majus.

Rub.

Introitus.

Psal. 33. MUltæ tribulatiónes justórum, & de his ómnibus liberábit eos Dóminus : Dóminus custódit ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur.

Ibid. *Psalm.* Benedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo. Glória. Multæ.

Collecta. Orémus.

M. P. AUge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris : & fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur ; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

I. Cor. 15. QUotídie mórior per vestrăm glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dômino nostro. Si secundùm hóminem, ad béstias pŭgnávi Epheſi, quid mihi prodest, ſi mórtui non resurgunt ? Manducémŭs & bibámus, cras enim môriémur. Nŏlíte sedúci ; Corrumpunt mores bonos collôquia mala. Evigiláte, justi, & nŏlíte peccáre : ignorántiam enim Dei quidam habent ; ad reveréntiam vôbis loquor. Sĕd dicet áliquis ; Quómodo resurgunt mórtui ? qualíve córpore vénient ? Insípiens, tu quod séminas non vĭvificátur, nisi priùs môriátur. Et quod séminas, non corpus, quod fŭtúrum est, séminas ; sed nudum granum, ut putà trítici, aut alicujus cêterórum. Deus autem dat illi corpŭs sicut vult ; & unicuíque séminum prôprium corpus. Non omnis carŏ éadem caro : sed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália âutem píscium. Et córpora cœléstia, ĕt córpora terréstria ; sed ália quidem cœléstium glória, ália âutem terréstrium. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, & ălĭă cláritas stellárum : stella enim à stella differt in clâritáte. Sic & resurréctio môrtuórum. Seminátur in cŏrruptióne, surget in incorrûptióne. Seminátur in ignŏbilitáte, sûrget in glória. Seminátur in ĭnfirmitáte, surget în virtúte. Seminátur corpŭs animále, surgĕt cŏrpus spiritále.

Graduale. Expergiscímini & laudáte, qui habitátis in púlvere : dabo spíritum meum in vobis, & vivétis. ℣. Ecce ego apériam túmulos vestros, & edúcam vos de sepulcris vestris. Is. 26. Ezec. 37.

Allelúia, allelúia. ℣. Anima mea exultábit in Dómino, & delectábitur super salutári suo : ómnia ossa mea dicent ; Dómine, quis símilis tibi ? Allelúia. Psal. 34.

Prosa ut in die Festi, pag. 586.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 20. IN illo témpore ; Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resŭrrectiónem, & interrogavérunt Jesum, dicĕntes : Magister, Móyses scripsit nobis : Si frater alicújus mórtuus fúerit habens uxórem, & hic sinĕ líberis fúerit ; ut accípiat eam frater ejus uxórem, & súscitet semen fratri sŭo. Septem ergo fratres erant ; & primus accépit uxórem, & mórtuus est sine fíliis : & sequens ac-

cépit illam & ipse mórtuus est sine fílio : & tértius accépit illam : simíliter & omnes septem ; & non reliquérunt semen , ĕt mórtui sunt : novíssimè ómnium mórtua est & mŭlier. In resurrectióne ergo cujus eórum erit uxor ? síquidem septem habuérunt eam uxŏrem. Et ait illis Jesŭs : Fílii hujus séculi nubunt , & traduntur ad núptias : illi verò qui digni habebuntur século illo , & resurrectióne ex mórtuis , neque nubent , nequĕ ducent uxóres : neque enim ultrà mori póterunt ; æquáles enim Angelis sunt , & fílii sunt Dei ; cùm sint fílii resurrectiŏnis. Quia verò resurgant mórtui , & Móyses ostendit secus rubum , sicut dicit Dóminum Deum Abraham , & Deum Isaac , ĕt Deum Jacob : Deus autem non est mortuórum sed vivórum ; omnĕs ĕnim vivunt ei.

Dicitur Credo.

Phil. 3. *Offertorium.* Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum , qui reformábit corpus humilitátis nostræ , configurátum córpori claritátis suæ.

Secreta.

M. P. MUnera tuæ obláta majestáti , misércors Deus , benigno , quæsumus , súscipe intúitu : ut eórum nobis précibus fiant salutária , quorum Relíquias in hac domo tua venerámur ; Per Dóminum.

Præfatio de Sanctis.

Rom 6. *Communio.* Si complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus , simul & resurrectiónis érimus. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DIvína libantes mystéria , quæsumus , Dómine , ut cum sanctis tuis , quorum hìc sacris pignóribus gloriámur , à servitúte corruptiónis erepti , libertátem glóriæ filiórum cónsequi mereámur ; Per.

Die ix.

In Festo

S. CAROLI BORROMÆI , Virid.

Mediolanensis Episcopi.

Duplex-Minus.

Introitus.

Ezech. 34. DIsperſæ sunt oves meæ , eò quòd non essĕt pastor ; & factæ sunt in devoratiónem ómnium bestiárum , & non erat qui requíreret : proptéreà suscitábo super eas servum meum ; ipse pascet eas , & erit eis in pastórem. *Psalm.* Dóminus regit me , & nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit. Glória. Disperſæ.

Psal. 22.

Collecta. Orémus.

S. R. MUltíplica , quæsumus , Dómine , in Eccléſia tua grátiæ spíritum , quo beátum Cárolum Pontíficem impleviſti : ut & gregis tui proficiat ubíque succeſſus , & grati fiant nómini tuo , te gubernante , Pastóres ; Per Dóminum.

Pro Commem. S. Theodori , Martyris , Da nobis , *in Communi , pag.* vj.

Léctio Ezechiêlis Prophétæ.

Cap. 3. IN diébus illis ; Factum est verbum Dómini âd me , dicens : Fili hóminis , speculatórem dedi te dómŭi Israel : & áudies de ore meo verbum , & annuntiábis êis ex me. Si , dicente me ad ímpium : Morte moriéris ; non annuntiáveris ei , neque locútus fúeris ut avertátur à via suă ímpia , & vivat : ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur ; sánguinem autem ejus de manu tûa requíram. Si autem tu annun-

tiáveris ímpio, & ille non fúerit conversus ab impietáte sua, & à viă sua ímpia : ipse quidem in iniquitáte sua moriétur, tu autem ánimam tuam lîberasti. Sed & si conversus justus à justítia sua fúerit, & fécerit iniquitátem ; ponam offendículum coram eo ; ipse moriétur, quia non annuntĭasti ei : in peccáto suo moriétur, & non erunt in memória justítiæ ejus, quas fecit ; sánguinem verò ejus de manu tûa requíram. Si autem tu annuntiáveris justo ut non peccet justus, & illĕ non peccáverit ; vivens vivet, quia annuntiasti ei, & tu ánĭmăm tŭam liberasti.

II. Paral. 29. *GRADUALE.* Adduxit Sacerdótes atque Levítas, & congregávit eos, dixitque ad eos : Sanctificámini, mundáte domum Dómini Dei, & auferte

Ibid. immundítiam de sanctuário. ℣. Fílii mei, nolíte neglígere : vos elégit Dóminus, ut stetis coram eo, & minístrétis illi.

Eccli. 49. Allelúia, allelúia. ℣. Ipse est directus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis, & in diebus peccatórum corroborávit pietátem. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 10. IN illo témpore ; Dixit Jesus Pharisæis : Quĭ intrat per óstium, pastor est ŏvium. Huic ostiárius áperit, & oves vocĕm ejus áudiunt : & próprias oves vocat nominátim, & edúcit ĕas. Et cùm próprias oves emíserit, antĕ eas vadit : & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ĕjus. Aliénum autem non sequuntur, sĕd fúgiunt ab eo ; quia non novérunt vocem alienŏrum. Hoc provérbium dixĭt eis Jesus : illi autem non cognovérunt quid loquerétur ĕis. Dixit ergo eis íterùm Jesŭs. Amen, ămen dico vobis, quia ego sum óstium ŏvium. Omnes quotquot venérunt, furĕs sŭnt, & latrónes ; & non audiérunt eos ŏves. Ego sum ŏstium. Per me si quis intrŏíerit, salvábitur : & ingrediétur, & egrediétur, & páscua invĕniet. Fur non venit, nisĭ ut furétur, & mactet, & pĕrdat. Ego veni ŭt vitam hábeant, & abundántiùs hăbeant. Ego sum pastor bŏnus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus sŭis. Mercenárius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum venientem, & dimittĭt oves, & fugit : & lupus rapit, & dispergit ŏves. Mercenárius autem fugit, quia mercĕnárius est, & non pértinet ad eum de ŏvibus. Egŏ sŭm pastor bonus : & cognosco meas, & cognoscunt me mĕæ. Sicut novit me Pater, & ego ăgnosco Patrem : & ánimam meăm pŏno pro óvibus meis.

Dicitur Credo.

II. Reg. 24. *OFFERTORIUM.* Immísit Dóminus pestiléntiam : óbtulit holocausta & pacífica ; & propitiátus est Dóminus terræ, & cohíbita est plaga.

SECRETA.

M. P. DA nobis, quæsumus, Dómine, purificátis semper méntibus tuæ pietátis celebráre mystéria, quæ beátus Cárolus Póntifex tuus tantâ fide & religióne tractávit ; Per Dóminum.

De S. THEODORO, Sicut his sacrifíciis, *pag.* vj.

PRÆFATIO de PONTIFICIBUS.

I. Joan. 3. *COMMUNIO.* In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit : & nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui beátum Cárolum Pontíficem pastorális officii vigilántiâ, & præcláris ómnium virtútum méritis sublimasti : da nobis, hujus

virtúte

virtúte sacramenti, ut ipsum sincéris óperum frúctibus imitémur; Per Dóminum nostrtum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

De S. THEODORO. Cœléstibus, *pag.* vij.

DIE X.

In Festo

SANCTI MARTINI,

Rub. Papæ & Martyris.

SEMIDUPLEX.

Missa, Ecce, *de Communi summi Pontificis Martyris, pag.* xiij.

DIE XI.

In Festo

SANCTI MARTINI,

Virid. Turonensis Episcopi.

DUPLEX-MAJUS.

[In Cathed. *SOLEMNE-MIN.*]

INTROITUS.

Psal. 88. MAnus mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum: nihil proficiet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non appónet nocére ei; & concídam à Ibid. fácie ipsíus inimícos ejus. *PSALM.* Misericórdias Dómini in æternum cantábo: * in generatiónem & generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo. Glória. Manus mea.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui in beáto Martíno Pontífice, sive per vitam, sive per mortem magnificátus es: ínnova éadem grátiæ tuæ mirácula in córdibus nostris; ut neque mors, neque vita sèparáre nos possit à caritáte Dómini nostri Jesu Christi; Qui tecum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

Cap. 1. FRatres; In omni fidúcia, sicut semper, & nunc magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sîve per mortem. Mihi enim vívĕrĕ Christus est, & môri lucrum. Quòd si vívere in carne, hic mihi fructŭs óperis est, & quid êligam, ignóro. Coarctor autĕm è duóbus: desidérium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis mélius; permanére autem ĭn cărne, necessárium propter vos.

Eccli. 45. *GRADUALE.* Símilem illum fecit Deus in glória Sanctórum, & magnificávit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placávit: glorificávit illum in conspectu regum.

Act. 7. ℣. Fuit gratus Deo, & erat potens in verbis & in óperibus suis.

Eccli. 48. Allelúia, allelúia. ℣. Quis potest sic gloriári tibi, qui sustulísti mórtuum ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 11. IN illo témpore; Turbis concurréntibus cœpit Jesus dĭcere: Nemo lucernam accendit, & in abscóndito ponit, neque sub módio; sed suprà candelábrum: ut, qui ingrediuntur, lumen vĭdeant. Lucernă córporis tui, est óculus tŭus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuŭm lúcidum erit: si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum ĕrit. Vide ergo ne lumen quŏd in te est, ténebræ sĭnt. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erĭt lúcidum totum: & sicut lucèrna fŭlgŏris illuminābit te.

1. Paral. 21. *OFFERTORIUM.* Obtulit holocaústa & pacífica, & invocávit Dóminum; & exaudívit eum in igne de cœlo ſuper altáre holocauſti.

SECRETA.

M. P. IN oblatióne hujus ſacrifícii, quæſumus, Dómine, requieſcat ſuper nos Spíritus timóris & amóris tui, ígneo illo globo deſignátus, qui ſupra caput beáti Martíni tibi ſacrificantis appáruit; Per... in unitáte ejuſdem.

PRÆFATIO de PONTIFICIBUS.

Phil. 1. *COMMUNIO.* Coarctor è duóbus: deſidérium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; in carne autem permanére propter vos.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui beáti Martíni confeſſiónem ac vitæ perpétuam innocéntiam remúnerans, ſuávem dediſti ei in morte ex perfecta caritáte fidúciam; da nobis per hæc ſancta, ut ejus præsídio & exemplo, pœniténtiæ humilitátem ſpe roborémus, & amórem fratrum tuâ ſemper voluntáte metiámur; Per Dóminum.

DIE XII.
In Feſto
SANCTÆ NATALENÆ,
Virginis & Martyris.

Rub. DUPLEX-MINUS.

Miſſa, Tenuiſti, *de Comm. Virginis Mart. p.* xxxij. *præter Orationes.*

COLLECTA. Orémus.

TRíbue, quæſumus, Dómine, précibus noſtris cum exultatióne proventum; ut beátæ Natalénæ, Virginis & Mártyris tuæ, cujus paſſiónem recolímus, conſtántiam imitémur; Per Dóminum.

SECRETA.

MUnera noſtra, Dómine, benignus intuére; & concéde; ut beátæ Vírginis & Mártyris tuæ Natalénæ conſtántiam imitando, poſt hujus vitæ calamitátes, ſempiternâ in te beatitúdine perfruámur; Per.

PRÆFATIO de VIRGINIBUS.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

FAc, quæſumus, omnípotens Deus, intercedente beatâ Natalénâ Vírgine & Mártyre tuâ, ut pane cœleſti confortáti, in tuæ fídei confeſſióne perſeverémus; Per.

DIE XIII.
In Feſto
SANCTI AMANTII,
Epiſcopi.

SEMIDUPLEX.

Miſſa, Exaltávi, *de Communi Pontificum.*

Pro Commemoratione S. BRICTII, Epiſc. Coll. Deus, Fidélium, *p.* xix.

DIE XIV.
In Feſto
SANCTI STREMONII, *Virid.*
Primi Arvernorum Epiſcopi.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

MIttam ex eis qui ſalváti fúerint, ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam; & annuntiábunt glóriam meam géntibus. *PSALM.* Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra. Glória. Mittam. *Iſai. 66.* *Pſal. 95.*

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui ad géntium illuminatiónem, beátum Stremónium Pontíficem prædicatiónis evangélicæ glóriâ decoraſti; præſta ut quos per ipsíus documenta eſſe donaſti fidéles, meritórum imitatóres eſſe concédas; Per Dóminum. *M. P.*

Pro Commemoratione S. URSINI, Epiſc. Collecta, Deus, cujus ineffábili. *Ut in Communi Fundatorum Eccleſiarum, pag.* xvj.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli ad Côlossenses.

Cap. 1. FRatres ; Factus sum ego minister Eccléſiæ, ſecundùm diſpenſatiónem Dei, quæ data eſt mihi in vos, ut ímplĕăm verbum Dei : myſtérium, quod abſcónditum fuit à ſéculis & generatiónibus, nunc autem manifeſtátum eſt ſanctis ejus, quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ ſacramenti hujus in géntibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes glóriæ ; quem nos annuntiámus, corripientes omnem hóminem, & docentes omnem hóminem in omni ſapiéntia ; ut exhibeámus omnem hóminem perfectum in Chrîſto Jeſu. In quŏ & labóro, certando ſecundùm operatiónem ejus, quam operátur ĭn mĕ in virtúte.

Act. 26. *GRADUALE.* In gentes ego mitto te, aperíre óculos eórum, ut convertantur à ténebris ad lucem, & de poteſtáte ſátanæ ad Deum. ℣. Ut accípiant remiſſiónem peccatórum, & ſortem inter Sanctos per fidem quæ eſt in me.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Auxílio adjútus Dei, géntibus annuntiábam, ut pœniténtiam ágerent, & converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera facientes. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 19. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hănc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longinquam accípĕrĕ ſibi regnum, & revĕrti. Vocátis autem decem ſervis ſuis, dedit eĭs decem mnas, & ait ad ĭllos : Negotiámini dum vĕnio. Cives autem ejus óderant eum : & miſérunt legatiónem pŏſt illum, dicentes ; Nólumus hunc regnáre ſuper nŏs. Et factum eſt, ut rediret ăccepto regno ; & juſſit vocári ſervos, quibus dedit pecúniam, ut ſciret quantùm quiſque negotiátus ĕſſet. Venit autem primus, dĭcens : Dómine, mna tua decem mnas acquisĭvit. Et ait ĭlli : Euge, bone ſerve, quia in módico fŭiſti fidélis, eris poteſtátem habens ſuper decem civitătes. Et alter venit, dĭcens : Dómine, mna tua fecit quinque mnăs. Et huic ăit : Et tu eſto ſuper quinque civitătes. Et alter venit, dĭcens : Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in ſudário ; tímui enim te, quia homo ăuſtérus es : tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminăſti. Dicit ĕi : De ore tuo te júdico, ſerve nĕquam. Sciébas quòd ego homo auſtérus ſum, tollens quod non póſui, & metens quod nŏn ſeminávi : & quare non dediſti pecúniam meam ad menſam, ut ego véniens, cum uſúris útique exegiſſem illam ? Et aſtántibus dĭxit : Auferte ăb illo mnam, & date illi qui decem mnas hăbet. Et dixérunt ĕi : Dómine, habet decem mnăs. Dico autem vobis, quia omni habenti dábitur, ĕt abundábit : ab eo autem, qui non habet, & quŏd hăbet auferétur ab eo.

OFFERTORIUM. Nos non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed Spíritum qui ex Deo eſt ; & lóquimur, non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in doctrína ſpíritûs. 1. Cor. 2.

SECRETA.

PLebs tua, Dómine, per hæc ſacrifícia, dignas tibi réferat pro inenarrábili dono fídei gratiárum actiónes ; & intercedente beáto Stremónio Pontífice obtíneat, ut ſacris intenta doctrínis, quæcumque juſta & ſancta ſunt, toto corde ſectétur ; Per Dóminum noſtrum. M. P.

De S. URSINO, Fundamentum, *pag.* xvij.

Præfatio DE *FUNDATORIBUS Eccleſiarum.*

Act. 9. *COMMUNIO.* Eccléſia ædificabátur, ámbulans in timóre Dómini; & conſolatióne ſancti Spíritûs replebátur.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SAlutári myſtério, quæſumus, Dómine, conſerva in fidéli pópulo miſericórdiam tuam; ut quos per beátum Stremónium ab erróris liberaſti calígine, veritátis tuæ fírmiùs inhærére fácias documento; Per.

De S. URSINO, Per hujus operatiónem. *pag.* xvij.

DIE XV.

In Feſto

Rub. SANCTI PAPULI, Martyris.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Pſal. 26. SI conſiſtant adversùm me caſtra, non timébit cor meum: Si exurgat adversùm me prælium, in

Ibid. hoc ego ſperábo. *PSALM.* Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timebo? Glória. Si conſiſtant.

COLLECTA. Orémus.

DA quæſumus, omnípotens Deus, juge incrementum fídei, quam beátus Martyr Pápulus in his regiónibus plantávit & próprio sánguine rigávit; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

1. Cor. 2. FRatres; Sapiéntiam lóquimur inter perfectos; ſapiéntiam verò non hujus ſéculi, neque príncipum hujus ſéculi, quĭ deſtruuntur: ſed lóquimur Dei ſapiéntiam in myſtério, quæ abſcóndita eſt, quam prædeſtinávit Deus ante ſécula in glóriam noſtram, quam nemo príncipum hujus ſéculi cognóvit; ſi enim cognoviſſent, numquam Dóminum glóriæ crucîfixiſſent. Sed ſicŭt ſcriptum eſt; Quòd óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcendit, quæ præparávit Deus iis, qui dîligunt illum. Nobis autem revelávit Deus pĕr Spíritum ſuum: Spíritus enim ómnia ſcrutátur, étiam profûnda Dei. Quis enim hóminum ſcit quæ ſunt hóminis, niſi ſpíritus hóminis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt nemo cognóvit, niſi Spîritus Dei. Nos autem non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed Spíritum qui ex Deo eſt; ut ſciámus quæ à Deo dŏnáta ſunt nobis: quæ & lóquimur, non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis ſed in doctrína Spíritus, ſpiritŭălibus ſpirituália comparantes.

GRADUALE. Firmamentum meum & refúgium meum es tu, Deus meus: tu es patiéntia mea, Dómine. ℣. Quantas oſtendiſti mihi tribulatiónes, & converſus vivificaſti me. Pſal. 70.

Allelúia, allelúia. ℣. Viríliter age, & confortétur cor tuum, & ſúſtine Dóminum. Allelúia. Pſal. 26.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Qui vŏs audit, me audit me audit; & qui vos ſpernit, me ſpĕrnit. Quĭ autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit mĕ. Reverſi ſunt autem ſeptuagintă duo cum gáudio, dicĕntes: Dómine, étiam dæmónia ſubjiciuntur nobis in nómine tŭo. Et ait ĭllis: Vidébam sátanam ſicut fulgur de cœlo cadĕntem. Ecce dedi vobis poteſtátem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiónes, & ſuper omnem virtútĕm inimíci, & nihil vobis nocĕbit. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére, quia ſpíritus vobis sŭbjiciuntur: gaudéte autem quòd nómĭnă vĕſtra ſcripta ſunt in cœlis.

OFFERTORIUM. Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit Pſal. 115.

mihi,

mihi? Cálicem salutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo.

Secreta.

REspice, Dómine, propítius super hæc múnera, quæ in beáti Pápuli Mártyris tui Festivitáte pro nostris offensiónibus immolámus; Per.

Præfatio de Martyribus.

Psal. 85. *Communio.* Vídeant qui odérunt me, & confundantur; quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me.

Postcommunio. Orémus.

M. P. SUmpsimus, Dómine, in Festivitáte sancti Mártyris tui Pápuli tua sancta lætantes; da nobis, quæsumus, ejus intercessióne, fidem quæ nostris cooperétur opéribus, & ex opéribus consummáta coronétur; Per.

Die xvii.
In Festo
SANCTI GREGORII,
Viríd. Thaumaturgi, Neocæsareæ Episcopi.

Semiduplex.

Missa Exaltávi, *ut in Communi Pontificum, p.* xvij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DA nobis, quæsumus, Dómine, fámulis tuis inviolábilem fídei firmitátem, ut beáti Gregórii Pontíficis memóriam celebrantes, méritis ipsíus interveniéntibus, regni cœléstis gáudia consequámur; Per.

Pro Commemoratione S. Gregorii, Turon. Episc. Collecta, Deus, qui pópulis. *pag.* xvij.

Secreta.

BEáti Gregórii Pontíficis tui memóriam in hoc solemni sacrifício celebrantes, quæsumus, omnípotens Deus, ut cujus exempla mirámur & cólimus, etsi æquáre factis non póssumus, saltem vestígia sequi, & fidem nobis tríbuas imitári; Per.

De S. Gregorio Turonensi, In conspectu. *pag.* xviij.

Postcommunio. Orémus.

IN hac festivitáte beáti Gregórii Pontíficis sacro múnere vegetáti, te, Dómine, deprecámur, ut cujus natalítia celebrámus, ad impetrandam misericórdiam tuam, ejus semper patrocíniis adjuvémur; Per.

De S. Gregorio Turonensi, Deus, qui eâdem *pag.* xviij.

Die xix.
In Festo
SANCTÆ ELIZABETH,
Viol. Viduæ.

Simplex.

Missa, Exultáte. *ut in Communi Viduarum, pag.* xxxix.

Die xx.
In Festo
S. FELICIS VALESII,
Viol. Presbyteri.

Simplex.

Missa, Justus. *ut in Communi unius Presbyteri, pag.* xxv. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum Felícem ab erémo ad munus captívos redimendi cœlitùs vocáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut ipso intercedente, à peccatórum vínculis solúti, ad cœléstem pátriam perducámur; Per.

Secreta.

PLáceat tibi, Dómine Deus, intercedente beáto Felíce Presbytero, hæc nostræ servitútis oblátio; quæ & peccatórum nostrórum víncula dissólvat, & tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet; Per Dóminum.

Præfatio de Presbyteris.

Postcommunio. Orémus.

SAcramenta nos, Dómine, in festivitáte beáti Felícis Presbyteri sumpta vivíficent, & in tua caritáte firmá-

tos à peccáti ſervitúte tueantur; Per Dóminum noſtrum.

Die xxi.

In Feſto Præſentationis.

Alb. BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duple x-Maius.

Introitus.

Pſal. 44. ADducentur Regi vírgines poſt eam, próximæ ejus afferentur tibi: afferentur in lætítia & exultatióne, adducentur in templum Regis. *Psalm.* Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi. Glória. Adducentur.

Ibid.

Collecta. Orémus.

℣. P. DEus, qui beátam Maríam ſemper Vírginem, Spíritûs ſancti habitáculum, hodiernâ die in templo præſentári voluiſti: præſta, quæſumus, ut ejus interceſſióne, in templo glóriæ tuæ præſentári mereámur; Per.... in unitáte ejuſdem.

Pro Commemoratione S. Columbani, Abbatis. Deus, cujus múnere, *in Communi*, *pag.* xxvj. N°. 1.

Léctio libri Eccléſiáſtici.

Cap. 51. QUæsívi ſapiéntiam palàm in oratióne mea. Ante templum poſtulábam pro illa, & uſque in noviſſimis ĭnquíram eam: & efflóruit tamquam præcox uva. Lætátum eſt cor mêum in ea. Ambulávit pes meus îter rectum. A juventúte mea inveſtigâbam eam. Inclinávi módicè aurĕm mĕam, & excépi illam.

Pſal. 44. *Graduale.* Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam, & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui. ℣. Et concupiſcet Rex decórem tuum, quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus.

Allelúia, allelúia. ℣. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui páſcitur inter lília. Allelúia. Cant. 2.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 11. IN illo témpore; Loquente Jĕſu ad turbas, extollens vocem quædam múlier de turba, dixit ĭlli: Beátus venter quĭ te portávit, & úbera, quæ ſuxĭſti. At ille dĭxit: Quin immò; beáti, qui áudiunt verbŭm Dĕi, & cuſtódiunt illud.

Dicitur Credo.

Pſal. 83. *Offertorium.* Concupiſcit & déficit ánima mea in átria Dómini: cor meum & caro mea exultavérunt in Deum vivum.

Secreta.

M. P. SUper hæc dona, quæſumus, Dómine, Spíritûs ſancti grátia deſcendat, quo plena beatíſſima Virgo María, ſe tibi óbtulit hóſtiam vivam, ſanctam, atque placentem; Per.... in unitáte ejuſdem.

De S. Columbano, Noſtræ obſéquium. *pag.* xxvij.

Præfatio de B. Maria. Et te in Præſentatione.

Pſal. 131. *Communio.* Elégit eam Dóminus, elégit eam in habitatiónem ſibi.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui beátæ Maríæ ſanctum virginitátis propóſitum infudiſti; præſta, quæſumus, ut qui in ejus Præſentatióne ſúmpſimus frumentum electórum, & vinum gérminans vírgines, operante hujus ſacramenti virtúte, illibátam mentis & córporis puritátem ſervâre, & inter electos aſcríbi mereámur; Per Dóminum noſtrum.... in unitáte ejuſdem.

De S. Columbano. Omnípotens, *pag.* xxviij.

Die xxii.
In Festo
SANCTÆ CÆCILIÆ,
Rub. Virginis & Martyris.
Semiduplex.

Missa, Tenuisti, *ut in Communi Virginis Martyris, p.* xxxviij. *præter Orationes.*

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui nos ánnuâ beátæ Cæcíliæ Vírginis & Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas; da, ut cujus natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur; Per Dóminum.

Secreta.

M. P. DEus, qui puris in pectóribus hábitas, da nobis hujus sacræ oblatiónis virtúte, ut, beátæ Vírginis Cæcíliæ imitatióne, per tuam grátiam tales esse meréamur, in quibus habitáre dignéris; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. SUmpsimus, Dómine, sacramenta cœléstia in commemoratióne sanctæ Cæcíliæ Vírginis & Mártyris tuæ: præsta, quæsumus, ut ejus précibus & imitatióne, purâ tibi mente famulári mereámur; Per Dóminum.

Die xxiii.
In Festo
SANCTI CLEMENTIS,
Rub. Papæ & Martyris.
Semiduplex.

Missa, Ecce, *de Communi unius summi Pontificis Martyris, pag.* xiij. *præter Epistolam sequentem.*

Léctio Epístolæ beátī Pauli Apóstoli ad Philippenses.

Cap. 3. IMitatóres mei estóte, Fratres, & obsérváte eos, quī ita ámbulant, sicut habétis fórmam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpè dicébam vobis (nunc autem & flens dico) inimícŏs crucis Christi: quorum finis intéritus; quorum Deus venter est, & glória in confusióne ipsórum; qui terrêna sápiunt. Nostra autem conversátio ĭn cœlis est: unde étiam salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secundùm operatiónem, qua étiam possit subjícere sibi ómnia. Itaque, fratres mei caríssimi & desideratíssimi, gáudium meum & cŏróna mea: sic state in Dômino caríssimi. Evódiam rogo, ĕt Syntychen déprecor, idipsum sâpere in Dómino. Etiam rogo & te, gĕrmáne compar, ádjuva illas, quæ mecum laboravérunt in Evangélio, cum Clemente & céteris adjutóribus meis, quorum nómĭnă sŭnt in libro vitæ. Cap. 4.

Die xxiv.
In Festo
SANCTI AMANDI,
Virid. Episcopi.
Semiduplex.

Missa, Mittam, *ut in Communi Fundatorum Ecclesiarum, pag.* xv. *Collecta*, Deus, cujus ineffábili.

Pro Commem. S. Chrysogoni, *Martyris, Collecta*, Adesto, *ut in Communi, pag.* vij.

Die xxv.
In Festo
SANCTÆ CATHARINÆ,
Rub. Virginis & Martyris.
Semiduplex.

Missa, Tenuisti, *in Communi Virginis & Martyris. pag.* xxxiij.

Die xxvi.
In Festo
SANCTI LINI,
Rub. Papæ & Martyris.

Semiduplex.

Missa, Ecce, *ut in Communi summi Pontificis Martyris, pag.* xiij.

Pro Commemoratione S. Petri, Alexandrini Episc. & Mart.

Collectæ. Orémus.

M. P. DEus, cujus grátia beátum Petrum Pontíficem tuum in sacerdótium elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit: da nobis ex ejus imitatióne pópulum christiánum & instrúere vivendi exemplo, & confirmáre patiéndo; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Secreta.

M. P. SIcut beátus Petrus in sacrifício tuo, Dómine, sanctus Póntifex, & in confessióne tui nóminis Martyr invíctus éxtitit: ita nos hujus oblatiónis prétio, & pios coram te, & pro te fortes grátiæ tuæ virtus efficiat; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. TRíbue nobis, Dómine, per hæc sancta quæ sumpsimus, beáti Petri, Pontíficis & Mártyris exempla sectári, qui nos ad glóriam per multas tribulatiónes promerendam, & hortátu accendit, & martyrio roborávit; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

Die xvii.
In Festo
SS. VITALIS & AGRICOLÆ,
Rub. Martyrum.

Simplex.

Extrà Adventum, Missa, Propter te, *ut in Communi plurium Martyrum, p.* ix. *exceptis quæ sequuntur.*

Collecta. Orémus.

DEus, cujus grátiâ sancti Mártyres Vitális & Agrícola, mundi nec blandítiis, nec terróribus devicti sunt; da nobis ut te solum diligentes, próspera mundi, simul & adversa despiciámus; Per Dóminum. M. P.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Gálatas.

FRatres: Omnes fílii Dei estis per fidem, quæ est in Chrîsto Jesu. Quicumque enim in Christo baptizáti estis, Christum înduistis. Non est Judæus, nequæ Græcus; non est servus, neque liber; non est másculus, nêque fémina. Omnes enim vos unum estis in Chrîsto Jesu. Si autem vos Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissiónem herédes. Cap. 3.

Secreta.

DEus, apud quem non est accéptio personárum, súscipe hanc in beatórum Vitális & Agrícolæ festivitáte oblatiónem; cujus prétio redempti, jam non servi hóminum, sed in te líberi omnes esse gaudémus; Per. M. P.

Postcommunio. Orémus.

DEus, qui beáto Agrícolæ beátum Vitálem non ut servum, sed pro servo fratrem caríssimum sociásti; da, ut qui filiórum pane nutrímur, in nostra unusquisque vocatióne dignè ambulantes, filiórum hereditátem consequámur; Per Dóminum. M. P.

¶ *Missæ Festorum quæ occurrunt die 29 & deinceps, habentur suprà, p* 363. *In iis extra Adventum omittitur Commem. de Adventu & de B. M. V. Deum paritura.*

COMMUNE SANCTORUM.

De APOSTOLIS, *in eorum Vigiliis ac Festis, ut in Proprio Sanctorum.*

I. COMMUNE MARTYRIS PONTIFICIS, *extra Tempus Paschale.*

Introitus.

Act. 20. VINCULA & tribulatiónes me manent : sed nihil horum véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodò consummem cursum meum, & ministérium verbi, quod accépi à Dómino Jesu. *Psalm.* Dóminus illuminátio mea, & salus mea : * quem timébo ? Glória. Víncula.

Psal. 26.

Collecta. Orémus.

M. P. OMnípotens sempiterne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis : da nobis in festivitáte beáti *N.* cum gratiárum actióne lætári, qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit ; & quod prædicávit ore, confirmávit exemplo ; Per eumdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

2. Cor. 1. FRatres ; Benedictus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, & Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra : ut possímus & ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem qua exhortámur & ipsi à Deo. Quóniam sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolâtio nostra. Sive autem tribulámur, pro vestra exhortatióne & salúte ; sive consolámur, pro vestra consolatióne ; sive exhortámur, pro vestra exhortatióne & salúte, quæ operátur tolerántiam earumdem passiónum, quas & nos pátimur : ut spes nostra firmă sit pro vobis : scientes quòd, sicut sócii passiónum estis, sic ĕritis & consolatiónis.

Graduale. In Evangélio labóro usque ad víncula, quasi malè óperans : sed verbum Dei non est alligátum. ℣. Ego non solùm alligári, sed & mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu.

2. Tim. 2. Act. 21.

Allelúia, allelúia. ℣. Qui vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen meum novum. Allelúia.

Apoc. 3.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Tractus. Respondébo exprobrántibus, mihi verbum, quia sperávi in sermónibus tuis. Ne aúferas de ore meo verbum veritátis usquequáque ; quia in judíciis tuis superspéravi. Et custódiam legem tuam semper, in séculum, & in séculum séculi.

Psal. 118.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 10. IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis sŭis : Non est discípulus super magistrum, nec servus supĕr

dóminum ſuum : ſúfficit diſcípulo, ut ſit ſicut magiſter ejus; & ſervo, ſicut dóminus ĕjus. Si Patremfamílias Beélzĕbub vocavérunt, quantò magìs doméſticos ejus? Ne ergo timŭéritis eos : nihil enim eſt opertum quod non revelábitur, & occultum quod non ſciĕtur. Quod dico vobis in ténĕbrĭs, dícite in lúmine; & quod in aure audítis, prædicáte ſuper tĕcta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem nŏn poſſunt occídere; ſed pótiùs timéte eum qui poteſt & ánimam & corpus pérdere in gehĕnnam. Nonne duo páſsĕrĕs aſſe véneunt : & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli cápitis omnes numeráti sŭnt. Nolítĕ ergo timére; multis paſséribus melióres eſtis vŏs. Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui ĭn cœlis eſt : qui autem negáverit me coram homínibus, negábo & ego eum coram Patrĕ mĕo qui in cœlis eſt.

Col. 1. 24. *OFFERTORIUM.* Gáudeo in paſſiónibus, & adímpleo ea quæ deſunt paſſiónum Chriſti, in carne mea, pro córpore ejus, quod eſt Eccléſia, cujus factus ſum ego miniſter.

SECRETA.

MUnera noſtra, Dómine, benedictióne ſuâ perfundat Spíritus tuus, & nos conſtantes efficiat in fide veritátis, quam beátus Martyr & Póntifex *N.* & præcónio vocis & ſánguinis effuſióne teſtátus eſt; Per Dóminum..... in unitáte ejuſdem.

PRÆFATIO de S. MARTYRE.

Pſal. 22. *COMMUNIO.* Calix meus inébrians quàm præclárus eſt! & miſericórdia tua, Dómine, ſubſequétur me, ut inhábitem in domo Dómini in longitúdinem diérum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DA nobis, Deus, beáti *N.* Mártyris tui atque Pontíficis exemplo & précibus, ab altáris tui menſa tanquam leónes recédere, caritátis ignem ſpirantes, & diábolo factos divínâ virtúte terríbiles; Per Dominum. M. P.

II. COMMUNE MARTYRIS PONTIFICIS, *extra Tempus Paſchale.* Rub.

INTROITUS.

Pſ. 17. COnfortáti ſunt inimíci mei ſuper me : & factus eſt Dóminus protector meus, & eduxit me in latitúdinem; ſalvum me fecit, quóniam vóluit me. *Pſ.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea : * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Confortáti.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, cujus grátia beátum *N.* Pontíficem tuum in ſacerdótium elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perſeverandum confirmávit : da nobis ex ejus imitatióne pópulum chriſtiánum & inſtrúere vivendi exemplo, & confirmáre patiendo; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ béatĭ Pauli Apóſtoli âd Timótheum.

1. Tim. 6. CAríſſime; certa bonum certámen fídei, apprehende vitam æternam, in qua vŏcátus es; & confeſſus bonam confeſſiónem coram mûltis téſtibus. Præcípio tibi coram Deo, qui vivíficat ómnia & Chriſto Jeſu, qui teſtimónium réddidit ſub Póntio Piláto, bonam cŏnfeſſiónem; ut ſerves mandátum ſine mácula, irreprehenſíbile, uſque in adventum Dómini noſtri Jeſu Chriſti; quem ſuis

tempóribus oſtendet beátus & ſolus potens, Rex regum, & Dóminus dominántium; qui ſolus habet immortalitátem, & lucem inhábitat inacceſſíbilem; quem nullus hóminum vidit, ſed nec vidére poteſt: cui honor & impérium ſempĭtĕrnum. Amen.

Apoc. 2. *GRADUALE.* Novi ópera tua, & fidem & caritátem tuam, & miniſtérium, & patientiam tuam. ℣. Patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Qui vícerit & cuſtodíerit uſque in finem ópera mea, dabo illi poteſtátem ſuper gentes, ſicut & ego accépi à Patre meo.

Poſt Septuageſimam, omiſſis, Allelúia, *&* ℣. *Graduali additur*

Pſ. 118. *TRACTUS.* Reſpondébo exprobrántibus mihi verbum, quia ſperávi in ſermónibus tuis. Ne aúferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque; quia in judíciis tuis ſuperſperávi. Et cuſtódiam legem tuam ſemper, in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Seqúentia Sanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 22. IN illo témpore; Facta eſt contĕntiŏ inter diſcípulos, quis eórum viderétur eſſe măjor. Dixit autem eis Jesŭs: Reges géntium domĭnantur eórum: & qui poteſtátem habent ſuper eos, benéfici vocántur. Vŏs autem non ſic: ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrător. Nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in médio veſtrum ſum, ſicŭt qui miniſtrat; vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentatiónibus mĕis. Et ego diſpóno vobis ſicut diſpóſuit mihi Pater meus regnum; ut edátis & bibátis ſuper menſam meam ĭn regno meo; & ſedeátis ſuper thronos, judĭcántes duódecim tribus Iſrael.

11. Reg. 15. *OFFERTORIUM.* In quocumque loco fúeris, Dómine, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus.

SECRETA.

M. P. SIcut béatus *N.* in ſacrifício tuo, Dómine, ſanctus Póntifex, & in confeſſióne tui nóminis Martyr invíctus éxtitit: ita nos hujus oblatiónio prétio, & pios coram te, & pro te fortes grátiæ tuæ virtus effíciat; Per Dóminum.

PRÆFATIO de S. MARTYRE.

Pſ. 90. *COMMUNIO.* Scápulis ſuis obumbrábit tibi Dóminus, & ſub pennis ejus ſperábis: ſcuto circúmdabit te véritas ejus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

TRibue nobis, Dómine, per hæc ſancta quæ ſúmpſimus, beáti *N.* Pontíficis & Mártyris exempla ſectári, qui nos ad glóriam per multas tribulatiónes promerendam, & hortátu accendit, & martyrio roborávit; Per.

Rub. *COMMUNE*
MARTYRIS PRESBYTERI,
extra Tempus Paſchale.

INTROITUS.

Pſ. 26. SI conſiſtant adversùm me caſtra, non timébit cor meum: Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego ſperábo. Ibid. *Pſ.* Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea: * quem timébo? Glória. Si conſiſtant.

COLLECTA. Orémus.

S. G. DEus, à quo conſtántiam fides, & virtútem ſumit infírmitas: quæſumus, ut beáti *N.* Sacerdótis & Mártyris tui exemplo & précibus, quidquid in perſecutiónibus ſævum eſt, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confeſſióne ſuperáre; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ béatĭ Pauli Apóstoli âd Timótheum.

II. Tim. 2. FIlli mi; Confŏrtáre in grátia, quæ est in Chrîsto Jesu. Et quæ audísti à me pĕr multos testes, hæc commenda fidélibus hominibus, qui idónei erunt & âlios docére. Labóra sicut bonus miles Chrîsti Jesu. Nemo mílitans Deo ímplicat se negótĭis seculáribus, ut ei pláceat cui sĕ probávit. Nam & qui certăt in agóne, non corŏnătur, nisi legítimè certáverit.

Ps. 70. *GRADUALE.* Firmamentum meum & refúgium meum es tu, Deus meus; tu es patiéntia mea, Dómine. ℣. Quantas ostendísti mihi tribulatiónes, & conversus vivificásti me!

Ps. 26. Allelúia, allelúia. ℣. Víriliter age, & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum. Allelúia.

Ps. 118. *Post Septuagesimam, omissis* Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

TRACTUS. Respondébo exprobrántibus mihi verbum, quia sperávi in sermónibus tuis. Ne aúferas de ore meo verbum veritátis usquequáque; quia in judíciis tuis superspéravi. Et custódiam legem tuam semper, in séculum & in séculum séculi.

Sequéntia Sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 14. IN illo témpore; Dixit Jesus tŭrbis: Qui non bájulat crucem suam, ĕt venit post me, non potest meus esse discĭpulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non priùs sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad pĕrficiendum; ne posteaquàm posúerit fundamentum, & non potúerit perfícere, omnes, qui vident, incípiant illúdere ei, dicentes: quia hic homo cœpit ædificáre, & non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus committere bellum adversŭs alium regem, non sedens priùs cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum viginti míllibus venit ad se? Alióquin, adhuc illŏ longè agente, legatiónem mittens, rogat ea, quæ pacis sŭnt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntĭăt omnibus, quæ póssidet, nŏn pŏtest meus esse discípulus.

OFFERTORIUM. Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo. Ps. 115.

SECRETA.

EAdem tibi hóstiâ litántibus, Dómine, quâ sibi vires ad própriæ vitæ sacrifícium præparávit Sacerdos tuus ac Martyr *N.* da fidem, quæ & Eccléstam tuam ædíficet, & nunquam Evangélium Christi coram hóminibus erubescat; Per eumdem. M. P.

PRÆFATIO de S. MARTYRE.

COMMUNIO. Vídeant qui odérunt me, & confundantur; quia tu, Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me. Ps. 85.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PRæstent nobis, quæsumus, Dómine, sacra mystéria quæ súmpsimus, eam ánimi fortitúdinem, quæ beátum *N.* Sacerdótem tuum réddidit in ministério fidélem, & in passióne victórem; Per Dóminum.

I. COMMUNE MARTYRIS NON PONTIFICIS, *extra Tempus Paschale.* Rub.

INTROITUS.

ADómino patiéntia mea, quia ipse Deus meus, & salvátor meus: in Deo salutáre meum & glória mea. *Psal.* Nonne Deo subjecta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum. Glória. A Dómino. Psal. 61.

COLLECTA.

Collecta. Orémus.

M. P. Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minis injustè persequéntium, nec ullis perturbémur adversis; Per.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli.

Cap. 1. Omne gáudium exístimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes váriás incidéritis; scientes quòd probátio fídei vestræ patiéntiam ôperátur. Patiéntia autem opus pérfectum habet: ut sitis perfecti & íntegri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter, ĕt non impróperat: & dâbitur ei. Póstulet autem in fidĕ nihil hæsitans: qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui à vento movétur, & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quòd accípiat âliquid à Dómino. Vir duplex ánimo, inconstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua, dives autem in humilĭtáte sua; quóniam sicut flos fœni transíbit. Exortus est enim sol cum ardóre, & arefécit fœnum, & flos ejus décidit, & decor vultŭs ejus depériit; ita & dives in itinéribus sûis marcescet. Beátus vir, qui suffert tĕntatiónem; quóniam, cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísĭt Dĕus diligéntibus se.

Psal. 58. *Graduale.* Cepérunt ánimam meam, irruérunt in me fortes: neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine. ℣. Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, quia factus es susceptor meus & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

2. Tim. 4. Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus mihi ástitit, & confortávit me, & salvum fecit in regnum suum cœleste. Allel.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia & ℣. *Graduali additur*

Psal. 117. *Tractus.* De tribulatióne invocávi Dóminum, & exaudívit me in latitúdine Dóminus. Dóminus mihi adjútor: non timébo quid fáciat mihi homo. Dóminus mihi adjútor, & ego despíciam inimícos meos.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 16. In illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Si quis vult pŏst me veníre, ábneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequátur mĕ. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácĕrĕ, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet ĕam. Quid enim prodest hómini, si mundum universum lucrétur; ánimæ verò suæ detrimentum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cŭm Angelis suis; & tunc reddet unicŭĭque secundùm ópera ejus.

Mat. 8. *Offertorium.* Qui perdíderit ánimam suam propter me & Evangélium, salvam fáciet eam.

Secreta.

M. P. Oblata múnera, quæsumus, Dómine, tuâ benedictióne sanctífica, quæ, te donante, nos illâ flammâ tuæ dilectiónis accendat, per quam sanctus *N.* Martyr tuus tormenta sui córporis universa devícit; Per.

Præfatio de S. Martyre.

Psal. 22. *Communio.* Parasti, Dómine, in conspectu meo mensam adversùs eos qui tríbulant me.

Postcommunio.

Orémus.

M. P. Beáti Mártyris tui *N.* victóriam divíno convívio celebrantes; te, Dómine, depóscimus, ut panem vitæ

hìc edéntibus des víncere, & vincéntibus des édere de ligno vitæ in paradíso; Per Dóminum.

Rub. ## *II. COMMUNE* MARTYRIS NON PONTIFICIS, *extra Tempus Paschale.*

Introitus.

Job. 25. PRobávit me Dóminus quasi aurum, quod per ignem transit: vestígia ejus secútus est pes meus: viam ejus custodívi, & non declinávi ex ea. Psal. 16. *Ps.* Exáudi, Dómine justítiam meam: * intende deprecatiónem meam. Glória. Probávit.

Collecta. Orémus.

M. P. DA nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto *N.* Mártyre tuo in tua fide & sinceritáte constántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per.

1. Petr. 4. Léctio Epístolæ beáti Pètri Apóstoli.

CAríssimi; Communicantes Christi passiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis êxultantes. Si exprobrámini in nómine Christi, bĕáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos rêquiescit. Nemo autem vestrum patiátur ŭt homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum âppetítor. Si autem ut Christiánus, nŏn erubescat, glorificet autĕm Dĕum in isto nómine.

Eccli. 4. Deut. 31. *Graduale.* Certa usque ad mortem pro justítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. ℣. Dóminus ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timére, nec páveas.

Ps. 15. Allelúia, allelúia. ℣. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear: propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis, Allelúia, *& ℣. Graduali additur*

Psal. 117. *Tractus.* De tribulatióne invocávi Dóminum, & exaudívit me in latitúdine Dóminus. Dóminus mihi adjútor: non timébo quid fáciat mihi homo. Dóminus mihi adjútor, & ego despíciam inimícos meos.

Cap. 8. Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

IN illo témpore; Convocáta turba Jesus cum dĭscípulis suis, dixit ĕis: Si quĭs vult me sequi, déneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequátur mĕ. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácĕrĕ, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me & Evangélium, salvam fáciet ĕam. Quid enim próderit hómini, si lucrétŭr mundum totum, & detrimentum ánimæ suæ fáciat? aut quid dabit homo commutatiónis pro ánima sua? Qui enim me confúsus fúerit, & verba mea, in generatióne ista adúltera ĕt peccatríce; & Fílius hóminis confundétur eum, cùm vénerit in glória Patrĭs sŭi cum Angelis sanctis.

Psal. 53. *Offertorium.* Voluntáriè sacrificábo tibi, & confitébor nómini tuo, Dómine; quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me, & super inimícos meos despexit óculus meus.

Secreta.

M. P. SIcut his sacrifíciis, Dómine, Unigénitum tuum testámur ánimam suam posuísse pro nobis; ita beáto *N.* Martyre tuo intercedente, ab iisdem discámus parátos esse pro Unigénito tuo, & pro nostris frátribus ánimas pónere; Per eumdem.

Præfatio de S. Martyre.

Apoc. 21. *Communio.* Qui vícerit, ero illi Deus, & ille erit mihi fílius.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. CŒléstibus, Dómine, corróbora nos sacraméntis; ut eâdem virtúte vitiórum blandiménta vincámus, quâ beátus Martyr *N.* tormentórum immanitátem pro fide tui nóminis superávit; Per Dóminum.

COMMUNE MARTYRIS,

Rub. etiam Pontificis, aut Presbyteri, *Tempore Paschali.*

INTROITUS.

Psal. 63. PRotexísti me, Deus, à conventu malignántium, allelúia: à multitúdine operántium iniquitátem, allelúia, allelúia. *Psal.* Exaudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam. Glória. Protexísti.

COLLECTÆ pro PONTIFICE.

Orémus.

I. M. P. OMnípotens sempiterne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis: da nobis in festivitáte beáti *N.* cum gratiárum actióne lætári, qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit; & quod prædicávit ore, confirmávit exemplo; Per.

Orémus.

II. S. R. DEus, cujus gratia beátum *N.* Pontíficem tuum in sacerdótium elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit: da nobis ex ejus imitatióne, pópulum christiánum & instrúere vivendi exemplo, & confirmáre patiendo; Per.

COLLECTA pro PRESBYTERO.

Orémus.

S. G. DEus, à quo constántiam fides, & virtútem sumit infírmitas: quæsumus, ut beáti *N.* Sacerdótis & Mártyris tui exemplo & précibus, quidquid in persecutiónibus sævum est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre; Per.

COLLECTÆ pro MARTYRE, tantùm.

Orémus.

I. ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minis injustè persequéntium, nec ullis perturbémur adversis; Per.

Orémus.

II. M. P. DA nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto *N.* Mártyre tuo in tua fide & sinceritáte constántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Timótheum.

Tim. 2. CAríssime; Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse à mórtuis ex sémine David, secundùm Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi malè óperans: sed verbum Dei non est âlligátum. Ideò ómnia sustíněŏ propter electos, ut & ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glôria cœlesti. Fĭdélis sermo: nam si commórtui sumus, & convivémus; si sustinébimus, & conregnábimus; si negavérimus, & ille negábit nos; si non crédimus, ille fidélis permanet, negáre seîpsum non potest. Hæc cómmone, tĕstĭficans coram Dómino.

Sap. 10. Allelúia, allelúia. ℣. Certámen forte dedit illi Dóminus, ut vínceret.

Apoc. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 9. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Oportet Fílium hóminis multa pati, & reprobári à senióribus,

& princípibus ſacĕrdótum, & Scribis; & occídi, & tértia die resŭrgere. Dicébat autem ad ŏmnes: Si quis vult poſt me veníre, ábnĕgĕt ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotídie, & ſequátur mĕ. Qui enim volúerit ánimam ſuam ſalvam fácĕrĕ, perdet illam: nam qui perdíderit ánimam ſuam propter me, ſalvam fáciet ĭllam. Quid enim próficit homo, ſi lucrétur uníverſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui fáciat? Nam qui me erubúerit, ĕt meos ſermónes, hunc Fílius hóminis erubeſcet, cùm vénerit in majeſtáte ſua, & Patris, & sănctŏrum Angelórum.

Apoc. 3. *Offertorium.* Qui vícerit, veſtiétur veſtimentis albis, & confitébor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. Allelúia.

Secretæ pro Pontifice.

I. MUnera noſtra, Dómine, benedictióne ſuâ perfundat Spíritus tuus, & nos conſtantes efficiat in fide veritátis, quam beátus Martyr & Póntifex *N.* & præcónio vocis, & ſánguinis effuſióne teſtátus eſt; Per Dóminum... in unitate ejuſdem.

II. M. P. SIcut beátus *N.* in ſacrifício tuo, Dómine, ſanctus Póntifex, & in confeſſióne tui nóminis Martyr invictus éxtitit; ita nos hujus oblatiónis prétio, & pios coram te, & pro te fortes grátiæ tuæ virtus efficiat; Per Dóminum.

Pro Presbytero.

M. P. EAdem tibi hóſtiâ litántibus, Dómine, quâ ſibi vires ad própriæ vitæ ſacrifícium præparávit Sacerdos tuus ac Martyr *N.* da fidem, quæ & Eccléſiam tuam ædificet, & nunquam Evangélium Chriſti coram homínibus erubeſcat; Per eumdem.

Pro Martyre.

I. M. P. OBláta múnera, quæſumus, Dómine, tuâ benedictióne ſanctífica, quæ, te donante, nos illá flammâ tuæ dilectiónis accendat, per quam Sanctus *N.* Martyr tuus tormenta ſui córporis univerſa devícit; Per.

II. M. P. SIcut his ſacrifíciis, Dómine, Unigénitum tuum teſtámur ánimam ſuam poſuiſſe pro nobis; ita beáto *N.* Mártyre tuo intercedente, ab iiſdem diſcámus parátos eſſe pro Unigénito tuo, & pro noſtris frátribus ánimas pónere; Per eumdem.

Præfatio de S. Martyre.

Communio. Vincenti dabo édere de ligno vitæ, quod eſt in paradíſo Dei mei, allelúia. Apoc. 2.

Postcommuniones.

Pro Pontifice. Orémus.

I. M. P. DA nos, Deus, beáti *N.* Mártyris tui atque Pontíficis exemplo & précibus, ab altáris tui menſa tanquam leónes recédere, caritátis ignem ſpirantes & diábolo factos divínâ virtúte terríbiles; Per Dóminum.

Orémus.

II. M. P. TRíbue nobis, Dómine, per hæc ſancta quæ ſúmpſimus, beáti *N.* Pontíficis & Mártyris exempla ſectári, qui nos ad glóriam per multas tribulatiónes promerendam, & hortátu accendit, & martyrio roborávit; Per Dóminum.

Pro Presbytero. Orémus.

M. P. PRæſtent nobis, quæſumus, Dómine, ſacra myſtéria quæ ſúmpſimus, eam ánimi fortitúdinem quæ beátum *N.* Sacerdótem tuum réddidit in miniſtério fidélem, & in paſſióne victórem; Per Dóminum.

Pro Martyre. Orémus.

I. M. P. BEáti Mártyris tui *N.* victóriam divíno convívio celebrantes; te, Dómine, depóſcimus, ut panem vitæ

hìc

hìc edéntibus des víncere, & vincéntibus des édere de ligno vitæ in paradíso; Per Dóminum.

Pro MARTYRE. Orémus.

M. P. CŒléstibus, Dómine, corróbora nos sacramentis; ut eâdem virtúte vitiórum blandimenta vincámus, quâ beátus Martyr *N.* tormentórum immanitátem pro fide tui nóminis superávit; Per Dóminum.

I. COMMUNE PLURIUM MARTYRUM, *Extra Tempus Paschale.*

Rub. INTROITUS.

Rom. 8. PRopter te, Dómine, mortificámur totâ die; æstimáti sumus sicut oves occisiónis: sed in his ómnibus superámus propter eum qui dilexit nos. Psal. 43. *Psalm.* Deus noster, refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis. Glória. Propter.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, invisíbilis fortitúdo certántium, adesto, quæsumus, nobis supplicántibus; ut qui hodiernâ die sanctórum Mártyrum tuórum *N.* & *N.* gloriósum triumphum recólimus, eórum méritis & précibus contra spirituália nequítiæ muniámur; Per Dóminum.

Léctio libri Sâpiéntiæ.

Cap. 3. JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormêntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; & æstimáta est afflíctio éxitus illórum; & quod à nobis est itĕr, extermínium: illi autem sûnt in pace. Et si coram homínibus tormentă passi sunt, spes illórum immortalitáte plêna est. In paucis vexáti, in multis benĕ disponentur; quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dîgnos se. Tanquam aurum in fornáce probávit illos; & quasi holocausti hóstiam ăccépit illos; & in témpore erit respéctus illórum. Fŭlgébunt justi, & tanquam scintillæ in arundinêto discurrent. Judicábunt natiónes, & dominăbuntur pópulis; & regnábit Dóminus illŏrum in perpétuum.

GRADUALE. Gládium evaginavérunt peccatóres, ut trucident rectos corde. ℣. Salus autem Justórum à Dómino; & protector eórum in témpore tribulatiónis. Psal. 36.

Allelúia, allelúia. ℣. Momentáneum & leve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis. Allelúia. 2. Cor. 4.

Post Septuagesimam, omissis, Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

TRACTUS. Oculi Dómini super metuentes eum, ut éruat à morte ánimas eórum. Anima nostra sústinet Dóminum, quóniam adjútor & protector noster est. Quia in eo lætábitur cor nostrum, & in nómine sancto ejus sperávimus. Psal. 32.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 6. IN illo témpore; Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis; qui vénerant ut audírent eum, & sanarentur à languóribus sŭis. Et qui vexabantur à spirĭtíbus immundis, curabăntur. Et omnis turba quærébăt eum tangere; quia virtus de illo exíbat, & sanábat ŏmnes. Et ipse elevátis óculis in dĭscípulos suos, dicĕbat: Bĕáti pauperes; quia vestrum est regnum Dĕi. Beáti qui nŭnc esurítis; quia saturabĭmini. Beátĭ qui nunc fletis; quia ridĕbitis. Beáti éritis cùm vos óderint hómines, & cùm separáverint vos,

& exprobráverint, & ejécerint nomen veſtrum tanquam malum, proptĕr Fílium hóminis : gaudéte in illa die, & exultáte ; ecce enim mercĕs vĕſtra multa eſt in cœlo.

Sap. 3. *Offertorium.* Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe : tamquam aurum in fornáce probávit illos, & quaſi holocauſti hóſtiam accépit illos.

Secreta.

M. G. LAudis tibi hóſtias in hac feſtivitáte immolántibus, da nobis, Dómine, adversùs mundi illécebras & terróres, grátiæ tuæ præſídium, qui ſanctis Martyribus tuis *N.* & *N.* virtútem in confeſſióne pugnántibus, & glóriam in paſſióne vincéntibus contuliſti ; Per.

Præfatio de SS. Martyribus.

2. Cor. 1. *Communio.* Sicut abundant paſſiónes Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolátio noſtra.

Postcommunio. Orémus.

M. P. NUtrítos carne Chriſti tui, Dómine, & cum ipſo concorporáles effectos ; da nos, quæſumus, ab ejus caritáte nunquam ſeparári, & ſanctórum Mártyrum tuórum *N.* & *N.* exemplo, in ómnibus ſuperáre propter eum qui dilexit nos ; Per eumdem.

II. COMMUNE PLURIUM MARTYRUM, *Extra Tempus Paſchale.*

Rub. *Introitus.*

Pſal. 43. DEdiſti nos, Dómine, tanquam oves eſcárum : poſuiſti nos oppróbrium, ſubſannatiónem & deríſum his qui ſunt in circúitu noſtro : hæc ómnia venérunt ſuper nos, nec oblíti ſumus te, & iníquè non égimus in teſtamento tuo.

Ibid. *Pſ.* Deus, auribus noſtris audívimus : * patres noſtri annuntiavérunt nobis opus, quod opératus es in diébus eórum. Glória. Dediſti.

Collecta. Orémus.

M. P. OMnípotens ſempiterne Deus, qui in ſanctórum tuórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accendis : da méntibus noſtris eamdem fídei caritátiſque virtútem ; ut Mártyris tui *N.* & ſociórum, quorum gaudémus victóriis, proficiámus exemplis ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

II. Cor. 4. FRatres ; Habentes eumdem ſpíritum fídei, ſicut ſcriptum eſt ; crédidi, propter quod locútus ſum ; & nos crédimus, proptĕr quod & lóquimur : ſcientes quóniam qui ſuſcitávit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitábit, & conſtĭtuet vobiſcum. Omnia enĭm propter vos : ut grátia abundans, per multos in gratiárum actióne, abundet in glôriam Dei. Propter quŏd non defícimus : ſed licèt is qui foris eſt noſter homo corrumpátur ; tamen is qui intùs eſt renovátur de dîe in diem. Id enim, quod in præſenti eſt, momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſupra modum in ſublimitáte æternum glóriæ pondus opĕrátur in nobis ; non contemplántibus nobis quæ videntur, ſed quæ nôn videntur. Quæ enim videntur, tempŏrália ſunt ; quæ autem non videntur, ætêrna ſunt. Scimus enim, quóniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitatiónĭs diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manŭfactam, æternam in cœlis. Cap. 5.

Graduale. Juſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. ℣. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori : illi autem ſunt in pace. Sap 3.

Matt. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Beáti qui perſecutiónem patiúntur propter juſtítiam, quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſal. 32. *TRACTUS.* Oculi Dómini ſuper metuentes eum, ut éruat à morte ánimas eórum. Anima noſtra ſúſtinet Dóminum, quóniam adjútor & protector noſter eſt. Quia in eo lætábitur cor noſtrum, & in nómine ſancto ejus ſperávimus.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 21. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Cùm audiéritis prælia & ſeditiónes, nolíte terréri: opórtet primùm hæc fíeri, ſed nondum ſtatim finis. Tunc dicébat illis: ſurget gens contra gentem & regnum advérſus regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, & peſtiléntiæ, & fames, terrorésque de cœlo, & ſigna magna erunt. Sed ante hæc ómnia, injícient vobis manus ſuas, & perſequéntur, tradéntes in Synagógas & cuſtódias, trahéntes ad reges & præſides, propter nomen meum: contínget autem vobis in teſtimonium. Pónite ergo in córdibus veſtris, non præmeditári quemámodum reſpondeátis: ego enim dabo vobis os & ſapiéntiam, cui non póterunt reſíſtere & contradícere omnes adverſárii veſtri. Tradémini autem à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis; & morte affícient ex vobis; & éritis ódio ómnibus propter nomen meum: & capíllus de cápite veſtro non períbit. In patiéntia veſtra poſſidébitis ánimas veſtras.

Phil. 1. *OFFERTORIUM.* Vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini.

SECRETA.

M. P. OBlatiónem noſtram, quæſumus, Dómine, ſúſcipe propítius, & præſta nobis fídei miſerátus augméntum; ut quam beáti Mártyres ſánguinis effuſióne profeſſi ſunt, eam nos opéribus ſervare valeámus; Per Dóminum.

PRÆFATIO de SS. MARTYRIBUS.

Apoc. 7. *COMMUNIO.* Hi ſunt qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in ſánguine Agni.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DE uno pane, & de uno cálice participántibus, da, Dómine, cor unum & ánimam unam; & eâdem nos caritáte conſócia, quâ beátum *N.* & ſócios Mártyres certantes pro te, & per te vincentes, in unum conſummátos eſſe voluiſti; Per Dóminum noſtrum.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM,

Rub. *Tempore Paſchali.*

INTROITUS.

Apoc. 21. ABſtérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum, Allelúia: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, Allelúia; quia prima abiérunt, Allelúia, allelúia. *PSALM.* Exultáte, juſti, in Dómino: * rectos decet collaudátio. Glória. Abſtérget.

Pſal. 32.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, invisíbilis fortitúdo certántium: adeſto, quæſumus, nobis ſupplicántibus; ut qui hodiérnâ die ſanctórum Mártyrum tuórum

N. & *N.* glorióſum triumphum recólimus, eórum méritis & précibus contra ſpirituália nequítiæ muniámur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus; Per.

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 19. IN diébus illis; Audívi quaſi vocem turbárum multárum in cœlo dicéntium: Allelúia, ſalus & glória, & virtus Deŏ noſtro eſt; quia vera & juſta judícia ſunt ejus, qui judicávit de meretríce magna, quæ corrúpit terram in proſtitutióne ſua; & vindicávit ſánguinem ſervórum ſuórum de mânibus ejus. Et íterum dixérunt: Allêlúia. Et fumus ejus aſcéndit in ſécula ſæculórum. Et cecidérunt ſenióres vigínti quátuor, & quátŭŏr ănimália, & adoravérunt Deum ſedéntem ſuper thrônum, dicéntes: Amen: Allêlúia. Et vox de throno exîvit, dicens: Laudem dícite Deo noſtro, omnĕs ſervi ejus; & qui timétis eum, pusîlli & magni. Et audívi quaſi vocĕm turbæ magnæ, & ſicut vocem aquárum multárum, & ſicut vocem tonitruórum magnôrum dicéntium: Allelúia: quóniam regnávit Dóminus Deŭs noſter omnípotens: gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam ei; quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus prepârávit ſe. Et datum eſt illi, ut coopériat ſe byſſino ſplendênti & cándido. Byſſinum enim, juſtificatiónes ſûnt Sanctórum. Et dîxit mihi: Scribe; Beáti qui ad cœnam nuptiárŭm A*gni vocáti ſunt.

Joan. 16. Allelúia, allelúia. ℣. In mundo preſſúram habébitis: ſed confídite; ego vici mundum.

2. Mac. 7. Allelúia, allelúia. ℣. Rex mundi defúnctos nos pro ſuis légibus in æternæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 16. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Amen, amen dico vobis; quia plorábitis & flébitis vos, mundŭs autem gaudébit: vos autem contriſtabímini; ſed triſtítia veſtra vertétur in găudium. Múlier cùm parit, triſtítiam habet, quia venĭt hora ejus: cùm autem pepérerit púerum, jam non méminit preſſúræ propter gáudium, quia natus eſt homo in mŭndum. Et vos ígitur nunc quidem trĭſtítiam habétis; íterum autem vidébo vos, & gaudébit cor veſtrum: & gáudĭŭm vĕſtrum nemo tollet à vobis.

Offertorium. Vidi ſubtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter teſtimónium quod habébant; & datæ ſunt illis ſíngulæ ſtolæ albæ. Allelúia. Apoc. 6.

Secreta.

M. G. LAudis tibi hóſtias in hac feſtivitáte immolántibus, da nobis, Dómine, advérſùs mundi illécebras & terróres, grátiæ tuæ præsídium; qui ſanctis Martyribus tuis *N.* & *N.* virtútem in confeſſióne pugnántibus, & glóriam in paſſióne vicéntibus contuliſti; Per Dóminum.

Præfatio de SS. Martyribus.

Apoc. 12. *Communio.* Vicérunt propter ſánguinem Agni, & propter verbum teſtimónii ſui; & non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem: proptéreà lætámini, Cœli, Allelúia, & qui habitátis in eis. Allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. NUtrítos carne Chriſti tui, Dómine, & cum ipſo concorporáles effectos; da nos, quæſumus, ab ejus caritáte numquam ſeparári, & ſanctórum Mártyrum tuórum *N.* & *N.* exémplo, in ómnibus ſuperáre propter eum qui diléxit nos; Per.

COMMUNE
SUMMI PONTIFICIS
MARTYRIS.

Rub.

INTROITUS.

Jer. 1. ECce conſtítui te ſuper gentes, & ſuper regna: & bellábunt advérsùm te, & non prævalébunt; quia ego tecum ſum, ait Dóminus ut líberem te. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.] Pſal. 2. *PSALM.* Quare fremuérunt gentes; * & pópuli meditáti ſunt inánia? Glória. Ecce.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens, ſempitérne Deus, qui beátum *N.* Apoſtólici principátûs, prærogatívâ conſpícuum, Martyrii corónâ illuſtriórem effecíſti; da Eccléſiæ tuæ ejus patrocíniis adjuvári, cujus labóribus excúlta flóruit, & ſánguine crevit fœcundáta; Per.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Theſſalônicenſes.

1. Cap. 2. FRatres? facti ſumus párvuli in médio veſtrum, tanquam ſi nutrix fóveat fîlios ſuos. Ita deſiderántes vos, cúpidè volebámus trádere vobis non ſolùm Evangélium Dei, ſed étĭăm ánimas noſtras: quóniam caríſſimi nobis fâcti eſtis. Mémores enim eſtis, fratres, labóris noſtri & fatĭgatiónis: nocte ac die operántes, ne quem veſtrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangêlium Dei. Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè, & juſtè, & ſine queréla, vobis, qui credidíſtĭs, fúimus: ſicut ſcitis, quáliter unumquemque veſtrum (ſicut pater fílios ſuos) deprecántes vos, & conſolántes teſtificáti ſumus, ut ambularétis dignè Deo, qui vocávit vos in ſuum rêgnum, & glóriam. Ideò & nos grátias ágimus Deo ſine intĕrmiſſióne: quóniam cum audiſſétis à nobis verbum audítus Dei, accepíſtis illud, non ut verbum hóminum, ſed (ſicut eſt verè) Verbum Dei, qui operátur in vobis qui crêdidíſtis. Vos enim imitatóres facti eſtis, Fratres, eccleſiárum Dei quæ ſunt in Judæa ĭn Chriſto Jeſu, quia éadem paſſi eſtis & vos à contribúlibus veſtris, ſicŭt ĕt ĭpſi à Judæis.

A Trinitate ad Septuageſimam

GRADUALE. Venérunt qui cógerent immoláre, & dixérunt ei: Princeps, & claríſſimus es in hac civitáte: ergo accéde prior, & fac juſſum regis. ℣. Et ait: Abſit iſtam rem fácere: moriámur in virtúte propter fratres noſtros, & non inferámus crimen glóriæ noſtræ.

1. Mac. 2. Ibid. 9.

Allelúia, allelúia. ℣. Pro légibus & pro Sanctis periérunt fratres mei, & nunc non mihi contíngat párcere ánimæ meæ. Allelúia.

Ibid. 13.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *dicitur*

TRACTUS. Deus, qui ſubdis pópulos ſub me, liberátor meus de inimícis meis iracúndis. Ab inſurgéntibus in me exaltábis me; à viro iníquo erípies me. Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, Dómine, & nómini tuo cantábo.

Pſal. 17.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Pro légibus & pro Sanctis periérunt fratres mei, & nunc non mihi contíngat párcere ánimæ meæ.

1. Mac. 13.

Allelúia, allelúia. ℣. Exémplum forte relínquam, ſi prompto ánimo ac fórtiter pro ſanctíſſimis légibus honéſta morte perfungar. Allelúia.

Ibid. 6.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jeſus quibuſdam ex Pharisæis: Ego ſum paſtor bŏnus. Bonus paſtor ánimam ſuam dat pro óvibus sŭis. Mercenárius autem,

& qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, & dimittĭt oves & fugit; & lupus rapit, & dispérgit ŏves. Mercenárĭŭs autem fugit, quia mercenárius est, & non pértinet ad eum de ŏvibus. Egŏ sŭm pastor bonus; & cognosco meas, & cognóscunt me mĕæ. Sicut novit me Pater, & ego ăgnosco Patrem; & ánimam meam pono pro óvibus mĕis. Et álias oves hábeo quæ non sunt ĕx hoc ovíli: & illas opórtet me addúcere, & vocem meam áudient; & fiet unum ŏvĭle, & unus pastor.

Phil. 2. *Offertorium.* Si ímmolor suprà sacrifícium & obséquium fídei vestræ, gáudeo & congrátulor ómnibus vobis: idípsum autem & vos gaudéte & congratulámini mihi.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Secreta.

S. R. MUnera nostra tibi, Dómine, reddat accepta beátus *N.* qui Apostólici Pontificátus dignus successor, & passióne fortissimus imitátor, pópulo tuo præbuit & vivendi exemplum, & pro te moriendi incitamentum; Per.

Præf. de S. Summo Pontifice.

Psal. 115. *Communio.* Cálicem salutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo: vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: pretiósa in conspéctu Domini mors sanctórum ejus.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

MUnerum tuórum, Dómine, largitáte gaudéntes, súpplices deprecámur, ut Ecclésia tua, beáti *N.* Mártyris tui atque Pontíficis contínuâ protectióne muníta, & exémplis accénsa; tibi fidéliter adhæreat in terris, tecum in cœlis felíciter regnatúra; Per Dóminum.

COMMUNE SUMMI PONTIFICIS NON MARTYRIS.

Viriâ.

Introitus.

COngregábo fílios Israel úndique; & fáciam eos in gentem unam: & erunt mihi pópulus, & ego ero eis Deus; & pastor unus erit ómnium eórum. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Magnus Dóminus & laudábilis nimis; * in civitáte Dei nostri in monte sancto ejus. Glória. Congregábo.

Ezec. 37. Psal. 47.

Collecta. Orémus.

DEus, qui beátum *N.* ad sedem Apóstoli tui Petri evéctum, & fídei firmitáte, & vitæ integritáte illústrem effecisti, ejus méritis & intercessióne, tales Ecclésiæ tuæ próvide pastóres, qui fidélibus tuis sincéræ doctrínæ præbeant aliméntum, & rectæ conversatiónis minístrent exemplum; Per. Léctio Epístolæ beáti Pêtri Apóstoli.

S. R.

SEnióres qui in vobis sunt, óbsecro, consénior & testis Christi passiónum, qui & ejus, quæ in futúro revelánda est, glóriæ cŏmmunicátor; páscite qui in vobis est gregem Dei, providéntes non coáctè sed spontáneè secundùm Deum; neque turpis lucri grátia, sed voluntáriè; neque ut dominántes in cleris, sed forma facti grêgis ex ánimo. Et cùm apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcĕssĭbilem glóriæ corónam.

1. Petr. 5.

A Trinitate ad Septuagesimam

Graduale. Exaltent eum in Ecclésia plebis, & in cáthedra seniórum laudent eum. ℣. Dedit illi Dóminus in præcéptis suis potestátem, & in lege sua lucem dare Israel.

Psal. 106. Eccli. 45.

Allelúia, allelúia. ℣. Expugnávit inimícos Israel: justítiam & fidem conservávit genti suæ. Allelúia.

1. Mac. 14.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *dicitur*

Pſal. 39. *TRACTUS.* Annuntiávi juſtítiam tuam in Eccléſia magna; ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu ſciſti. Juſtítiam tuam non abſcóndi in corde meo; veritátem tuam, & ſalutáre tuum dixi. Non abſcóndi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam concílio multo.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

1. Mac. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Expugnávit inimícos Iſrael: juſtítiam & fidem conſervávit genti ſuæ.

1. Petr. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Cúm apparúerit princeps paſtórum, percipiétis immarceſſíbilem glóriæ corónam. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 16. IN illo témpore; Venit Jeſus in partes Cæsăreæ Philíppi; & interrogábat diſcípulos ſuos, dícens: Quem dicunt hómines eſſe Fílium hóminis? At illi dixĕrunt: Alii Joánnem-Baptíſtam, álii autem Elíam, álii verŏ Jeremíam, aut unum ex Prophĕtis. Dicit illis Jesŭs: Vos autem quem me eſſe dícitis? Reſpondĕns Simon Petrus, dĭxit: Tu es Chriſtus, Fílius Dei vĭvi. Reſpóndĕns autem Jeſus, dixit ĕi: Beátus es, Simon Barjóna; quia caro & ſanguis non revĕlávit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis ĕſt. Et ego dico tibi, quia Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam, & portæ ínferi non prævalébunt adversùs ĕam. Et tibi dabo claves regni cœlŏrum. Et quodcúmque ligáveris ſuper terram, erit ligátŭm & in cœlis; & quodcúmque ſólveris ſupĕr tĕrram, erit ſolútum & in cœlis.

OFFERTORIUM. Factum eſt illi in teſtaméntum æternum, fungi ſacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum ſuum in nómine ejus.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

SECRETA.

ECcléſiæ tuæ, quæſumus, Dómine, preces & Hóſtias ſancti Pontíficis *N.* comméndet orátio, ut per quem fídei ſervávit integritátem, per eum uſque ad conſummatiónem ſéculi, & mérito multiplicétur, & número; Per. S. R.

PRÆF. de S. SUMMO PONTIFICE.

COMMUNIO. Grátias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro ómnibus vobis, quia fides veſtra annuntiátur in univérſo mundo. Rom. 1.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

NUllum primum niſi Chriſtum ſequéntes & cáthedræ Petri communióne ſociátos: da nos, Deus, Agnum ſemper in ea domo comédere, quam beátus *N.* Petri ſuccéſſor, doctrínæ & virtútum ſplendóre illuſtrávit; Per.

COMMUNE FUNDATORUM ECCLESIARUM

Si ſit Mart. *Aub.* Si ſit Pont. *Virid.* Si ſit Presb. *Viol.* Seu *Cær.*

INTROITUS.

Iſ. 66. MIttam ex eis qui ſalváti fúerint, ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam; & annuntiábunt glóriam meam géntibus. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.] Pſal. 95. *PSALM.* Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra. Glória. Mittam.

COLLECTÆ.

Pro MARTYRE, Pontifice, vel *Presbytero.* Orémus.

M. P. DEus, qui per beátum *N.* Mártyrem tuum, atque Pontíficem, (*vel* Presbyterum,) infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuíſti; da nobis ejus interceſſióne, in fide ſtábiles, & à ſpe Evangélii quod prædicávit, immóbiles permanére; Per.

Pro PONTIFICE. Orémus.

M. P. DEus, cujus ineffábili miſericórdiâ beátus Póntifex *N.* in géntibus evangelizávit inveſtigábiles divítias Chriſti ; da nos ejus interceſſióne créſcere in ſciéntia tua ; & in omni ópere bono fructificántes, ſecundùm Evangélii veritátem coram te ambuláre ; Per eumdem.

Pro PRESBYTERO. Orémus.

DEus, qui ad géntium illuminatiónem, beátum *N.* Presbyterum, prædicatiónis Evangélicæ glóriâ decoráſti : præſta, ut quos per ipſíus documénta eſſe donáſti fidéles : meritórum imitatóres eſſe concédas ; Per.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

1. Cap. 2. EGo, cùm veníſſem ad vos, Fratres, veni non in ſublimitáte ſermónis ăut ſapiéntiæ, annúntians vobis teſtimônium Chriſti. Non enim judicávi me ſcire áliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crûcifixum. Et ego in infirmitáte, & timóre, & tremóre multo fui apud vos : & ſermo meus, & prædicátio mea, non in perſuaſibílibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtentióne ſpírĭtŭs, & virtútis : ut fides veſtra non ſit in ſapiéntĭă hŏminum, ſed in virtúte Dei.

A Trinitate ad Septuageſimam

GRADUALE. In gentes ego mitto te, aperíre óculos eórum : ut convertántur à ténebris ad lucem, & de poteſtáte ſátanæ ad Deum. ℣. Ut accípiant remiſſiónem peccatórum, & ſortem inter ſanctos per fidem, quæ eſt in me.

Act. 26.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Auxílio adjútus Dei, géntibus annuntiábam, ut pœniténtiam ágerent, & converteréntur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis*, Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

TRACTUS. Qui ſéminant in lácrymis, in exultatióne metent. Eúntes ibant & flebant, mitténtes ſémina ſua. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos ſuos.

Pſal. 125.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Auxílio adjútus Dei, géntibus annuntiábam, ut pœniténtiam ágerent, & converteréntur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes.

Act. 26.

Allelúia, allelúia. ℣. Grátias Deo, qui triúmphat nos in Chriſto Jeſu, & odórem notítiæ ſuæ maniféſtat per nos. Allelúia.

2. Cor. 2.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 10. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis : Eúntes prædĭcáte, dicéntes : Quia appropinquávit regnum cœlŏrum. Infirmos curáte, mórtuos ſuſcitáte, lepróſos mundátĕ, dæmones ejícite : grátis accepíſtis, gratis dăte. Nolíte poſſidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis veſtris ; non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaméntă, neque virgam : dignus enim eſt operárius cibo sŭo. In quamcúmque autem civitátem aut caſtéllum intravéritis, interrogáte, quis in eă dignus ſit : & ibi manéte donec exeătis. Intrántes autem in domum, ſalutátĕ eam, dicéntes : Pax huic dŏmui. E ſi quidem fúerit domus illa digna, véniet pax veſtră ſuper eam : ſi autem non fúerit digna, pax veſtra revertétur ad vŏs. Et quicúmque non recéperit vos, neque audíerit sermónes veſtros ; exeúntes foras de domo, vel civitáte, excútite púlverem de pédibus vĕſtris. Amen dico vobis ; tolerabílius erit terræ Sodomórum & Gomorrhæórum in die jŭdĭcii, quàm illi civitáti.

1. Cor. 2. *Offertorium.* Nos non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed ſpíritum qui ex Deo eſt; & lóquimur non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in doctrína ſpíritus. [*Tempore Paſchali* Allelúia.]

Secretæ.

Pro Martyre, Pontifice, vel *Presbytero.* Orémus.

M. P. Offerendórum tibi múnerum, Deus, auctor & dator, adaúge in nobis eam, quæ tibi acceptábile ſacrifícium eſt bonórum inviſibílium fidem; ut quæ beátum *N.* evéxit ad glóriam paſſiónis, éadem nos perdúcat ad plenitúdinem ſanctitátis; Per.

Pro Pontifice. Orémus.

M. P. Fundaméntum & auctor fídei noſtræ, Deus, Eccléſiæ tuæ votis benígnus aſpíra & hóſtias ſúſcipe propítius; & ſicut olim beátum Pontíficem *N.* ita nunc ad eos qui de te non audiérunt, mitte operários ſpíritu ſancto plenos & fide; ut áudiant gentes, & convertántur; Per.

Pro Presbytero. Orémus.

M. P. Plebs tua, Dómine, per hæc Sacrifícia, dignas tibi réferat pro inenarrábili dono fídei gratiárum actiónes; & intercedénte beáto *N.* obtíneat, ut ſacris inténta doctrínis, quæcumque juxta & ſancta ſunt toto corde ſectétur; Per Dóminum.

Præfatio de SS. Ecclesiarum Fundatoribus.

Communio. Eccléſia ædificabátur, ámbulans in timóre Dómini, & conſolatióne ſancti Spíritûs replebátur. [*Tempore Paſchali* Allelúia.]

Postcommuniones.

Pro Martyre, Pontifice, vel *Presbytero.* Orémus.

M. P. Reſpice, Dómine, famíliam, tuam, quam beátus *N.* génuit verbo veritátis, & Chriſti carnis áluit ſacraménto: & quos grátia tua fecit illíus miniſtério fidéles, fáciat ejuſdem précibus in caritáte ferventes; Per.

Pro Pontifice. Orémus.

M. P. Per hujus operatiónem myſtérii, confírma, Dómine, fámulos tuos in fide veritátis: ut eam ubíque ore & ópere confiteántur, pro qua ſanctus Póntifex *N.* laboráre non déſtitit, & mori deſiderávit; Per Dóminum.

Pro Presbytero. Orémus.

M. P. Salutári Myſtério, quæſumus, Dómine, conſérva in fidéli pópulo miſericórdiam tuam; ut quos per beátum *N.* Presbyterum ab erróris liberáſti calígine, veritátis tuæ fírmiùs inhærére fácias documénto; Per.

I. Commune Pontificis.

Virid

Introitus.

Pſal. 88. Exaltávi eléctum de plebe mea: óleo ſancto meo unxi eum: manus mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Miſericórdias Dómini * in ætérnum cantábo. Glória. Exaltávi.

Collecta. Orémus.

S. R. Deus, qui pópulis tuis indulgéntiâ cónſulis, & amóre domináris: quique illis regéndis vicários caritátis tuæ præficis miníſtros: da, quæſumus, intercedénte beáto *N.* Pontífice, ſpíritum ſapiéntiæ, quibus præéſſe dediſti Eccléſiæ tuæ: ut de profectu ſanctárum óvium fiant gáudia ætérna paſtórum; Per.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 5. Fratres; Omnis Póntifex ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona & ſacrifícia pro peccátis: qui condolére poſſit iis, qui ignórant, & errant; quóniam &

ipse circúmdatus est infírmitáte. Et proptéreà debet, quěmádmodum pro pópulo, ita étiam & pro semetípso offérre prô peccátis. Nec quisquam sumĭt sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tanquam A^aron. Sic & Christus non semetípsum clarificávit ut Póntifex fíeret: sed qui locútŭs est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie gĕúni te. Quemádmodum & in álĭŏ loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum secùndŭm ŏrdinem Melchísedech.

A Trinitate ad Septuagesimam.

Eccli. 45. *GRADUALE.* Excélsum fecit illum Dóminus, & dedit illi sacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória. ℣. Dedit illi in præcéptis suis potestátem, docére Jacob testimónia, & in lege sua lucem dare Israel.

Matt. 25. Allelúia, allelúia. ℣. Euge, serve bone & fidélis; intra in gáudium dómini tui. Allelúia.

Post Septuagesimam, (omissis Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Psal. 77. *TRACTUS.* Elégit Dóminus montem Sion, quem diléxit: & ædificábit sanctifícium suum in terra, quam fundávit in sécula. Et elégit servum suum, páscere Israel hæreditátem suam. Et pavit eos in innocéntia cordis sui, & in intellébtibus mánuum suárum dedúxit eos.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Matt. 25. Allel., allel. ℣. Euge, serve bone & fidélis; intra in gáudium dómini tui.

Psal. 64. Allelúia, allelúia. ℣. Beátus quem elégisti, Dómine, & assúmpsisti: inhabitábit in átriis tuis. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 24. IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis sŭis: Vigiláte, quia nescítis qua hora dóminus vester ventúrus sĭt. Illŭd autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, & non sínneret pérfodi domum sŭam. Ideò & vos ĕstóte paráti; quia qua nescítis hora Fílius hóminis ventúrus ĕst. Quis, putas, est fidélis servus & prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cùm vénĕrĭt dóminus ejus, invénerit sic faciĕntem. A^men dico vobis, quóniam super ómnia bonă sŭa constítuet eum.

Eccli. 45. *OFFERTORIUM.* Amplificávit oblatiónem excélsi regis: porréxit manum suam in libatióne, & libávit de sánguine uvæ: effúdit in fundaménto altáris odórem divínum excélso Príncipi.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

SECRETA.

M. P. IN conspéctu tuo, quæsumus, Dómine, tália nostra sint múnera, quália majestáti tuæ óbtulit beátus Póntifex tuus *N.* quæ, & placére tibi váleant, & nos tibi placére perfíciant; Per.

PRÆFATIO de S. PONTIFICE.

Jer. 31. *COMMUNIO.* Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, & pópulus meus bonis meis adimplébitur.

[*Tempore Paschali.* Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui eâdem escâ mirábili & oves nutris & pastóres: da, ut óvium mansuetúdinem & docilitátem inde hauriámus, unde beátus Póntifex *N.* pastóris hausit solicitúdinem & caritátem; Per Dóminum.

II. COMMUNE PONTIFICIS.

Virid. *INTROITUS.*

Eccli. 45. STátuit illi, Dóminus, testaméntum pacis, príncipem sanctórum, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] Psal. 88. *PSALM.* Misericórdias Dómini * in ætérnum cantábo. Glória. Státuit.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, fidélium lumen & paſtor animárum, qui beátum *N.* Epíſcopum in Eccléſia poſuíſti, ut oves tuas verbo páſceret, & informáret exémplo: da nobis ejus interceſſióne, & fidem ſervâre, quam verbo dócuit: & viam ſequi, quam exémplo monſtrávit; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 10. FRatres; Omnis ſacérdos præſto eſt quotídie miníſtrans, & eaſdem ſæpè ófferens hóſtias, quæ numquam poſſunt ăuferre peccáta: Chriſtus autem unam pro peccátis ófferens hóſtiam, in ſempitérnum ſedet in déxtera Dei, de cétero expectans donec ponántur inimíci ejus ſcabéllum pêdum ejus. Una enim oblatióne conſummávit in ſempitérnum ſanctîficátos. Conteſtátur autem nos & Spîritus ſanctus. Poſtquàm enim dixit: Hoc autem teſtaméntum, quod teſtábor ad illos poſt dies illos, dicit Dóminus, dando leges meas in córdibus eórum, & in méntibus eórum ſupĕrſcribam eas: & peccatórum, & iniquitátem eórum jam non recordâbor ámplius. Ubi autĕm horum remíſſio, jam non eſt ŏblătio pro peccáto.

A Trinitate ad Septuageſimam.

Pſal. 88. *Graduale.* Póſui adjutórium ìn poténte, & exaltávi eléctum de plebe mea. ℣. In ætérnum ſervábo illi miſericórdiam meam, & teſtaméntum meum fidéle ipſi.

Eccli. 50. Allel., allel. ℣. Quaſi vas auri ſólidum, ornátum omni lápide pretióſo, ſic ille effúlſit in templo Dei. Allelúia.

Poſt Septuageſimam (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſal. 77. *Tractus.* Elégit Dóminus montem Sion, quem diléxit, & ædificávit ſanctifícium ſuum in terra, quam fundávit in ſécula. Et elégit ſervum ſuum, páſcere Iſrael hæreditátem ſuam. Et pavit eos in innocéntia cordis ſui, & in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Quaſi vas auri ſólidum, ornátum omni lápide pretióſo, ſic ille effúlſit in templo Dei. Eccli. 50.

Allelúia, allelúia. ℣. Beátus quem elégiſti, Dómine, & aſſumpſiſti: inhabitábit in átriis tuis. Allelúia. Pſal. 64.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 25. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hănc: Homo péregrè proficíſcens, vocávit ſervos ſuos, & trádidit illĭs bona ſua: & uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii verò unum, unicuíque ſecúndùm própriam virtútem: & profĕctus eſt ſtătim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, & opĕrátus eſt in eis, & lucrátus eſt ália quĭnque. Simíliter & quĭ duo accéperat, lucrátus eſt ália dŭo. Qui autĕm unum accéperat, ábiens fodit in terram, & abſcóndit pecúniam Dómini sŭi. Poſt multum verò témporis venit dóminus sĕrvórum illórum, & póſuit ratiónem cum ĕis. Et accédens qui quinque tălénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dĭcens: Dómine, quinque talénta tradĭdíſti mihi, ecce ália quinque ſuperlucrátus sŭm. Ait illi dóminus ĕjus: Euge: ſerve bonĕ & fidélis, quia ſuper pauca fuíſti fidélis ſuper multa te conſtítuam: intra in gáudium dómini tŭi. Accéſſit autem & qui duo tălénta accéperat, & ăit: Dómine, duo talénta tradĭdiſti mihi, ecce ália duo lucrátus sŭm. Ait illi dóminus ĕjus: Euge ſerve bone & fidélis, quia ſuper pauca fuíſti fidélis, ſuper multa te conſtítuam, intra ĭn gaudium dómini tui.

Exod. 40.

Offertorium. Indútus est sanctis véstibus, ut ministráret Dómino: & únctio ejus in sacerdótium sempitérnum. [*Tempore Paschali.* Allelúia.]

Secreta.

M. P. Ipse tibi, Deus, sacrifícium nostrum ófferat Póntifex confessiónis nostræ Jesus, qui minístrum suum *N.* Spíritu caritátis implévit, ut pro grege sibi commísso leváret ad te puras manus, & seípsum tibi júgiter immoláret; Per.

Matt. 24.

Præfatio de S. Pontifice.

Communio. Fidélis servus & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore: beátus ille servus, quem cùm vénerit Dóminus, invénerit sic faciéntem. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. Beáti *N.* Pontíficis suffragiis exorátus, ne permíttas nos, Dómine, animárum nostrárum detriméntum fácere, pro quibus Pastor bonus vitam suam in prétium, & carnem dedit in cibum Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster; Qui tecum.

Commune PLURIUM PONTIFICUM.

Virid.

Introitus.

Jer. 3. Dabo vobis pastóres juxta cor meum, & pascent vos sciéntiâ & doctrínâ.

[*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.]

Psal. 22. *Psalm.* Dóminus regit me, & nihil mihi déerit: in loco páscuæ ibi me collocávit. Glória. Dabo.

Collecta. Orémus.

M. P. Deus, qui beátos Pontífices *N.* & *N.* ad pascéndum pópulum tuum spíritu veritátis & dilectiónis implevísti: præsta, ut quorum festivitátem venerándo ágimus, eórum imitatióne proficiámus, & intercessióne sublevémur; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Hebræos.

Cap. 13. Fratres; Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitâmini fidem. Jesus Christus heri, & hódie: ipse êt in sécula. Doctrínis váriis & peregrínis nolîte abdúci. Optimum est enim grátia stabílire cor, non escis: quæ non profuérunt ambulântibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernâculo deserviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sanctă per Pontíficem, horum córpora cremántur êxtra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam pâssus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium êjus portántes. Non enim habémus hìc manéntĕm civitátem, sed futûram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nômini ejus. Beneficéntiæ autem & communiónis nolitĕ oblivíscі: tálibus enim hóstiis promerêtur Deus. Obedíte præpósitis vestris, & subjacête eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vĕstris redditúri.

A Trinitate ad Septuagesimam.

Is. 62. *Graduale.* Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes: totâ die & totâ nocte in perpétuum non tacébunt. ℣. Pósuit Spíritus sanctus Act. 20. Epíscopos régere Eccléstam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

Allelúia, allelúia. ℣. Benedícite, Dan. 3. sacerdótes Dómini, Dómino; laudáte & superexaltáte eum in sécula. Allel.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Psal. 99. *Tractus.* Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos: in colúmna nubis

loquebátur

loquebátur ad eos. Custodiébant testimónia ejus ; & præcéptum quod dedit illis. Dómine Deus noster , tu exaudiébas eos : Deus , tu propítius fuísti eis.

Tempore Paschali , loco Gradualis & Tractûs dicitur

Dan. 3. Allelúia , allelúia. ℣. Benedícite , sacerdótes Dómini , Dómino ; laudáte & superexaltáte eum in sécula.

1. Petr. 5. Allelúia , allelúia. ℣. Cùm apparúerit princeps pastórum , percipiétis immarcessíbilem glóriæ corónam. Allel.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 13. IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis sŭis : Vidéte , vigiláte & oráte ; nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo qui péregrè profectus relíquit domum suam , & dedit servis suis potestátem cujusque óperis , & janitóri præcépit ut vĭgilet. Vigiláte (nescítis enim quando Dóminus domus véniat : serò an média nocte , an galli cantŭ , an manè ,) ne cùm vénerit repentè , invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico , ómnĭbŭs dĭco vigiláte.

Psal. 106. *Offertorium.* Sacrífícent sacrifícium laudis , & annúntient ópera Dómini in exultatióne.

[*Tempore Paschali* , Allelúia.]

Secreta.

M. P. HÆc múnera , Deus omnípotens , operánte Spíritu sancto , mirabíliter immúta ; & eâ mentis puritáte majestáti tuæ nos offérre concéde , quâ sancti Pontífices *N.* & *N.* obtulérunt ; Per Dóminum... in unitáte ejusdem.

Præfatio de S. Pontifice.

1. Cor. 4. *Communio.* Sic nos exístimet homo ut ministros Christi , & dispensatóres mysteriórum Dei.

[*Tempore Paschali* , Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. DA nos , Deus , córpore & sánguine tuo refectos , te Pastórem constánter sequi , à quo sancti Pontífices tui *N.* & *N.* ministérium accepérunt in terris , & immarcessíbilem ætérnæ glóriæ corónam percípere meruérunt in cœlis ; Qui vivis.

I. COMMUNE DOCTORIS.

Si sit Pont. *Virid.* Si sit Presb. *Viol.* seu *cærul.*

Introitus.

Eccli. 15. IN médio Ecclesiæ aperiet , Deus , os ejus ; & adimplébit illum spíritu sapiéntiæ & intellectûs , & stolâ gloriæ vestiet illum. [*Tempore Pasch.* Allelúia , allelúia.] *Psalm.* Psal. 91. Bonum est confitéri Dómino , * & psállere nómini tuo , Altíssime. Glória. In médio.

Collecta. Orémus.

S. R. OMnípotens ætérne Deus , qui Ecclésiæ tuæ fílios sicut non cessas erudíre , ita non désinis adjuváre : da fidélibus tuis , intercessióne beáti *N.* quem eis æternæ salútis ministrum tribuísti ; ut , te miseránte , sciéntiam recta faciéndi , & virtútem cápiant exequéndi ; Per Dóminum.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 39. SApiens cor suum tradet ad vigilándum dilúculò ad Dóminum , quĭ fecit illum , & in conspectu Altíssimi dêprecábitur. Apériet os suum in ŏratióne , & pro delíctis suis dêprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit , spíritu intelligéntiæ replébit illum : & ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ , & in oratióne confitébitur Dómino : & ipse díriget consílium ejus & disciplínam , & in abscónditis suis consîliábitur. Ipse palàm fáciet disciplínam dŏctrínæ suæ , & in lege testaménti Dómini glôriábitur. Collaudábunt multi sapĭéntiam ejus , & usque in séculum nôn delébitur. Non recédet mĕmória ejus , & nomen ejus requirétur à generatiónem in generâtiónem. Sapiéntiam ejus enărrábunt gentes , & laudĕm ĕjus enuntiábit Eccléſia.

A Trinitate ad Septuagesimam.

Prov. 10. GRADUALE. Os justi partúriet sapiéntiam; lábia ejus erúdiunt plúrimos.

Ibid. 15. ℣. Cor sapiéntis quærit doctrínam, & lábia ejus dissemináb unt sciéntiam.

Matt. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. Allelúia.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Psal. 50. TRACTUS. Ecce veritátem dilexísti Deus, incerta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi. Docébo iníquos vias tuas, & ímpii ad te converténtur. Dómine, lábia mea apéries, & os meum annuntiábit laudem tuam.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs dicitur

Matt. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

Psal. 93. Allelúia, allelúia. ℣. Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, & de lege tua docúeris eum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 5. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Vos estis sal términæ. Quòd si sál evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut míttátur foràs, & conculcétur ad homínibus. Vos estis lux múndi. Non potést cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, & ponunt eam sub módio, sed supér candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestrá coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre quóniam veni sólvere legem, aut prophétas; non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippé dico vobis, donec tránseat cœlum & terra, ióta unum, aut unus apex non preteríbit à lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum: qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in in regno cœlórum. *Dicitur* Credo.

Dan. 2. OFFERTORIUM. Sit nomen Dómini benedíctum à século & usque in séculum, quia sapiéntia & fortitúdo ejus sunt: ipse dat sapiéntiam sapiéntibus & sciéntiam intelligéntibus disciplínam. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

SECRETA.

M. P. HOc munus pópuli tui, Dómine, sancti Doctóris *N.* deprecatióne sit gratum, & Eccléfia tua ejus semper interceffiónibus adjuvétur, cujus cœléstibus indesinénter instrúitur disciplínis; Per.

PRÆFATIO de S. DOCTORE.

Eccli. 15. COMMUNIO. Cibábit illum Dóminus pane vitæ & intellectûs, & aquâ sapiéntiæ salutáris potábit illum. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DA, quæsumus, Dómine, per hæc sacraménta quæ súmpsimus, ut beáti Doctóris *N.* exémplis páriter & mónitis informáti, séculi hujus calíginem sine perículo transeámus; Per.

II. COMMUNE DOCTORIS.

Si sit Pont. *Virid.* Si sit Presb. *Viol.* seu *cærul.*

INTROITUS.

Sap. 7. SApiéntiam sine fictióne dídici, & sine invídia commúnico; & honestátem illíus non abscondo. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.]

Psal. 9. PSALM. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua. Glória. Sapiéntiam.

COLLECTA. Orémus.

M. P. EXcita, Dómine, in Eccléfia tua spíritum, quo beátus *N.* servívit; ut, eódem nos replénte, studeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod docuit; Per Dóminum.. in unit. ejusd.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Corínthios.

II. Cor. 4. FRatres ; Habéntes administratiónem, juxta quod misericórdiam consecúti sumŭs, non defícimus : sed abdicámus occúlta dedécoris, non ambulántes in astútia, neque adulteránte verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem conscién̄tiam hóminum côram Deo. Quod si étiam opertum est Evangélium nostrum ; in iis, qui pérĕŭnt, est opértum : in quibus Deus hujus séculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illumináti̇o Evangélii glóriæ Christi, qui est imâgo Dei. Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christŭm Dóminum nostrum ; nos autem servŏs vĕstros per Jesum.

A Trinitate ad Septuagesímam.

Psal. 118. *GRADUALE.* Da mihi intellectum, Dómine, & scrutábor legem tuam ; & custódiam illam in toto corde meo. ℣. Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, quia ómnia mandáta tua æquitas.

Malach. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Lábia sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus. Allelúia.

Post Septuagesímam, (omíssis Allelúia *&* ℣.*) Graduali additur*

Psal. 50. *TRACTUS.* Ecce veritátem dilexísti, Deus, incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi. Docébo iníquos vias tuas & ímpii ad te converténtur. Dómine, lábia mea apéries, & os meum annuntiábit laudem tuam.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Malach. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Lábia sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus.

Psal. 93. Allelúia, allelúia. ℣. Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, & de lege tua docúeris eum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 7. IN illo témpore ; Ascéndit Jĕsus in templum, & docĕbat. Et mirăbántur Judæi, dicĕntes : Quómodo hic lítteras scit, cùm non didícerit ? Respóndĭt eis Jesus, & dĭxit : Mea doctrínă non est mea, sed ejus qui misit mĕ. Si quis volúerit voluntátĕm ejus fácere, cognóscet de doctrína, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso lŏquar. Qui à semĕtipso lóquitur, glóriam própriam quærit. Qui autem quærit glóriam ejus quĭ misit eum, hic verax est, & injŭstĭtia in illo non est. *Dicitur* Credo.

II. Mac. 2. *OFFERT.* Magníficè sapiéntiam tractábat, & ut sapiéntiam habens, óbtulit sacrifícium. [*Tempore Pasch.* Allel.]

SECRETA.

M. P. UT plenum sit sacrifícium nostrum, Deus, da nobis ómnia detriméntum fácere propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini nostri, & exémplo beáti Doctóris *N.* nihil scire nisi Jesum Christum, & hunc crucifíxum ; Qui tecum.

PRÆFATIO de S. DOCTORE.

Eccli. 51. *COMMUN.* Danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam. [*Temp. Pasch.* Allel.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. QUos Christo pane réficis, eosdem Christo magístro édoce, Dómine ; ut interveniénte beáto *N.* discant in humilitáte veritátem tuam, & eam in caritáte fidéliter operéntur ; Per eumdem.

I. COMMUNE PRESBYTERI.

Viol. Seu cærul.

INTROITUS.

Psal. 131. SAcerdótes Sion índuam salutári, & sancti ejus exultatióne exultábunt. [*Tempore Paschali,* Allelúia, allelúia.] *PSALM.* Meménto, Dómine, David ; * & omnis mansuetúdinis ejus. Glória. Sacerdótes. Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut ſacerdótio tibi fungerétur, à pópulo ſegregáſti: ejus nos interceſſióne à peccatóribus ſégrega; ut ſecúndùm vocatiónem noſtram, gens ſancta & regále ſacerdótium coram te efficiámur; Per. Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Timótheum.

1. Tim. 4. CAríſſime; Inéptas & anílĕs fábulas devíta: exerce autem teípſum ad pîetátem. Nam corporális exercitátio ad módĭcŭm útilis eſt: píetas autem ad ómnia útilis eſt, promiſſiónem habens vitæ, quæ nunc eſt, êt futŭræ. Fidélis ſermo, & omni acceptiône dignus. In hoc enim laborámus, ĕt maledícimur; quia ſperámus in Deum vivum, qui eſt Salvátor ómnium hóminum, mâximè fidélium. Præcipe hæc, & doce. Nemo adoleſcéntĭam tuam contémnat; ſed exémplum eſto fidélium in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in câſtitáte. Dum vénio, atténde lectióni, exhortatióni, êt doctrínæ. Noli neglígere grátiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetíam, cum impoſitióne mánuum prêsbytérii. Hæc meditárĕ, in his eſto; ut profĕctus tuus manifêſtus ſit ómnibus. Atténde tibĭ, & doctrínæ: înſta in illis. Hŏc enim fáciens, & teípſum ſalvŭm făcies, & eos qui te áudiunt.

A Trinitate ad Septuageſimam.

Levit. 10. *Graduale.* Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conſpectu omnis pópuli glorificábor. ℣. Si quis mihi miniſtráverit, honorificábit eum Pater meus.

Joan. 12.

Pſal. 133. Allelúia, allelúia. ℣. Benedícite Dóminum, omnes ſervi Dómini, qui ſtatis in domo Dómini, in átriis domûs Dei noſtri. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſ. 25. *Tractus.* Circúmdabo altáre tuum, Dómine, ut aúdiam vocem laudis, & enarrem univérſa mirabília tua. Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, & locum habitatiónis glóriæ tuæ. Ego in innocéntia mea ingréſſus ſum; redíme me, & miſerére meî.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Pſal. 133. Allel., allel. ℣. Benedícite Dóminum omnes ſervi Dómini, qui ſtatis in domo Dómini, in átriis domûs Dei noſtri.

2. Paral. 29. Allelúia, allelúia. ℣. Vos elégit Dóminus, ut ſtetis coram eo, & miniſtrétis illi. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 10. IN illo témpore; Deſignávit Dóminus álios ſeptuăginta duos: & miſit illos binos ante fáciem ſuam, in omnem civitátem & locum, quò erat ipſe ventŭrus. Et dicébat ĭllis: Meſsis quidem multa; operárii autem păuci. Rogáte ergŏ Dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem sŭam. Ite: ecce egŏ mitto vos, ſicut agnos inter lŭpos. Nolíte portáre ſácculum, neque peram, neque călceamenta; & néminem per viam ſalutavĕritis. In quamcumque domŭm intravéritis, primùm dícite: Pax huic dŏmui. Et ſi ubi fúerit fílius pacis, requiéſcet ſupĕr illum pax veſtra: ſin autem, ad vos revertĕtur. In eádem autem domo manéte, edéntes & bibéntes quæ apŭd illos ſunt: dignus eſt enim operárius mercéde sŭa. Nolíte transíre de domo in dŏmum. Et in quamcùmque civitátem intravéritis, & ſuſcéperint vos; manducáte quæ appŏnuntur vobis; & curáte infirmos qui in illa ſunt, & dícite illis: Appropinquávit ĭn vŏs regnum Dei.

Pſal. 26. *Offertorium.* Immolávi in tabernáculo Dómini hóſtiam vociferatiónis: cantábo & pſalmum dicam Dómino. [*Tempore Paſch.* Allelúia.]

Secreta.

Secreta.

M. P. CÓncéde nobis, omnípotens Deus, eódem pietátis ſpíritu divína tractáre myſtéria, quo beátus Sacérdos tuus *N.* ſacris altáribus víctimam ſanctam óbtulit, & ſemetípſum hóſtiam tibi placéntem in omni vitæ converſatióne exhíbuit; Per.

Præfatio de S. Presbytero.

Joan. 12. *Communio.* Si quis mihi miníſtrat, me ſequátur; & ubi ſum ego, illic & miníſter meus erit.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui beátum *N.* ad honórem Sacerdótii evexísti, ut panem verbi & córporis tui in Eccléſia tua diſpenſáret: ejus imitatióne, da nobis & docére ex ſinceritáte quæ recta ſunt, & ſancta tua dignè & fidéliter miniſtráre; Qui vivis.

Viol. ſeu cærul.

II COMMUNE PRESBYTERI.

Introitus.

Pſal. 91. JUſtus ut palma florébit; ſicut cedrus Líbani multiplicábitur: Plantáti in domo Dómini, in átriis domûs Dei noſtri florébunt. [*Tempore Paſch.* Allel., allel.] Ibid. *Psalm.* Bonum eſt confitéri Dómino * & pſállere nómini tuo, Altíſſime. Glória. Juſtus.

Collecta. Orémus.

DEus, qui in Eccleſiæ tuæ decus & ſubſídium, beátum *N.* verendo Sacerdótii miniſtério decoraſti: præſta ut, per quem pópulus tuus Evangélii verbum, & Domínici córporis ſacramentum ſuſcépit, ejus patrocínio dignos utriuſque fructus percípiat; Per.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Timótheum.

11. Tim. 2. CAríſſime; Sollícitè cura teípſum probábilem exhíbere Deo, operárium inconfuſíbilem, rectè tractántem verbum vêritátis. Profána autem, & vanílóquia devíta: multùm enim proficiunt ad impietátem; & ſermo eórum ut cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus & Philétus, qui à veritáte excidérunt, dicéntes reſurrectiónem eſſe jam factam; & ſubvertérunt quorûmdam fidem. Sed firmum fundaméntum Dei ſtat, habens ſĭgnáculum hoc; cognóvit Dóminus qui ſunt ejus; &, diſcédat ab iniquitáte omnis qui nóminat nômen Dómini. In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa áurea & argéntea, ſed & lígnĕă & fictília; & quædam quidem in honórem, quædam autem in côntuméliam. Si quis ergo emundáverit ſe ab iſtis, erit vas in honórem ſanctificátum, ĕt útile Dómino; ad omne opus bônum parátum. Juvenília autem desĭdéria fuge; ſectáre verò juſtítiam, fidem, caritátem, & pacem cum iis, qui invŏcănt Dŏminum de corde puro.

A Trinitate ad Septuageſimam.

Malach. 2. *Graduale.* Lex veritátis fuit in ore ejus, & iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus. ℣. In pace & æquitáte ambulávit mecum, & multos avértit ab iniquitáte.

Act. 18. Allelúia, allelúia. ℣. Edoctus viam Dómini, docébat diligénter ea quæ ſunt Jeſu. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſal. 25. *Tractus.* Circúmdabo altáre tuum, Dómine, ut áudiam vocem laudis, & enárrem univérſa mirabília tua. Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, & locum habitatiónis glóriæ tuæ. Ego in innocéntia mea ingréſſus ſum; rédime me, & miſerére meî.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Act. 18. Allel., allel. ℣. Edóctus viam Dómini, docébat diligénter ea quæ ſunt Jeſu.

Pſ.64. Allelúia, allelúia. ℣. Vos elégit Dóminus ut ſtetis coram eo, & miniſtrétis illi. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jeſus Phariſæis: Amen, ámen dico vobis: qui non intrat per óſtium in ovile óvium ſed aſcendit aliúnde, ille fur eſt, & látro. Qui autem intrat per óſtium, paſtor eſt óvium. Huic oſtiárius áperit, & oves vocém ejus aúdiunt: & próprias oves vocat nominátim, & edúcit eas. Et cùm próprias oves emíſerit, antè eas vadit: & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem éjus. Aliénum autem non ſequuntur, sed fúgiunt ab eo; quia non novérunt vocem alienórum. Hoc provérbium dixit eis Jeſus: illi autem non cognovérunt quid loquerétur éis. Dixit ergo eis íterum Jesus. Amen, ámen dico vobis, quia ego ſum óſtium óvium. Omnes quotquot venérunt, fures ſunt, & latrónes; & non audiérunt eos óves. Ego ſum óſtium. Per me ſi quis introíerit, ſalvábitur: & ingrediétur, & egrediétur, & páſcua invéniet. Fur non venit niſi ut furétur, & mactet, & pérdat. Ego veni, ut vitam hábeant & abundántiùs hábeant.

Hebr. 11. *OFFERTORIUM.* Fide plúrimam hóſtiam óbtulit Deo, per quam teſtimónium conſecútus eſt eſſe juſtus, teſtimónium perbibénte munéribus ejus Deo; & per illam defúnctus adhuc lóquitur. [*Temp. Paſch.* Allelúia.]

SECRETA.

M. P. PRopitiáre, quæſumus, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris; & interveniénte pro nobis ſancto *N.* Presbytero, his ſacraméntis cœléſtibus ſerviéntes, ab omni culpa líberos eſſe concéde; ut purificánte nos grátiâ tuâ, iiſdem, quibus famulámur, myſtériis emundémur; Per Dóminum.

PRÆFATIO de S. PRESBYTERO.

COMMUNIO. Non mihi ſoli laborávi, ſed ómnibus exquiréntibus diſciplínam. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.] Eccli. 33.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PEr hæc myſtéria, quæſumus, Dómine, eum in nobis accénde caritátis ardórem, quem ſancto Sacerdóti tuo *N.* pro ſalúte animárum inſpiráſti, ut dignè vocatióne noſtra ambulántes, promíſſum benè operántibus mereámur præmium obtinére; Per.

COMMUNE ABBATIS.

Viol. ſeu cærul.

INTROITUS.

Hebr. 11. CIrcuiérunt in melótis, in pélibus caprínis, egéntes, anguſtiáti, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudínibus errantes, in móntibus & ſpelúncis, & in cavérnis terræ.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.]

Pſ.54. *PSALM.* Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me. Glória. Circuiérunt.

COLLECTÆ. Orémus.

I. M. P. DEus, cujus múnere beátus *N.* Abbas Chriſtum páuperem ſequi, & húmilem corde uſque in finem perſeverávit imitári: da cunctis ſémitam mandatórum tuórum ingréſſis, ut nec retrò reſpíciant, nec in via hæreant; ſed ad te ſine offenſióne curréntes, vitam ætérnam apprehéndant; Per eumdem.

Orémus.

II. M. P. DA nobis, quæſumus, Deus noſter, beáti *N.* Abbatis interceſſiónibus ſublevári; ut per quem ſervis tuis perfectiónis Evangélicæ documénta donaſti, per eum nobis ſubsídia perpétuæ ſalútis impéndas; Per.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Timótheum.

1. Tim. 6. CAríssime ; Est quæstus magnus píetas cum sufficientia. Nihil enim intúlĭmŭs in hunc mundum : haud dúbium quòd nec aufêrre quid póssumus. Habentes autem alimenta, ĕt quibus tegámur, his contênti sumus. Nam qui volŭnt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, & in láqueum diáboli, & desidéria multa inutília & nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum & perdîtiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas : quam quidam appetentes, erravérunt à fide, & inseruérunt se dolôribus multis. Tu autem, o homŏ Dei, hæc fuge ; sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansûetúdinem. Certa bonum cĕrtámen fídei ; apprehende vitam ætĕrnam, in qua vocátus es.

A Trinitate ad Septuagesímam

11. Mac. 5. GRADUALE. Secésserat in desértum locum, ibíque inter feras vitam cum suis agébat, ne partícipes essent coinquinatiónis. ℣. Descendérunt multi, quærentes judícium & justítiam, in desértum ; & sedérunt ibi.

1. Mac. 2.

Is. 35. Allelúia, allelúia. ℣ Gérminans germinábit solitúdo, & exultábit lætabunda, & laudans. Allelúia.

Post Septuagesímam, omíssis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Psal. 1. TRACTUS. Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, & in cáthedra pestiléntiæ non sedit. Sed in lege Dómini volúntas ejus, & in lege ejus meditábitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantátum est secùs decursus aquárum, quod fructum suum dabit in témpore suo. Et fólium ejus non défluet ; & ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Is. 35. Allelúia, allelúia. ℣. Gérminans germinábit solitúdo, & exultábit lætabunda, & laudans.

Eccli. 50. Allelúia, allelúia. ℣. Circa illum coróna fratrum, psallentes in vócibus suis. Allelúia.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 19. IN illo témpore ; Respondens Petrus dixit Jesŭ : Ecce nos relíquimus ómnia, & secútĭ sumus te ; quid ergo erit nobis ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeneratióne cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ ; sedébitis & vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israël. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros proptĕr nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætĕrnam possidébit.

Hebr. 11. OFFERTORIUM. Demorátus est in terra, tamquam in aliéna, in cásulis habitando cum coherédibus repromissiónis ejusdem : expectábat enim fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex & cónditor. Deus. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

SECRETÆ.

I. M. P. NOstræ obséquium servitútis acceptum tibi reddat, Dómine, beátus *N.* Abbas ; qui frátribus suis prælátus, seipsum tibi suosque perpétuò subjécit ; Per Dóminum.

II. M. P. UT nosmetipsos tibi, Dómine, in hoc venerábili sacrifício discámus totos devovére ; eam nobis beátus *N.* Abbas ímpetret grátiæ tuæ benedictiónem, quâ se, suos, suaque ómnia propter te derelínquere & ipse méruit, & álios dócuit ; Per Dóminum.

PRÆFATIO de S. ABBATE.

Deut. 8. *COMMUNIO.* Dóminus Deus ductor tuus eduxit rivos de petra durísſima, & cibávit te mannâ in ſolitúdine. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIONES. Orémus.

I. M. P. OMnípotens ſempiterne Deus, qui ſubditórum patres, non dóminos, jubes eſſe quos áliis præficis: eâ gratiâ ad menſam tuam admiſſos ínſtrue, quâ beátum Abbátem *N.* fratrum ſuórum ſollicitúdine patrem, caritáte ſócium, humilitáte ſervum eſſe feciſti; Per Dóminum.

Orémus.

II. M. P. DEus, qui beátum *N.* in ſolitúdinem duxiſti, ut multórum tibi in Chriſto pater efficerétur filiórum: Eucharíſticum manna deguſtántibus, da in hac terra viam tuam agnóſcere, & ad réquiem tuam felíciter pervenire; Per eumdem Dóminum.

COMMUNE MONACHI VEL CŒNOBITÆ.

Viol. Seu *Cær.* *INTROITUS.*

Pſal. 54. QUis dabit mihi pennas ſicut columbæ? & volábo, & requieſcam. Ecce elongávi fúgiens, & manſi in ſolitúdine, quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.] *Pſalm.* Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me. Glória. Quis dabit.

Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M. P. OMnípotens ſempiterne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exemplo & interceſſióne beáti *N.* cujus hódie tránſitum celebrámus, temporália ómnia deſpícere, & ad æterna, totâ mentis intentióne, feſtináre; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli ad Phîlippenſes.

Cap. 3. FRatres; Quæ mihi fúérunt lucra, hæc arbitrátus ſum propter Chriſtum dêtrimenta. Verúmtamen exíſtimo ómnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſciéntiam Jeſu Chriſti Dómini mei, propter quem ómnia detrimentum feci, & árbitror ut ſtércora, ut Chriſtum lucrifáciam, & invéniar in illo, non habens meam juſtítiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu, quæ ex Deo eſt juſtítia in fide; ad cognoſcendum illum, & virtútem reſurrectiónis ejus, & ſocietátem paſſiónum illíus; configurátŭs morti ejus, ſi quo modo occurram ad reſurrectiónem, quæ êſt ex mórtuis. Non quòd jam accéperim, aut jam pĕrfectus ſim; ſequor autem, ſi quo modo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chrîſto Jeſu. Fratres, ego me non árbitror comprêhendiſſe. Unum autem, quæ quidem retrò ſunt obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt prióra ĕxtendens meipſum; ad deſtinátum pérſequor, ad bravíum ſupernæ vocatiónis Dĕi in Chriſto Jeſu.

A Trinitate ad Septuageſimam

GRADUALE. Elégi abjectus eſſe in domo Dei mei, magìs quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. ℣. Dóminus pars hæreditátis meæ: hæréditas mea præclára eſt mihi. Pſal. 83. Pſal. 15.

Allelúia, allelúia. ℣. In velamento alárum tuárum, Dómine, exultábo: adhæſit ánima mea poſt te, me ſuſcépit déxtera tua. Allelúia. Pſal. 62.

Poſt Septuageſimam, omiſſis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

TRACTUS. Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit, & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit. Sed in lege Dómini voluntas ejus, & in lege ejus meditábitur die ac nocte. Et erit tam- Pſal. 1.

quam

quam lignum quod plantátum est secùs decursus aquárum, quod fructum suum dabit in témpore suo. Et fólium ejus non défluet; & ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Pſal. 62. Allelúia, allelúia. ℣. In velamento alárum tuárum, Dómine, exultábo: adhæsit ánima mea post te, me suscépit déxtera tua.

Pſ. 118. Allelúia, allelúia. ℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, Dómine, in loco peregrinatiónis meæ. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 10. IN illo témpore; Cœpit Petrus dícere ad Jesŭm: Ecce nos dĭmísimus ómnia, & secúti sumus tĕ. Rĕspondens Jesus, ăit: Amen dico vobis: Nemo est, qui relíquerit domum, aut fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut fílios, aut agros propter me, & proptĕr Evangélium, qui non accípiat cénties tantùm, nunc in témpore hoc, domos, & fratres & soróres, & matres, & fílios, & agros, cum persecutiónibus, & in século fŭtŭro vitam æternam.

Phil. 3. *Offertorium.* Quæ retrò sunt oblivíscens, ad ea verò quæ sunt prióra extendens meipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Secreta.

M. P. MUnera nostra ad altáre tuum offerentes, te, Dómine, supplíciter exorámus, ut exemplo beáti *N.* carnem nostram cum vítiis & concupiscéntiis crucifigentes, Christi cum ipso cohæredes efficiámur; Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Præfatio de S. Monacho.

Pſal. 30. *Communio.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te! abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ; próteges eos in tabernáculo tuo. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. ABsconde nos, Dómine, in abscóndito faciéi tuæ córporis tui Sacramento munítos; ut imitatióne sancti *N.* in lege tua die ac nocte meditantes, delíciis pérfrui mereámur æternis; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

COMMUNE
ANACHORETÆ VEL SOLITARII.

Viol. Seu *cærul.*

Introitus.

Pſal. 101. SImilis factus sum pelicáno solitúdinis; Vigilávi, & factus sum sicut passer solitárius in lecto. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Dómine, exaudi oratiónem meam; & clamor meus ad te véniat. Glória. Símilis.

Ibid.

Collecta. Orémus.

M. P. QUæréntium te, Dómine, salvátor & custos, qui beáto *N.* ne párticeps esset coinquinatiónis, renuntiáre século, & sub alas tuas confúgere tribuísti: ejus intercessióne da pópulo tuo diabólica vitáre contágia, & te solum Dóminum purâ mente sectári; Per Dóminum.

Léctio Jeremîæ Prophétæ.

Thr. 3. PArs mea Dóminus, dixĭt ánima mea: proptéreà expectâbo eum. Bonus est Dóminus spĕrántibus in eum, ánimæ quærênti illum. Bonum est præstolárĭ cum siléntio salutâre Dei. Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescêntia sua. Sedébit solitárĭŭs, & tacébit, quia levávit sûper se. Ponet in púlvere ŏs sŭum si fortè sit spes.

A Trinitate ad Septuagesimam

11. Cor. 5. GRADUALE. Qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti; scientes, quóniam, dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino. ℣. Hebr. 13. Non enim habémus hìc manentem civitátem, sed futúram inquírimus.

Psal. 39. Allelúia, allelúia. ℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus, & non respexit in vanitátes & insánias falsas. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Psal. 1. TRACTUS. Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, & in cáthedra pestiléntiæ non sedit. Sed in lege Dómini voluntas ejus, & in lege ejus meditábitur die ac nocte. Et erit tamquam lignum quod plantátum est secùs decursus aquárum, quod fructum suum dabit in témpore suo. Et fólium ejus non défluet; & ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Psal. 39. Allelúia, allelúia. ℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus, & non respexit in vanitátes & insánias falsas.

Ezech. 34. Allelúia, allelúia. ℣. Qui hábitant in desérto, ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 19. IN illo témpore; Ait Jesus adolescénti: si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da paupéribus, & habébis thesaurum in cœlo: & veni, séquere me. Cum audísset autem adolescens verbum, ábiit tristis: erat enim habens multas possessiónes. Jesus autem dixit discípulis suis. Amen dico vobis, quia dives difficilè intrábit in regnum cœlórum. Et ítem dico vobis: Facílius est camélum per foramen acus transíre, quàm dívitem intráre in regnum cœlórum. Audítis autem his, discípuli mirabantur valde, dicéntes: Quis ergo póterit salvus esse? Aspíciens autem Jesus, dixit illis: Apud hómines hoc impossíbile est: apud Deum autem ómnia possibília sunt.

Phil. 3. OFFERTORIUM. Exístimo ómnia detrimentum esse propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detrimentum feci. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

SECRETA.

M. P. UT tuis, Dómine, dignè famulémur altáribus, omnem à nobis ámove rerum terrenárum cupiditátem; & beati *N.* fac imitémur exempla, in cujus honóre hanc immaculátam hóstiam tuæ offérimus majestáti; Per Dóminum.

PRÆFATIO de S. ANACORETA.

Psal. 16. COMMUNIO. Ego in justítia apparébo conspectui tuo, Dómine; satiábor cùm apparúerit glória tua. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. PEr hujus virtútem sacramenti, quæsumus, Dómine, tríbue nobis beáti *N.* exemplo júgiter in tua dilectióne proficere; & opus bonum, quod cœpisti in nobis, ipse perfícias usque in diem Christi Jesu; Qui tecum vivit.

COMMUNE JUSTI.

Viol. seu cærul. *INTROITUS.*

Psal. 36. OS justi meditábitur sapiéntiam, & lingua ejus loquétur judícium: Lex Dei ejus in corde ipsíus. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Noli Ibid.

æmulári in malignántibus, * neque zeláveris facientes iniquitátem. Glória. Os justi.

Collecta. Orémus.

S. R. FAc, quæsumus, Dómine Deus noster, intercedente beáto *N.* pópulum tuum in tua dilectióne ambuláre; quia perpétua est & plena felícitas, si bonórum ómnium serviámus auctóri; Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 2. QUi timent Dóminum, inquírent quæ benĕplácita sunt ei; & qui díligunt eum, replebuntur lêge ipsíus. Qui timent Dóminum, præparábŭnt corda sua, & in conspectu illíus sanctificábunt ânimas suas. Qui timent Dóminum, custódiunt mandáta illíus, & patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem ĭllíus, dicentes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in mânus hóminum. Secundùm enim magnĭtúdinem ipsíus, sic & misericórdia ĭllĭus cum ipso est.

A Trinitate ad Septuagesimam.

Psal. 23. *Graduale.* Quis ascendet in montem Dómini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens mánibus, & mundo corde. ℣. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, & misericórdiam à Deo salutári suo.

Psal. 118. Allelúia, allelúia. ℣. In via testimoniórum tuórum, Dómine, delectátus sum, sicut in ómnibus divítiis. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Psal. 20. *Tractus.* Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. Prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Dabis eum in benedictiónem in séculum séculi; lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Psal. 118. Allelúia, allelúia. ℣. In via testimoniórum tuórum, Dómine, delectátus sum, sicut in ómnibus divítiis.

Dan. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Benedícite, sancti & húmiles corde, Dómino: laudáte & superexaltáte eum in sécula. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris; & vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revĕrtátur à núptiis: ut, cùm vénerit, & pulsáverit, confestim apériant ĕi. Beátĭ servi illi, quos cùm vénerit dóminus, invénerit vigilántes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & fáciet illos discúmbere, & tránsiens ministrábit ĭllis. Et si vénerit in secunda vigília, & si in tértia vigília vénerit, ĕt ita invénerit, beáti sunt servi ĭlli. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua horă fur veníret, vigiláret útique, & non síneret pérfodi domum sŭam. Et vos ĕstóte paráti; quia, qua hora non pŭtătis, Fílius hóminis véniet.

Eccli. 35. *Offertorium.* Oblátio justi impinguat altáre, & odor suavitátis est in conspectu Altíssimi: sacrifícium justi acceptum est; & memóriam ejus non oblivíscétur Dóminus. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Secreta.

M. P. OBláta, quæsumus, Dómine, benignus súscipe múnera, in honóre beáti *N.* ut sicut illíus vita per-

pétuum tibi fuit sacrifícium; ita nos tibi hóstiam humilitátis & laudis, in ara cordis, igne férvidæ caritátis, júgiter immolémus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Præfatio de S. Justo.

Psal. 5. *Communio.* Gloriabuntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, Dómine; quóniam tu benedíces justo. [*Tempore Pasch.* Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. IN mundo pressúram habéntibus, da nobis, Dómine, interveniente beáto *N.* húmilem in tua virtúte fidúciam; ut Jesu Christi, qui mundum vicit, sánguine redempti ac potáti, mundum ipsi vincámus; Per eumdem.

I. COMMUNE VIRGINIS MARTYRIS.

Rub. *Introitus.*

Ps. 17. SEcundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi Dóminus, qui præcinxit me virtúte, & pósuit immaculátam viam meam. [*Tempore Pasch.* Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntum meum & refúgium meum, & liberátor meus. Glória. Secundùm.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius, ut qui beátæ *N.* Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1. Cor. 1. VIdéte vocatiónem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non múlti nóbiles. Sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes; & infirma elégit Deus, ut confundat fórtia; & ignobília mundi & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut eă quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia à Deo, & justítia, & sanctificátiŏ, & redémptio; ut, quem ádmodùm scriptum est: Qui gloriătur, in Dómino gloriétur.

A Trinitate ad Septuagesimam

Ps. 45. *Graduale.* Adjuvábit eam Deus manè dilúculo: Deus in médio ejus, non commovébitur. ℣. Deus noster refúgium & virtus, adjútor in tribulatiónibus.

1. Cor. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Psal. 139. *Tractus.* Cogitavérunt supplantáre gressus meos, juxta iter scándalum posuérunt mihi. Dixi Dómino, Deus meus es tu: exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ. Dómine, Dómine, virtus salútis meæ, ne tradas me à desidério meo peccatóri.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

1. Cor. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia.

Sap. 4. Allelúia, allelúia. ℣. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! in perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 10. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Nolíte arbitrári quia pacem vénĕrim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed glădium.

Veni

Veni enim ſeparáre hóminem adversùs patrem ſuum, & fíliam adversùs matrem ſuam, & nurum adver sùs ſocrum ſuam : & inimíci hóminis doméſtici ĕjus. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, nŏn eſt me dignus : & qui amat fílium, aut fíliam ſuper me, non eſt me dĭgnus. Et qui non áccipit crucem ſuam, ĕt ſéquitur me, non eſt me dĭgnus. Qui ínvenit ánimam sŭam, perdet illam; & qui perdíderit ánimam ſuam proptĕr mĕ, invéniet eam.

Pſ.55. *Offertorium.* In me ſunt Deus, vota tua, quæ reddam, laudatiónes tibi; quóniam eripuiſti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapſu. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Secreta.

M. P. DA nobis, quæſumus, Dómine, beátæ Vírginis *N.* ita puritátem imitári, ut & corpus noſtrum Spíritûs ſancti templum fieri mereátur; & in corde mundo acceptábile tibi præparétur holocauſtum; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem.

Præfatio de SS. Virginibus.

Eccli. 51. *Communio.* Liberaſti me de perditióne : proptérea confitébor & laudem dicam tibi, & benedícam nómini tuo, Dómine. [*Tempore Paſchal.* Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui beátæ *N.* tribuiſti ſanctam eſſe córpore & ſpíritu, & vitam ſuam dare pro dilectióne tua : per immaculátam, quam obtúlimus, hóſtiam nobis concéde, ut ejus exemplo tibi uni, ſive per vitam, ſive per mortem, placére valeámus ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ſancti.

II. COMMUNE VIRGINIS MARTYRIS.

Rub.

Introitus.

Pſal. 72. TEnuiſti manum déxteram meam, Dómine ; & in voluntáte tua deduxiſti me, & cum glória ſuſcepiſti me [*Tempore Paſchali*, Allelúia.] *Pſalm.* Quàm Ibid. bonus Iſrael Deus, * his, qui recto ſunt corde ! Glória. Tenuiſti.

Collecta. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempiterne Deus, cujus múnere beáta *N.* Virginitátis ac Martyrii palmam adepta eſt: da nobis ejus précibus ita córporis ac mentis ſerváre puritátem, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur ; Per Dóminum.

Léctio libri Ecclêſiáſtici.

Cap. 51. INvocávi Dómĭnŭm patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, & in témpore ſuperbórum ſine âdjutório. Laudábo nomen tuum aſſĭduè ; & collaudábo illud in cŏnfeſſióne, & exaudíta eſt orâtio mea. Et liberaſti me de pĕrditióne, & eripuiſti me de têmpore iníquo. Proptéreà confitébor, & laudĕm dicam tibi, & benĕdĭcam nómini Dómini.

A Trinitate ad Septuageſimam

Pſal. 40. *Graduale.* In hoc cognóvi, Dómine, quóniam voluiſti me, quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me. ℣. Me autem propter innocéntiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Pſal. 55. Allelúia, allelúia. ℣. In Deo ſperávi: non timébo quid fáciat mihi caro. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, omiſſis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Pſal. 139. *Tractus.* Cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos, juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi. Dixi Dómino,

Deus meus es tu : exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ. Dómine, Dómine, virtus salútis meæ, ne tradas me à desidério meo peccatóri.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs dicitur

Pſ.55. Allelúia, allelúia. ℣. In Deo sperávi : non timébo quid fáciat mihi caro.

Reg. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Arcus fórtium superátus est, & infirmi accincti sunt róbore. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 20. IN illo témpore. Ait Jesus quibusdam Sadducæórum qui negant esse resurrectiónem : Fílii hujus séculi nubunt & traduntur ad núptias : illi verò qui digni habebuntur século illo, & resurrectióne ex mórtuis, neque nubent, neque dúcent uxóres : neque enim ultrà mori poterunt : æquáles enim Angelis sunt, & Fílii sunt Dei ; cùm sint fílii resurrectiónis.

Pſal. 139. *Offertorium.* Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri ; cogitavérunt contra me ; ne derelinquas me, ne fortè exaltentur. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Secreta.

M. P. REspice, Dómine, múnera exultantis Eccléſiæ tuæ ; & qui beátæ *N.* dedisti verbum cápere quod non omnes cápiunt, & quâ nemo majórem habet, dilectiónem habére : ejus précibus da nobis aures audiendi te in ómnibus, & vires te super omnia diligendi ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Præfatio de SS. Virginibus.

Pſal 118. *Communio.* Príncipes persecúti sunt me gratís, & à verbis tuis formidávit cor meum : lætábor ego super elóquia tua, sicut qui invénit spólia multa. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus. M. P.

PRetióso cibo nutríti, Dómine, vivámus jam non ipsi ; vivat verò in nobis Christus, qui in sponsa sua *N.* & vixit ut agnus immaculátus, & ut leo victor occúbuit ; Per.

Commune VIRGINIS NON MARTYR. *Alb.*

Introitus.

ADducentur Regi vírgines : afferentur in lætítia & exultatióne ; adducentur in templum Regis. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Eructávit cor meum verbum bonum, * dico ego ópera mea Regi. Glória. Adducentur. Pſ.44. Ibid.

Collectæ. Orémus. I. M. P.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituísti : concéde, ut qui fidélis sponsæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exemplo ; Per Dóminum.

Orémus. II. M. P.

FIdéles tuos, quæsumus, Dómine, intercedente beátâ *N.* Vírgine tuâ, córpore & mente purífica : ut tuâ inspiratióne compuncti, nóxias delectatiónes vitáre præváleant ; atque ut eárum non capiantur illécebris, tuâ semper suavitáte pascantur ; Per.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

FRatres ; De virgínibus præceptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri ? noli quærere solûtiónem. Solútus es ab uxóre ? noli quærere uxórem. Si autem áccéperis uxó- I. Cor. 7.

tem, nôn peccásti. Et sĭ núpserit virgo, nôn peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habêbunt hujúsmodi. Ego autem vôbis parco. Hoc ităquĕ dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut & qui habent uxóres, tamquam non habentes sint; & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non possidentes; & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur: præterit enim figúra hûjus mundi. Volo autem vos sine sollicitûdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò plâceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómŏdŏ pláceat uxóri; & divîsus est. Et múlier innupta, & virgo, cógitat quæ Dómini sunt; ut sĭt sancta córpore & spíritu.

A Trinitate ad Septuagesimam

Psal. 72. GRADUALE. Quid mihi est in cœlo; & à te, Dómine, quid vólui super terram? ℣. Defécit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum.

Apoc. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Vírgines sunt; sequuntur Agnum quòcumque íerit: sine mácula enim sunt ante thronum Dei. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Cant. 1. TRACTUS. Oleum effúsum nomen tuum: ídeò adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Exultábimus, & lætábimur in te: recti díligunt te.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Apoc. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Vírgines sunt; sequuntur Agnum quòcumque íerit: sine mácula enim sunt ante thronum Dei.

Allelúia, allelúia. ℣. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúia. Cant. 6.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 25. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hănc: Símile erit regnum cœlórŭm decem virgínibus; qui accipientes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. Quinque autem ex eĭs erant fátuæ, & quinque prudĕntes. Sed quinque fátuæ, acceptis lampádibus, non sumpsérŭnt óleum secum; prudentes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampădibus. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes & dormiĕrunt. Média autem nocte clamŏr factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviàm ĕi. Tunc surrexérunt omnĕs vírgines illæ, & ornavérunt lámpades sŭas. Fátuæ autem sapiéntibus dixĕrunt: Date nobis dĕ óleo vestro; quia lámpades nostræ extinguŭntur. Respŏndérunt prudentes, dicĕntes: Ne fortè non sufficĭăt nobis & vobis, ite pótiùs ad vendentes, & émite vŏbis. Dum autem irent émĕrĕ, venit sponsus; & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias: & clausa est jănua. Novíssimè verò véniunt ĕt réliquæ vírgines, dicĕntes: Dómine, Dómine, áperi nŏbis. Aᵛt ille respondens ăit: Aᵛmen dico vobis, Néscio vŏs. Vigiláte ítaque, quia nescítĭs dĭem, neque horam.

Psal. 44. *OFFERTORIUM.* Myrrha, & gutta, & cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

SECRETÆ.

I. M. P. OBlatiónem nostram beátæ Vírginis tuæ *N.* tibi, Dómine, commendet orátio; ut sicut illa im-

maculáti Agni núptias séculi prætulit illécebris, ita & nos cœléstibus desidériis terréna cuncta postponámus; Per eumdem.

II. M. P. SUscipe, Dómine, beátæ *N.* Vírginis tuæ précibus, obséquium humilitátis nostræ: & nos per immaculátam hóstiam ab omni cupiditátum labe mundátos, da júgiter in tuo conspectu pio sanctoque amóre flagráre; Per Dóminum.

Præfatio de SS. Virginibus.

Zach. 9. *Communio.* Quid Dómini bonum est, & quid pulcrum ejus, nisi frumentum electórum, & vinum gérminans vírgines? [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Postcommuniones. Orémus.

I. M. P. INenarrábilis sacramenti suavitáte refecti, quæsumus, Dómine, ut beátæ Vírginis *N.* suffrágiis, nullis umquam impediámur terrénis áctibus te sequi ómnium bonórum creatórem; Per Dóminum.

Orémus.

II. M. P. REpléti cibo spirituális alimóniæ, súpplices te, Dómine, deprecámur, ut hujus participatióne mystérii, ad sanctæ *N.* Vírginis tuæ perveniámus consórtium, cum accensis lampádibus fídei & justítiæ, unigénito Fílio tuo occurrentes; Qui tecum.

COMMUNE PLURIUM VIRGINUM,

Etiam Martyrum.

Alb. Si sint Mart. *Rub.*

Introitus.

Psal. 148. VIrgines laudent nomen Dómini, quia exaltátum est nomen ejus solíus: confessio ejus super cœlum & terram. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.]

Ibid. *Psalm.* Laudáte Dóminum de cœlis: * laudáte eum in excelsis. Glória. Vírgines.

Collectæ.

Si sint Martyres. Orémus. I. M. A.

DEus, qui nos Vírginum & Mártyrum tuárum *N.* & *N. vel* [Sociárum] gloriósis facis gaudére triumphis: tríbue quæsumus, eárum nos précibus contra hostes semper victóres exístere; ut glóriæ tuæ mereámur esse consortes; Per Dóminum.

Si non sint Martyres. Orémus.

II. M. P. DEus, qui nos sanctárum Vírginum tuárum *N.* & *N. vel* [Sociárum] ánnuâ festivitáte lætíficas: concéde propítius, ut eárum adjuvémur méritis, quarum castitátis irradiámur exemplis; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

2. Cor. 6. FRatres; Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos; & ero illórum Deus, & ipsi erunt mihi pópulus. Propter quod exíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus, & immundum ne tetigéritis: & ego recípiam vos; & ero vobis in patrem, & vos éritis mihi in fílios et fílias, dicit Dóminus omnípotens.

A Trinitate ad Septuagesimam

Matt. 25. *Graduale.* Médiâ nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit; exíte óbviàm ei. ℣. Venit sponsus, & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias.

Apoc. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Virgines sunt, & sequuntur Agnum quòcumque íerit: sine mácula enim sunt ante thronum Dei. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Cant. 1. *Tractus.* Oleum effúsum nomen tuum: ídeò adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum. Exultábimus, & lætábimur in te: recti diligunt te.

Tempore

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Apoc. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Vírgines ſunt; & ſequuntur Agnum quòcumque íerit: ſine mácula enim ſunt ante thronum Dei.

Apoc. 22. Allelúia, allelúia. ℣. Vidébunt fáciem Dei & Agni, & nomen ejus in fróntibus eórum Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

Marc. 12. IN illo témpore; Reſpondens Jeſus Sadducæis, qui dicunt reſurrectiónĕm non eſſe, ait illis: Nonne ídeo errátis, non ſcientes ſcriptúras, neque virtútem Dei? Cum enim à mórtŭis reſurréxerint, neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicŭt A*ngeli in cœlis.

Pſ. 44. *Offertorium.* Afferentur vírgines in lætítia & exultatióne, adducentur in templum Regis. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Secretæ. Si ſint Martyres.

I. M. P. INcruentum Agni ſacrifícium majeſtáti tuæ offerentes, te, Dómine, ſúpplices exorámus, ut ad cœleſtes ejus nuptias, cum ſanctis Virgínibus, quæ ſponſo ſánguinem ſuum fudérunt, intráre mereámur; Per eumdem.

Si non ſint Martyres.

II. M. P. DIcátæ, quæſumus, Dómine, capiámus oblatiónis effectum, per interceſſiónem beatárum Vírginum *N.* & *N. vel* (Sociárum;) ut eárum exemplo, terrénæ vetuſtátis converſatióne mundáti, cœleſtis vitæ profféctibus innovémur; Per Dóminum.

Præfatio de SS. Virginibus.

Apoc 3. *Communio.* Cantábant cánticum novum, dicentes: ſedenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Postcommuniones.

Si ſint Martyres. Orémus. I. M. P.

DEus, qui virgínibus caſtè vivendo, & martyribus fórtiter moriendo, Agnum ſequi tribuiſti: intercedentibus beátis *N.* & *N. vel* (Sóciis) tribue nobis ejuſdem Agni carnem & ſánguinem dignè súmere in terris; ut ejus aſpectu pepétuo ſatiémur in cœlis; Per eumdem.

Si non ſit Martyres. Orémus. II. M. P.

AGni vírginum ſponſi córpore & ſánguine refectis, tríbue, Dómine, religióne mundâ & immaculátâ tibi ſervíre; ut cum ſanctis virgínibus *N.* & *N. vel* (Sóciis) apud te vivamus in cœlis, quem in terris póſitæ totâ mente dilexérunt; Per eumdem.

Commune Mulieris Sanctæ.

Viol. ſeu cærul. Si ſit Mart. Rub.

Introitus.

Prov. 31. MUlier timens Dóminum, ipſa laudábitur. Date ei de fructu mánuum ſuárum; & laudent eam in portis ópera ejus. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.] Pſal. 127. *Pſalm.* Beáti omnes qui timent Dóminum; * qui ámbulant in viis ejus. Glória. Múlier.

Collectæ.

Si ſit Martyr. Orémus. I. M. P.

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perfícitur: largíre nobis beátæ *N.* Mártyris tuæ paſſiónem recoléntibus; ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat. Per Dóminum.

Si plures ſint Martyres. Orémus. M. P.

DEus, fortitúdo certántium & palma mártyrum, qui fámulas tuas *N* & *N. vel* (Sócias) contra tórmentórum immanitátem mirâ virtúte roboraſti: quæſumus ut ſicut eárum nos triumpho lætificas, ita ſemper ſupplicatióne defendas; Per.

Si non sit MARTYR. Orémus.

II. M. P. TUórum corda fidélium, Deus miserátor illustra; & beátæ *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna despícere, & amáre cœléstia; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pêtri Apóstoli.

I.Petr. 3. MUlíeres súbditæ sint viris suis; ut & si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbŏ lucrifíant, considerantes in timóre castam conversatiônem vestram. Quarum non sit extrínsecùs capillatúra, aut circumdátio auri, aut indumenti vestimĕntórum cultus: sed qui abscónditus est cordis homo, in incorruptibilitáte quiéti & modesti spíritus, qui est in conspectu Dêi lócuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulíeres sperantes in Deo, ŏrnábant se, subjectæ prôpriis viris. Sicut Sara obediébat Abrahæ, Dómĭnŭm eum vocans; cujus estis fíliæ benefacientes, & non pertĭmĕntes ullam perturbatiónem.

A Trinitate ad Septuagesimam

Psal. 118. GRADUALE. Quám dúlcia fáucibus meis elóquia tua! super mel ori meo. ℣. A mandátis tuis intellexi; proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Esth. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Tu scis, Dómine, quia non est lætáta ancilla tua, nisi in te, Deus Abraham. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Psal 118. TRACTUS. Expectábam salutáre tuum, Dómine, & mandáta tua dilexi. Custodívit ánima mea testimónia tua, & dilexit ea vehementer. Servávi mandáta tua & testimónia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Esth. 14. Allelúia, allelúia. ℣. Tu scis, Dómine, quia non est lætáta ancilla tua, nisi in te, Deus Abraham.

Psal. 12. Allelúia, allelúia. ℣. Exultábit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi. Allelúia.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 13. IN illo témpore; Dicébat Jesus hanc similitŭdinem: Cui símile æstimábo regnum Dei? Símile est fermento, quod acceptum múlier abscondit in farínæ sata tria, donec fermentarétur tŏtum. Et ibat per civitátes & căstella docens, & iter fáciens in Jerúsalĕm. Ait autem illi quĭddam: Dómine, si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad ĭllos: Conténdite intráre per ăngustam portam; quia multi, dico vobis, quærent ĭntrăre, & non póterunt.

Psal. 25. *OFFERTORIUM.* Misericórdia tua, Dómine, antè óculos meos est; & complácui in veritáte tua: non sedi cum concílio vanitátis. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

SECRTÆ. Si sit MARTYR.

I. M. P. DOmínicam passiónem incruento sacrifício repræsentántibus, da Deus, subjugáre amórem vitæ hujus, & beátæ Mártyris tuæ *N.* virtútem imitári, quæ vivendi jucunditátem, metumque moriendi, caritáte sincérâ, spe certâ, fide non fictâ contempsit; Per eumdem Dóminum nostrum.

Si plures sint MARTYRES.

SAnctarum Martyrum *N* & *N. vel* (Sociárum) victóriam tremendi sacrificii oblatíone celebrantes, te Dómine deprecámur, ut vivat ipse in nobis, ac vincat, qui de fémina dignátus misericorditer nasci, fecit féminas viriliter pro te mori, Jesus

Chriſtus Fílius tuus, Dóminus noſter; Qui tecum.

Si non ſit MARTYR.

II. M. P. DEus, qui timóris & amóris tui virtúte, mandáta tua in corde mulíeris ſanctæ *N.* ſicut fundamenta æterna ſupra petram ſólidam poſuiſti: da nos hoc tibi ſacrifícium offerre, & ſanctè pávidos, & ad cuſtodienda mandáta tua caritáte promptos; Per Dóminum.

PRÆFATIO de SS. MULIERIBUS.

Pſal. 118. *COMMUNIO.* Dilexi, Dómine, mandáta tua ſuper aurum & topázion: propterea ad ómnia mandáta tua dirigébar; omnem viam iniquitátis ódio hábui. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIONES.

Si ſit MARTYR. Orémus.

I. M. P. CONſerva in nobis, Dómine, munus tuum, & qui in beáta *N.* Mártyre tuâ pugnaſti & viciſti: ejus précibus éffice nos per patiéntiam & humilitátem cunctis hóſtibus fortióres; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

Si plures ſint MARTYRES. Orémus.

QUos de fructu ligni vitæ concédis édere, da nobis Deus virtútem calcandi caput ſerpentis; ut ne ſedúcat nos falſa promittendo, qui roborátas grátiâ tuâ *N.* & *N. vel* (Sócias) ſuperáre non pótuit ſæviendo; Per Dóminum.

Si non ſit MARTYR. Orémus.

II. M. P. EXultátio noſtra, Deus, da nobis hujus ſuavitáte ſacramenti, vana mundi oblectamenta deſpícere; ut ancillæ tuæ *N.* exempla ſectémur, quæ in mundo, nec de mundo, numquam lætáta eſt niſi in te; Per Dóminum.

COMMUNE SANCTÆ VIDUÆ.

Viol. Si ſit Mart. *Rub.*

INTROITUS.

Pſal. 67. EXultáte in conſpectu Dómini, patris orphanórum, & júdicis Viduárum. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.] *Pſalm.* Exurgat Deus, & diſſipentur inimíci ejus; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. Glória. Exultáte. Ibid.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, in quem ſperat omnis ánima, quæ longè à te éxulans in terris, ſe verè víduam ſentit, ac deſolátam: tríbue nobis, quæſumus, ut exemplo beátæ *N.* nocte ac die obſecratiónibus & oratiónibus inſtantes, cœléſtium conſolatiónum mereámur eſſe partícipes; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Timótheum.

1. Tim. 5. CAríſſime: Víduas honóra, quæ verè vîduæ ſunt. Si qua autem vídua fílios aut nepótes habet, diſcat primùm domum ſuam régere, & mútuam vicẽm réddere paréntibus: hoc enim acceptum eſt côram Deo. Quæ autem verè vídua eſt, ẽt deſoláta, ſperet in Deum, & inſtet obſecratiónibus & oratiónibus nôcte ac die. Nam quæ in dẽlíciis eſt, vivens môrtua eſt. Et hoc præcipe, ut irreprehensîbiles ſint. Si quis autem ſuórum, & máximè domeſticórũm, curam non habet; fidem negávit, & eſt infidêli detérior. Vídua eligátur non minùs ſexaginta annórum, quæ fúerit uníus viri uxor, in opéribus bonis teſtĩmónium habens; ſi fílios educávit, ſi hoſpítio recépit, ſi ſanctórum pedes lavit, ſi tribulatiónem patiéntibus ſubminiſtrávit, ſi omne opũs bõnum ſubſecúta eſt.

A Trinitate ad Septuageſimam

Is. 54. GRADUALE. Dominábitur tuî qui fecit te, quia ut mulíerem mœrentem ſpíritu vocávit te Dóminus. ℣. Oratiónes tuæ & eleemóſynæ tuæ Act. 10. aſcendérunt in memóriam in conſpectu Dei.

Ruth. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Benedícta es à Dómino : ſcit omnis pópulus mulíerem te eſſe virtútis. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, omiſſis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Pſal. 118. TRACTUS. Expectábam ſalutáre tuum, Dómine, & mandáta tua dilexi. Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua, & dilexit ea vehementer. Servávi mandáta tua & teſtimónia tua ; quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Ruth. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Benedícta es à Dómino : ſcit omnis pópulus mulíerem te eſſe virtútis.

Is. 54. Allelúia, allelúia. ℣. Viduitátis tuæ non recordáberis ámpliùs : in miſericórdia ſempiterna miſertus ſum tuî, dixit Redemptor tuus. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 21. IN illo témpore ; Reſpíciens Jeſus vidit eos qui mittébant múnera ſua in gazŏphylácium, dĭvites. Vidit autem & quamdam víduam paupérculam mittentem ærā minúta duo, & dĭxit : Verè dico vobis, quia vídua hæc pauper pluſquàm omnes mĭſit. Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſérŭnt in múnera Dei : hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quĕm hăbuit, miſit.

OFFERTORIUM. Non deſpíciet Dôminus víduam, ſi effundat loquélam gémitus : Orátio humiliantis ſe nubes penetrábit ; & non diſcédet donec Altíſſimus aſpíciat. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.] Eccli. 35.

PRÆFATIO de S. VIDUA.

SECRETA.

GRata ſint tibi, Dómine, noſtræ devotiónis múnera in hac feſtivitáte beátæ *N.* Víduæ : & qui ſolus es bonum noſtrum, da nobis ejus précibus avértere à mundánis óculos, & te unum júgiter intuéri ; ut creatúra vileſcat, & Creátor in corde dulceſcat ; Per Dóminum noſtrum. M. P.

COMMUNIO. Eò quòd caſtitátem amáveris, & poſt virum tuum ; álterum neſcíeris : ídeò eris benedícta in æternum. [*Tempore Paſch.* Allelúia.] Judit. 15.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

MIſéricors, Dómine, fidélium tuórum conſolátor, reple nos multitúdine dulcédinis tuæ, quam in hoc ſacramento abſcondiſti timéntibus te ; & cum ancilla tua *N.* domûs tuæ bonis anhelantes, fac nos patienter vívere, ut delectabíliter moriámur ; Per Dóminum. M. P.

IN ANNIVERSARIO
DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Alb.

ANNUALE-MINUS.

Introitus.

Gen. 28. QUàm terríbilis est locus iste! non est hìc áliud, nisi Domus Dei, & porta cœli: verè Dóminus est in loco isto. [*Temp. Pasch.* Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Quàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini. Glória. Quàm.

Psal. 83.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræsentas incólumes: exaudi preces pópuli tui, & præsta, ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur; Per Dóminum.

Si Dominica fuerit, additur Collecta Dominicæ.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Cap. 21. IN diébus illis; Vidi sanctam civitátem Jerúsalem novam, descendentem de cœlo à Deo, parátam, sicut sponsam ornátam vîro suo. Et audívi vocem magnam de thrôno dicentem: Ecce Tabernáculum Deĭ cum homínibus, & habitâbit cum eis. Et ipsi pópŭlŭs ejus erunt; & ipse Deus cum eis erit eôrum Deus. Et absterget Deus omnem lácrymam ăb óculis eórum; & mors ultrà non erit; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima âbiérunt. Et dixit qui sedêbat in throno: Eccĕ nŏva fácio ómnia.

A Trinitate ad Septuagesimam

Is. 56. *Graduale.* Addúcam servos meos in montem sanctum meum, & lætificábo eos in Domo oratiónis meæ. ℣. Holocausta eórum, & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo; quia Domus mea, Domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis.

Dan. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Benedictus es, Dómine, in Templo sancto glóriæ tuæ; & superlaudábilis, & supergloriósus in sécula. Alléluia.

Prosa.

ERgo ne cœléstium
Auctor & Rex máximus
Amat hìc hospítium!
Ergo nobis próximus
Terras Deus hábitat!
Cœli vastis órbibus
Si non circumscríbitur,
Templórum limítibus
Quantò minùs cláuditur,
Quibus volens látitat?
Tanta quis commércia
Iníre non cúpiat?
In tua palátia
Quæ mens non defíciat,
O Deus amábilis!
Sancta Sanctis: Pálleat
Ad prima Sons límina:
Qui profános árceat
Adest, vibrans fúlmina,
Deus formidábilis.
Hìc sacro baptísmate
Gens fidélis náscitur:
Hìc divíno chrísmate
Inuncta perfícitur

Jam in hostes ácrior.
Commissis hìc clávibus
Petrus judex útitur :
Hìc litáti cárnibus
Agni justus álitur,
Vigetque divínior.
Testes hìc connúbium
Inter aras néctitur :
Hinc in Sacerdótium,
Hinc in ægros fúnditur
Sacri liquor ólei.
Cœlestis hìc ígneas
Fundit eloquéntia
Voces : hìc & lácteas
Cómbibit infántia
Primítias fidei.
Fides at in spéciem
O ! quando mutábitur !
Deus, quando fáciem
Tuam pleno dábitur
Intuéri lúmine !
Sédibus qui súperis,
Templórum nil índigus,
Templum ipse pánderis,
Circúmfluo pródigus
Nos consúmma númine.
Amen.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia *& Prosa*,) *dicitur*

Psal. 121. *Tractus.* Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi ; In Domum Dómini íbimus. Stantes erant pedes nostri in átriis tuis, Jerúsalem. Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas, cujus participátio ejus in idipsum. Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini ; testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini.

Tempore Paschali, *loco Gradualis & Tractûs*, *dicitur*

Psal. 41. Allelúia, allelúia. ℣. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis usque ad Domum Dei, in voce exultatiónis, & confessiónis.

Isaiæ. 51. Allelúia, allelúia. ℣. Gáudium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, & vox laudis. Allelúia.

Deinde dicitur Prosa, Ergo-ne cœléstium. *ut suprà.*

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 21. In illo témpore ; Cùm intrasset Jesus Jerosólymam, commóta est universa cívitas, dicens : Quis est hic ? Pópuli autem dicébant : Hic est Jesus Prophéta à Názareth Galilææ. Et intrávit Jesus in templum Dei, & ejiciébat omnes vendentes & ementes in templo : & mensas numulariórum, & cáthedras vendéntium columbas evertit ; & dixit eis : Scriptum est, Domus mea, domus oratiónis vocábitur : vos autem feciστis illam spelúncam latrónum. Et accessérunt ad eum cæci et claudi in templo ; & sanávit eos. Videntes autem príncipes sacerdótum & Scribæ mirabília quæ fecit, & púeros clamantes in templo, & dicentes, Hosannâ Fílio David ; indignáti sunt, & dixérunt ei : Audis quid isti dicunt ? Jesus autem dixit eis : Utique : Numquam legistis quia Ex ore infántium & lacténtium perfeciστi laudem ? Et relictis illis, ábiit foras extra civitátem in Bethániam ; ibique mansit.

Dicitur Credo. *& per totam Octavam.*

1. Paral. 29. *Offertorium.* Dómine Deus, in simplicitáte cordis mei lætus óbtuli universa ; & pópulum tuum vidi cum ingenti gáudio tibi offerre donária : Deus Israel, custódi in æternum hanc voluntátem cordis eórum, & semper in veneratiónem tuî mens ista permáneat. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Secreta.

S. R. Impleat, Deus omnípotens, Domum istam glória tua ; & super adorantes in eâ, ignis tuæ caritátis, descendat : ut & ipsi tanquam lápides vivi di-

gnum sanctitáti tuæ fiant habitáculum in quo spirituáles hóstias ófferant; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus; Per.

Præfatio de Dedicatione per totam Octavam.

2. Paral. 6. *Communio.* Ergo-ne credíbile est ut hábitet Deus cum homínibus super terram? Si cœlum & cœli cœlórum non te cápiunt, quantò magìs Domus ista? [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

S. R. DOmumtuam, Dómine, novâ semper benedictióne sanctífica; & quos inhabitatióne tuâ, divínæ majestáti templa consecrásti, fac in æternâ mansióne, reveláta nube contemplári; Qui vivis & regnas cum Deo.

INTRA OCTAVAM
Anniversarii Dedicationis,
Missa dicitur ut in die, præter Epistolam & Evangelium.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 3. FRatres; Dei agricúltúra estis, Dei ædificâtio estis. Secundùm grátiam, quæ data est mihi, ut sápiens architectus fundámentum pósui: álius autem supêrædíficat. Unusquisque autem vídeat quómodò supêrædíficet. Fundamentum enim áliud nemo potest pónere, prætěr id quod pósitum est, quod est Chrîstus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam, uniuscujusque opus manífestum erit: dies enim Dómini declarábit; quia in igne revelábitur, & uniuscujusque opus quale sit, îgnis probábit. Si cujus opus mánserit, quod superædificávit, mercêdem accípiet. Si cujus opus árserit, detriméntum patiétur: ipse autem salvus erit; sic tamen quâsi per ignem. Nescítis quia templum Dei estis, & Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, dispérdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 19. IN illo témpore; Ingressus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zacchæus; & hic princeps erat publicanórum, et ipse dives: & quærébat vidére Jesum, quis esset; & non póterat præ turba, quia statúra pusillus erat. Et præcurrens ascendit in árborem sycómorum ut vidéret eum; quia inde erat transitúrus. Et cùm venisset ad locum, suspíciens Jesus vidit illum, & dixit ad eum: Zacchæe, féstínans descende; quia hódie in domo tua oportet me manére. Et féstínans descendit, & excépit illum gaudens. Et cùm vidérent omnes, murmurábant, dicentes quòd ad hóminem peccatórem divertísset. Stans autem Zacchæus, dixit ad Dóminum: Ecce dimídium bonórum meórum, Dómine, do paupéribus: & si quid áliquem defraudávi, reddo quádruplum. Ait Jesus ad eum: quia Hódie salus dómui huic facta est: eo quòd & ipse fílius sit Abrahæ. Venit enim Fílius hóminis quærere & salvum fácere quod perierat.

Dicitur Credo.

Dominica intra Octavam Anniversarii Dedicationis, Missa dicitur de Dominica occurrente, cum Commemoratione Dedicationis.

Alb.

OCTAVA ANNIVERSARII *Dedicationis.*

Duplex-Minus.

Introitus.

Psal. 64. REplébimur in bonis Domûs tuæ, Dómine; sanctum est Templum tuum, mirábile in æquitáte. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] Ibid. *Psalm.* Te decet hymnus Deus in Sion: * & tibi reddétur votum in Jerúsalem. Glória. Replébimur.

Collecta. Orémus.

DEus qui nobis æterna supernæ Jerúsalem gáudia per temporálem hujus sancti Templi tui solemnitátem adumbráre voluisti; fac nos, quæsumus, ita dilígere decórem domûs tuæ, ut & ipsi templum grátiæ tuæ in terris, & locus habitatiónis glóriæ tuæ fíeri mereámur in cœlis; Per. [*Fit Commemoratio Dominicæ, si sit Dominica.*]

Léctio Isaîæ Prophétæ.

Is. 60. HÆc dicit Dóminus ad Jerûsalem: Aperientur portæ tuæ júgiter, die ac noctě non claudentur; ut afferátur ad te fortitúdo géntium, & reges eárum âdducantur. Gens enim & regnum, quod non servíĕrit tibi, perîbit; & gentes solitúdine vâstabuntur. Glória Líbani ad te véniet; ábies, & buxus, & pinus simul, ad ornandum locum sanctificatiónis meæ; & locum pedum meórum glorîficábo. Et vénient ad te curvi fílii eórum, qui humiliávérunt te; & adorábunt vestígia pedum tuórum omnes, qui detrahêbant tibi. Et vocábunt te civĭtátem Dómini, Sion Sancti Ĭsrael. Pro eo quod fuisti derelicta, & ódio hábita, & non erat quĭ per te transíret; ponam te in supérbiam seculórum, gáudium in generatiónem & generâtiónem. Et suges lac géntium, & mamillă regum lactáberis; & scies quia ego Dóminus salvans te, & redemptor tuus fôrtis Jacob. Pro ære áfferam aurum, & pro ferrŏ áfferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapîdibus ferrum. Et ponam visitatiónĕm tuam pacem, & præpósitos tûos justítiam. Non audiétur ultrà iníquitas in terra tua, vástitas, & contrítio ĭn términis tuis; & occupábit salus muros tuos, & portas tûas laudátio. Non erit tibi ámpliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illumĭnábit te: sed erit tibi Dóminus in lucem sempiternam, & Deus tuus in glôriam tuam. Non óccidet ultrà sol tuus, & luna tua non minuétur: quia erit tibi Dóminus in lucĕm sempiternam: & complebuntur dies lûctus tui. Pópulus autem tuŭs omnes justi; in perpétuum hereditábunt terram, germen plantatiónis meæ, opus manŭs mĕæ ad glorificandum.

A Trinitate ad Septuagesimam

Graduale. Unam pétii à Dómino, hanc requíram: ut inhábitem in Domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ. ℣. Ut vídeam voluptátem Dómini, & vísitem templum ejus. Psal. 26.

Allelúia, allelúia. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei, sicut lætántium, ómnium habitátio est in te. Allelúia. Psal. 86.

Prosa.

ERgo-ne cœléstium
Auctor & Rex máximus
Amat hìc hospítium!
Ergo nobis próximus
Terras Deus hábitat!

Cœli vastis órbibus
Si non circumscríbitur,
Templórum limítibus
Quantò minùs cláuditur,
Quibus volens látitat?
TANTA quis commércia
Iníre non cúpiat?
In tua palátia
Quæ mens non defíciat,
O Deus amábilis!
Sancta Sanctis: Pálleat
Ad prima Sons límina:
Qui profános árceat
Adest, vibrans fúlmina,
Deus formidábilis.
Hìc sacro baptísmate
Gens fidélis náscitur:
Hìc divíno Chrísmate
Inuncta perfícitur
Jam in hostes ácrior.
Commissis hìc clávibus
Petrus judex útitur:
Hìc litáti cárnibus
Agni Justus álitur,
Vigetque divínior.
TESTES hìc connúbium
Inter aras néctitur:
Hinc in Sacerdótium,
Hinc in ægros fúnditur
Sacri liquor ólei.
Cœlestis hìc ígneas
Fundit eloquéntia
Voces: hìc & lácteas
Cómbibit infántia
Primítias fídei.
FIDES at in spéciem
O! quando mutábitur!
Deus, quando fáciem
Tuam pleno dábitur
Intuéri lúmine!
Sédibus qui súperis,
Templórum nil índigus,
Templum ipse pánderis,
Circúmfluo pródigus
Nos consúmma númine.
Amen.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia & Prosâ,) *dicitur*

TRACTUS. Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Dómini íbimus. Stantes erant pedes nostri in átriis tuis, Jerúsalem. Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas, cujus participátio ejus in idipsum. Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini; testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini. Psal. 121.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei: Sicut lætántium ómnium, habitátio est in te. Psal. 86.

Allelúia, allelúia. ℣. Vox exultatiónis & salútis in tabernáculis justórum. Allelúia. Psal. 117.

Deinde dicitur PROSA, ERGO-NE Cœléstium, *ut suprà.*

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

IN illo témpore; Facta sunt Encænia in Jerosólymis, et hiems erat: & ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergò eum Judæi, & dicébant ei: Quousque ánimam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, & non creditis. Opera, quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me: sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt; & ego cognósco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis; & non períbunt in æternum, & non rápiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus ómnibus est: & nemo potest rápere de manu Patris mei. Ego et Páter unum sumus. Cap. 10.

Dicitur Credo.

Psal. 83. *OFFERTORIUM.* Quàm dilecta Tabernácula tua, Dómine virtútum! concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini: Altária tua, Dómine virtútum, rex meus & Deus meus: Beáti, qui hábitant in Domo tua, Dómine; in sécula seculórum laudábunt te.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

SECRETA.

M. P. SUscipe, omnípotens Deus, quas tibi offérimus hóstias; & concéde, ut tanquàm lápides vivi Christo lápidi pretióso & angulári superædificári sine fine mereámur; Per eumdem Dóminum.

PRÆFATIO de DEDICATIONE.

COMMUNIO. Fílii hóminum, Dómine, inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ; & torrente voluptátis tuæ potábis eos; quóniam apud te est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. Psal. 34.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus qui Eccléfiam tuam super fundamenta Apostolórum & Prophetárum ipso summo angulári lápide, Christo Jesu ædificátam, in templum sanctum tuum créscere facis: da, ut pópulus tuus, & número & mérito augeátur, & hujus perceptióne sacramenti, in habitáculum æternum tibi præparétur; Per eumdem Dóminum.

Alb.

IPSO DIE DEDICATIONIS ALICUJUS ECCLESIÆ, ANNUALE.

Miſſa ut ſuprà xlj *exceptis ſequentibus.*

Collecta. Orémus.

S. R. DEus qui inviſibíliter ómnia cóntines, & tamen pro ſalúte géneris humáni ſigna tuæ poténtiæ viſibíliter oſtendis : Templum hoc Majeſtáte tuæ inhabitatiónis illuſtra ; & concéde, ut omnes qui hùc deprecatúri convéniunt, ex quacumque tribulatióne ad te clamáverint, conſolatiónis tuæ benefícia conſequantur ; Per.

Secreta.

M. P. OBlátis tibi ſacrifíciis propítius, Dómine, effunde ſuper hanc oratiónis domum benedictiónes tuas ; & quam únctio ſancta conſecrávit impollútam conſervans, noſmetipſos in cœleſtis habitáculi ſtructúram aptáre dignéris ; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

M. P. INhábitet in fidélibus tuis, Dómine, virtus cœleſtis ſacramenti ; ut & domum iſtam pio ſemper venerentur affectu, & ad æternam contínuo deſidério aſpírent ; Per Dóminum.

Dominica intrà Octavam, Miſſa ut in die cum Commem. Dominicæ.

In die Octava. Duplex-Majus. *Miſſa ut in die, præter Epiſtolam & Evangelium ut ſuprà* xliv.

Alb. In Dedicatione Altaris,

Miſſa dicitur ut ſuprà in Dedicatione Eccleſiæ, exceptis ſequentibus.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui jugi ſacrifício, pro ſalúte fidélium, mortis tuæ memóriam celebrári voluiſti : in hoc Altáre virtútem tuæ benedictiónis infunde ; ut qui divíni múneris fúerint ex eo partícipes, præſentis vitæ ſubsídia percípiant & æternæ ; Qui vivis.

Léctio libri Machâbæórum.

IN diébus illis ; Ante matutínum ſurrexérunt quinta & vigéſima die menſis noni (hic eſt menſis Caſleu) centéſimi quadragéſimi octávi anni ; & obtulérunt ſacrifícium ſecundùm legem, ſuper altáre holocauſtórum novum, quôd fecérunt. Secundùm tempus, & ſecundùm diem, in qua contaminavérunt illud gentes, in ipſa renovátum eſt in cánticis, & cítharis, & cínyris, êt in cymbalis. Et cécidit omnis pópulus in fáciem, & adoravérunt ; & benedixérunt in cœlum eum, qui proſperâvit eis. Et fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo ; & obtulérunt holocauſta cum lætítia, & ſacrifícium ſalutâris & laudis. Et ornavérunt fáciem templi corónis áureis & ſcútulis : & dedicavérunt portas, & paſtophória ; & impoſuérunt êis jánuas. Et facta eſt lætítia in pópulo magna valde, & averſum eſt opprôbrium géntium. Et ſtátuit Judas, & fratres ejus, & univerſa eccléſia Iſrael, ut agátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus ſuis, ab anno in annum, per dies octo, à quinta & vigéſima die menſis Caſleu, cum lætítia & gáudio. Lib. I. Cap. 4.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

IN illo témpore ; Dicit Jeſu múlier Samaritána : Dómine, vídeo quia prophéta es tu. Patres noſtri in Cap. 4.

monte hoc ădoravérunt ; & vos dícitis , quia Jeroſólymis eſt locus , ubi adoráre opŏrtet. Dicit & ei Jesŭs : Múlĭĕr , crede mihi ; quia venit hora , quando neque in monte hoc , neque in Jeroſólymis adorábis Pătrem. Vos adorátĭs quod neſcítis : nos adorámus quod ſcimus , quia ſalus ex Judæis ĕſt. Sed venit horă , & nunc eſt , quando veri adoratóres adorábunt Patrem in ſpíritu & veritāte. Nam & Patĕr tales quærit , qui adórent ĕum. Spíritus eſt Deus : & eos qui adórant eum , in ſpíritu & verĭtāte oportet adoráre.

Dicitur Credo.

SECRETA.

S. R. DEſcendat , quæſumus , Dómine Deus noſter , Spíritus tuus ſanctus ſuper hoc Altáre : qui & pópuli tui dona ſanctíficet , & ſuméntium corda dignanter emundet ; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempiterne Deus , Altáre hoc nómini tuo dedicátum cœleſtis virtútis benedictióne ſanctífica ; & ómnibus in te ſperántibus auxílii tui munus oſtende : ut & hìc ſacramentórum virtus in nobis operétur , & votórum impleátur effectus ; Per Dóminum.

In die Benedictionis alicujus Eccleſiæ ſeu Sacelli.

Miſſa dicitur de die vel de Sancto occurrente , cum Orationibus ſequentibus.

COLLECTA. Orémus.

DEus qui loca nómini tuo dicánda ſanctíficas , effunde ſuper hanc oratiónis domum grátiam tuam , ut ab ómnibus hìc te invocántibus auxilium tuæ miſericórdiæ ſentiátur ; Per Dóminum. S. R.

SECRETA.

DEus , qui tibi ſacrandórum auctor es múnerum : effunde ſuper hanc oratiónis domum bendictiónem tuam ; ut omnes qui in ea majeſtáti tuæ ſacrifícium obtúlerint , defenſiónis tuæ ſéntiant auxílium ; Per Dóminum. S. R.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus , qui de vivis & electis lapídibus æternum majeſtáti tuæ præparas habitáculum : auxiliáre pópulo tuo ſupplicanti ; ut quod Eccléſiæ tuæ corporálibus próficit ſpátiis , ſpirituálibus amplificétur augmentis ; Per Dóminum. S. R.



MISSÆ DE B. MARIA VIRGINE

IN SABBATO.

IN ADVENTU.

SEMI-DUPLEX.

Alb.

INTROITUS.

Jer. 33. ECce dies véniunt, dicit Dóminus, & germináre fáciam David germen juſtítiæ; & fáciet judícium & juſtítiam in terra: & hoc eſt nomen, quod vocábunt eum, Pſal. 131. Dóminus juſtus noſter. *PSALM.* Memento Dómine, David, * & omnis manſuetúdinis ejus. Glória. Ecce.

Dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem ſuſcípere voluiſti: præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur; Per eumdem.

Secunda Collecta de Dominica præcedenti. [*Tertia de feſto ſimplici, ſi occurrat.*]

Léctio Iſaîæ Prophétæ.

Cap. 7. IN diébus illis; Adjécit Dóminus loqui ad Achâz, dicens: Pete tibi ſignum à Dómino Deo tuo in prófundum inferni, ſive in excélſum ſuprà. Et dîxit Achaz: Non petam, & non tentâbo Dóminum. Et dixit: Audíte ergó, domus David: Numquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe homínibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipſe vóbis ſignum: Ecce Virgo concípiet, ét páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmânuel. Bútyrum & mel cómedet, ut ſciat reprobáre málum, & elígere bonum.

GRADUALE. Deus, tu converſus vivificábis nos; & plebs tua lætábitur in te. ℣. Oſtende nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; & ſalutáre tuum da nobis. Pſal. 84.

Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus dabit benignitátem; & terra noſtra dabit fructum ſuum. Allelúia. Ibid.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 1. IN illo témpore; Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem deſponſátam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David; & nomen Vírginis, Maria. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave grátia plena, Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. Quæ cùm audiſſet, turbáta eſt in sermóne ejus: & cogitábat qualis eſſet iſta ſalutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María: inveniſti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus, Jesum. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur; & dabit illi Dóminus Deus ſedem Dávid patris ejus: & regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet iſtud, quóniam virum non co-

gnoſco ? & rĕſpondens Angelus, dixit ĕi : Spíritus ſanctus ſupervéniet in te, & virtus Altíſſimi obŭmbrábit tibi : ideóque & quod naſcétur ex te ſanctum, vocábitur Fílius Dĕi. Et ecce Elíſabeth cognáta tua, & ipſa concépit fílium in ſenectúte ſua ; & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vŏcátur ſtérilis : quia non erit impoſsíbile apud Deum omne vĕrbum. Dixit autem Marĭa : Ecce ăncilla Dómini, fiăt mĭhi ſecundùm verbum tuum.

Luc. 1. *OFFERTORIUM.* Ave, María, grátiâ plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus.

SECRETA.

NOſtræ redemptiónis hóſtiam offerentes, te, Dómine, deprecámur ; ut corda noſtra ſuæ caritátis ardóribus mundet & inflammet Spíritus ſanctus, qui beátæ Maríæ viſcera ſplendóribus ſuæ virtútis replévit ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum qui recum vivit & regnat in unitáte ejuſdem Spiritûs ſancti Deus.

PRÆFATIO de B. MARIA VIRGINE : Et te in veneratióne beátæ Maríæ.

Iſ. 7. *COMMUNIO.* Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium ; & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. IN méntibus noſtris, quæſumus, Dómine, veræ fídei ſacramenta confirma : ut, qui conceptum de Vírgine Deum verum & hóminem confitentes, corpus ejus & ſánguinem ſúmpſimus, per ejus ſalutíferæ reſurrectiónis poténtiam, ad æternam mereámur perveníre lætítiam ; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum qui tecum vivit & regnat in unitáte Spiritûs ſancti Deus.

A CIRCUMCISIONE DOMINI *Alb.*

ad ejus Præſentationem.

DUPLEX-MINUS.

INTROITUS.

MIſericórdia & véritas obviavérunt ſibi ; juſtítia & pax oſculátæ ſunt : véritas de terra orta eſt, & juſtítia de cœlo proſpexit. *PSALM.* Benedixiſti, Dómine, terram tuam ; * avertiſti captivitátem Jacob. Glória Patri. Miſericórdia. Pſal. 48. Ibid.

Dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui ſalútis æternæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præſtitiſti : tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum. S. R.

Léctio Michææ Prophétæ.

HÆc dîcit Dóminus : Tu Béthleem Ephrata, párvulus es ĭn míllibus Juda : ex te mihi egrediétur qui ſit dominátor in Iſrael ; & egreſſus ejus ab inítio, à diébus ætêrnitátis. Propter hoc dabit eos uſque ad tempus, in quo părtúriens páriet ; & relíquiæ fratrum ejus convertentur ad fílios Iſrael. Et ſtabit, & paſcet in fortitúdine Dómini, in ſublimitáte nóminis Dómĭnĭ Dei ſui : & convertentur, quia nunc magnificábitur uſque ad tĕrmĭnŏs tĕrræ, & erit iſte pax. Cap. 5.

GRADUALE. Dilectus meus inter úbera mea commorábitur. ℣. Læva ejus ſub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Cant. 1. Cant. 2.

Allelúia, allelúia. ℣. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ ſuxiſti ! Allelúia. Luc. 11.

Poſt

Poſt Septuageſimam, omiſſis Allelúia *& ℣. Graduali additur*

Pſal. 18. *TRACTUS.* In ſole póſuit Dóminus tabernáculum ſuum. Et ipſe tamquam ſponſus procédens de thálamo ſuo, exultávit ut gigas ad currendam viam. A ſummo cœlo egréſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 2. IN illo témpore; Paſtóres loquebantur ad ínvicem: Tranſeámus uſque Béthleem, & videámus hoc verbum, quod factum eſt, quod Dóminus oſtendit nobis. Et venérunt feſtinantes; & invenérunt Maríam, & Joſeph, & infantem póſitum in præsépio. Videntes autem cognóvérunt de verbo, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes, qui audiérunt, mirati ſunt; & de his, quæ dicta erant à paſtóribus ad ipſos. María autem conſervábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et reverſi ſunt paſtóres glorificantes & láudantes Deum in ómnibus, quæ audíerant et viderant, ſicut dictum eſt ad illos.

Ibid. *OFFERTORIUM.* María conſervábat ómnia verba hæc, cónferens in corde ſuo.

SECRETA.

M. P. BEáta témpora celebrantes, quæ per temporálem Unigéniti tui Nativitátem, & Partum Maríæ Vírginis conſecraſti, hæc oblátio, quæſumus, Dómine, ſanctificet, atque in illo tríbuat renaſci; Qui tecum.

PRÆF. DE B. MARIA VIRGINE: Et te in veneratióne beátæ Maríæ.

Pſal. 71. *COMMUNIO.* Deſcendet Dóminus ſicut plúvia in vellus: & benedicentur in ipſo omnes tribus terræ.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SAtiaſti nos, Dómine, Verbi tui incarnáti córpore ac ſánguine: quæſumus, ut intemerátæ matris ejus interceſſióne, tanti myſtérii fructum júgiter in nobis conſerváre mereámur; Per eumdem.

A PRÆSENTATIONE

Alb.

Domini ad Quinquageſimam.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Luc. 1. RESpexit Dóminus humilitátem ancillæ ſuæ: ecce ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Pſal. 97. *PSALM.* Cantáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit. Glória. Reſpexit Dóminus.

Dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

S. R. CONcéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ ſemper vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítiâ, & æternâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Gálatas.

Cap. 4. FRatres; cùm éſſémus párvuli, ſub elementis mundi erámus ſervientes. At ubi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fílium ſuum, factum ex muliére, factum ſub lege; ut eos, qui ſub lege erant, redímeret; ut adoptiónem filiórum recîperémus. Quóniam autem eſtis fílii, miſit Deus Spíritum Fílii ſui in corda veſtra, clamántem; Abba, Pater.

Luc. 1. *GRADUALE.* Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. ℣. Et miſericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Allelúia.

Post Septuagesímam, omíssis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Psal. 18. *Tractus.* In sole pósuit Dóminus tabernáculum suum. Et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo, exultávit ut gigas ad currendam viam. A summo cœlo egréssio ejus; & occursus ejus usque ad summum ejus.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 11. IN illo témpore; Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit, & úbera, quæ suxisti! At ille dixit: Quinimmò beáti, qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud.

Psal. 44. *Offertorium.* Fíliæ Tyri in munéribus: vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Secreta.

S. R. TUâ, Dómine, propitiatióne, & beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præsentem hæc oblátio nobis proficiat prosperitátem & pacem; Per Dóminum.

Præf. de B. Maria Virgine: Et te in veneratióne beátæ Maríæ.

Eccli. 24. *Communio.* Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Postcommunio. Orémus.

S. R. SUmptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis; da, quæsumus, beátæ Maríæ semper vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne, hæc tuæ obtúlimus majestáti; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

TEMPORE PASCHALI.

Alb.

Semiduplex.

Introitus.

Psal. 29. CONvertisti, Dómine, planctum meum in gáudium mihi, Allelúia: & circumdedisti me lætítiâ; ut cantet tibi glória mea. Allelúia, allelúia. *Psalm.* Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me; * nec delectasti inimícos meos super me. Glória. Convertisti. Ibid.

Dicitur Glória in excelsis.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui per resurrectiónem Filii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut per ejus genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eumdem Dóminum nostrum.

Léctio Jeremîæ Prophétæ.

Cap. 31. HÆc dîcit Dóminus: Creávit Dóminus novum super terram; Fémina circûmdabit virum. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israël: Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, & in úrbibus ejus, cùm convértero captivitâtem eórum: Benedícat tibi Dóminus, pulcritúdo justîtiæ, mons sanctus. Et habitábunt in eo Judas, & omnes civitátes ejus simul, agrícolæ, & minántes greges. Quia inebriávi ánimam lassam; & omnem ánimam esurientem sáturávi. Ideò quasi de somno suscitátus sum: & vidi; & somnus meus dulcis mihi.

Gen. 45. Allelúia, allelúia. ℣. Fílius tuus vivit, & ipse dominátur in omni terra.

Baruc. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Exue te stolâ luctûs, & índue te decóre & honóre glóriæ. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 19. IN illo témpore ; Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus Mária Cléophæ, & María Magdaléne. Cùm vidisset ergo Jesus matrem, & discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri súæ : Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit discípulo : Ecce Mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Psal. 15. *Offertorium.* Non dedisti, Dómine, Sanctum tuum vidére corruptiónem : propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea. Allelúia, allelúia.

Secreta.

M. P. SPíritus ille tuus, Dómine, super hæc dona descendat, quem Unigénitus tuus se post glorificatiónem suam datúrum promísit, & in beátam Vírginem, Ecclesiamque cum ea in oratióne perseverantem, abundanter effúdit ; Per eumdem..... in unitáte ejusdem.

Præf. de B. Maria Virgine : Et te in veneratióne beátæ Maríæ.

Psal. 93. *Communio.* Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, Dómine, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. Allelúia, allelúia.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, cujus in hoc sacramento mortem annuntiámus : da nobis, per intercessiónem beatíssimæ matris tuæ, ut cum ea sócii passiónum tuárum effecti, consolatiónis étiam ac glóriæ partícipes esse mereámur ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus ; Per ómnia sécula seculórum.

AB OCTAVA CORPORIS Christi, ad Assumptionem B. M. V.

Alb.

Semiduplex.

Introitus.

Is. 54. MIsericórdia mea non recédet à te, dixit miserátor Dóminus : Ecce ego ponam universos fílios tuos doctos à Dómino, & multitúdinem pacis fíliis tuis. Psal. 147. *Psalm.* Lauda Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum Sion. Glória. Misericórdia.

Collecta. Orémus.

DEus, qui in Cruce móriens, Beátam Vírginem Maríam genitrícem tuam, Matrem nobis pio favóre dedisti ; concede, ut tanti benefícii mémores, vitæ innocentiâ, sincerâque pietáte, nos dignos Maríæ fílios comprobémus ; Qui vivis.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 24. EGo quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honôris & grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : & flores mei fructus honóris & hôneståtis. Ego mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & sânctæ spei. In me grátia omnis viæ ĕt veritátis, in me omnis spĕs vitæ & virtútis.

Esth. 7. *Graduale.* Si invéni grátiam in óculis tuis, ô rex, & si tibi placet, dona mihi pópulum meum, pro quo obsecro. ℣. Fílii mei sunt, quos donávit mihi Deus : Deus benedícat púeris istis ; & invocétur super eos nomen meum. Gen. 48.

Tob. 13. Allelúia, allelúia. ℣. Tu lætáberis in fíliis tuis, quóniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dóminum. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 19. IN illo témpore; Stabant juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Mária Cléophæ, & María Magdaléne. Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcípulum ſtantem, quem diligébat, dicit matri ſuæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit diſcípulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accépit eam diſcípulus in ſua.

Pſal. 115. *OFFERTORIUM.* O Dómine, quia ego ſervus tuus, & fílius ancillæ tuæ tibi ſacrificábo hóſtiam laudis: vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus.

SECRETA.

HIs ſacrifíciis, Dómine, Beátæ Virginis Maríæ, apud te patrocínia fiduciáliter implorámus, quæ & carne Mater Chriſti, & caritáte Mater noſtra eſt; Per eumdem.

PRÆF. DE B. MARIA VIRGINE: Et te in veneratióne.

Prov. 31. *COMMUNIO.* Surrexérunt fílii ejus, & beatíſſimam prædicavérunt.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PEr hæc ſacramenta quæ ſumpſimus, concede, Deus omnípotens, ut qui beátam fílii tui genitrícem Vírginem Maríam devóto veneramur affectu, maternam ipſíus circa nos pietátem ſentiámus; Per eumdem.

Alb. AB OCTAVA ASSUMPTIONIS B. M. V. ad Adventum.

SEMIDUPLEX.

INTROITUS.

Eſth. 2. ADamávit eam rex, hábuitque grátiam & miſericórdiam coram eo, & póſuit diadéma regni in cápite ejus, fecitque eam regnáre; & ſervis ſuis dona largítus eſt. *PSALM.* Magnus Dóminus & laudábilis nimis; * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus. Glória. Adamávit. Pſal. 47.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui Beátam Maríam ſemper Vírginem, ſuper choros Angelórum exaltátam, mundi dóminam conſtituiſti; concede, propítius: ut quam toto cordis affectu venerámur, ejus apud te potentíſſimam interceſſiónem ſentiámus; Per Dóminum.

Léctio libri Regum.

Lib. 4. c. 2. IN diébus illis: Venit Bethſabee ad regem Salomónem, ut loquerêtur ei: & ſurrexit rex in occurſum ejus, adorávitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſituſque eſt thronus matri regis: quæ ſedit ad dêxteram ejus. Dixitque ei: petitiónem unam párvulam egò déprecor à te, ne confundas fâciem meam. Et dixit ei rex: pete mater mea: neque enim fas eſt ut avertam fâciem tuam.

3. Reg. 10. Gen. 27. *GRADUALE.* Rex dedit regínæ ómnia quæ vóluit, & petívit ab eo. ℣. Benedicens illi, ait: ſerviant tibi pópuli, & adórent te: & qui benedixerit tibi, benedictiónibus repleátur.

3. Reg. 10. Allelúia, allelúia. ℣. Sit Dóminus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & póſuit te ſuper thronum, eò quòd dilexerit Iſraël in ſempiternum. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 1. IN illo témpore; Ait Maria: Magníficat ánima mea Dóminum, & exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo. Quia reſpexit humilitátem

ăncillæ ſuæ : ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiŏnes. Quia fecit mihi magnă qui potens eſt ; & ſanctum nomen ĕjus. Et miſericórdia ejus à progéniĕ in progénies timentibus ĕum. Fecit poténtiam ĭn bráchio ſuo : diſperſit ſuperbos mente cordis sŭi. Depóſuit pŏtentes de ſede, & exaltávit hŭmiles. Eſurientes ĭmplévit bonis, & dívites dimíſit inănes. Suſcépit Iſrăĕl puerum ſuum, recordátus miſericórdiæ sŭæ. Sicut locútus eſt ăd patres noſtros, Abraham, ĕt ſēmini ejus in ſécula.

Gen. 45. *Offertorium.* Accedite ad me : en óculi veſtri vident univerſam glóriam meam : veníte ad me ; & ego dabo vobis ómnia bona.

Secreta.

MUnera noſtra, Dómine, tibi reddat accepta Beátæ Maríæ Virginis interceſſio, quæ quantum grátiæ in terris adepta eſt præ céteris, tantum & in cœlis obtinet glóriæ & poteſtátis ſingularis ; Per Dóminum.

Præf. de B. Maria Virgine : Et te in veneratióne.

Communio. Quid dignum póterit eſſe beneficiis ejus ? Bonis ómnibus repléti ſumus : quid illi ad hæc potérimus dignum dare. Tob. 13.

Postcommunio. Orémus.

MEnſæ tuæ delíciis paſti, Dómine Jeſu Chriſte, clementiam tuam implorámus, ut qui totum nos habére voluiſti per Maríam, ipſíus patrocíniis munítos, cœléſtibus donis nos ditáre non ceſſes ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte ſancti Deus ; Per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.



MISSÆ VOTIVÆ.

Quo ritu hæ Missæ sint celebrandæ, vide suprà, in Rubricis Generalibus, Cap. iv.

DE SS. TRINITATE.

Rub. seu Fulv.

Introitus.

Pſal. 32. MIsericordia Dómini plena est terra; Verbo Dómini cœli firmáti sunt, & Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Ibid. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Exultáte, justi, in Dómino: * rectos decet collaudátio. Glória. Misericórdiâ.

Dicitur Glória in excelsis.

Collecta. Orémus.

S. R. OMnípotens sempiterne Deus, qui dedisti fámulis tuis, in confessióne veræ fídei, æternæ Trinitátis glóriam agnóscere, & in poténtia majestátis adoráre Unitátem: quæsumus ut ejusdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur adversis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus; Per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

2. Cor. 13. FRatres; Gaudéte, perfecti estóte, exhortámini, idem sápitě, pacem habéte; & Deus pacis & dilectiónis êrit vobiscum. Salutáte ínvicem in ôsculo sancto. Salútant vos ômnes sancti. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, ět cáritas Dei, & communicátio sancti Spíritus sit cum ómnibŭs vŏbis: Amen.

A Trinitate ad Septuagesimam

Graduale. Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, & magnitúdinis ejus, non est finis. ℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, & sancti tui benedícant tibi. Pſal. 144.

Allelúia, allelúia. ℣. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui est, & qui ventúrus est. Allelúia. Apoc. 4.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Tractus. Dómine, tecum áffuit Sapiéntia tua, cùm orbem terrárum fáceres. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, ut sciam quid acceptum sit apud te. Mitte Spíritum sanctum tuum de altíssimis, & sic correctæ sint sémitæ eórum, qui sunt in terris. Sap. 9.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui est, & qui ventúrus est. Apoc. 4.

Allelúia, allelúia. ℣. Benedictum, Dómine, nomen glóriæ tuæ sanctum, & laudábile, & superexaltátum in ómnibus séculis. Allelúia. Dan. 3.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 15. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Cùm vénerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spíritum veritátis, qui à Patre procédit, ille testimónium perhĭbébit de

me: & vos teſtimónium perhíbébitis, quia ab inítio mecum ĕſtis. Hæc lŏcútus ſum vobis, ut non ſcandalizĕmini. Abſque ſynagógĭs fácient vos: ſed venit hora, ut omnis, qui intérficit vos, arbitrétur obſéquium ſe præſtáre Dĕo. Et hæc fácient vobis, quia non novérunt Patrem, neque mĕ. Sed hæc lŏcútus ſum vobis: ut cùm vénerit hora eórum, reminĭſcămini, quia ego dixi vobis.

Cap. 16.

Dicitur Credo.

Offertorium. Dómine Deus, ómnium créator, juſtus & miſéricors, qui ſolus eſt bonus, & omnípotens, & ætérnus; áccipe ſacrifícium pro univérſo pópulo tuo; & cuſtódi partem tuam, & ſanctífica.

2. Mac. 1.

[*Tempore Paſchali* Allelúia.]

Secreta.

S. R. SAnctífica, quæſumus, Dómine, per Unigéniti tui virtútem, hujus oblatiónis hóſtiam, & cooperánte Spíritu ſancto, per eam noſmetípſos tibi pérfice munus æternum; Per eumdem... in unitáte ejuſdem.

Præfatio de SS. Trinitate, quocumque tempore.

Eph. 2. *Communio.* Qui aliquándo erámus longè, facti ſumus propè in ſánguine Chriſti, per quem habémus accéſſum in uno Spíritu ad Patrem.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. DOmine Deus, Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis patérnitas in cœlo & in terra nominátur; da nobis ſacro Múnere recreátis, virtúte corroborári per Spíritum tuum in interiórem hóminem, & ſcire ſupereminéntem ſcientiæ caritátem Chriſti; ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei; Per eumdem.... in unitáte ejuſdem.

DE S. SPIRITU.

Rub.

Introitus.

DAbo eis cor unum, & ſpíritum novum tríbuam; in viſcéribus eórum; ut in præcéptis meis ámbulent, & ſint mihi in pópulum, & ego ſim eis in Deum. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.]

Ezech. 11.

Psalm. Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus. Glória. Dabo.

Pſal. 47.

Dicitur Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui corda fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuíſti; da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apoſtoli âd Romános.

Cap. 8. FRatres; Spíritus ádjuvat infirmitâtem noſtram. Nam quid orémus, ſicut ŏpórtet neſcímus: ſed ipſe Spíritus póſtulat pro nobis gemítibus inenârrabílibus. Qui autem ſcrutátur corda, ſcit quid dĕsíderet Spíritus; quia ſecundùm Deum pôſtulat pro ſanctis. Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia coopĕrantur in bonum, iis qui ſecúndùm prŏpŏſitum vocáti ſunt ſancti.

A Trinitate ad Septuageſimam

Sap. 9. *Graduale.* Senſum tuum, Dómine, quis ſciet, niſi tu déderis ſapientiam, & míſeris Spíritum ſanctum tuum de altíſſimis? ℣. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me.

Pſal. 142.

Allelúia, allelúia. ℣. * Veni, sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium; & tui amóris in eis ignem accénde. Allelúia.

** In Missa majori Celebrans & Ministri genua flectunt: Clerus verò stat conversus ad Altare.*

Post Septuagesimam (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Tractus. Cor mundum crea in me, Deus, & Spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. Ne projícias me à fácie tua, & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. Redde mihi lætítiam salutáris tui, & Spíritu principáli confírma me.

Psal. 50.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Sap. 12.

Allelúia, allelúia. ℣. O quàm bonus & suávis est, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus!

** In Missa majori, &c. Ut suprà.*

Allelúia, allelúia. ℣. * Veni sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium; & tui amóris in eis ignem accénde. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 16.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Cùm vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem non enim loquétur à semetípso; sed quæcúmque áudiet loquétur, & quæ ventúra sunt annuntiábit vóbis. Ille me clárificábit, quia de meo accípiet, & annuntiábit vóbis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accípiet, & annuntiábit vobis *Dicitur* Credo.

Offertorium. Deus spei répleat vos omni gáudio & pace in credéndo; ut abundétis in spe, & virtúte Spíritûs sancti.

Rom. 15.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Secreta.

S. R.

MUnera, quæsumus, Dómine, oblata sanctífica, & corda nostra sancti Spíritûs illustratióne emúnda; Per.... in unitáte ejusdem.

Præfatio de Pentecoste, quocumque tempore.

Communio. Implémini Spíritu sancto, loquéntes vobismetípsis in psalmis, & hymnis, & cánticis spirituálibus, grátias agéntes semper pro ómnibus, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.

Eph. 5.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

S. R.

MEntes nostras, quæsumus Dómine, Spíritus sanctus divínis réparet sacraméntis, & sui roris íntimâ aspersióne fœcúndet; Per... in unitáte ejusdem.

ALIA MISSA *de* S. SPIRITU *ad devotionem.* Spíritus, *&c. ut in die Pentecostes, excepto Graduali & Tractu, ut suprà, ubi tempus exigit ut dicantur.*

DE SS. NOMINE JESU.

Alb.

Missa ut in ejus Festo, Dominicâ ij post Epiphaniam, exceptis quæ sequuntur. Semper dicitur Glória in excélsis & Credo.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Tractus. Bénedic, ánima mea, Dómino; & ómnia, quæ intrà me sunt, nomini sancto ejus. Bénedic, ánima mea, Dómino; & noli oblivíscí, omnes retributiónes ejus. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Psal. 102.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam; ut glorificétur Pater in Fílio.

Joan. 14.

Allelúia, allelúia. ℣. Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen, quod est super omne nomen. Allelúia.

Phil. 2.

DE JESU INFANTE.

Alb.

Introitus.

Luc. 2. NAtus eſt vobis Salvátor, qui eſt Chriſtus Dóminus, in civitáte David. Et hoc vobis ſignum : Inveniétis infantem pannis involútum, & póſitum in præſépio. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.]

Pſal. 84. *Psalm.* Benedixiſti, Dómine, terram tuam : * avertiſti captivitátem Jacob. Glória. Natus eſt.

Dicitur. Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, cujus Unigénitus per várias venit ætátes, ut ætátem omnem ſanctificáret : da per ejus ſacram, quam venerámur, Infántiam, ut creſcámus in virum perfectum, in menſúram ætátis plenitúdinis ejus ; Qui tecum vivit.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Hebræos.

Cap. 10. FRatres ; Umbram habens lex futurórum bonórum, non ipſam imáginem rerum ; per ſíngulos annos eiſdem ipſis hóſtiis, quas ófferunt indeſinenter, numquam poteſt accedentes pĕrfectos fácere : alióquin ceſſaſſent offerri ; ídeò quòd nullam habérent ultra conſciéntiam peccáti, cultóres ſemel mundáti : ſed in ipſis commemorátio peccatórum per ſíngulos ânnos fit. Impoſsíbile enim eſt sánguine taurórum & hircórum aufêrri peccáta. Ideò ingrédiens mûndum dicit : Hóſtiam & oblatiónem noluiſti ; corpus autem aptaſti mihi : holocautómata pro peccáto non tibĭ placuérunt ; tunc dixi : E^cce vénio. In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fáciam, Deus, voluntâtem tuam. Supériùs dicens : Quia hóſtias, & oblatiónes, & holocautómata pro peccáto noluiſti, nec plácita ſunt tibi, quæ ſecundùm legem offeruntur ; tunc dixi : Ecce vénio, ut fáciam, Deus, volŭntátem tuam : aufert primum, ut ſequens ſtátuat. In qua voluntáte ſanctificáti ſumus per oblatiónĕm cŏrporis Jeſus Chriſti ſemel.

A Trinitate ad Septuageſimam

Graduale. Viri ſublímes ad te transíbunt, & tui erunt : te adorábunt, teque deprecabuntur. ℣. Verè tu es Deus abſcónditus, Deus Iſrael Salvátor. Iſ. 45.

Allelúia, allelúia. ℣. Vídimus ſtellam ejus in Oriente, & vénimus adoráre eum. Allelúia. Matt. 2.

Poſt Septuageſimam, omiſſis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Tractus. Sacrifícium & oblatiónem noluiſti ; aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccáto non poſtulaſti ; tunc dixi : Ecce vénio. In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam : Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei. Pſal. 39.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Vídimus ſtellam ejus in Oriente, & vénimus adoráre eum. Mart. 2.

Allelúia, allelúia. ℣. Regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Allelúia. Luc. 1.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 2. IMpléti ſunt dies Maríæ ut păreret. Et péperit Fílium ſuum primogénitum, & pannis eum involvit, & reclinávit eŭm in præſépio ; quia non erat eis locus in diversŏrio. Et paſtóres erant in regióne eádĕm vigilantes, & cuſtodientes vigílias noctis ſuper gregem sŭum. Et ecce Angelus Dómini ſtetit juxta illos, & cláritas Dei

circŭmfulsit illos ; & timuérunt timóre măgno. Et dixit illis Ă˘ngelus : Nolíte timére ; ecce enim evangelízo vobis gáudium magnum, quod erĭt omni pópulo : Quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte Davĭd. Et hŏc vobis signum : Inveniétis infantem pannis involútum, & pósitum in præsĕpio. Et súbitò facta est cum Angelo multitúdo milítiæ cœléstis, laudántium Deŭm & dicéntium : Glória in altíssimis Deo, & in terra pax homínibus bonæ voluntătis. Et factum est, ut discessérunt ab eĭs Angeli in cœlum ; pastóres loquebantur ad ĭnvicem : Transeámŭs usque Béthleem, & videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus ostendit nŏbis. Et venérŭnt festinantes ; & invenérunt Maríam, & Joseph, & Infantem pósitum in præsĕpio. Videntes autem cognŏvérunt de verbo, quod dictum erat illis de Púero hŏc. Et omnes, qui audiérunt, mĭráti sunt, & de his quæ dicta erant à pastóribus ad ĭpsos. María autem conservábat ómnĭă verba hæc, conferens in corde sŭo. Et reversi sunt pastóres, glorificantes & lăudantes Deum, in ómnibus quæ audíerant & víderant, sicut dictum est ad ĭllos. Et postquàm consummáti sunt dies octo ut circumcidĕrétur puer ; vocátum est nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo priusquàm in útero conciperĕtur. Et postquàm impléti sunt dies purgatiónis ejus secundŭm legem Móysi, tulérunt illum in Jĕrŭsalem, ut sísterent eum Dómino.

Dicitur Credo.

Luc. 2. *Offertorium.* Tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, & ut darent hóstiam secundùm quod dictum est in lege Dómini.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Secreta.

M. P. Accepta sit in conspectu tuo, Dómine, oblátio nostra : & qui ad opus redemptiónis nostræ corpus aptásti sancto Púero tuo Jesu, aures pérfice nobis dóciles, quibus discámus fácere voluntátem tuam ; Per eumdem Dóminum.

Præfatio de Incarnatione et Nativitate Domini.

Luc. 2. *Communio.* Accépit Símeon púerum Jesum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit : Nunc dimittis servum tuum : Dómine, secundùm verbum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. Gustantes in hoc mystério tuo, Dómine Jesu, quóniam suávis es : fac nos, per sanctam Infántiam tuam, sicut modò génitos infantes, rationábile sine dolo lac concupíscere, ut in eo crescámus in salútem ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

DE SS. SACRAMENTO

Rub. seu Fulv. *Quo ritu hæc Missa sit celebranda, vide suprà in Rubricis generalibus*, c. iv.

Introitus.

Psal. 77. Mandávit Deus núbibus désuper, & jánuas cœli apéruit ; & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis : panem Angelórum manducávit homo. [*Temp. Paschali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Atténdite, pópule meus, legem meam : * inclináte aurem vestram in verba oris mei. Glória. Mandávit Deus.

Dicitur Glória in excelsis.

Collecta. Orémus.

M. P. DOmine Jeſu, qui ex hoc mundo tranſitúrus ad Patrem, Sacramentum córporis & ſánguinis tui in alimentum ſimul & ſolátium Eccléſiæ tuæ tradidiſti: da nobis, ut teipſum, quem nunc abſcónditum in myſtério venerámur, revelátâ fácie in cœleſti glória mereámur contemplári; Qui vivis & regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

Legitur Epistola una ex iis quæ infrà aſſignantur, juxta diverſitatem menſium: quâ lectâ,

A Trinitate ad Septuageſimam dicitur

Pſal. 22. *Graduale.* Dóminus regit me, & nihil mihi déerit; in loco páſcuæ ibi me collocávit. ℣. Super aquam refectiónis educávit me: ánimam meam convertit.

Pſal. 147. Allelúia, allelúia. ℣. Lauda, Jerúſalem, Dóminum: lauda Deum tuum, Sion; quóniam benedixit fíliis tuis in te, & ádipe frumenti ſátiat te. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, omiſſis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Pſal. 104. *Tractus.* Pane cœli ſaturávit eos Dóminus: dirúpit petram, & fluxérunt aquæ. Et eduxit pópulum ſuum in exultatióne, & electos ſuos in lætítia. Ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, & legem ejus requírant.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Pſal. 147. Allelúia, allelúia. ℣. Lauda, Jerúſalem, Dóminum: lauda Deum tuum, Sion; quóniam benedixit fíliis tuis in te, & ádipe frumenti ſátiat te.

1. Cor. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Epulémur in ázymis ſinceritátis & veritátis. Allelúia.

Evangelium legitur unum ex iis quæ infrà aſſignantur ſingulis anni menſibus; & poſteà Credo.

Malach. 3. *Offertorium.* Dóminus purgábit fílios Levi, & erunt offerentes ſacrifícia in juſtítia: & placébit Dómino ſacrifícium Jerúſalem, ſicut dies ſéculi, & ſicut anni antíqui.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Secreta.

M. P. MUndet corda noſtra, Dómine, præſéntium donórum ſanctificátor Spíritûs tuus; ut ad amóris Fílii tui Sacramentum, & ipſi puro amóre flagrantes accedámus; Per eumdem Dóminum.... in unitáte ejuſdem.

Præfatio Feriæ V. in Cœna Domini.

Joan. 6. *Communio.* Hic eſt panis de cœlo deſcendens; ut ſi quis ex ipſo manducáverit, non moriátur.

[*Tempore Paſchali* Allelúia.]

M. P. *Postcommunio.* Orémus.

QUæſumus, Dómine, ut hujus participatióne ſacrifícii, quod in tuî commemoratiónem offerri præcepiſti, nos ipſos tecum holocauſtum fácias ſempiternum; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

EPISTOLÆ & EVANGELIA, *quæ leguntur in Miſſis Votivis de SS. Sacramento diverſis anni temporibus.*

Menſe

JANUARIO & JULIO.

Léctio lîbri Géneſis.

Cap. 14. IN diébus illis; Egreſſus eſt rex Sodomórum in occurſum Abram, poſtquàm reverſus eſt à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Save, quæ eſt vâllis regis. At verò Melchíſedech rex Salem próferens panem & vinum, (erat enim Sacerdos Dei altíſſimi) benedixit êi, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creávit cœlum & terram;

& benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in mánibus tûis ſunt. Et dedĭt ĕi décimas ex ómnibus.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 26. IN illo témpore; Cœnántibus diſcípulis, accépit Jeſus panem, & benĕdixit, ac fregit, deditque diſcípulis ſuis, & ăit: Accípĭtĕ, & comédite; hoc eſt corpus mĕum. Et accípiens cálĭcĕm, grátias egit; & dedit illis, dĭcens: Bíbĭtĕ ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundétur in remiſſiónem peccatŏrum. Dicŏ autem vobis; non bibam ámodò de hoc genímine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcŭm nŏvum in regno Patris mei.

Dicitur Credo.

Menſe

FEBRUARIO & AUGUSTO.

Léctio lĭbri Exodi.

Cap. 12. IN dĭébus illis; Dixit Dóminus ad Móyſen & Aaron: Loquímini ad univerſum cœtum filiórum Iſrael, ĕt dícite eis: Décima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per famílias & dômos ſuas. Sin autem minor eſt númerus, ut ſuffícere poſſit ad vĕſcendum agnum; aſsúmet vicínum ſuum, qui junctus eſt dómui ſuæ, juxta númerum animárum, quæ ſuffícere poſſunt ad êſum agni. Erit autem agnus abſque mácula, máſculus, annículus; juxta quem ritum tollétis & hædum: & ſervábitis eum uſque ad quartamdécimam diĕm menſis hujus: immolabitque eum univerſa multitúdo filiórum Iſrael ad véſperam; & ſument de ſánguine ejus, ac ponent ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminăribus domórum, in quibus cómedent illum; & edent carnes nocte illa aſſas igni, & ázymos panes cum lactûcis agréſtibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantŭm aſſum igni: caput cum pédibus ejus, & inteſtínis vorábitis; nec remanébit quidquam ex eo ûſque manè. Si quid rĕſíduum fúerit, igne cômburétis. Sic autem comĕdétis illum: Renes veſtros accingétis, & calceamenta habébitis in pédibus, tenentes báculos in mánibus; & comedétis fêſtinanter. Eſt enĭm phăſe, id eſt, tránſitus, Dómini.

Seqúentia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 22. IN illo témpore; Venit dies azymórum, in qua neceſſe erat ŏccídi Paſcha; & miſit Jeſus Petrum & Joannem, dĭcens: Euntes parátĕ nobis Paſcha, ut manducĕmus. At illi dixĕrunt: Ubi vis parémus? Et dixit ad ĕos: Ecce introeúntibus vobis in civitátem, occurret vobis homo quidam, ámphŏrăm aquæ portans; ſequímini eum in domum, in quam ĭntrat. Et dicétis patrifămílias domus: Dicit tibi Magiſter: Ubi eſt diverſórium, ubi Paſcha cum diſcípulis meis mandúcem? Et ipſe oſtendet vobis cœnácŭlŭm magnum ſtratum; & ibi parăte. Euntes autem invenérunt ſicŭt dixit illis, & paravérunt Păſcha. Et cùm facta eſsĕt hora, diſcúbuit, & duódecim Apóſtoli cum ĕo. Et ait ĭllis: Deſidério deſiderávi hoc Paſcha manducáre vobiſcŭm, ántequàm pátiar: dico enim vobis, quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dĕi. Et ăccepto cálice, grátias egit, & dĭxit: Accípite & divídite inter vŏs. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatĭóne vitis, do-

nec

nec regnum Dei vĕniat. Et ăccepto pane, grátias egit, & fregit, & dedit eis, dĭcens: Hoc eſt corpus meum, quod prŏ vobis datur: hoc fácite in meam commemoratiŏnem. Simíliter & cálicem, poſtquàm cœnávit, dĭcens: Hic eſt calix novum teſtamentum in ſánguĭnĕ mĕo, qui pro vobis fundétur.

Dicitur Credo.

Menſe

MARTIO & SEPTEMBRI.

Léctio lîbri Exodi.

Cap. 16. IN dĭébus illis; Manè ros jácuit per circûitum caſtrórum. Cùmque operuiſſet ſupĕrfíciem terræ, appáruit in ſolitúdine minútum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitúdinem pruínæ ſûper terram. Quod cùm vidiſſent fílĭi Iſrael, dixêrunt ad ínvicem: Manhu? quod ſignĭficat: Quid eſt hoc? Ignorábant ênim quid eſſet. Quibŭs ait Móyſes: Iſte eſt panis, quem Dóminus dedit vobis âd veſcendum. Hic eſt ſermo, quem prăecépit Dóminus: Cólligat unuſquiſque ex eo quantùm ſúfficit ad veſcendum; gomor per ſíngula cápita, juxta número animárum veſtrárum, quæ hábitant in tabernáculo, sîc tollétis. Feceruntque ita fílĭi Iſrael, & collegérunt álius plus, âlius minus. Et menſi ſunt ad mĕnſúram gomor: nec qui plus collégerat, hábuit ámplius; nec qui minus paráverat, réperit minus: ſed sínguli juxta id quod édĕrĕ pŏterant, congregavérunt.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jeſus turbis Judæŏrum: Operámini non cibum qui perit, ſed qui pérmanet ĭn vitam æternam, quem Fílius hóminis dabit vŏbis. Hunc enim Pater ſignávit Dĕus. Dixérunt ergo ad ĕum: Quĭd faciémus, ut operémur ópera Dei? Rĕſpondit Jeſus, & dixit ĕis: Hŏc eſt opus Dei, ut credátis in eum quem miſit ĭlle. Dixérunt ergo ĕi: Quod ergo tu facis ſignum, ut videámus, & credámus tibi? quid operáris? Patres noſtri manducavérunt manna in deſerto, ſicŭt ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducăre. Dixit ergo eis Jesŭs: Amen, ămen dico vobis: Non Móyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo vĕrum. Panis enim Dei eſt, qui dĕ cœlo deſcendit, & dat vitam mŭndo. Dixérunt ergo ad ĕum: Dómine, ſemper da nobis panem hŭnc. Dixit autem eis Jesŭs: Egŏ ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſúriet; & qui credit ĭn mĕ, non sítiet unquam.

Dicitur Credo.

Menſe

APRILI & OCTOBRI.

Léctio libri Sâpiéntiæ.

Cap. 16. ANgelórum eſca nutriviſti pópŭlŭm tuum, Dómine; & parátum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labóre, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſapóris ſuâvitátem. Subſtántia enim tua dulcédinem tuam, quam in fílios habĕs, oſtendébat; & deſérviens uniuſcujuſque voluntáti, ad quod quiſque volébat, convêrtebátur. Nix autem & glácies ſuſtinébant vim ignis, & nŏn tabeſcébant; ut ſcirent quóniam fructus inimicórum exterminábat ignis ardens in grándine & plûvia coruſcans. Hic autem íterùm ut nutrĭrentur juſti, étiam ſuæ virtútis oblîtus eſt. Creatúra enim tibi factóri deſér-

viens, exardeſcit in tormentum adversŭs injuſtos ; & lénior fit ad benefaciendum pro his qui in tê confídunt. Propter hoc & tunc in ómnia transfiguráta, ómnium nutrici grátiæ tuæ deſerviébat, ad voluntátem eórum, qui à te dĕſiderábant; ut ſcirent fílii tui, quos dilexiſti, Dómine, quóniam non nativitátis fructus paſcunt hómines, ſed ſermo tuus hos, qui in te credidêrunt, conſervat. Quod enim ab igne non póterat exterminári, ſtatim ab exíguo rádio ſolis calefactŭm tabeſcébat ; ut notum ómnibus eſſet, quóniam oportet prævenire ſolem ad benedictiónem tuam, & ad ortŭm lŭcis te adoráre.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore ; Murmurábant Judæi de Jeſu, quia dixiſſet : Ego ſum panis vivus, qui dĕ cœlo deſcendi ; & dicĕbant : Nonne hic eſt Jeſus fílius Joſeph, cujus nos nóvimus patrem & matrem ? Quómodò ergo dicit hic : Quia de cœlo deſcendi ? Reſpondĭt ergo Jeſus, & dixit ĕis : Nolíte murmuráre in ĭnvicem. Nemo poteſt veníre ad me, niſi Pater, qui misĭt mĕ, tráxerit eum : & ego reſuſcitábŏ ĕum in novíſſimo die.

Dicitur Credo.

Menſe

MAIO & NOVEMBRI.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

2. Cor. 6. & 7. FRatres ; Quæ participátio juſtítiæ cum iniquitáte ? aut quæ ſocíetas luci ad ténebras ? Quæ autem convéntio Chriſti ad Bélial ? aut quæ pars fidéli cum infidéli ? Qui autem conſenſus templo Dei cum idólis ? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicŭt dicit Deus : Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos ; & ero illórum Deus, & ipſi erunt mîhi pópulus. Propter quod exíte de médio eórum, & ſeparámini, dicit Dóminus ; & immundum nĕ tetigéritis : & ego recípiam vos ; & ero vobis in patrem, & vos éritis mihi in fílios & fílias, dicit Dôminus omnípotens. Has ergo habentes promiſſiónes, caríſſimi, mundémus nos ab omni inquinamentŏ carnis & ſpíritus, perficientes ſanctificatĭŏnem in timóre Dei.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore ; Dixit Jeſus Judæis : Egŏ ſum panis vivus, qui de cœlo deſcĕndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivĕt in æternum ; & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vĭta. Litigábant ergo Jŭdæi ad ínvicem, dicĕntes : Quómodò poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum ? Dixit ergo eis Jesŭs : Amen, ămen dico vobis : Niſi manducavéritis carnem Fílii hóminis, & bibéritis ejus ſánguinem, non habébitis vitam in vŏbis. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum ſánguinem, habĕt vitam æternam ; & ego reſuſcitábŏ ĕum in novíſſimo die.

Dicitur Credo.

Menſe

JUNIO & DECEMBRI.

Léctio libri Provêrbiórum.

Cap. 9. SApiéntia ædificávĭt ſibi domum, excídit colûmnas ſeptem. Immolávĭt víctimas ſuas, míſcuit vinum, & propóſuit mênſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, ut vocárent ad arcem, & ad mœniă civitátis : Si quis eſt párvulus, vêniat ad me. Et inſipiéntibus lŏcúta eſt : Veníte, comédite panem meum, & bíbite vinum quod mîſcui

vobis. Relínquite ĭnfántiam, & vívite; & ambŭlāte per vias prudéntiæ.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 14. VEspere facto venit Jesus cum Duódecĭm. Et discumbéntibus eis, ĕt manducántibus, ait Jesŭs: Ămen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui mandúcat mĕcum. At illi cœpérŭnt contristári, & dícere ei singulātim: Numquid ego? Qui ait ĭllis: Unŭs ex duódecim, qui intingit mecum manum in catĭno. Et Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de eo: væ autĕm hómini illi, per quem Fílius hóminis tradĕtur. Bonŭm erat ei, si non essĕt natus homo ĭlle. Et mandŭcántibus illis, accépit Jesus panem, & benedícens fregit, & dedit eis, & ăit: Súmite; hoc est corpus mĕum. Et accepto cálice, grátias agĕns dedit eis: & bibérunt ex illo ŏmnes. Et ait ĭllis: Hic est sanguis meus novĭ testamenti, qui pro multis effundĕtur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc gĕnímine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibăm nŏvum in regno Dei.

Dicitur Credo.

Rub. seu Fulv. ALIA MISSA DE SS. SACRAMENTO

Quæ ad devotionem dicitur, Ritu suprà indicato, quâlibet Feriâ quintâ per annum.

Introitus.

Psal. 80. CIbávit eos Dóminus ex ádipe frumenti; & de petra, melle saturávit eos, [*Tempore Paschali.* Allelúia.] *Psalm.* Exultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob. Glória. Cibávit.

Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirábili, passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quæsumus, ita nos córporis & sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte. M. P.

Legitur Epistola una ex iis quæ suprà assignantur, juxta diversitatem mensium: quâ lecta,

A Trinitate ad Septuagesimam

Graduale. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; & tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. Pſal. 144.

Allelúia, allelúia. ℣. Caro mea verè est cibus; & sanguis meus verè est potus: qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, in me manet, & ego in eo. Allelúia. Joan. 6.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Tractus. Pane cœli. *suprà* lix.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, *suprà* lix.

Evangelium legitur unum ex iis quæ suprà assignantur singulis anni mensibus; & posteà Credo.

Offertorium. Sacerdótes Dómini incensum & panesófferunt Deo; & ídeò sancti erunt Deo suo, & non pólluent nomen ejus. Levit. 21.

[*Tempore Paschali,* Allelúia.]

Secreta.

ECclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, unitátis & pacis propítius dona concéde, quæ sub oblátis munéribus mysticè designantur; Per Dóminum. M. P.

Præfatio Feriæ V. in Cœna Domini.

M. P. *COMMUNIO.* Angelórum escâ nutrivisti pópulum tuum; & panem de cœlo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem, & omnis sapóris suavitátem. [*Temp. Pasch.* Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

Sap. 16. FAc nos, quæsumus, Dómine, divinitátis tuæ sempiternâ fruitióne repléri, quam pretiósi córporis & sánguinis tui temporális perceptio præfigúrat; Qui vivis.

Rub. seu Fulv.

MISSA PRO REPARATIONE
Injuriarum illatarum Christo in SS. Sacramento.

Hæc Missa dicitur Feriâ sextâ post Octavam Corporis Christi, si fiat Officium de Feriâ. Potest etiam dici, ad devotionem, quâlibet Feriâ quintâ per annum.

INTROITUS.

Psal. 73. QUanta malignátus est inimícus in sancto! In terra polluérunt tabernáculum nóminis tui, Dómine. Usquequò, Deus, irrítat adversárius nomen tuum in finem? *PSALM.* Ut quid, Deus, repulisti in finem? * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? Glória. Quanta.

Ibid.

Non dicitur Glória in excelsis.

COLLECTA. Orémus.

M. P. GEmentes ac dolentes super cunctis abominatiónibus, quæ fiunt in domo tua, propítius réspice, Deus omnípotens; & pro contuméliis, quibus in Sacramento sui amóris impétitur Dóminus Jesus, ipsum fac pro nobis esse apud te propitiatiónem; Qui tecum vivit & regnat.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli
âd Hebræos.

Cap. 10. FRatres; Accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspersi corda à consciéntia mala & ablúti corpus aqua munda, teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui rêpromísit.) Et considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis, & bónórum óperum: non deserentes collectiónem nostram, sicut consuetúdinis est quibusdam; sed consolantes, & tantò magìs quantò vidéritis appropinquântem diem. Voluntáriè enim peccántibus nobis post acceptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro pĕccátis hóstia; terríbilis autem quædam expectátio judícii, & ignis æmulátio, quæ consumptúra est âdversários. Irritam quis fáciĕns legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus têstibus móritur. Quantò magìs putátis deterióra mĕréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testamenti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, & Spirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimŭs enim qui dixit: Mihi vindicta, & êgo retríbuam. Et íterum: Quia judicábit Dóminus pôpulum suum. Horrendum est ĭncĭdere in manus Dei viventis.

GRADUALE. Vidérunt altáre profanátum; & scidérunt vestimenta sua, & planxérunt planctu magno. ℣. Imposuérunt cínerem super caput suum, & cecidérunt in fáciem super terram, & clamavérunt in cœlum. 1. Mac. 4.

Quocumque tempore, Graduali additur

TRACTUS. Inimícus improperávit Dómino, & pópulus insípiens incitávit nomen tuum. Exurge, Deus, júdica causam tuam. Memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die. Psal. 73.

Si celebretur ritu solemni, ad devotionem, dicetur post Tractum, PROSA, *sive Planctus,* PLANGE, Sion, *infrà inter Prosas communes.*

Sequéntia

Sequéntia ſanctǐ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 22. IN illo témpore ; Reſpondens Jeſus, dixit íterum in parábolis princípibus ſacerdótum ĕt Phariſæis , dĭcens : Símile factum eſt regnum cœlórŭm hómini regi , qui fecit núptias fílio sŭo. Et miſit ſervos ſuos vocáre invĭtátos ad núptias ; & nolébant venĭre. Iterùm misĭt álios ſervos , dĭcens : Dícĭtĕ invitátis : Ecce prándium meum parávi , tauri mei & altília occíſa ſunt , & ómnia paráta ; veníte ad nŭptias. Illi autem neglexérunt , & abiérunt , álius in villam ſuam , álius verò ad negotiatiónem ſuam : réliqui verò tenuérunt ſervos ejus, & contuméliis affectos occidĕrunt. Rex autem cùm audiſſet, ĭrátus eſt ; & miſſis exercítibus ſuis , pérdidit homicídas illos, & civitátem illórum ſuccĕndit. Tunc ait ſervis sŭis : Núptiæ quidem părátæ ſunt ; ſed qui invitáti erant , non fuérunt dĭgni. Ite ergo ăd éxitus viárum ; & quoſcumque invenéritis , vocáte ad nŭptias. Et egreſſi ſervi ejus in vias , congregavérunt omnes , quos invenérŭnt , malos & bonos : & implétæ ſunt núptiæ diſcumbĕntium. Intrávit autem rex ut vidérĕt diſcumbentes ; & vidit ibi hóminem non veſtítum veſte nuptiăli. Et ait ĭlli : Amíce , quómŏdŏ huc intraſti , non habens veſtem nuptiálem ? At ille obmŭtuit. Tunc dixit rex miniſtris : Ligátis mánibus & pédibus ejus , míttite eum in ténebras exterióres ; ibi erit fletus ĕt ſtridor déntium : multi enim ſunt vŏcăti , pauci veró electi.

Si celebretur ritu ſolemni , dicitur Credo.

Hebr. 10. *OFFERT.* Ad Chriſtum accedámus cum vero corde, in plenitúdine fídei , aſperſi corda à conſciéntia mala ; & conſiderémus ínvicem in provocatiónem caritátis , & bonórum óperum.

SECRETA.

M. P. DEus , qui Unigénitum tuum in cruce pro tranſgreſſóribus orantem exaudiſti : quæſumus , ut nos , qui in altári tuo ipſum offérimus , pro contaminatóribus menſæ illíus orantes , clementer exaudíre dignéris ; Per eumdem Dóminum.

PRÆFATIO Feriæ V. IN CŒNA DOMINI.

Hebr. 10. *COMMUNIO.* Quanta putátis meréri ſupplícia , qui Fílium Dei conculcáverit , & ſánguinem teſtamenti pollútum dúxerit , in quo ſanctificátus eſt ?

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DOmine Jeſu Chriſte , qui zelo domûs Dei ſuccenſus , vendentes & ementes de templo ejeciſti : da comedéntibus panem tuum , eódem zelo animári ; & propter reos córporis tui , aut tabéſcere gementes , aut ad prohibendum fortes ignéſcere ; Qui vivis.

DE PASSIONE

ſeu de Cruce Domini ,

extra Tempus Paſchale.

Rub. Tempore Paſſ. *Rubnig.*

INTROITUS.

Gal. 6. MIhi abſit gloriári , niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti , per quem mihi mundus crucifixus eſt , & ego mundo. *PSALM.* Díligam te , Dómine , Pſal. 17. fortitúdo mea : * Dóminus firmamentum meum , & refúgium meum , & liberátor meus. Glória. Mihi.

Non dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus , qui Fílium tuum unigénitum miſiſti in mundum , propitiatiónem pro peccátis noſtris : concéde , quæſumus , ut qui paſſiónis

ejus memóriam recólimus, à peccatórum, nostrórum néxibus liberémur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spiritûs sancti Deus; Per.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Romános.

Cap. 5. FRatres; Christus, cùm adhuc ĭnfirmi essémus, secundùm tempus pro ímpiis môrtuus est. Vix enim prŏ justo quis móritur: nam pro bono fórsitan quis âudeat mori. Commendat autem caritátem suam Deus in nobis, quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, secundùm tempus Christus pro nobĭs mortuus est; multò ígitur magìs nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab îra per ipsum. Si enim, cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortĕm Fílii ejus; multò magìs reconciliáti, salvĭ ĕrimus in vita ipsíus.

A Trinitate ad Septuagesimam

Phil. 2. *GRADUALE.* Humiliávit semetipsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen, quod est super omne nomen.

Hebr. 12. Allelúia, allelúia. ℣. Aspiciámus in auctórem fídei, & consummatórem Jesum, qui, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contemptâ. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Psal. 21. *TRACTUS.* Omnes vidéntes me derisérunt me; locúti sunt lábiis, & movérunt caput: Sperávit in Dómino, erípiat eum. Fodérunt manus meas & pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea. Divisérunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 20. IN illo témpore; Assumpsit Jesus duódecim dĭscípulos secréto, & ait ĭllis: Ecce ascéndimus Jerosólymam, & Fílius hóminis tradétur princípibus sacĕrdótum, & Scribis: & condemnábunt eum morte, & tradent eum géntibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & tértĭă dĭe resurget.

Dicitur Credo.

Gal. 3. *OFFERTORIUM.* Christus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno; ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

SECRETA.

M. P. HÆc oblátio, quæsumus, Dómine, ab ómnibus nos purget delictis, quæ in ara Crucis immoláta, totíus mundi tulit offensam; Per eumdem Dóminum.

PRÆFATIO DE CRUCE.

Apoc. 5. *COMMUNIO.* Dignus es, Dómine, accípere virtútem, & divinitátem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem, & quóniam occísus es, & redemísti nos Deo in sánguine tuo.

[*Ante Septuagesimam*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DOmine Deus noster, qui oblátum semel in Cruce sacrifícium quotidiánis rénovas sacramentis: præsta, ut quóties hæc sacra mystéria celebrámus, novum júgiter percipiámus tuæ redemptiónis effectum; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Tempore Paschali, Missa de Cruce seu Passione Domini dicitur, exceptis Orationibus, ut in Inventione sanctæ Crucis, die tertia Maii, cum Glória in excelsis *&* Credo.

DE QUINQUE PLAGIS CHRISTI.

Miſſa, Concílium, *ut Feriâ vj. poſt Cineres.*

Extra Septuageſimam & Quadrageſimam loco Tractûs, dicitur

Zach. 12. Allelúia, allelúia. ℣. Aſpícient ad me, quem confixérunt. Allelúia.

Tempore Paſchali, dicitur Glória in excelſis; *ac loco Gradualis & Tractûs,*

Zach. 12. Allelúia, allelúia. ℣. Aſpícient ad me, quem confixérunt.

Luc. 24. Allelúia, allelúia. ℣. Vidéte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Allelúia.

Dicitur Credo.

DE SS. CORDE JESU.

Rub. ſeu Fulv.

INTROITUS.

Is. 63. MIſeratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini ſuper ómnibus quæ réddidit nobis, & ſuper multitúdinem bonórum quæ largítus eſt ſecundùm indulgéntiam ſuam, & ſecundùm multitúdinem miſericordiárum ſuárum. [*Tempore Paſchali* Allelúia, allelúia.]

Pſal. 88. *PSALM.* Miſericórdias Dómini in ætérnum cantábo. Glória. Miſeratiónum.

COLLECTA. Orémus.

M. P. COncéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui in ſacratíſſimo dilecti Fílii tui Corde gloriantes, immenſæ ejus in nos Caritátis benefícia júgiter recólimus, de cœleſti illo donórum fonte ſupereffluentem grátiam accípere mereámur; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Léctio Epíſtolæ beáti Joánnis Apóſtoli.

1. Cap. 2. FIlíoli mei, hæc ſcribo vobis, ut nôn peccétis. Sed & ſi quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem Jesŭm Chriſtum juſtum; & ipſe eſt propitiátio pro peccátis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed étiam pro totîus mundi. Et in hoc ſcimus quóniam cŏgnóvimus eum, ſi mandáta ejus ôbſervémus. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandáta ejŭs non cuſtódit, mendax eſt, & in hoc vêritas non eſt. Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc Cáritas Deĭ perfecta eſt; & in hoc ſcimus quóniam in îpſo ſumus. Qui dicit ſe in ĭpſo manére, debet ſicut ille ambŭlăvit, & ipſe ambuláre.

A Trinitate ad Septuageſimam

Is. 63. *GRADUALE.* Factus eſt eis Salvátor: in dilectióne ſua, & in indulgéntia ſua ipſe redémit eos, & portávit eos & elevávit eos cunctis diébus. ℣. Quis ſúfficit enarráre ópera illíus? Eccli. 18. Aut quis adjíciet enarráre miſericórdiam ejus?

Phil. 2. Allelúia, allelúia. ℣. In Chriſto ſolátium Caritátis, ſocíetas ſpíritûs, víſcera miſeratiónis. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, omiſſis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

Pſal. 108. *TRACTUS.* Locúti ſunt adversùm me linguâ dolósâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me; & expugnavérunt me gratìs. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; ego autem orábam. Et poſuérunt adversùm me mala pro bonis, & ódium pro dilectióne mea. Líbera me, quia egénus & pauper ego ſum; & Cor meum conturbátum eſt intrà me.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Phil. 2. Allelúia, allelúia. ℣. In Christo solátium Caritátis, societas spíritûs, viscera miseratiónis.

Psal. 34. Allelúia, allelúia. ℣. Anima mea exultábit in Dómino: & delectábitur super salutári suo. Omnia ossa mea dicent: Dómine, quis símilis tibi. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 11. IN illo témpore; Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater Dómine cœli & terræ, quia abscondísti hæc à sapiéntibus & prudéntibus, & revelásti ea párvulis. Ita Pater, quóniam sic fuit plácitum, ante te. Omnia mihi trádita sunt à Patre meo, & nemo novit Fílium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Fílius, & cui volúerit Fílius revelare. Veníte ad me, omnes qui laborátis, & onerati estis, & ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me, quia mitis sum, & húmilis Corde; & inveniétis réquiem animábus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Dicitur Credo.

Hebr. 4. *Offertorium.* Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in témpore opportúno. [*Tempore Paschali* Allelúia.]

Secreta.

M. P. DEus, qui Fílio tuo Cor aptásti sanctíssimum, ut rejectis quæ offerebantur secundùm legem sacrifíciis, hâc hóstiâ in æternùm consummarémur, víctimam immolandam, quæ Christus est, intuére propítius, & corda nostra tibi pérfice munus perpétuum; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus; Per.

Præfatio de SS. Corde Jesu.

Communio. Bénedic ánima mea Dómino, qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus; qui replet in bonis desidérium tuum. Psal. 102.

[*Tempore Paschali* Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

QUiescat in nobis, quæsumus, Dómine, unigéniti Fílii tui Cor sacratíssimum, sine quo de te vívere, ad te movéri, & tecum esse non valémus; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus; Per. M. P.

DE B. MARIA VIRGINE. Alb

In Adventu: Missa, Ecce dies véniunt, *ut suprà* xlvij. *sine commemoratione Feriæ.*

A Circumcisione Domini ad ejus Præsentationem: Missa, Misericórdia, *ut suprà* xlviij.

A Præsentatione Domini ad Dominicam Passionis: Missa, Respexit, *ut suprà* xlix.

Tempore Passionis: Missa, Repléta est, *ut in Compassione Beatæ Mariæ, Feria vj. hebd. Passionis; non dicitur* Glória in excelsis Deo.

Tempore Paschali: Missa, Convertísti, *ut supra* l.

Ab Octava Corporis Christi, usque ad Assumptionem B. M. V. Missa, Misericórdia, *ut suprà* lj.

Ab Octava Assumptionis B. M. V. usque ad Adventum: Missa, Adámavit, *ut suprà* lij.

Alb. DE B. M. V. DE ROSARIO.

Missa ut in ejus Festo, Dominicâ primâ Octobris. Post Septuagesimam, Tractus, Laudáte, *& Tempore Paschali*, Allelúia, *ut in Missâ sequenti.*

Alb. DE B. M. V. DE VICTORIA, de Lætitia, de Monte-Carmelo, aliisque Solemnitatibus ejusdem B. M. V. quæ Proprias Missas non habent.

Introitus.

Psal. 44. PRo pátribus tuis nati sunt tibi fílii, mémores erunt nóminis tui in omni generatióne & gneneratióne: Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in ætérnùm. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi. Glória. Pro pátribus.

Collecta. Orémus.

COncéde fidélibus tuis, omnípotens Deus, ut qui sub sanctíssimæ Vírginis Maríæ Matris tuæ patrocínio congregantur, ejus piâ intercessióne à cunctis malis liberentur in terris, & ad gáudia ætérna pervenire mereantur in cœlis; Qui vivis.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 24. QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, ĕt dixit mihi: In Jacob inhábita, & in Israel hæreditáre, & in electis meis mîtte radíces. Ab inítio & ante sécula creáta sum, & usque ad futúrum sécŭlŭm non désinam, & in habitatióne sancta coram ipso mînistrávi. Et sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta símílĭtĕr requiévi, & in Jerúsalem potêstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei hæréditas illíus, & in plenitúdine sanctórum detêntio mea. Quasi cedrus exaltátă sŭm in Líbano, & quasi cypressus in mônte Sion. Quasi palma exaltátă sŭm in Cades, & quasi plantátio rôsæ in Jéricho. Quasi olíva speciósă in campis, & quasi platánus exaltáta sum juxta aquam în platéis. Sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans ŏdórem dedi: quasi myrrha ĕlĕcta dedi suavitátem odóris.

A Trinitate ad Septuagesimam

Graduale. Adamávit eam Rex plùs quàm omnes, hábuitque misericórdiam & grátiam coram eo, & pósuit diadéma regni in cápite ejus; & dedit réquiem universis, & dona largítus est juxtà magnificéntiam principálem. ℣. Magnificábo nomen tuum dixit Dóminus: benedícam benedicéntibus tibi, & maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognatiónes terræ.

Esth. 2. Gen. 12.

Allelúia, allelúia. ℣. De omni Corde suo dilexit Deum: Dóminus exaltávit in æternum cornu ejus, & dedit illi sedem glóriæ in Israel. Allelúia.

Eccli. 47.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia *&* ℣.) *Graduali additur*

Tractus. Laudáte Deum nostrum, qui non defêruit sperantes in se. Et in me ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. Et interfécit in manu mea, hostem pópuli sui. Confitémini illi omnes, quóniam bonus, quóniam in séculum misericórdia ejus.

Cant. Judith 13.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. De omni Corde suo dilexit Deum: Dóminus exaltávit in æternum cornu ejus, & dedit illi sedem glóriæ in Israel.

Eccli. 14.

Allelúia, allelúia. ℣. Benedixérunt eam omnes unâ voce dicentes: Tu glória Jerúsalem, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúia.

Judith 15.

Evangelium Missus est Angelus, *ut suprà, Sabbato in Adventu, p.* xlvij.

Dicitur Credo.

Judith 13. *OFFERTORIUM.* Benedictus Dóminus qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum, quia nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

SECRETA.

DEus cujus Fílius in mánibus Sacerdótum velut in útero Vírginis incarnátur, fac nos, hujus actióne mystérii, eídem Vírgini Matri móribus ita fíeri conformes, ut puri & immaculáti in conspectu tuo inveníri mereámur; Per eumdem.

PRÆF. de B. MARIA VIRGINE: Et te in veneratióne.

Judit. 15. *COMMUNIO.* Eò quod castitátem amáveris manus Dómini confortávit te, & ídeò eris benedicta in æternum.

[*Tempore Pasch.*, Allelúia, allel.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

GRátias tibi, Dómine, pro collátis referímus benefíciis, qui nos & Unigéniti tui pretiósa carne récreas, & potenti Matris ejus intercessióne sustentas; Per eumdem.

Alb. DE SANCTA FAMILIA CHRISTI.

INTROITUS.

Matt. 2. ACcépit Joseph Púerum & Matrem ejus, & secessit in partes Galilææ; & véniens habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] Psal. 14. *PSALM.* Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo. Glória. Accépit.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui fílius hóminis factus, cum homínibus habitáre voluísti; quæsumus, ut cœléstium gaudiórum quibus tecum conversántes Maríam & Joseph recreásti, utriúsque méritis & intercessióne, in córdibus nostris hábitans, nos partícipes effícias; Qui vivis.

Léctio Libri Sâpiéntiæ.

Cap. 8. INtrans in domum meam, conquiéscam cŭm Sapiéntia: non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus, sed lætîtiam & gáudium. Hæc cógitans apud me, & commémorans in corde meo, quóniam immortálitas est in cognatióne Sapiéntiæ, & in amicítia illíus delectátio bona, & in opéribus mánuum illíus honestas sine defectióne, & in certámine loquélæ illíus sapiéntia, & præcláritas in communicatióne sermŏnum ipsíus, circuíbăm quærens, ut mihi illam assúmerem.

A Trinitate ad Septuagesimam

Luc. 2. *GRADUALE.* Erat Pater Jesu & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. ℣. Jesus erat súbditus illis, & proficiébat sapiéntiâ, & ætáte, & grátiâ apud Deum & hómines.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Ibant Parentes Jesu per omnes annos in Jerúsalem, in die solemni paschæ. Allelúia.

Post Septuagesimam, (omissis Allelúia *&* ℣.*) Graduali additur*

Psal. 100. *TRACTUS.* Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domûs meæ. Non adhæsit mihi cor pravum; declinantem à me malignum non cognoscébam. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Luc. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Ibant Parentes Jesu per omnes annos in Jerúsalem, in die solemni paschæ.

Allelúia, allel. ℣. Remansit Puer Jesus in Jerúsalem, & non cognové-

runt Parentes ejus, & requirébant eum inter cognátos & notos. Allelúia.

Evangelium Puer creſcébat, *ut ſuprà Dominicâ intra Octavam Epiphaniæ, pag.* 416. *Dicitur* Credo.

Offertorium. Requirentes Jeſum Parentes ejus, invenérunt illum in templo ſedentem in médio Doctórum; audientem illos, & interrogantem eos; & videntes admiráti ſunt. Luc. 2.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Secreta.

MUnera noſtra ſanctíficet, Dómine, Spíritus tuus, cujus plenitúdo in Fílio tuo corporáliter hábitans, Maríam & Joſeph Parentes ejus, quotidiánis gratiárum ditábat incrementis; Per eumdem.... in unitáte ejuſdem.

Præfatio de Incarnatione & Nativitate.

Communio. Dixit Mater Jeſu ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic: ecce Pater tuus & ego dolentes quærebámus te. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.] Luc. 2.

Postcommunio. Orémus.

PEr hæc ſacramenta quæ ſúmpſimus, Dómine Jeſu, auge in nobis fervórem caritátis, ut Parentum tuórum Maríæ & Joſeph exemplo, te ſolum quærentes, tibi únicè adhærentes in terris, eórum beatitúdinis conſortes, te poſſidére mereámur in cœlis; Qui vivis.

DE S. MICHAELE ARCHANGELO.

Alb. ſeu Flav.

Hæc Miſſa celebratur die 29 Septembris in Eccleſia Propria.

Introitus.

Pſal. 88.

QUis in núbibus æquábitur Dómino: ſímilis erit Deo in fíliis Dei? magnus & terríbilis ſuper omnes qui in circúitu ejus ſunt, Dómine, Deus virtútum, quis ſímilis tibi? [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Miſericórdias Dómini * in æternum cantábo. Glória. Quis. Ibid.

Dicitur Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

VEniat in adjutórium noſtrum quæſumus, Dómine, Míchael Archángelus Princeps magnus; qui Deitátis ſempiternæ jura ſtrénuè vindicando, Eccléſiæ militantis ſponſæ tuæ méruit fíeri defenſor; Per. M. P.

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

FActum eſt prælium mâgnum in cœlo. Míchael, & Angeli ejus præliabantŭr cum dracóne, & draco pugnábat, & Angeli ejus: & non valuérunt, neque locus inventus eſt eórum âmpliùs in cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antíquus, qui vocátur diábolus, & ſátanas qui ſedúcĭt univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum îllo miſſi ſunt. Et audívi vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtăs Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſátor fratrum noſtrórum, qui accuſábat illos ante conſpectum Deĭ nŏſtri die ac nocte. Cap. 12.

A Trinitate ad Septuageſimam

Graduale. Míchael & Angeli ejus præliabantur cum Dracóne, & projectus eſt Draco ille magnus, & ángeli ejus cum illo. ℣. Quómodò cecidiſti de cœlo, Lúcifer, qui manè oriebáris? Corruiſti in terram, qui vulnerábas gentes. Apoc. 12. Iſaiæ. 14.

Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus in juſſu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo. Allelúia. I. Theſſ. 4.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Tractus. Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus: potentes virtúte Pſal. 102.

facientes verbum illíus ad audiendam vocem ſermónum ejus. Benedícite Dómino omnes Virtútes ejus : Miniſtri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

1. Theſſ. 4. Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus in juſſu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo.

Dan. 10. Allelúia, allelúia. ℣. Ecce Míchael unus de princípibus primis venit in adjutórium meum. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 24. IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem, ita erit & adventus Fílii hóminis. Ubicúmque fúerit corpus, illic congregabuntur & áquilæ. Statim autem poſt tribulatiónem diérum illórum, ſol obſcurábitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo & virtútes cœlórum commovebúntur. Et tunc parébit ſignum Fílii hóminis in cœlo; & tunc plangent omnes tribus terræ; & vidébunt Fílium hóminis venientem in núbibus cœli cum virtúte multa & majeſtáte. Et mittet ángelos ſuos cum tuba ét voce magna : & congregábunt electos ejus à quátuor ventis, à ſummis cœlórum uſque ad términos eórum.

Si celebretur ritu ſolemni, dicitur Credo.

Apoc 12. *Offertorium.* Audívi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta eſt ſalus, & virtus & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, quia projectus eſt accuſátor fratrum noſtrórum qui accuſábat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Secreta.

NEminem símilem tuî Deus, hoc quod uni tibi exhibémus ſacrifício teſtantes; da nos; beáti Michaélis Archángeli précibus & exemplo, tibi fidéliter obſequendo ſervíre; Per. M. P.

Communio. Nemo eſt adjútor meus in ómnibus his niſi Míchael Princeps veſter. Dan. 10.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

IMpera, Dómine, per beatíſſimum Michaélem Archángelum adverſário noſtro, ne quid poſſit in ánimas eórum & córpora quos Unigéniti tui vivíficâ carne paviſti; Per eumdem. M. P.

DE S. GABRIELE ARCHANGELO.

Alb. ſeu Flav.

Hæc Miſſa celebratur die octavo Maii, in Eccleſia Propria.

Introitus.

Apoc. 22. DOminus Deus ſpirítuum Prophetárum, miſit Angelum ſuum oſténdere ſervis ſuis, quæ oportet fíeri citò; & qui audit, dicat : Veni. [*Tempore Paſch.* Allelúia, allel.] *Psalm.* Qui regis Iſrael, intende : * qui dedúcis velut ovem Joſeph. Glória. Dóminus. Pſal. 79.

Dicitur Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

DEus, qui beáti Gabriélis Archángeli miniſtério, magnum pietátis tuæ ſacramentum nuntiáre voluiſti: fac nos, ipſo interveniente, in Verbum tuum quod manifeſtátum eſt, in carne, ſic crédere, ut ad eam in qua aſſumptum eſt, glóriam perducámur; Per eumdem Dóminum.

Léctio Daniêlis Prophétæ.

Cap. 9. ME loquente in óratióne, ecce vir Gábriel, quem víderam in viſióne, à princípio, citò volans, tétigit me in témpore ſacrifícii vêſpertíni. Et dócuit me, & locútus eſt mihi,

dixitque

dixitque : Dániel, nunc egreſſus ſum ut docérem te, & întellígeres. Ab exórdio precum tuárum egreſſus eſt ſermo : ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir deſideríórum es : tu ergo animadverte ſermónem, & intéllige vîſiónem. Septuaginta hebdómades abbreviátæ ſunt ſuper pópulum tuum, & ſuper urbĕm ſanctam tuam, ut conſummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur juſtítia ſempiterna, & impleátur víſio & prophétia, & ŭngătur Sanctus Sanctórum.

A Trinitate ad Septuageſimam

Luc. 1. GRADUALE. Ingreſſus Angelus ad Maríam dixit: Ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum. ℣. Spíritus ſanctus ſupervéniet in te, & virtus Altíſſimi obumbrábit tibi.

Luc. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Angelus Dómini dixit paſtóribus : Ecce evangelízo vobis gáudium magnum : quia natus eſt vobis Salvátor. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur* TRACTUS Benedícite, Dómino, *ut ſuprà*, lxxj.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs dicitur

Luc. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Angelus Dómini dixit paſtóribus : Ecce evangelízo vobis gáudium magnum : quia natus eſt vobis Salvátor.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Facta eſt cum Angelo multitúdo milítiæ cœleſtis laudántium Deum. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 1. IN illo témpore; Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem deſponſátam viro, cui nomen erat Joſeph, dĕ domo David; & nomen vírginis, Marĭa. Et ingreſſus Angelus ad eam, dĭxit : Ave grátia plenă Dóminus tecum : benedicta tu in muliĕribus. Quæ cùm audiſſet, turbáta eſt in ſĕrmóne ejus, & cogitábat qualis eſſet iſta ſalutătio. Et ait Angelus ĕi. Ne tímeas María, invenisti enim grátĭăm apud Deum : Ecce concípies in útero, & páries fílium : & vocábis nomen ejus Jesŭm. Hic erit magnus & Fílius Altíſſimi vocábitur, & dabit illi Dóminus Deus ſedem Davĭd patris ejus : & regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit fĭnis. Dixit autem María ad Aⁿngelum : Quómŏdŏ fiet iſtud, quóniam virum non cognoſco ? Et rĕſpondens Angelus, dixit ĕi : Spíritus ſanctus ſupĕrvéniet in te, & virtus Altíſſimi obumbrábit tĭbi. Ideòque & quod naſcétur ex tĕ Sănctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elíſabeth cognáta tua, & ipſa concépit fílium in ſenectúte ſua; & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vŏcátur ſtérilis : quia non erit impoſsíbile apud Deum omne vĕrbum. Dixit autem Marĭa: Ecce ăncilla Dómini ; fiăt mĭhi ſecundùm verbum tuum.

Si celeb. ritu ſolemni, dicitur Credo.

Luc. 1. OFFERTORIUM. Appáruit Zacharíæ Angelus Dómini, ſtáns à dextris altáris incenſi, & dixit ei : Ego ſum Gábriel, qui aſto ante Deum; & miſſus ſum lopui ad te ; & hæc tibi evangelizáre. [*Temp. Paſch.* Allel.]

SECRETA.

M. P. EX hoc altári, Dómine, múnera & vota credéntium exhíbeat tibi aſtans ante te Gábriel Angelus; qui miſſus à te, & ſtans à dextris altáris incenſi obmutéſcere juſſit incrédulum; Per Dóminum.

PRÆFATIO de SS. ANGELIS.

Apoc. 1. COMMUNIO. Grátia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt ; & à ſeptem ſpirítibus qui in conſpectu throni ejus ſunt.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

SUmpta mystéria nos rénovent, Dómine Deus noster; & fructum incarnatiónis Domínicæ, quam Gábriel Archángelus nuntiávit, in nobis operentur, & júgiter conservent; Per eumdem Dóminum.

DE S. RAPHAELE ARCHANGELO.

Alb. seu Flav.

Hæc Missa celebratur Sabbato post Festum S. Michaelis in Eccl. Propriâ.

INTROITUS.

Psal. 33.

IMmittet Angelus, Dómini in circúitu timéntium eum, & erípiet eos: gustáte & vidéte quóniam suávis est Dóminus. [*Tempore Paschali*, Allelúia, allel.] *PSALM.* Benedícam Dóminum in omni témpore; * semper laus ejus in ore meo. Glória. Immittet.

Dicitur Glória in excelsis.

COLLECTA. Orémus.

M. P.

DEus, qui Raphaélem Angelum misísti ut servum tuum curáret, & ancillam tuam à dæmónio liberáret; ejus nobis interventióne & miserére infirmis, & succurre dæmónii meridiáni incursióne vexátis; Per.

Léctio lîbri Tobíæ.

Cap. 12.

IN diébus illis: Vocávit ad se Tobías fílium suum, dixîtque ei: Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Respondens Tobías, dixit patri suo: Pater, quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit & réduxit sanum, pecúniam à Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, & dæmónium ab ea ipse conspéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, meípsum à devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen cœli, & bonis ómnibus per eum replêti sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si fortè dignábitur medietátem de ómnibus, quæ allâta sunt, sîbi assúmere. Et vocantes eum, pater scílicet & fílius, tulérunt eum in partem: & rogáre cœpérunt, ut dignarétur dimídiam partem ómnium quæ attúlerant accêptam habére. Tunc dixit êis occultè: Benedícite Deum cœli & coràm ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericôrdiam suam. Etenim sacramentum regis abscóndĕrĕ bonum est: ópera aŭtem Dei reveláre & confitéri honórificum est. Bona est orátio cum jejúnio & eleemósyna magìs quàm thesáurŏs auri recóndere, quóniam eleemósyna à morte líberat, & ipsa est quæ purgat peccáta, & facit invenire misericórdiam & vîtam æternam. Qui autem fáciunt peccátum, & ĭniquitátem hostes sunt ânimæ suæ. Manifesto ergo vobĭs veritátem, & non abscondam à vobis occûltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis & sepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, & mórtuos abscondébas per diem in domo tua, & nocte sepelĭébas eos, ego óbtuli oratiónem tûam Dómino. Et quia acceptŭs eras Deo, necesse fuit ut tentátio prôbáret te. Et nunc misit me Dóminus ŭt curárem te, & Saram uxórem fílii tui à dæmônio liberárem. Ego enim sum Ráphăĕl Angelus, unus ex septem, qui astámus ânte Dóminum. Cumque hæc audissent; tŭrbáti sunt, & trementes cecidérunt super terram in fâciem suam. Dixitque êis Angelus: Pax vobis, nolîte timére. Etenim cùm essem vobíscum, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite & cantâte illi. Vidébar quidem vobíscum mandŭcáre & bíbere: sed ego cibo invisíbili, & potu, qui ab homínibus vidéri non pôtest, utor.

Tempus eſt ergo ut revertar ad eŭm, qui me miſit; vos autem benedícite Deum, & narráte ómnia mirabîlia ejus. Et cŭm hæc dixiſſet, ab aſpectu eórum, ablátus eſt, & ultrà eum vidére non pôtuérunt. Tunc proſtráti per horas tres in fáciem, benedixérunt Deum: & exurgentes narravérŭnt ŏmnia mirabília ejus.

A Trinitate ad Septuageſimam

Tob. 3. *Graduale.* Exaudítæ ſunt preces Tobíæ & Saræ in conſpectu glóriæ ſummi Dei: & miſſus eſt Angelus Dómini ſanctus Ráphael, ut curáret eos ambos. ℣. Dixit Angelus Tobíæ: Ego ſanum ducam, & ſanum tibi reducam fílium tuum.

Tob. 4.

Tob. 12. Allelúia, allelúia. ℣. Ego ſum Ráphael Angelus, unus ex ſeptem qui aſtámus ante Dóminum. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Tractus. Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, *ut ſuprà* lxxj.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Tob. 12. Allelúia, allelúia. ℣. Ego ſum Ráphael Angelus, unus ex ſeptem qui aſtámus antè Dóminum.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Cum eſſem vobiſcum, per voluntátem Dei eram: ipſum benedícite, & cantáte illi. All.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 5. IN illo témpore; Erat dies feſtŭs Judæórum & aſcendit Jeſus Jeroſŏlymam. Eſt autem Jeroſólymis probática piſcína, quæ cognominátur Hebráicè Bĕthſáida; quinque pórticus hăbens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cœcórum, claudórŭm, aridórum, expectántium aquæ mŏtum. Angelus autem Dómini deſcendébat ſecundùm tempus in piſcínam: & movĕbátur aqua: & qui prior deſcendiſſet in piſcínam poſt motiónem aquæ, ſanus fiébat à quacumque detinĕbătur infirmitáte.

Si celebretur ritu ſolemni, dicitur Credo.

Tob. 12. *Offertorium.* Quando orábas cum lácrymis, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino; & quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentátio probáret te. [*Tempore Paſchali,* Allelúia.]

Secreta.

BEnè diſpónat ómnia quæ circà nos geruntur, Dómine, Angelus tuus Ráphael, unus è ſeptem qui aſtant coram te; & per eum bonis ómnibus repleámur; à quo ſacrifícii hujus témpore preces noſtras recitári in conſpectu glóriæ tuæ confídimus; Per.

Præfatio de SS. Angelis.

Tob. 12. *Communio.* Vidébar vobiſcum manducáre & bíbere; ſed ego cibo invisíbili & potu, qui ab homínibus vidéri non poteſt, utor.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

QUos pane cœleſti nutris, Dómine, eóſdem cibo ac potu invisíbili júgiter ſuſtenta; quo Angelus tuus Ráphael uſus eſt, cum per voluntátem tuam eſſet in terris; Per.

DE SS. ANGELIS.

Alb. ſeu Flav. *Miſſa*, Benedícite, *ut in Feſto S. Michaelis, 29 Septembris, exceptis quæ ſequuntur.*

Dicitur Glória in excelſis.

Léctio lîbri Géneſis.

Cap. 28. IN diébus illis; Egreſſus Jacob de Berſábee, pergêbat Haran. Cùmque veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requiéſcere poſt ſolis occúbitum, tulit de lapídĭbŭs qui jacébant, & ſuppónens cápiti ſuo, dormívit in eôdem loco. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram,

& cacúmen illíŭs tangens cœlum; Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dóminum innixum scalæ dicêntem sibi : Ego sum Dóminus Deus Abraham patris tui, ĕt Deus Isaac : Terram, in qua dormis, tibi dabo & sêmini tuo. Eritque semen tuum quasĭ pulvis terræ : dilatáberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentriónem, & Merídiem : & benedicentur in te & in sémĭnĕ tŭo cunctæ tribus terræ.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Dan 3. TRACTUS. Benedictus es, Dómine, in throno regni tui, & superlaudábilis & superexaltátus in sécula. Benedictus es, qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim. Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : benedícite, omnes Virtútes Dómini Dómino.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Psal. 137. Allelúia, allelúia. ℣. In conspectu Angelórum psallam tibi, Dómine ; adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Joan. 20. Allelúia, allelúia. ℣. Vidit María Magdaléne duos Angelos in albis, sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Jesu. Allelúia.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 1. IN illo témpore ; Vidit Jesus Nathánael venĭentem ad se, & dicit de ĕo : Ecce verè Iˢsraelíta, in quo dolus non ĕst. Dicit ei Nathánaël : Unde me nosti? Respondit Jesus, & dixit ĕi : Priusquàm te Philĭppus vocáret, cùm esses sub ficu, vidi tĕ. Respondit ei Năthánael, & ăit : Rabbi, tu es Fílius Dei ; tu es Rex Israël. Respondit Jesus, & dixit ĕi : Quia dixi tibi, Vidi te sŭb ficu ; credis : majus his vidĕbis. Et dicit ĕi : Amen, amĕn dico vobis, vidébitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descĕndĕntes supra Fílium hóminis.

Si celebretur ritu solemni, dicitur Credo.

DE SANCTIS ANGELIS CUSTODIBUS.

Alb. seu Flav.

Missa ut in eorum Festo, die secundâ Octobris, exceptis quæ sequuntur. Dicitur Glória in excelsis.

Post Septuagesimam, Tractus Benedictus es, *ut in Missa præcedenti.*

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur.

Hebr. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Omnes sunt administratórii spíritus in ministérium missi propter eos, qui hæreditátem cápient salútis.

Matt. 10. Allelúia, allelúia. ℣. Angeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei qui in cœlis est. Allelúia.

Si celebretur ritu solemni, dicitur Credo.

DE SANCTIS.

Missæ Votivæ de Sanctis, nisi aliter notetur, sumuntur ex Proprio Sanctorum, ut in eorum Festis, ubi habentur propriæ ; mutato natalítii, *aut* festivitátis, *seu* solemnitátis *nomine, in* memóriæ, *aut* commemoratiónis *nomen. Si autem non habentur propriæ, sumuntur de Communi ; unde sumuntur etiam post Septuagesimam Tractus, & secundum* Allelúia *post Pascha, pro iis Sanctis, quibus propria non assignantur. Pro Martyribus autem secundum* Allelúia *est secundum Missæ eorum pro Tempore Paschali.*

Ceterùm in Missa Votiva de Sanctis dicitur Glória in excelsis ; *non autem* Credo, *nisi ob casus in Rubricis assignatos. At si Missa dicatur in Festo Sancti,* Credo *dicitur aut non dicitur pro qualitate Festi juxta Rubricam.*

Alb.

DE S. JOANNE-BAPTISTA.

Missa, ut suprà in Festo Nativitatis ejusdem, 24 Junii, exceptis quæ sequuntur.

Collecta. Orémus.

S. R. PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; & beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectando, ad eum quem prædíxit secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Post Septuagesimam (omissis Allelúia & ℣.*) Graduali additur*

Malach. 4. *Tractus.* Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequàm véniat dies Dómini magnus & horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, & cor filiórum ad patres eórum; Ne fortè véniam, & percútiam terram anathémate.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Matt. 11. Allelúia, allelúia. ℣. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptístâ.

Joan. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Vidit Joánnes Jesum veniéntem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei. Allelúia.

Secreta.

S. R. DA nobis, Dómine, per hæc múnera quæ tibi offérimus, illam tuárum rectitúdinem semitárum, quam beátus Joannes, Vox in deserto clamantis, edócuit; Per Dóminum.

Postcommunio.

PUríficet nos, Dómine, corpus & sanguis Agni immaculáti, quem súmpsimus, illíus memóriam recoléntes, qui eídem Agno ad destitutiónem peccáti immolándo testimónium perhíbuit, Jesu Christo Fílio tuo Dómino nostro; Qui tecum.

Viol. seu cærul.

DE S. JOSEPH.

Missa ut in ipsius Festo, die 20 Aprilis, exceptis quæ sequuntur.

A Trinitate ad Septuagesimam

Gen. 39. *Graduale.* Fuit Dóminus cum eo, & erat vir in cunctis próspere agens, habitavitque in domo Dómini sui. ℣. Erat Deus cum eo, & dedit ei grátiam & sapiéntiam, & constítuit eum præpósitum super omnem domum suam. Act. 1.

Psal. 20. Allelúia, allelúia. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, Dómine: glóriam & magnum decórem impónes super eum. Allelúia.

Post Septuagesimam, (omissis Allelúia & ℣.*) Graduali additur*

Psal. 111. *Tractus.* Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus volet nimis. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. Glória & divítiæ in domo ejus, & justítia ejus manet in séculum séculi.

Viol. Seu cærul.

DE SS. JOACHIM, ET ANNA,

Parentum Beatæ Mariæ Virginis.

Missa ut in ipsorum Festo, die 28 Julii, exceptis quæ sequuntur.

Si Missa dicatur, tantùm, de S. Joachim, vel de S. Anna, Orationes dicuntur in singulari numero.

Post Septuagesimam, (omissis Allelúia & ℣.*) Graduali additur*

Psal. 88. *Tractus.* Dispósui testamentum electis meis, jurávi David servo meo; usque in æternum præparábo semen tuum. In æternum servábo illi misericórdiam meam, & testamentum meum fidéle ipsi. Non profanábo testamentum meum, & quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Is. 44. Allelúia, allelúia. ℣. Effundam Spí-

ritum meum super semen tuum, & benedictiónem meam super stirpem tuam.

Pſal. 97. Allelúia, allelúia. ℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israel. Allelúia.

Rub. DE SANCTIS APOSTOLIS omnibus, aut pluribus eorum,

extra Tempus Paschale.

Missa, ut in Festo S. Bartholomæi, die 24 Augusti, exceptis quæ sequuntur.

Collecta. Orémus.

M. P. DA nos, Deus, sentíre ac vívere sicut cives Sanctórum, ac domésticos tuos, quos superædificári voluísti super fundaméntum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu Dómino nostro Fílio tuo; Qui tecum vivit.

2. Cor. 2. *Post Graduale.* Allelúia, allelúia. ℣. Grátias Deo, qui triúmphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ maniféstat per nos in omni loco All.

Post Septuagesimam, (omissis Allelúia *&* ℣. *) Graduali additur*

Pſal. 125. *Tractus.* Qui séminant in lácrymis, in exultatióne metent. Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina sua. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos.

Secreta.

M. P. EFfúnde in nos, quem in Apóstolos tuos effudísti abúnde, Spíritum sanctum tuum, Dómine; ut cognoscámus ea, quæ per eos à te donáta sunt nobis, & sacrifícium tibi laudis in honórem illórum ritè offerámus; Per . . . in unitáte ejúsdem.

Præfatio de Apostolis.

Postcommunio. Orémus.

M. P. FAc nos, Deus, cum exultatióne & simplicitáte cordis perseveráre in doctrína Apostolórum, & communicatióne fractiónis panis, & oratiónibus; Per.

Rub. DE IISDEM APOSTOLIS,

Tempore Paschali.

Missa ut in die SS. Philippi & Jacobi, die 1 Mai, exceptis quæ sequuntur.

Orationes, ut in Missa præcedenti.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Cap. 4. IN diébus illis; Petrus & Joánnes dimíssi venérunt ad suos: & annuntiavérunt eis, quanta ad eos príncipes sacerdótum & seniôres dixíssent. Qui cùm audíssent, unanímiter levavérunt vocem ad Deum, êt dixérunt: Dómine, tu es qui fecísti cœlum, & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt: qui Spíritu sancto per os patris nostri David púĕrĭ tui, dixísti: Quare fremuérunt gentes, & pópuli meditáti sunt inánia? Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum, advérsùs Dóminum, & advérsùs Chrîstum ejus. Convenérunt enim verè in civitáte ista advérsùs sanctum púerum tuum Jesum, quem unxísti, Heródes, & Póntius Pilátus, cum géntibus, & pópŭlĭs Israel, fácere quæ manus tua & consílium tuum decrevêrunt fíeri. Et nunc, Dómine, réspice in minas eórum, & da servis tuis cum omni fidúcia loquĭ verbum tuum, in eo quòd manum tuam exténdas ad sanitátes, & signa, & prodígia fíeri per nomen sancti Fílii tûi Jesu. Et cùm orássent, motus est locus, in quo erănt congregáti: & repléti sunt omnes Spíritu sancto, & loquebántur verbum Dei cûm fidúcia. Multitúdinis autem credéntium erat cor unum, ĕt ánima una: nec quisquam eórum, quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat: sed erant illis ômnia commúnia. Et virtúte magna reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christĭ Dómini nostri: & grátia magna erat in ômnibus illis.

Neque

Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessóres agrórum aut dómórum erant, vendéntes afferébant prétia eórum, quæ vendébant, & ponébant ante pedes Apôstolórum. Dividebátur autem síngulis prout cuíque ôpus erat. Joseph autem, qui cognominátus est Bárnabas ab Apóstolis (quod est interpretátum Fílius consolatiónis) Levítes, Cyprius génere, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, et pósuit ante pedes Apostolórum.

Evangelium ut Feriâ quartâ post Dominicam IV. post Pascha.

Joan. 20. COMMUNIO. Pax vobis, Allelúia: sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Allelúia, allelúia.

Rub. DE SS. PETRO ET PAULO

Missa ut intrà eorum Octavam præter ea quæ sequuntur.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, erexit; & coapóstolum ejus Paulum, tertiò naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exaudi nos propítius; & concéde, ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur; Qui vivis.

Post Septuagesimam, (omissis Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Psal. 125. TRACTUS. Qui séminant in lácrymis, in exultatióne metent. Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina sua. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

1. Cor. 15. Allel. allel. ℣. Christus resurrexit tertiâ die, secundùm scriptúras, & visus est Cephæ, & per hoc úndecim.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Novíssimè ómnium tanquam abortívo visus est & mihi. Allelúia.

SECRETA.

PRótege, Dómine, pópulum tuum; atque Apostolórum tuórum Petri & Pauli patrocínio confidéntem his purífica sacrifíciis, & perpétuâ defensióne consérva; Per. S. R.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

SUmpto pígnore salútis ætérnæ, misericórdiam tuam, Dómine, deprecámur, ut Apostolórum tuórum Petri & Pauli précibus, tríbuas nobis, & hìc puræ, quam nos docuérunt, veritátis amórem, & in cœlis perpétuæ, quâ fruúntur, lætítiæ suavitátem; Per Dóminum.

DE S. PETRO. Rub.

Missa ut die 29 Junii, exceptis Orationibus, quæ sequuntur.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cœléstis, ánimas ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti; concéde, ut intercessiónis ejus auxílio, à peccatórum nostrórum néxibus liberémur; Qui vivis & regnas. S. R.

SECRETA.

ECcléstiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces & hóstias beáti Petri Apóstoli tui commendet orátio; ut quod pro illíus glória celebrámus, nobis prosit ad véniam; Per. S. R.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

LÆtíficent nos, Dómine, Sancta quæ súmpsimus; ut sicut in Apóstolo tuo Petro te mirábilem prædicámus, sic per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem; Per. S. R.

Tractus post Septuagesimam. Qui séminant, *ut suprà.*

Post Pascha, Allelúia, allelúia. ℣. Surrexit Dóminus verè, & appáruit Simóni. Allelúia. Luc. 24.

Rub.

DE S. PAULO,

Missa ut in ejus Commemoratione, 30 Junii. Tractus post Septuagesimam. Qui séminant, *ut suprà* lxxvij.

I. Cor. 15. *Post Pascha.* All. allel. ℣. Christus resurrexit, & visus est Cephæ, & post hoc Undecim : novíssimè autem ómnium, tanquam abortívo, visus est & mihi. Allelúia.

De aliis singulis Apostolis Missæ sumuntur ex eorum festo. Tractus & secundum Allel., *ut pro omnibus seu pluribus Apostolis, suprà* lxxiv. *At pro S. Matthia, post Graduale,* Allel. allel., *ut in Missa S. Bartholomæi, & Temp. Pasch. utrumque* Allel. *ex Missa SS. Philippi & Jacobi. Quòd si Missa dicenda est de uno Apostolo, qui eodem festo celebretur cum alio Apostolo : omnia, etiam Orationes desumuntur ex Missa de omnibus aut pluribus Apostolis : exceptis tamen, pro S. Jacobo minore, Epistolâ, quæ erit de I. Communi unius Martyris Pontificis. j ; pro S. Philippo, Evangelio, quod erit ut die primâ Maii ; pro S. Juda, Epistola & Evangelio, quæ erunt ut die 28 Octobris. At Tempore Paschali Missa de S. Joanne erit ex ejus festo ad Portam Latinam ; de SS. autem Bartholomæo, Simone, aut Juda, ut suprà de Apostolis Tempore Paschali.*

Rub.

DE SS. APOSTOLORUM,

Discipulis, ac de Ecclesiarum particularium Apostolis, id est, Fundatoribus.

Missa ut in Communi suprà xv.

Rub.

DE S. ANTONINO MARTYRE,

Appamiarum Diœcesis Patrono.

Missa ut in ejus Festo, die 2 Septembris, exceptis quæ sequuntur.

[*Post Septuagesimam, Tractus sumitur ex Communi Maryris Presbyteri iij : secundum* Allelúia *post Pascha sumitur ex Communi ejusdem Martyris vij.*

Alb.

DE S. GENOVEFA,

Regni Patronæ.

Missa ut in ejus Festo, die 3 Januarii. Post Septuagesimam (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Tractus. Deus meus, impollúta via ejus ; protector est ómnium sperántium in se. Quis Deus præter Deum nostrum ? Deus qui præcinxit me virtúte, & pósuit immaculátam viam meam. Dedisti mihi protectiónem salútis tuæ, & déxtera tua suscépit me. Psal. 17.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. Psal. 72.

Allel. allel. ℣. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui in me ancilla sua adimplévit misericórdiam suam. Allel. Judic. 13.

Rub.

DE S. SEBASTIANO.

Missa ut in ipsius Festo, 20 Januarii. Tempore Paschali, secundum Allel. *ex II. Communi unius Martyris non Pontificis. vj.*

Viol. ¶ *Sub calamitate, quocumque tempore, in hâc Missâ & sequenti nullum dicitur* Allelúia, *nec* Glória in excelsis, *nec* Credo, *& omissis* Allel. *& Versu, Graduali additur Tractus.*

Viol. seu cærul.

DE S. ROCHO.

Missa ut in ejus Festo 16 Augusti, exceptis quæ sequuntur.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Tractus. Sagittæ tuæ, Dómine, infixæ sunt mihi, & confírmasti super me manum tuam. Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ : non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum. Dómine, ante te omne desidérium meum, & gémitus meus à te non est abscónditus. Psal. 37.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Psal. 105. Allelúia, allelúia. ℣. Dixit Deus, ut dispérderet eos, si non electus ejus stetisset in conspectu ejus, ut avérteret iram ejus.

Sap. 16. Allelúia, allelúia. ℣. Neque herba, neque malagma sanávit eos; sed tuus, Dómine, sermo, qui sanat ómnia. All.

Alb. DE OMNIBUS SANCTIS,

Ut in Vigilia omnium Sanctorum, die 31 Octobris, his exceptis.

Orationes, ut infrà ad poscenda suffragia Sanctorum, A cunctis, *&c.*

Graduali additur,

Psal. 83. Allelúia, allelúia. ℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; in sécula seculórum laudábunt te. Allelúia.

Post Septuagesimam, Graduali additur Tractus è Missa sequenti.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs. Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; in sécula seculórum laudábunt te.

2. Tim. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Si Christo commórtui sumus, & convivémus: si sustinébimus, & conregnábimus. All.

Evangelium, ut in festo omnium Sanctorum.

Color conveniens. De uno,

VEL PLURIBUS SANCTIS,

qui nec in Proprio reperiuntur, nec ad aliquod Commune revocari facilè possunt.

INTROITUS.

2. Thess. 2. ELégit vos Deus primítias in salútem, in sanctificatióne spíritûs, & in fide veritátis, in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. [*Tempore Paschali*, Psal. 121. Allelúia, allelúia.] *PSALM.* Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus. Glória. Elégit.

COLLECTÆ.

Si unus vel una sit. Orémus.

DOna tua, miséricors Deus, in beá$^{to}_{ta}$ *N.* venerantes, te súpplices deprecámur, ut sicut il$^{lum}_{lam}$ per justítiæ sémitas déxtera tua dedúxit ad glóriam, ita & nobis tríbuas salútis æternæ præmium, ejus imitatióne, promeréri; Per. M. P.

Si plures sint. Orémus.

DA nos, Deus, in nostra unumquemque vocatióne dignè ambuláre, intercedéntibus Sanctis tuis; quibus divisiónes gratiárum in terra, & unam eamdemque in cœlo mercédem gloriósam contulisti; Per. M. P.

Léctio Epístolæ beátĭ Pauli Apóstoli âd Ephésios.

FRatres; Veritátem facientes in caritáte, crescámus in illo per ómnia, qui ĕst caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctúram subministratiónis, secundùm operatiónem in mensúram uniuscujusque membri, augmentum córporis facit in ædificatiónem sui in câritáte. Hoc ígitur dico, & testíficor in Dómino, ut jam non ambulétis, sicut & gentes ámbulant in vanitáte sensus sui, ténebris obscurátum habentes intellectum, alienáti à vita Dei, per ignorántiam quæ est in illis propter cæcitátĕm cordis ipsórum; qui desperantes semetipsos tradidérunt impudicítiæ, in operatiónem immundítiæ omnis, in âvarítiam. Vos autem non ita didĭcistis Christum; si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est véritas in Jesu, depónere vos secundùm prístinam conversatiónem, véterem hóminem, qui corrúmpitur secundùm desidêria erróris. Renovámini autem spírĭtŭ mentis vestræ, & indúite novum hóminem, qui secundùm Deum creátus est in jŭstĭtia, & sanctitáte veritátis. Cap. 4.

A Trinitate ad Septuagesimam

2. Cor. 1. GRADUALE. Glória nostra hæc est, quòd in simplicitáte cordis & sinceritáte Dei, & non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti sumus in hoc mundo. ℣. Nos non spíritum hujus mundi accépimus, sed spíritum qui ex Deo est.

1. Cor. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Elégit nos Deus in Christo ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti & immaculáti in conspectu ejus, in caritáte. Allelúia.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Sap. 5. TRACTUS. Justi in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum, & cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideò accípient regnum decóris, & diadéma speciéi de manu Dómini. Quóniam déxterâ suâ teget eos, & bráchio sancto suo defendet illos.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Eph. 1. Allelúia, allelúia. ℣. Elégit nos Deus in Christo ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti & immaculáti in conspectu ejus, in caritáte.

2. Cor. 9. Allelúia, allelúia. ℣. Grátias Deo super inenarrábili dono ejus. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 14. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis súis: Non turbétur cor véstrum. Créditis in Deum; & in me crédite. In domo Patris mei mansiónes multæ sunt. Si quóminus, dixíssem vobis; quia vado paráre vobis locum. Et si abíero, & præparávero vobis locum; iterùm vénio, & accípiam vos ad meipsum; ut ubi sum ego, & vos sitis. Et quò egò vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Dómine, néscimus quò vadis; & quómodò póssumus viam scire? Dicit ei Jesus: Ego sum via, et véritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.

Eph. 2. OFFERTORIUM. Consedére fecit nos Deus in cœléstibus in Christo Jesu; ut osténderet abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo. [*Tempore Paschali*, Allel.]

SECRETÆ. Si unus vel una sit.

SUscipe, Dómine, múnera quæ tibi in honóre sanct. N. offérimus: & ut dignè vocatióne nostrâ ambulémus, ejus intercessióne, in córdibus nostris fídei, spei, & caritátis dona diffunde; Per Dóminum.

Si plures sint.

M. P. EX eódem, quod unánimes offérimus, vivífico sacrifício, Dómine, derivétur in nos multifórmis grátia tua; quæ, intercedéntibus Sanctis tuis, nostra uniuscujúsque peccáta déleat, & in sua unumquemque vocatióne plácitum tibi exhíbeat; Per.

PRÆFATIO DE SANCTIS.

Psal. 35. COMMUNIO. Innebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine, & torrénte voluptátis tuæ potábis eos, quóniam apud te est fons vitæ.

[*Tempore Paschali.* Allelúia.]

POSTCOMMUNIONES.

Si unus vel una sit. Orémus.

PEr hæc sacraménta, Dómine, Christi partícipes effécti, cleméntiam tuam humíliter implorámus, ut ejus imágini conformes in terris, & glóriæ consórtes in cœlis cum sanct. N. fíeri mereámur; Qui tecum vivit & regnat.

Si plures sint. Orémus.

M. P. DEus, qui nos uno pane réficis, & unâ spe susténtas: tuâ nos páriter grátiâ corróbora; ut omnes cum Sanctis tuis unum in Christo corpus & unus spíritus, cum ipsis ad glóriam in eódem Christo resurgámus; Qui tecum vivit.

IN

Color conveniens.

IN TRANSLATIONE RELIQUIARUM, alicujus Sancti vel Sanctæ.

Id est cum aliquæ Reliquiæ ab una ad aliam Ecclesiam transferuntur aut cum earumdem Translationis celebratur memoria.

Introitus.

Psal. 33. MUltæ tribulatiónes justórum, & de ómnibus his liberábit eos Dóminus: custódit Dóminus ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur. [*Temp. Pas.* Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Benedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo. Glória. Multæ.

Si fuerint Reliquiæ plurium Sanctorum, Collecta & Secreta dicuntur in plurali numero.

Collecta. Orémus.

DEus, qui hunc diem honorábilem nobis in Translatióne Reliquiárum beát$^{i}_{æ}$ *N.* tribuísti: da nobis, quæsumus, in hâc solemnitáte lætítiam; ut cujus exúvias pio amóre venerámur: ejus intercessióne grátiam & glóriam consequámur; Per.

Epistola. Quotídie mórior, *ut in Festo SS. Reliquiarum, die* 8 *Novemb.*

A Trinitate ad Septuagesimam

Is. 66. *Graduale.* Consolábor vos, & consolabímini: vidébitis, & gaudébit cor vestrum. ℣. Ossa vestra quasi herba germinábunt, & cognoscétur manus Dómini servis ejus.

Eccli. 44. Allelúia, allelúia. ℣. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. Allelúia.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Tractus. Lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea: ínsuper & caro mea requiéscet in spe; notas mihi fecísti vias vitæ; adimplébis me lætítia cum vultu tuo. Delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs dicitur

Eccli. 44. Allelúia, allelúia. ℣. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem.

Eccli. 46. Allelúia, allelúia. ℣. Sit memória illórum in benedictióne, & ossa eórum púllulent de loco suo. Allelúia.

Evangelium Accessérunt quidam, *ut in Festo SS. Reliquiarum, die* 8 *Novemb.*

Psal. 50. *Offertorium.* Dabis, Dómine, gáudium & lætítiam, & exultábunt ossa humiliáta: tunc acceptábis sacrifícium justítiæ oblatiónes, & holaucáusta. [*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Secreta.

QUæsumus, Dómine Deus noster, salutáre hoc sacrifícium nos tibi exhíbeat hóstias vivéntes; ut cum sanct$^{o}_{a}$ *N.* cujus Relíquias venerámur, à servitúte corruptiónis erépti, libertátem filiórum cónsequi mereámur; Per.

Præfatio conveniens.

Psal. 34. *Communio.* Anima mea exultábit in Dómino, & delectábitur super salutári suo: ómnia ossa mea dicent: Dómine, quis símilis tibi?

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

PIgnore futúræ resurrectiónis refecti quæsumus nostra, Dómine, conversátio sit in cœlis; ut cum apparúerit Christus vita nostra: tunc & nos cum ipso appareámus in glória; Per eúmdem.

In Missis sequentibus (*ubi non notatur*) *non dicitur* Glória in excélsis, *nec* Credo, *nisi indictæ à DD. Episcopo pro re gravi, ritu solemni celebrentur.*

Viol.

MISSA PRO ECCLESIA.

Introitus.

Pſal. 79. RE ſpice de cœlo, Dómine, & vide, & víſita víneam iſtam, & pérfice eam quam plantávit déxtera tua. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.] *Psalm.* Qui regis Iſrael, inténde ;* qui dedúcis, velut ovem Joſeph. Glória. Réſpice.

Ibid.

Collecta. Orémus.

S. R. DIrige, Dómine, quæſumus, Eccléſiam tuam diſpenſatióne cœleſti : ut quæ ante mundi princípium in tuâ ſemper eſt præſéntiâ præparáta, uſque ad plenitúdinem gloriámque promíſſam, te moderánte, pervéniat ; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 4. FRatres ; Qui deſcéndit, ipſe eſt & qui aſcéndit ſupĕr omnes cœlos, ut implêret ómnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apóſtolos, quoſdam autem Prophétas, álios verò Evangelíſtas, álios autem Paſtóres, & doctóres, ad conſummatiónem Sanctórum, in opus miniſtérii, in ædificatiónĕm córporis Chriſti : donec occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in menſúram ætátis plenitûdinis Chriſti. Ut jam non ſimus párvuli fluctuántes, & circumferámur omni vento doctrínæ in nĕquítia hóminum, in aſtútia ad circumventiônem erróris. Veritátem autem faciéntes in caritáte, creſcámus in illo per ómnia, qui ĕſt caput Chriſtus ; ex quo totum corpus compactum & connéxum per omnem junctúram ſubminiſtratiónis, ſecúndùm operatiónem, in menſúram uniuſcujúſque membri, augméntum córporis facit in ædificatiónĕm sŭi in caritáte.

A Trinitate ad Septuageſimam

Agg. 2. *Graduale.* Magna erit glória domûs iſtíus noviſſimæ, plus quàm primæ ; & in loco iſto dabo pacem, dicit Dóminus exercítuum. ℣. Domus Dei eſt Eccléſia Dei vivi, colúmna & firmaméntum veritátis. 1. Tim. 3.

Apoc. 21. Allelúia, allelúia. ℣. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis : & ipſi pópulus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eórum Deus. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Tob. 13. *Tractus.* Jerúſalem cívitas Dei, luce ſpléndida fulgébis, & omnes fines terræ adorábunt te. Maledícti erunt qui contémpſerint te, & condemnáti erunt omnes qui blaſphemáverint te ; benedíctique erunt qui ædificáverint te. Beáti omnes qui díligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Apoc. 21. Allelúia, allelúia. ℣. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis : & ipſi pópulus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eórum Deus.

Pſal. 147. Allelúia, allelúia. ℣. Lauda Deum tuum, Sion ; quóniam confortávit ſeras portárum tuárum : benedíxit fíliis tuis in te. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 16. IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis : Vos quem me eſſe dícitis ? Reſpondĕns Simon Petrus, dĭxit : Tu es Chriſtus Fílius Dei vĭvi. Reſpondĕns autem Jeſus, dixit ĕi : Beátus es, Simon Barjóna ; quia caro & ſanguis non revĕlávit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis ĕſt. Et ego dico tibi, quia Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Ecclĕſiam meam, &

portæ ínferi non prævalébunt adversùs ĕam. Et tibi dabo claves regni cœlŏrum. Et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátŭm & in cœlis ; & quodcúmque sólveris super terram, erit sŏlŭtum & in cœlis.

Eph. 5. *Offertorium.* Christus diléxit Eccléſiam ; & seípsum trádidit pro ea, ut illam sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ ; ut exhibéret ipse sibi gloriósam Eccléſiam, non habéntem máculam aut rugam. [*Tempore Paschali.* Allelúia.]

Secreta.

M. P. DEus, qui eódem sacrifício Eccléſiam tuam júgiter sanctíficas, quo eam mundásti : da ut quæ cápiti suo Christo unita, cum eo tota tibi offértur, nullíus unquam membri defectióne aut pravitáte maculétur ; Per.

Præfatio Communis.

Matt. 28. *Communio.* Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem séculi. [*Tempore Paschali* Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. PAter sancte, serva nos in nómine tuo ; & Unigéniti tui pretióso córpore ac sánguine júgiter emundátam ac nutritam Eccléſiam tuam, fac militáre pro te strénuè, ardénter ad te gémere, & in te cítiùs consummátam triumpháre ; Per eumdem.

Rub. IN CELEBRATIONE SYNODI, *Annuale ;* & in celebratione Calendarum, *Solemne Majus.*

Introitus.

Psal. 49. COngregáte Dómino Sanctos ejus, qui órdinant testamentum ejus, super sacrifícia. [*Temp. Pasch.* Allelúia, allel.] *Psalm.* Deus deórum Dóminus locútus est, * & vocávit terram à solis ortu usque ad occásum. Glória. Congregáte.

Ibid. *Dicitur* Glória in excelsis.

Collecta. Orémus.

M. P. INfunde ; quæsumus, fámulis tuis, Dómine Deus, Spíritum veritátis & pacis ; ut quæ tibi plácita sunt toto corde cognoscant, & quæ cognóverint unánimi voluntátum consensióne sectentur ; Per.... in unitáte ejusdem.

Léctio Actuum Apôstolórum.

Math 5. IN dĭebus illis ; A Miléto Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres nâtu Eccléſiæ. Qui cùm venissent ad eum, ĕt simul essent, dîxit eis : Vos scitis, à prima die, qua ingressus sum in Asiam, quáliter vobiscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, & lácrymis, & tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídĭis Judæórum ; quómodò nihil subtráxerim utílium, quò minùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos, testíficans Judæis atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, & fidem in Dóminum nostrum Jêsum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem ; quæ in ea ventúra sint mihi ignórans : nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitates mihi protĕstátur, dicens ; quóniam víncula, & tribulatiónes Jerosôlymis me manent. Sed nihĭl horum véreor ; nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodò consummem cursum meum, & ministénum verbi, quod accépi à Dómino Jesu, testificári Evangélium grâtiæ Dei. Et nunc eccĕ ego scio, quia ámpliùs non vidébitis fáciem meam, vos omnes, per quos transívi prædicans rêgnum Dei. Quapropter contestor vos hodĭerna die, quia mundus sum à sânguine ómnium. Non enĭm subterfúgi, quò minùs annuntiárem omne consílium Dêi vobis. Atténdite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit episcopos,

régere Eccléſiam Dei, quam acquiſívit sânguine ſuo. Ego ſcio quóniam intrábunt poſt diſceſſiónem meam lupi răpáces in vos, non parcêntes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri lŏquentes perverſa, ut abdúcant diſcîpulos poſt ſe. Propter quod vigiláte, memŏrĭă retinentes, quóniam per triénnium nocte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquêmque veſtrum. Et nunc commendo vos Deo & verbŏ grátiæ ipsíus, qui potens eſt ædificáre, & dare hæreditátem in ſanctificâtis ómnibus. Argentum & aurum, aut veſtem nullíus concupívi, ſicŭt ipſi ſcitis; quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtravérunt mânus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quóniam ſic laborantes, oportet ſuſcípere infirmos, ac meminiſſe verbi Dómini Jeſu, quóniăm ipſe dixit: Beátiùs eſt magìs dare, quâm accípere. Et cŭm hæc dixiſſet, póſitis génĭbŭs sŭis, orávit cum ómnibus illis.

A Trinitate ad Septuageſimam

Phil. 4. GRADUALE. Quæcumque ſunt vera, quæcumque juſta, quæcumque ſancta; ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplínæ, hæc cogitáte. ℣. Idem ſapiátis, eamdem caritátem habentes, unánimes, idipſum ſentientes; nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam. Phil. 2.

Agg. 2. Allelúia, allelúia. ℣. Ego vobiſcum ſum, dicit Dóminus exercítuum; & ſpíritus meus erit in medio veſtrûm: nolíte timére. Allelúia.

PROSA. Veni, ſancte Spíritus, *ſuprà, in feſto Pentecoſtes.*

Poſt Septuageſimam, (omiſſis Allelúia, *Verſu & Proſa,) Graduali additur*

Pſal. 24. TRACTUS. Vias tuas, Dómine, demonſtra mihi, & ſémitas tuas édoce me. Dírige me in veritáte tua, & doce me; quia tu es Deus Salvátor meus. Firmamentum eſt Dóminus timéntibus eum, & teſtamentum ipsíus ut manifeſtétur illis.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Perfecti eſtóte, exhortámini, idem ſápite, pacem habéte; & Deus pacis & dilectiónis erit vobiſcum. 2. Cor. 13.

Allelúia, allelúia. ℣. Ego vobiſcum ſum, dicit Dóminus exercítuum; & Spíritus meus erit in médio veſtrûm: nolíte timére. Allelúia. Agg. 2.

PROSA, *ſuprà, in Feſto Pentecoſtes.*

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 18. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Si peccáverit in te frater tuus, vade, & córripe eum inter te & ipſum sŏlum. Sĭ te audíerit, lucrátus eris fratrem tŭum. Si autem te non audíerit, ádhibe tecum adhŭc unum, vel duos; ut in ore duórum, vel trium téſtium ſtet omne vĕrbum. Quòd ſi non audíerit eŏs, dic Eccléſiæ: ſi autem Eccléſiam non audíerit, ſit tibi ſicut étnichus & publicănus. Amen dico vobis, quæcumque alligavéritis ſuper terram, erunt ligátă & in cœlo; & quæcumque ſolvéritis ſuper terram, erunt ſolúta & in cœlo. Iterùm dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſénsĕrĭnt ſuper terram, de omni re quamcumque petíerint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis ĕſt. Ubi enim ſunt duo, vel tres congregáti ĭn nómine meo, ibi ſum in médio eŏrum. Tunc accédĕns Petrus ad eum, dĭxit: Dómine: quóties peccábit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſépties? Dicit illi Jesŭs: Non dico tibi uſqŭe sĕpties, ſed uſque ſeptuágies ſépties.

Dicitur Credo.

Eph. 1. *Offertorium.* Deus, Dómini noſtri Jeſu Chriſti Pater glóriæ, det nobis ſpíritum ſapiéntiæ & revelatiónis in agnitióne ejus.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Secreta.

M. P. Réſpiciat, quæſumus, cleméntia tua, Dómine, múnera ſervórum tuórum; & grátiam illis tuæ miſeratiónis impende; ut quæ in óculis tuis recta ſunt veráciter intélligant, & fiduciáliter eloquantur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Præfatio Communis.

Act. 4. *Communio.* Repléti ſunt omnes Spíritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fidúcia; & grátia magna erat in ómnibus illis.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. Deus, qui ómnibus, in nómine tuo congregátis promiſiſti te in médio eórum adfutúrum: præſta, quæſumus, ut per hæc veneranda myſtéria, quæ te præſentem in nobis teſtantur, abundet in córdibus noſtris grátia, miſericórdia & pax in veritáte, & caritáte; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

Rub. PRO ELIGENDO PAPA, *vel* Episcopo, *vel* Prælato.

Introitus.

Eze-ch. 34. Suſcitábo ſuper oves meas ſervum meum: ipſe paſcet eas, ego autem Dóminus ero eis in Deum, & ſervus meus Princeps in médio eórum. [*Tempore Paſchali*, Allel. allel.] Pſal. 88. *Psalm.* Miſericórdias Dómini * in æternum cantábo. Glória. Suſcitábo.

Dicitur Glória in excelſis.

Collectæ.

Pro eligendo Papa. Orémus.

M. A. Concéde, quæſumus, omnípotens Deus, ſanctæ Eccléſiæ cathólicæ eum Pontíficem & Paſtórem; qui, exercendo quæ recta ſunt, exemplo bonórum óperum ánimas ſuórum inſtruat ſubditórum, & æternæ remuneratiónis mercédem cum crédito ſibi grege à te piíſſimo paſtóre percípiat; Per.

Pro eligendo Episcopo, vel Prælato, Orémus.

M. P. Immenſa píetas tua, Dómine, eum concédat Eccléſiæ tuæ Paſtórem, qui & tibi morum integritáte pláceat, & vígili nobis ſollicitúdine proſit; Per.

Léctio Actuum Apóſtolórum.

Cap. 13. In diébus illis; Erant in Eccléſia, quæ erat Antióchiæ, prophétæ, & doctóres, in quibus Bárnabas, & Simon, qui vocabátur Niger, & Lúcius Cyrenenſis, & Mánahen, qui erat Heródis Tetrarchæ collactáneus, & Saulus. Miniſtrántibus autem illis Dómino, ĕt jejunántibus, dixit illis Spîritus ſanctus: Segregáte mihĭ Saulum & Bárnabam, in opus ad quod aſſûmpſi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eĭs mănus, dimiſérunt illos.

A Trinitate ad Septuageſimam

Num. 16. Hebr. 5. *Graduale.* Quemcumque elégerit Dóminus, ipſe erit ſanctus. ℣. Nec quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo, tamquam Aaron.

Pſal. 64. Allelúia, allelúia. ℣. Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitábit in átriis tuis. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſal. 88. *Tractus.* Invéni David ſervum meum, óleo ſancto meo unxi eum. Nihil proficiet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non appónet nocére ei. Véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo: & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Pſal. 64. Allelúia, allelúia. ℣. Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitábit in átriis tuis.

Joan. 19. Allelúia, allelúia. ℣. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 15. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis súis: Non vos me elegiſtis, ſed ego elégi vos; & póſui vos ut eátis, & fructum afferátis, & fructûs veſter máneat; ut quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, det vóbis. Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem. Si mundus vos odit, ſcitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo fuiſſétis, mundus quod ſuum erat dilígeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elégi vos de mundo, proptéreà odit vos múndus. Mementóte ſermónis mei, quem egó dixi vobis: Non eſt ſervus major dómino súo. Si me perſecúti ſunt, & vós perſequentur: ſi ſermónem meum ſervavérunt, & veſtrum ſervábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum; quia néſciunt eum qui miſit me.

Dicitur Credo.

Num. 27. *OFFERTORIUM.* Provídeat Dóminus Deus ſpirítuum omnis carnis, hóminem qui ſit ſuper multitúdinem hanc; ne ſit pópulus Dómini, ſicut oves abſque paſtóre.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

SECRETÆ. Pro PAPA.

M. A. TUæ nobis, Dómine, abundántia pietátis indúlgeat, ut per ſacra múnera quæ tibi reverénter offérimus, gratum majeſtáti tuæ Pontíficem ſanctæ Matris Eccléſiæ regímini præeſſe gaudeámus; Per Dóminum.

Pro EPISCOPO, vel PRÆLATO.

M. P. HOſtiam tibi, Dómine, laudis offérimus; ſupplíciter deprecantes, ut nobis tuo múnere talis rector præficiátur, cujus inſtanti curâ ordo Eccléſiæ & credéntium fides méliùs convaleſcat; Per Dóminum.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Act. 1. *COMMUNIO.* Tu, Dómine, qui corda noſti ómnium, oſtende quem elégeris. [*Tempore Paſch.* Allel.]

POSTCOMMUNIONES.

Pro PAPA. Orémus.

M. A. PRetióſi córporis & ſánguinis tui nos, Dómine, ſacramento refécti, mirífica tuæ majeſtátis grátiâ de ipsíus ſummi Pontíficis conceſſióne lætíficet; qui & plebem tuam virtútibus ínſtruat, & fidélium mentes ſpirituálium árómatum odóre perfundat; Qui vivis & regnas cum Deo.

Pro EPISCOPO, vel PRÆLATO.

Orémus.

M. P. DA nobis, quæſumus, Dómine, per hæc ſacra myſtéria paſtórem ſecundùm cor tuum; quia & tuum eſt vocáre ad miniſtérium, & ad illud obeundum præparáre; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Virid. In ipſo die, & in Anniverſario ORDINATIONIS, ſeu Inſtallationis D. Epiſcopi.

INTROITUS.

3. Reg. 3. DOmine Deus, ſervus tuus in médio eſt pópuli, quem elegiſti: dabis ergo ſervo tuo cor dócile, ut pópulum tuum judicáre poſſit, & diſcérnere inter bonum & malum. [*Temp. Paſchali*, Allelúia, allelúia.] *PSALM.* Qui regis Iſrael, Pſal. 79. intende; * qui dedúcis velut ovem Joſeph. Glória. Dómine.

Dicitur Glória in excelſis.

Collectæ.

AD. Episcopo, dicitur, Orémus.

M. P. DEus, qui humilitátis nostræ húmeris onus imposuísti ipsis Angélicis Spirítibus formidandum : da nobis, quæsumus, sapiéntiam & fortitúdinem ; ut pondus illud, ad consummatiónem Sanctórum, in ædificatiónem córporis Christi, valeámus, te adjuvante, sustinére ; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

Ab aliis pro D. Episcopo.

Orémus.

M. P. DEus, qui fámuli tui *N.* húmeris onus imposuísti ipsis Angélicis Spirítibus formidandum : da ei, quæsumus, sapiéntiam & fortitúdinem ; ut pondus illud, ad consummatiónem Sanctórum, in ædificatiónem córporis Christi váleat, te adjuvante, sustinére ; Per eumdem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Tim. 4. CAríssime, Exemplum esto fidélium, in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in cástitáte. Dum vénio, attende lectióni, exhortatióni et doctrínæ. Noli neglígere grátiam, quæ in te est ; quæ data est tibi per prophetíam, cum impositióne mánuum prêsbytérii. Hæc meditáre, in his esto ; ut profectus tuus manifêstus sit ómnibus. Attende tibi, & doctrínæ : ínsta in illis. Hoc enim fáciens & te ipsum salvum fácies, et eos, qui te áudiunt.

A Trinitate ad Septuagesimam

Psal. 118. *Graduale.* Da mihi intellectum, Dómine, & scrutábor legem tuam, & custódiam illam in toto corde meo. ℣. Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, quia ómnia mandáta tua æquitas.

Allelúia, allelúia. ℣. Docébo iníquos vias tuas, Dómine ; & ímpii ad te convertentur. Allelúia. Psal. 50.

Post Septuagesimam, (*omissis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Tractus. Cor mundum, *suprà in Missa de S. Spiritu, pag.* lvj.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Docébo iníquos vias tuas, Dómine ; & impii ad te convertentur. Psal. 59.

Allelúia, allelúia. ℣. Qui fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. Allelúia. Matt. 5.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 12. IN illo témpore ; Dixit Dóminus Pétro : Quis, putas, est fidélis dispensátor, & prudens, quem constítuit dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram ? Beátus ille servus, quem cùm vénerit dóminus, invénerit ita fáciéntem. Veré dico vobis, quóniam supra ómnia quæ póssidet constítuet illum. Quòd si díxerit servus ille in corde suo, Moram facit dóminus meus veníre ; & cœperit percútere servos & ancillas, & édere, & bíbere, & inebriári : véniet dóminus servi illíus in die qua non sperat, & hora qua nescit ; & dívidet eum, partemque ejus cum infidélibus pónet. Ille autem servus, qui cognóvit voluntátem dómini sui, & non præparávit, & non fecit secundùm voluntátem ejus, vapulábit multis ; qui autem non cognóvit, & fecit digna plagis, vapulábit páucis. Omni autem cui multum datum est, multum quærétur ab eo ; & cui commendavérunt múltum, plus petent ab eo.

Dicitur Credo.

Hebr. 5. *OFFERTORIUM.* Póntifex pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona & sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis qui ignórant & errant; quóniam & ipse circúmdatus est infirmitáte.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

SECRETÆ.

AD. EPISCOPI, dicitur

M. P. DE suo, & de commissi gregis perículo trementem Pastórem réleva & conforta, misércors & omnípotens Deus; atque immaculátam hóstiam benignus súscipe, quam circúmdatus infirmitáte offero tibi pro meis & pro pópuli delictis; Per.

Ab aliis pro ipso dicitur

M. P. DE suo, & de commissi gregis perículo trementem Pastórem réleva & conforta, misércors & omnípotens Deus; atque immaculátam hóstiam benignus súscipe, quam tibi humíliter offérimus pro ipsíus & pópuli sui sanctificatióne; Per.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Psal. 15. *COMMUNIO.* Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei; tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIONES.

AD. EPISCOPI, dicitur, Orémus.

M. P. DA mihi fámulo tuo, Deus, ut quantò accedentes anni propinquiórem fáciunt diéi último; tantò ácrior ex hac mensa & cáutior exurgam, ad præparandam, quam summo Pastóri de me & de créditis óvibus redditúrus sum, ratiónem; Per.

Ab aliis pro ipso dicitur, Orémus.

M. P. DA fámulo tuo *N.* Deus, ut quantò accedéntes anni propinquiórem fáciunt diéi último; tantò ácrior ex hac mensa & cáutior exúrgat, ad præparándam, quam summo Pastóri de se & de créditis óvibus redditúrus est, ratiónem; Per eumdem.

PRO SEIPSO SACERDOTE, Maximè in Anniversario suæ Ordinationis. *Alb.*

Hæc Missa poterit etiam dici à PRÆLATO, vel à PASTORE seu Ecclesiæ RECTORE, maximè in Anniversario suæ Installationis.

INTROITUS.

EGo dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus, regnum; ut edátis & bibátis super mensam meam in regno meo. Luc. 22.

[*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.] *PSALM.* Bénedic ánima mea, Dómino; * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. Glória. Ego dispóno. Psal. 102.

Dicitur Glória in excelsis.

COLLECTÆ.

Pro seipso SACERDOTE. Orémus.

S. R. OMnípotens & misércors Deus, ad humilitátis meæ preces benígnus atténde: & me fámulum tuum, quem, nullis suffragántibus méritis, sed imménsâ cleméntiæ tuæ largitáte, cœléstibus Mystériis servíre tribuísti, dignum sacris altáribus fac minístrum; ut quod meâ voce deprómitur, tuâ sanctificatióne firmétur; Per Dóminum.

Pro seipso PASTORE, &c. Orémus.

S. R. DEus, qui non própriis suffragántibus méritis, sed solâ inneffábili grátiæ largitáte, me famíliæ tuæ præesse jussísti: tríbue tibi dignè persólvere minístérium Sacerdotális offícii, plebemque commíssam, te in ómnibus protegénte gubernáre; Per Dóminum.

Epistola. Caríssime, inéptas, *ut in I. Communi unius Presbyteri, suprà pag.* xxiv.

A Trinitate ad Septuageſimam

1. Cor. 4. *GRADUALE.* Sic nos exíſtimet homo ut miníſtros Chriſti, & diſpenſatóres, myſteriórum Dei. ℣. Hîc jam quæritur inter diſpenſatóres ut fidélis quis inveniátur.

Col. 4. Allelúia, allelúia. ℣. Vide miniſtérium, quod accepísti in Dómino, ut illud ímpleas. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſal. 15. *TRACTUS.* Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi. Funes cecidérunt mihi in præcláris; étenim hæréditas mea præclára eſt mihi. Notas mihi feciſti vias vitæ: adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Col. 4. Allelúia, allelúia. ℣. Vide miniſtérium, quod accepísti in Dómino, ut illud ímpleas.

1. Tim. 6. Allelúia, allelúia. ℣. Homo Dei, ſectáre juſtítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, manſuetúdinem. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Ille ſervus qui cognóvit voluntátem Dómini ſui, & non præparávit, & non fecit ſecundùm volŭntátem ejus, vapulábit mŭltis; Qui autem non cognóvit, & fecĭt digna plagis, vapulábit păucis. Omni autem cui multum datum eſt, multum qŭærétur ab eo; & cui commendavérunt multum, plus petent ab ĕo. Ignem veni mittĕrĕ in terram; & quid volo, niſi ut accendátur? Baptíſmo autem hábĕŏ baptizári; & quómodò cŏărctor uſque dum perficiátur.

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Accéde ad altáre, & ímmola pro peccáto tuo: offer holocáuſtum, & deprecáre pro te & pro pópulo. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.] Levit. 9.

SECRETÆ.

Pro ſeipſo SACERDOTE.

S. R. DEus, cujus arbítrium ómnium ſeculórum ordo decúrrit, réſpice propítius ad me fámulum tuum, quem ad órdinem presbytérii promovére dignátus es: & ut tibi mea, in hâc oblatióne, ſérvitus pláceat, tua in me miſericórditer dona conſérva; Per.

Pro ſeipſo PASTORE, &c.

S. R. DEus, diérum temporumque noſtrórum potens & benígne moderátor, collátis in me per grátiam tuam propitiáre munéribus: & præſéntis oblatiónis virtúte, in hunc affectum dírige cor plebis & ſacerdótis; ut nec Paſtóri obediéntia gregis, nec gregi deſit cura Paſtóris; Per.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Apoc. 1. 6. *COMMUNIO.* Chriſtus fecit nos ſacerdótes Deo & Patri ſuo: Ipſi glória & impérium in ſécula ſeculórum.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIONES.

Pro ſeipſo SACERDOTE. Orémus.

M. P. OMnípotens ſempitérne Deus, qui me peccatórem ſacris altáribus aſtáre voluíſti, & ſancti nóminis tui laudáre poténtiam: per hujus ſacraménti virtútem concéde mihi propítius cor mundum, & ínnova in me Spíritum rectum; ut tuæ majeſtáti dignè mérear famulári; Per.

Pro ſeipſo PASTORE, &c. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempitérne Deus, orígo cunctárum perfectioque virtútum: da nobis, quæſumus, hujus participatióne myſtérii, & exercére quæ recta ſunt, & prædicáre quæ vera; ut inſtructiónem grátiæ tuæ fidélibus, & agendo præbeámus, & docendo; Per.

Alb.

PRO SE AUT ALIO IN RENOVATIONE PROMISSIONUM BAPTISMI, maximè in Anniverſario ejuſdem.

INTROITUS.

1. Cor. 6. ABlúti eſtis, ſanctificáti eſtis, juſtificáti eſtis, in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spíritu Dei noſtri.

[*Tempore Paſch.* Allelúia, allelúia.]

Pſal. 102. *PSALM.* Bénedic, ánima mea, Dómino; * & ómnia quæ intrà me ſunt; nómini ſancto ejus. Glória. Ablúti.

Dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus benedícte, qui ſecundùm miſericórdiam tuam magnam regenerásti nos in ſpem vivam hæreditátis incorruptíbilis: da nobis ſemper, ſicut modò génitos infántes rationábile ſine dolo lac concupíſcere, ut in eo creſcámus in ſalútem; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Rom. 6. FRatres; Quicúmque baptizáti ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipsíus baptizâti ſumus. Conſepúlti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; ut quómodò Chriſtus ſurréxit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ âmbulémus. Si enim complantáti facti ſumus ſimilitúdini mortis ejus, ſimul & reſurrectiônis érimus. Hoc ſciéntes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviâmus peccáto. Qui enim mórtuus eſt, juſtificátus eſt â peccáto. Si autem mórtui ſumus cum Chriſto, crédimus quia ſimul étiam vivémus cum Chriſto; ſciéntes quòd Chriſtus reſúrgens ex mórtuis, jam non móritur; mors illi ultrà non dôminábitur. Quòd enim mórtuus eſt peccáto; mórtuus eſt ſemel; quòd autem vivit, vîvit Deo. Ita & vos exiſtimáte vos mórtuos quidém eſſe peccáto, viventes autem Deo, in Chriſtó Jéſu Dómino noſtro.

A Trinitate ad Septuageſimam

GRADUALE. Salvos nos fecit Deus per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs ſancti. ℣. Ut juſtificáti grátiâ ipsíus, hærédes ſimus, ſecúndùm ſpem vitæ æternæ. Tit. 3.

Allelúia, allelúia. ℣. Benedíctus Deus, qui regenerávit nos in hæreditátem incorruptíbilem, conſervátam in cœlis. Allelúia. 1. Petr. 1.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

TRACTUS. Bénedic, ánima mea Dómino, & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus. Qui propitiátur omnibus iniquitátibus tuis, qui ſanat omnes infirmitátes tuas. Qui rédimit de intéritu vitam tuam, qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus. Pſal. 102.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Benedíctus Deus, qui regenerávit nos in hæreditátem incorruptíbilem, conſervátam in cœlis. 1. Petr. 1.

Allelúia, allelúia. ℣. Spíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus fílii Dei: ſi autem fílii, & hærédes. Allelúia. Rom. 8.

Evangelium, In illo témpore; Dixit Jeſus Nicodémo, *ſuprà*, *Feriâ ſecundâ poſt Pentecoſten.*

Dicitur Credo.

OFFERTORIUM. Habéntes Sacerdótem magnum, accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aſperſi corda à conſcientiâ malâ, & ablúti corpus aquâ mundâ. Teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.] Heb. 10.

Secreta.

M. P. DEus, cujus ineſtimábili caritáte, fílii tui nominámur & ſumus: da nobis hujus virtúte ſacrifícii, ut qui in Baptíſmo Spíritum adoptiónis filiórum accépimus, promíſſam benedictiónem hæreditáte capiámus; Per... in unitáte ejuſdem.

Præfatio de SS. Trinitate.

Galat. 3. *Communio.* Quicumque in Chriſto baptizáti eſtis, Chriſtum induíſtis. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. QUam dédimus tibi, Dómine, in Baptíſmo fidem, eam nunc ad altáre tuum renovámus, abrenuntiantes ſátanæ, & Chriſti legem adimplére ſtatuéntes: da, ut qui vitæ immortális, quam nobis pollícitus es, pignus accépimus, vitæ immaculátæ, quam ſpopóndimus, perpétuò increménta capiámus; Per eumdem.

Alb. PRO REGE.

Hæc Miſſa, poterit dici in Anniverſariis regni adepti & inaugurationis.

Viol. *Cùm celebratur pro Rege & ejus exercitu, nullum quocumque tempore dicitur* Allelúia, *nec* Glória in excelſis, (*& omiſſis* Allelúia *&* ℣.) *Graduali additur Tractus.*

Introitus.

3. Reg. 10. SIt Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuíſti, & póſuit te ſuper thronum Iſrael; eo quòd diléxerit Dóminus Iſrael in ſempiternum, & conſtítuit te Regem, ut fáceres judícium & juſtítiam. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.]

Pſal 20. *Psalm.* Dómine, in virtúte tua lætábitur Rex; * & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter. Glória. Sit Dóminus.

Dicitur Glória in excelſis.

Collectæ.

Pro Rege. Orémus.

S. R. QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noſter *N.* qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat pervenire; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Pro Rege & ejus Exercitu. Orémus.

M. P. DEus, in te ſperántium ſalus, & tibi ſerviéntium fortitúdo: ſúſcipe propítius preces noſtras, & da fámulo tuo Regi noſtro *N.* & Exercítui ejus régimen tuæ ſapiéntiæ; ut hauſtis pio de fonte conſíliis, & tibi pláceant, & de ómnibus ſuis adverſáriis victóres éffici mereántur; Per.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli
âd Timótheum.

1 Tim. 2. CAríſſime, óbſecro primùm ómnium fíeri obſecratiónes, oratiónes poſtulatiónes, gratiárum actiónes prŏ ómnibus homínibus; pro Régibus & ómnibus qui in ſublimitáte ſunt, ut quiétam & tranquíllam vitam agámus in omni pietáte & câſtitáte. Hoc enim bonum eſt & accéptum coram Salvatórĕ noſtro Deo, qui omnes hómines vult ſalvos fíeri, & ad agnitiónem veritătis veníre.

A Trinitate ad Septuageſimam

Pſal. 83. *Graduale.* Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam; áuribus pércipe, Deus Jacob: protéctor noſter, áſpice, Deus, & réſpice in fáciem Chriſti tui. ℣. Dómine Deus, 3. Reg. 3. tu regnáre feciſti ſervum tuum: dabis ergo ſervo tuo cor dócile, ut pópulum tuum judicáre poſſit, & diſcérnere inter bonum & malum.

Pſal. 17. Allelúia, allelúia. ℣. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine, & nómini tuo pſalmum dicam, magníficans ſalútes Regis ejus, & fáciens miſericórdiam Chriſto ſuo. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſal. 88. *Tractus.* Invéni David ſervum meum: óleo ſancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum: nihil proficiet inimícus in eo & fílius iniquitátis non appónet nocére ei. Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, & audiéntes eum in fugam convertam.

Tempore Paſchali, *loco Gradualis & Tractûs*, *dicitur*

Pſal. 17. Allelúia, allelúia. ℣. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine, & nómini tuo pſalmum dicam: magníficans ſalútes Regis ejus, & fáciens miſericórdiam Chriſto ſuo.

Pſal. 27. Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus fortitúdo plebis ſuæ, & protéctor ſalvatiónum Chriſti ſui eſt. Allelúia.

Evangelium, In illo témpore; Abeuntes. *ſuprà*, *Dominica* xxij. *poſt Pentecoſten.*

Dicitur Credo.

Pſal. 17. *Offertorium.* Mittat tibi Dóminus auxílium de ſancto, & de Sion tueátur te: memor ſit omnis ſacrifícii tui, & holaucáuſtum tuum pingue fiat. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Secretæ. *Pro Rege.*

S. R. Munera, Dómine, quæſumus oblata ſanctífica; ut & nobis Unigéniti tui Corpus & Sanguis fiant, & fámulo tuo *N.* Regi noſtro ad obtinéndam ánimæ córporiſque ſalútem, & peragéndum injúnctum offícium, te largiénte, uſquequáque proficiant, Per eumdem.

Pro Rege & ejus Exercitu.

M. P. Suſcipe, Dómine, preces & hóſtias Eccléſiæ tuæ ſupplicántis pro ſalúte fámuli tui Regis noſtri *N.* & Exércitûs illíus: & antíqua brachii tui clementer operáre mirácula: quátenùs proſtrátis pacis inimícis, ab ómnibus tibi ſecúrè ſerviátur; Per.

Præfatio Communis.

Pſal. 79. *Communio.* Fiat manus tua, Dómine, ſuper virum déxteræ tuæ, & ſuper fílium hóminis quem confirmásti tibi. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Postcommuniones.

Pro Rege. Orémus.

S. R. Hæc, Dómine, Hóſtia ſalutáris quam ſuſcépimus, fámulum tuum *N.* Regem noſtrum ab ómnibus tueátur adverſis; quátenùs & eccleſiáſticæ pacis obtíneat tranquillitátem, & poſt hujus témporis decúrſum ad ætérnam pervéniat hæreditátem; Per.

Pro Rege & ejus Exercitu. Orémus.

M. P. Deus, cujus regnum ómnium eſt ſeculórum: hujus recépti virtúte Sacraménti, præténde, quæſumus, fámulo tuo Regi noſtro *N.* & Exercítui ejus, arma cœléſtia; ut pax Eccleſiárum & regni nullâ turbétur tempeſtáte bellórum; Per Dóminum.

Rub. ſeu Fulv. # PRO GRATIIS DEO AGENDIS.

Introitus.

Pſal. 102. Benedic, ánima mea, Dómino, & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus; qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus; qui replet in bonis deſidérium tuum.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia, Allelúia.]

Ibid. *Pſalm.* Bénedic, ánima mea, Dómino; * & ómnia quæ intrà me ſunt, nómini ſancto ejus. Glória. Bénedic.

Dicitur Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, cujus miſericórdiæ non eſt número rus, & bonitátis infinítus eſt theſáurus : piíſſimæ majeſtáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam ſemper cleméntiam exorántes, ut qui peténtibus poſtuláta concédis, eoſdem non déſerens, ad præmia futúra diſpónas ; Per Dóminum.

Léctio líbri Tobíæ.

Cap. 13. IN diébus illis : Apériens Tobías ſénior os ſuum, benedíxit Dóminum, & dixit: Magnus es, Dómine, in æternum, & in ómnia ſéculă regnum tuum ; quóniam tu flagéllas, & ſalvas ; dedúcis ad ínferos, & redúcis ; & non eſt qui effúgiat mânum tuam. Confitémini Dómino, fílii Iſrael, & in conſpéctu géntium lăudáte eum : quóniam ídeò diſpérſit vos inter gentes, quæ ignórant eum, ut vos enarrétis mirabília ejus, & faciátis ſcire eos, quia non eſt álius Deus omnípotens prâter eum. Ipſe caſtigávit nos propter iniquĭtátes noſtras, & ipſe ſalvábit nos propter miſericôrdiam ſuam. Aſpícite ergo quæ fecit nobíſcum, & cum timóre & tremóre confitémini illi ; Regemque ſeculórum exăltăte in opéribus veſtris.

A Trinitate ad Septuageſimam

Pſal. 65. *Graduale.* Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. ℣. Benedíctus Deus, qui non amóvit oratiónem meam & miſericórdiam ſuam à me.

Pſal. 117. Allelúia, allelúia. ℣. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus eſt mihi in ſalútem. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis*, Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſal. 144. *Tractus.* Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus eum, ómnibus invocántibus eum in veritáte. Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet, & ſalvos fáciet eos. Laudatiónem Dómini loquétur os meum : & benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in ſéculum & in ſéculum ſéculi.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Pſal. 117. Allelúia, allelúia. ℣. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus eſt mihi in ſalútem.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Confitémini Dómino quóniam bonus ; quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 17. IN illo témpore ; Dum iret Jeſus in Jĕrúſalem, transíbat per médiam Samarían & Galilæam. Et cùm ingrederétur quoddam caſtéllum, occurrérunt ei decĕm viri leprófi, qui ſtetérunt à longè, & levavérunt vocem, dicĕntes : Jeſu præcéptor, miſerére nŏſtri. Quos ut vidit, dĭxit : Ite, oſténdite vos ſacerdŏtibus. Et factŭm eſt, dum irent, mundáti sŭnt. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundátus eſt, regréſſus eſt cum magna voce măgníficans Deum ; & cécidit in fáciem ante pedes ejus, grátias ăgens. Et hic erat Samaritănus. Reſpónděns autem Jeſus, dĭxit : Nonne decem mundáti ſunt ? & novem ubi ſunt ? Non eſt invéntus qui redíret, & darĕt glóriam Deo, niſi hic alienĭgena. Et ait ĭlli : Surge, vade ; quia fidĕs tŭa te ſalvum fecit.

Pſal. 115. *Offertorium.* Quid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retríbuit mihi ? ſacrificábo hóſtiam laudis, & nomen Dómini invocábo : vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

SECRETA.

M. P. PRo collátis donis ſacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus; ſupplíciter deprecántes, ut quod imméritis contulísti, ad laudem grátiæ tuæ, & nóminis tui glóriam referámus; Per Dóminum.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Is. 63. *COMMUNIO.* Miſeratiónum Dómini recordábor: laudem Dómini ſuper ómnibus quæ réddidit nobis, & ſuper multitúdinem bonórum quæ largítus eſt ſecundùm indulgéntiam ſuam. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. DEus, cujus cleméntia non ſolùm benefícia præſtat imméritis; ſed affectum quoque nobis, quo grátias referámus, inſpírat: da nobis hujus participatióne myſtérii, ut pietátis tuæ repléti munéribus, laudes, quas numquam ſufficiénter exólvimus, numquam réddere deſinámus; Per Dóminum.

Alb. IN NUPTIIS.

Quo ritu hæc Miſſa ſit celebranda, vide ſuprà in Rubricis generalibus, Cap. iv.

INTROITUS.

Tob. 7. DEus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob vobiſcum ſit; & ipſe conjungat vos, impleatque benedictiónem ſuam in vobis. [*Tempore Paſch.* Allelúia, allelúia.] Pſal. 127. *PSALM.* Beáti omnes qui timent Dóminum; * qui ámbulant in viis ejus. Glória. Deus Abraham.

Dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

S. R. EXaudi nos, omnípotens & miſéricors Deus; ut quod noſtro miniſtrátur offício, tuâ benedictióne impleátur; Per.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Ephéſios.

Cap. 5. FRatres; Mulíeres viris ſuis ſúbditæ ſint, ſicut Dómino; quóniam vir caput eſt mulíeris, ſicut Chriſtus capŭt eſt Eccléſiæ, ipſe ſalvátor côrporis ejus. Sed ſicut Eccléſia sŭbjecta eſt Chriſto, ita & mulíeres viris ſûis in ómnibus. Viri, dilígite uxóres veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccléſiam, & ſeipſum trádidit pro ea, ut illam ſanctificáret, mundans lavácro aquæ ĭn verbo vitæ; ut exhibéret ipſe ſibi glorióſam Eccléſiam, non habentem máculam aut rugam, aut áliquid hujúſmodi, ſed ut ſit ſancta & immâculáta. Ita & viri debent dilígere ŭxóres ſuas, ut côrpora ſua. Qui ſuam ŭxórem díligit, ſeîpſum díligit. Nemo enim unquam carnem ſuam ódio hábuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut ĕt Chriſtus Eccléſiam; quia membra ſumus córporis ejus, de carne ejus & de ôſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærébit ŭxóri ſuæ: & erunt duo in cârne una. Sacramentum hŏc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & în Eccléſia. Verúmtamen & vos ſínguli, unuſquiſque uxórem ſuam ſicut sĕipſum díligat; uxŏr ăutem tímeat virum ſuum.

A Trinitate ad Septuageſimam

GRADUALE. Fílii ſanctórum ſumus: non póſſumus ita conjungi ſicut gentes, quæ ignórant Deum. ℣. Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus. Tob. 8. Hebr. 13.

Allelúia, allelúia. ℣. Sacramentum hoc magnum eſt, in Chriſto & in Eccléſia. Allelúia. Eph. 5.

Poſt Septuageſimam, omiſſis Allelúia *&* ℣. *Graduali additur*

TRACTUS. Beáti omnes qui timent Dóminum; qui ámbulant in viis ejus. Labóres mánuum tuárum Pſal. 127.

quia manducábis, beátus es & benè tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans, in latéribus domûs tuæ. Fílii tui sicut novellæ olivárum, in circúitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicétur homo, qui timet Dóminum.

Tempore Paschali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Eph. 5. Allelúia, allelúia. ℣. Sacramentum hoc magnum est, in Christo & in Ecclésia.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Viri, dilígite uxóres vestras, sicut & Christus dilexit Ecclésiam, & seipsum trádidit pro ea, ut illam sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ. Allel.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 19. IN illo témpore; Accessérunt ad Jesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam, quacumque ex causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hóminem ab inítio, másculum & féminam fecit eos, Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærébit uxóri suæ; & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non séparet.

Tob. 8. *Offertorium.* Benedixérunt Dóminum Ráguel & Anna, & dixérunt: Feci*s*ti, Dómine, nobiscum misericórdiam tuam; misertus es duóbus únicis: fac eos pléniùs benedícere te, & sacrifícium tibi laudis tuæ & suæ sanitátis offerre; ut cognoscat univérsitas géntium, quia tu es Deus solus in universa terra.

[*Tempore Paschali*, Allelúia.]

Secreta.

M. A. SUscipe, quæsumus, Dómine, pro sacra connúbii lege munus oblátum: & qui largítor es múneris, óperis esto dispósitor; Per Dóminum.

Præfatio de Nuptiis, quæ non dicitur si Missa celebretur de die, tunc enim dicitur diei conveniens.

BENEDICTIO CONJUGUM.

(*Omittitur in Matrimonio Viduæ ac Mulieris quæ extra matrimonium liberos susceperit.*) *Dicto* Líbera nos, *repositâque particulâ Hostiæ super Patenam, antequàm Sacerdos dicat* Pax Dómini; *Sponsus & Sponsa, flexis genibus ante Altare, cooperiuntur velamine albo, & Sacerdos à medio Altaris paulùm recedens, versâ facie, extensâque manu dextrâ super eos, dicit mediocri voce sequentem Orationem, sine* Dóminus vobiscum, *ministro librum tenente.*

Collecta. Orémus.

S. R. PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris: & institútis tuis, quibus propagatiónem humáni géneris ordinasti, benignus assiste; ut quod te auctóre júngitur, te auxiliante servétur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus,

Altiori voce prosequitur,

Per ómnia sécula seculórum,

℟. Amen.

Dóminus vobiscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Sursùm corda.

℟. Habémus ad Dóminum.

Grátias agámus Dómino Deo nostro:

℟. Dignum & justum est.

VErè dignum & justum est, æquum & salutáre, nos tibi semper & ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, æterne Deus; qui potestáte virtútis tuæ de níhilo cuncta feci*s*ti; qui dispósitis universitátis exórdiis, hómini ad imáginem tuam facto, ídeò insepará*b*ile mulíeris adjutórium condidi*s*ti, ut fe-

míneo córpori de viríli dares carne princípium ; docens quod ex uno placuiſſet inſtítui , numquam licére disjungi. Deus , qui tam excellenti myſtério , conjugálem cópulam conſecraſti , ut Chriſti & Eccléſiæ ſacramentum præſignáres in fœdere nuptiárum : Deus , per quem múlier júngitur viro ; & ſocíetas principáliter ordináta eâ benedictióne donátur , quæ ſola nec per originális peccáti pœnam , nec per diluvii eſt abláta ſenténtiam : Deus , in cujus ſolíus manu eſt cordis poteſtas ; quique tuâ providentiâ cuncta ſcis & regis ; quo jungente nemo diſſolvet , quo benedicente nemo infortunábit : horum , quæſumus , tuórum Cónjugum junge mentes , ſincérum affectum illórum córdibus ingerendo ; ut ſicut tu unus , verus , & ſolus es omnípotens , ita & illi in te unum ſint. *Si adſint plures ſponſæ benedicendæ , quæ ſequuntur , dicuntur in plurali.* Réſpice propítius ſuper hanc Fámulam tuam , quæ maritáli jungenda conſórtio tuâ ſe éxpetit protectióne muníri. Sit in ea jugum dilectiónis & pacis : fidélis & caſta nubat in Chriſto , imitatrixque ſanctárum permáneat feminárum. Sit amábilis viro ſuo , ut Rachel ; ſápiens , ut Rebecca ; longæva & fidélis , ut Sara. Nihil in ea ex áctibus ſuis ille auctor prævaricatiónis uſurpet : nexa fídei mandatiſque permáneat : uni thoro juncta , contactus illícitos fúgiat : múniat infirmitátem ſuam róbore diſciplínæ. Sit verecúndiâ gravis , pudóre venerábilis , doctrínis cœléſtibus erudíta : ſit fœcunda in ſóbole : ſit probáta & ínnocens , & ad beatórum réquiem , atque ad cœléſtia regna pervéniat. Et vídeant ambo fílios filiórum ſuórum uſque in tértiam & quartam progéniem , & ad optátam pervéniant ſenectútem ; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum , qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus , Per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Sacerdos aſpergit Sponſum & Sponſam aquâ benedictâ ; & velamen amovetur. Vertit ſe Sacerdos ad Altare ; & accipiens minimam particulam Hoſtiæ , cum ipſa ſignat ter ſuper Calicem , de more , dicens : Pax Dómini ſit ſemper vobiſcum.

Finitâ Oratione , Dómine Jeſu Chriſte , qui dixiſti , *&c. Sacerdos , porrigente miniſtro , oſculatur tabellam pacis , dicens :* Pax tibi , frater , & Eccléſiæ ſanctæ Dei. *Deinde miniſter eam Sponſo & Sponſæ defert ad oſculandum , dicens :* Pax tibi.

Communio. Beáti , qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti ſunt. [*Extra Septuag. additur* Allelúia.] Apoc. 19.

Postcommunio. Orémus.

QUæſumus , omnípotens Deus , hujus virtúte Sacrifícii , inſtitúta providéntiæ tuæ pio favóre comitáre ; ut , quos legítimâ ſocietáte connectis , longævâ pace cuſtódias ; Per. S. R.

Poſtquàm miniſter reſpondit ad Ite , Miſſa eſt , *Sacerdos converſus ad Sponſum & Sponſam , ſtatim dicit junctis manibus :*

DEus Abraham , Deus Iſaac , & Deus Jacob ſit vobiſcum ; & ipſe adímpleat benedictiónem ſuam in vobis ; ut videátis fílios filiórum veſtrórum uſque ad tértiam & quartam generatiónem , & póſteà vitam æternam habeátis , adjuvante Dómino noſtro Jeſu Chriſto , qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat Deus , per ómnia ſécula ſeculórum. M. P.

℟. Amen.

(*Si Sponſa ſuſcepit prolem ex eo cui nubit , proles legitima declarabitur per impoſitionem veli ſuper Conjuges & Li-*

beros genuflexos ; ad quos Sacerdos converſus , junctis manibus , dicet Orationem ſequentem.

Oratio. Orémus.

M. P. DEus , qui peccatóribus ad te recurréntibus perennes tuæ miſericórdiæ fontes áperis ; conceptum ánimo præſentium Cónjugum dolórem propítius réſpice : & quem ſuo delicto contraxérunt , ac in Prolem derivárunt , pœnæ reátum ita dílue ; ut quæ per baptiſmum in ſpem cœleſtis & æternæ hæreditátis regenerata eſt, ad terrénam & temporálem hæreditátem Parentum adeundam, per hoc miniſtérium noſtrum idónea reddátur, & legítima palàm declarétur ; Per Dóminum.

Si tamen inde Paſtor exoriturum ſcandalum judicaverit , poterit pro ſua prudentia eum ritum adhibere in loco ſecreto & extra Miſſarum ſolemnia.

Fiet autem mentio in regiſtro de hoc legitimationis ritu , quocumque modo factus fuerit.)

Dicto Pláceat tibi , ſancta Trínitas , *datur Benedictio de more.*

Alb. POST MULIERIS PARTUM
Pro Gratiarum Actione.

[*Si infans obierit , dicetur Miſſa integra , ut ſuprà pro gratiarum actione , cum Orationibus tamen ex Miſſa in exequiis parvulorum , quando infans ſuſcepto baptiſmate obiit.*]

Introitus.

Pſal. 102 BEnedic, ánima mea, Dómino; & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus: qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus , qui replet in bonis deſidérium tuum. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.]

Ibid. *Psalm.* Bénedic, ánima mea Dómino ; * & ómnia , quæ intrà me ſunt , nómini ſancto ejus. Glória. Bénedic.

Dicitur Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui mulíeris pariéntis triſtítiam in gáudium verti concédis, cùm homo natus eſt in mundum: ſúſcipe gratiárum actiónes & preces Eccléſiæ tuæ ; ut quæ infantis ac paréntis ejus mater eſt , de utriúſque in bono ſtabilitáte lætétur ; Per.

Léctio lîbri Regum.

1. Reg. 1. FActum eſt poſt círculum diérum ; concépit Anna , ĕt péperit fílium , vocávitque nomen ejus Sámuel , eò quòd à Dómino poſtulâſſet eum : Aſcendit autem vir ejus Elcana , & omnĭs domus ejus , ut immoláret Dómino hóſtiam ſolémnem , & vôtum ſuum. Et Annă non aſcéndit ; dixit enim vîro ſuo : Non vadam , donec ablactétur infans , & ducam eum , ut appáreat antè cŏnſpéctum Dómini , & máneat îbi júgiter. Et ait ei Elcana vir ſuus : Fac quod bonum tibi vidétur , & mane donec ăblactes eum ; precorque ut ímpleat Dóminus vêrbum ſuum. Manſit ergo múlier , & lactávĭt fílium ſuum , donec amovéret êum à lacte. Et addúxit eum ſecum , poſtquàm ablactáverat , in vítulis tribus , & tribus módiis farínæ , ĕt ámphora vini ; & addúxit eum ad domum Dómini în Silo. Puer autem erăt adhuc infántulus : & immolavérunt vítulum , & obtulérunt pûerum Heli. Et âit Anna : Obſecro , mi dómine , vivit ánĭmă tua , dómine ; ego ſum illa múlier , quæ ſteti coram te hìc ôrans Dóminum. Pro pŭĕrŏ iſto orávi, & dedit mihi Dóminus petitiónem meam , quam poſtulâvi eum. Idcircò & ego commodávĭ eum Dómino , cunctis diébus quibus fúerit commodâtus Dómino. Et adoravérunt îbi Dóminum. Et orávit Aˆnna , & ait : Exultávit cor meum in Dómino , & exaltátum eſt cornu meum ĭn Deo meo ; quia lætátă sŭm in ſalutári tuo.

A Trinitate ad Septuageſimam

Pſal. 65. GRADUALE. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. ℣. Benedíctus Deus, qui non amóvit oratiónem Ibid. meam, & miſericórdiam ſuam à me.

Pſal. 117. Allelúia, allelúia. ℣. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus eſt mihi in ſalútem. Allelúia.

Poſt Septuageſimam (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſal. 127. TRACTUS. Beáti omnes qui timent Dóminum; qui ámbulant in viis ejus. Labóres mánuum tuárum quia manducábis: beátus es: & benè tibi erit. Uxor tua ſicut vitis abúndans, in latéribus domûs tuæ. Fílii tui ſicut novellæ olivárum, in circúitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicétur homo, qui timet Dóminum.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Pſal. 117. Allelúia, allelúia ℣. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus: & factus eſt mihi in ſalútem.

Ibid. Allelúia, allelúia. ℣. Confitémini Dómino quóniam bonus; quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 2. IN illo témpore; Poſtquàm impléti ſunt dies purgatiónis Maríæ ſecundùm legem Móyſi, tulérunt Jeſum in Jerúſalem, ut ſíſterent eum Dómino, ſicut ſcriptum eſt in lege Dómini: Quia omne maſculínum adapériens vulvam, ſanctŭm Dómino vocábitur: & ut darent hóſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Dómini, par túrturum, aut duos pullos columbărum. Et ecce homo erat in Jerúſalem, cui nomen Símeon; & homo iſte juſtus, & timorátus, expéctans conſolatiónĕm Iſrael: & Spíritus ſanctus erat in ĕo. Et reſpónſum accéperat ă Spíritu ſancto, non viſúrum ſe mortem, niſi priùs vidéret Chriſtum Dŏmini. Et venit in ſpíritu in Tĕmplum. Et cùm indúcerent púerum Jeſum paréntes ejus, ut fácerent ſécundùm conſuetúdĭnĕm legis pro eo; & ipſe accépit eum in ulnas ſuas, & benedíxit Deum, & dĭxit: Nunc dimíttis ſervum tuum, Dómine, ſecúndùm verbŭm tuum in pace; quia vidérunt óculi mei ſalutáre tuum, quod paráſti ante fáciem ómnium populórum, lumen ad revelatióněm gĕntium, & glóriam plebis tuæ Iſrael.

OFFERTORIUM. Quid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Sacrificábo hóſtiam laudis, & nomen Dómini invocábo: vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus. Pſal. 115.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

SECRETA.

OBlatiónis illíus mérito, in qua, implétis diébus purgatiónis Maríæ, tulérunt púerum Jeſum, ut ſíſterent eum tibi in templo: ſúſcipe, Dómine, de ſinu matris, & præveni in benedictiónibus dulcédinis infantem, ac matrem ejus ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs emunda; Per eumd. M. P.

PRÆFATIO de NUPTIIS.

COMMUNIO. Miſeratiónum Dómini recordábor: laudem Dómini ſuper ómnibus quæ réddidit nobis, & ſuper multitúdinem bonórum, quæ largítus eſt ſecundùm indulgéntiam ſuam. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.] Iſ. 63.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

EUm geſtántes in nobis, qui eſt lux vera, & illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum, te, Deus omnípotens, deprecámur, ut quotquot recepérunt illum nati de Spíritu, ſéminent ſemper in Spíritu, & de Spíritu metant vitam æternam; Per eumdem .... in unitáte ejuſdem. M. P.

Viol. seu cærul.

PRO ITER AGENTIBUS.

Introitus.

Pſal. 67. BEnedíctus Dóminus die quotidie : próſperum iter fáciet nobis Deus ſalutárium noſtrórum. [*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.]

Ibid. *Psalm.* Exúrgat Deus, & diſſipentur inimíci ejus ; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. Glória. Benedíctus.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus infinítæ miſericórdiæ, & majeſtátis immenſæ, quem nec ſpátia locórum, nec intervalla témporum ab his quos tuéris abjúngunt : adeſto ſupplicatiónibus noſtris, & viam famulórum tuórum in ſalútis tuæ proſperitáte diſpóne ; ut, inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes, tuo ſemper protegantur auxílio ; Per.

Léctio líbri Géneſis.

Cap. 28. IN diébus illis ; Surgens Jacob mane, tulit lápidem quem ſuppoſúĕrăt cápiti ſuo, & erréxit in títulum, fundens ôleum déſuper. Appellávitque nomĕn urbis Bethel, quæ priùs Luza vôcabátur. Vovit étiam vôtum dicens : Si fúerit Deus mecum, & cuſtodíerit me in via per quam ego ámbulo, & déderit mihi panem ad veſcéndum, & veſtiméntum ad induéndum, reverſuſque fúero próſperè ad domŭm patris mei : erit mihi Dóminus in Deum ; & lapis iſte, quem erexi in títulum, vocábitur Domus Dei ; cunctórumque quæ dédĕris mihi, décimas ófferam tibi.

A Trinitate ad Septuageſimam

Pſal. 36. *Graduale.* Apud Dóminum greſſus hóminis dirigéntur ; & viam ejus volet. ℣. Cùm cecíderit, non collidétur ; quia Dóminus ſuppónit manum ſuam.

Pſal. 90. Allelúia, allelúia. ℣. Angelis ſuis mandávit de te, ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis : in mánibus portábunt te, ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

Pſal. 90. *Tractus.* Qui hábitat in adjutório Altíſſimi, in protectióne Dei cœli commorábitur. Scápulis ſuis obumbrábit tibi ; & ſub pennis ejus ſperábis. Scuto circúmdabit te véritas ejus ; non timébis à timóre nocturno.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Pſal. 90. Allelúia, allelúia. ℣. Angelis ſuis mandávit de te, ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis : in mánibus portábunt te, ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum.

Luc. 24. Allelúia, allelúia. ℣. Duo ex diſcípulis Jeſu ibant in caſtéllum Emmaus : & ipſe Jeſus appropínquans ibat cum illis. Allelúia.

Evangelium, Duo ex diſcípulis Jeſu ; *Feria II. in Albis, ſive intrà Octavam Paſchæ.*

Tob. 5. *Offertorium.* Benè ambulétis ; & ſit Deus in itínere veſtro, & Angelus ejus comitétur vobiſcum. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Secreta.

S. R. PRopitiáre, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, & has oblatiónes, quas tibi offérimus pro fámulis tuis, benígnus aſſúme ; ut eos grátiâ tuâ in via dirígere, & comitári dignéris ; Per.

Præfatio Communis.

3. Reg. 19. *Communio.* Reſpéxit Elías ; & ecce ſubcinerícius panis, & vas aquæ : comédit ergo & bibit, & ambulávit in fortitúdine cibi illíus, uſque ad montem Dei. [*Tempore Paſchali*, Allel.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. SUmpta, Dómine, ſacrifícia fámulos tuos in te ſperántes cuſtódiant, & ab ómnibus itínerum perículis tueantur ; Per Dóminum.

Viol.

PRO SERENDIS AGRIS.

Introitus.

Psal. 64. BEnedíces, corónæ anni benignitátis tuæ, Dómine, & campi tui replebúntur ubertáte: Pinguéſcent ſpecióſa deſérti, & exultatióne colles accingéntur, & valles abundábunt frumento. *Psalm.* Te decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddetur votum in Jerúſalem. Glória. Benedíces.

Collecta. Orémus.

DEus, quo adjuvante, grana terræ mandámus, tuâ virtúte multiplicánda, ſuper ſemen quod ſeminánti adminiſtras, largam infunde benedictiónem; ut quæ noſtris deſunt labóribus, per te, qui plantátis das ſolus increméntum, abúndè ſuppleántur; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

1. Cor. 15. FRatres: Dicet áliquis: Quómodo reſúrgunt mórtui? qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod ſéminas non vivificátur, niſi priùs môriatur. Et quod ſéminas, non corpus quod futúrum ĕſt ſéminas; ſed nudum granum ut putà trítici, aut alicújus cêterórum. Deus autem dat illi corpŭs ſicut vult; & unicuíque ſéminum prôprium corpus. Non omnis carŏ éadem caro; ſed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália aûtem píſcium. Et córpora cœléſtia, ĕt córpora terréſtria; ſed ália quidem cœléſtium glória, ália aûtem terréſtrium. Alia cláritas ſolis, ália cláritas lunæ & áliă cláritas ſtellárum; ſtella enim à ſtella differt in clâritate. Sic & reſurréctio môrtuórum. Seminátur in cŏrruptióne, ſurget in incorrûptióne. Seminátur in ignóbilitáte, ſûrget in glória. Seminátur in ĭnfirmitáte, ſurget în virtúte. Seminátur corpŭs animále, ſurgĕt cŏrpus ſpiritále.

Graduale. Qui adminíſtrat ſemen ſemináti; & panem ad manducándum præſtábit: ℣. Multiplicábit ſemen veſtrum, & augébit increménta frugum juſtítiæ veſtræ. 2. Cor. 9.

Allelúia, allelúia. ℣. Neque qui plantat eſt áliquid, neque qui rigat: ſed, qui increméntum dat, Deus. Allelúia. 1. Cor. 3.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

IN illo témpore: Dixit Jeſus ad tŭrbas: Exiit ſéminans ad ſeminándum, & dum ſéminat áliud cécidit circa viam & venérunt vólucres cœli & comĕdérunt illud: áliud vero cécidit ſuper petróſa ubi non hábuit terram multam, & ſtatim exortum eſt, quóniam non habébat altĭtúdinem terræ, & quando exórtus eſt ſol exæſtuávit, & eo quod non habébat radícem exăruit. Et áliud cécidĭt in ſpinas & aſcendérunt ſpinæ & ſuffocavérunt illud & fructum non dĕdit. Et áliud cécidĭt in terram bonam, & dabat fructum aſcendéntem, & creſcéntem & afferébat unum triginta, unum ſexăginta & unum centum. Cap. 4.

Offertorium. Qui ſéminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam æternam: Ergo dum tempus habémus, operémur bonum. Gal. 6.

Secreta.

NOſtris, Dómine, adéſto munéribus, ut qui de granis fruménti offérimus tibi panem in corpus fílii tui tranſmutándum; ſémini terræ committendo, per te conceſſâ benedictióne, gratulémur; Per eumdem Dóminum noſtrum.

Præfatio Communis.

Communio.

2. Cor. 9. *COMMUNIO.* Qui ſéminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. QUi tuis nos, Dómine, reficis ſacramentis, mánuum noſtrárum adeſto labóribus; ut qui in te vívimus, movémur, & ſumus: terræ ſemínibus conceſſa benedictióne, per te, & propter te, de ſegétibus multiplicátis nutriámur; Per Dóminum.

Viol. PRO FRUCTIBUS TERRÆ.

In Miſſa ſequenti, cum Terræ Fruges periclitantur, nullum dicitur Allelúia, *nec* Glória in excelſis; *& omiſſis* Allelúia *& Verſu, Graduali additur Tractus*, Occuli ómnium, *ut infrà.*

INTROITUS.

Pſal. 103. OMnia à te expectant, Dómine, ut des illis eſcam in témpore: dante te illis, cólligent: aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte: avertente autem te fáciem, turbabuntur.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia.]

PSALM. Bénedic ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer. Glória. Omnia.

Dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

M. P. EFfúnde quæſumus, Dómine, Deus noſter benedictiónem tuam ſuper pópulum tuum; ut, & dante te benignitátem, terra noſtra det fructus ſuos, & his collectis ad laudem & honórem ſancti tui nóminis utámur; Per Dóminum.

Léctio libri Deutêronómii.

Cap. 11. DIxit Móyſes fíliis Iſrael: Si obediéritis mandátis meis, quæ ego hódie præcípio vobis, ut diligátis Dóminum Deum veſtrum, & ſerviátis ei in toto corde veſtro, & in totâ ánima veſtra; dabit plúviam terræ veſtræ temporáneam & ſerótinam, ut colligátis frumentum, & vinum, & óleum, fœnumque ex agris ad paſcenda jumenta; & ut ipſi comedátis ac sâturémini. Cavéte, ne fortè decipiátur cor veſtrum, & recedátis à Dómino, ſerviatiſque diis aliénis, & adórétis eos; iratuſque Dóminus claudat cœlum, & plúviæ non deſcendant, nec terra det germen ſuum, pereatiſque velóciter de terra óptima, quam Dóminus datûrus eſt vobis. Pónite hæc verba mea in córdibus & ĭn ánimis veſtris, & ſuſpéndite ea pro ſigno in mánibus, & inter óculos veſtros côllocáte. Docéte fílios veſtros, ut illă meditentur, quando ſéderis in domo tua, & ambuláveris in via, & accŭbŭeris, atque ſurréxeris.

A Trinitate ad Septuageſimam

GRADUALE. Edúcas Dómine, panem de terrâ & vinum lætíficet cor hóminis. ℣. Ut exhiláret fáciem in óleo, & panis cor hóminis confirmet. Pſal. 103.

Allelúia, allelúia. ℣. Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus: labóres mánuum tuárum quia manducábis. Allelúia. Pſal. 127.

Poſt Septuageſimam, (*omiſſis* Allelúia & ℣.) *Graduali additur*

TRACTUS. Oculi ómnium in te ſperant Dómine; & tu das eſcam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. Juſtus Dóminus in ómnibus viis ſuis, & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis. Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus eum, ómnibus invocántibus eum in veritáte. Pſal. 144.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Allelúia, allelúia. ℣. Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus: labóres mánuum tuárum quia manducábis. Pſal. 127.

Dan. 3. Allelúia, allelúia. ℣. Benedícite, montes & colles, Dómino: benedícite, univérſa germinántia in terra, Dómino. Allelúia.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 7. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Pétite, & dábitur vobis: quærite, & ínveniétis: pulſáte, & aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, áccipit: & qui quærit, ínvenit: & pulſanti aperiétur. Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petíerit fílius ſuus panem, numquid lápidem pórriget ei? Aut ſi piſcem petíerit, numquid ſerpéntem pórriget ei? Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare fíliis veſtris; quantò magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona peténtibus ſe.

Joel. 2. *Offertorium.* Dóminus deſcéndere fáciet ad vos imbrem matutínum & ſerótinum; & implebúntur áreæ fruménto, & redundábunt torculária vino & óleo.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Secreta.

M. P. VOta pópuli tui, Dómine, propítius réſpice; ut per hæc dona, quæ tibi de frúctibus terræ offérimus, frúctuum nobis ubertátem ſulúbriter largiáris; Per Dóminum.

Præfatio Communis.

Pſal. 84. *Communio.* Dóminus dabit benignitátem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

Postcommunio. Orémus.

M. P. LArgíre fidélibus tuis, quæſumus, omnípotens Deus, per hæc Sacraménta quæ ſúmpſimus, cóngruam terræ frúctuum ubertátem; quibus temporáliter enutríti, ad æterna bona capeſſénda ſpirituálibus increméntis proficiant; Per Dóminum.

POST COLLECTOS Terræ Fructus.

Alb.

Introitus.

Pſal. 144. OCuli ómnium in te ſperant, Dómine; & tu das eſcam illórum in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne.

Ibid. *Psalm.* Exaltábo te, Deus meus Rex; * & benedícam nómini tuo in ſéculum, & in ſéculum ſéculi. Glória. Oculi.

Dicitur Glória in excelſis.

Collecta. Orémus.

DEus, qui miſericórdiæ tuæ ſuper nos dona diffúndis: tríbue nobis, quæſumus, ſic temporálibus uti ſubsídiis, ut ad pátriam redíre properántibus, ſolátia ſint itíneris, non illécebræ manſiónis; Per Dóminum.

Léctio libri Deutêronómii.

Cap. 16. DIxit Móyſes fíliis Iſrael: Solemnitátem tabernaculórum celebrábis per ſeptem dies, quando collégeris de área & torculári fruges tuas; & epuláberis in feſtivitáte tua, tu, fílius tuus & fília, ſervus tuus & ancílla, Levítes quoque & ádvena, pupillus ac vídua, qui intra portas tûas ſunt. Septem diébus Dómino Deo tuo feſta celebrábis, in loco quem élégerit Dóminus: benedícetque tibi Dóminus Deus tuus in cunctis frúgibus tuis, & in omni ópere mánuum tuárum; eriſque in lætítia.

Pſal. 66. *Graduale.* Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: terra dedit fructum ſuum. ℣. Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus.

Pſal. 103. Allelúia, allelúia.. ℣. Quàm magnificáta ſunt ópera tua Dómine! ómnia in ſapiéntia feciſti: impléta eſt terra poſſeſſióne tuâ. Allelúia.

Seqúentia ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jeſus ad diſcípulos ſuos: Vidéte & cavéte ab omni avarítia; quia non in abundántia cujúſquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet. Dixit autem ſimilitúdinem ad illos, dicens: Hóminis cujuſdam dívitis úberes fructus ager áttulit; & cogitábat intra ſe dicens: Quid fáciam, quia non hábeo quò cóngregem fructus meos? Et dixit: Hoc fáciam; déſtruam hórrea mea, & majóra fáciam; & illuc congregábo ómnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea; & dicam ánimæ meæ: Anima: habes multa bona póſita in annos plúrimos: requiéſce, cómede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte ánimam tuam répetunt à te; quæ autem paráſti, cujus erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.

1. Paral. 29. *OFFERTORIUM.* Deus noſter, confitémur tibi, & laudámus nomen tuum íncly tum: tua ſunt ómnia; & quæ de manu tua accépimus, dédimus tibi.

SECRETA.

S. R. SAnctífica, Dómine, múnera quæ tibi de tua terra fructificánte, cum gratiárum actióne deférimus; & qui nobis terrenárum frugum tríbuis ubertátem, fac mentes noſtras cœleſti fertilitáte fœcúndas; Per.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Joel. 2. *COMMUNIO.* Comedétis veſcéntes, & ſaturabímini: & laudábitis nomen Dómini Dei veſtri, qui fecit mirabília vobíſcum; & ſciétis quia in médio Iſrael ego ſum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DA, quæſumus, Dómine, ut de percéptis terræ frúctibus hoc ſalutári myſtério grátias exhibéntes, eódem operánte in nobis, bona potióra cónſequi mereámur; Per.

In Miſſis ſequentibus, nullum dicitur Allelúia, *nec* Glória in excelſis, *quocumque tempore, niſi aliter notetur; ſed ritus ſervatur quadrageſimalis.*

Non dicitur etiam Credo, *niſi indictæ à D. D. Epiſcopo pro re gravi, ritu ſolemni celebrentur.*

TEMPORE SCHISMATIS.

Viol. *INTROITUS.*

Pſal. 121. ROgáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem; Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas, cujus participátio

Ibid. ejus in idípſum. *PSALM.* Lætátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus. Glória. Rogáte.

COLLECTA. Orémus.

M. P. FAc, quæſumus, Dómine, Deus pacis & dilectiónis, ut non ſint in nobis ſchíſmata; ſed, perfécti in eódem ſenſu & in eádem ſenténtia, idípſum ſapiámus omnes ſecundùm Jeſum Chriſtum; & unánimes, uno ore honorificémus te Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti; Qui tecum.

Léctio Epíſtolæ beati Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Cap. 4. FRatres; Obſecro vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne qua vocáti eſtis; cum omni humilitáte & manſuetúdine, cum patiéntia, ſupportántes ínvicem in caritáte, ſollíciti ſervare unitátem ſpíritus in vínculo pacis. Unum corpus et unus ſpíritus, ſicut vocáti eſtis in una ſpe vocatiónis veſtræ. Unus Dóminus, una fides, únum baptíſma. Unus Deus & Pater ómnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia & in ómnibus nobis.

Pſal. 121. *GRADUALE.* Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis. ℣. Propter fratres meos & próximos meos, loquébar pacem de te.

Quocumque tempore, Graduali additur

Pſal. 101. *TRACTUS.* Dómine, exáudi oratiónem meam; & clamor meus ad te véniat. Ne avértas fáciem tuam à me: in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam. In quacumque die invocávero te, velóciter exaudi me.

Tractus hic communis eſt huic Miſſæ & pluribus ſequentibus.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 17. IN illo témpore; Sublevátis Jeſus óculis in cœlum, dixit: Pater ſancte, ſerva eos in nómine tuo quos dédiſti mihi; ut ſint unum, ſicut & nos. Cum eſſem cum eis, ego ſervábam eos in nómine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodívi; & nemo ex iis périit, niſi fílius perditiónis, ut Scriptúra impleátur. Nunc autem ad te vénio: & hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermónem tuum, & mundus eos ódio hábuit; quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à málo. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctífica eos in veritáte. Sermo tuus véritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum; & pro eis ego ſanctífico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificáti in veritáte. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui creditúri ſunt per verbum eórum in me; ut omnes unum ſint, ſicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint; ut credat mundus quia tu me miſiſti. Et ego claritátem, quam dediſti mihi, dedi eis; ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me; ut ſint conſúmmáti in unum, & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti.

Joſue. 22. *OFFERTORIUM.* Abſit à nobis hoc ſcelus, ut recedámus à Dómino, & ejus veſtígia relinquámus, extructo altári præter altáre Dómini Dei noſtri.

SECRETA.

M. P. DEus, qui ídeò ſinis hæreſes eſſe, ut & qui probáti ſunt, manifeſti fiant: hóſtiam tibi pacis offerentes, da cum iis, qui odérunt pacem, eſſe pacíficos; & poſt ſchíſmatis tempeſtátem, fac tranquillum unitátis; Per Dóminum.

PRÆFATIO COMMUNIS.

I. Cor. 10. *COMMUNIO.* Unus panis & unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participámus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. HÆc, Dómine, ſancta commúnio, ſicut fidélium in te unión nem præſignat, ſic in tua Eccléſia unitátis operétur effectum; Per Dóminum.

AD POSTULANDUM Dei auxilium contra Infideles Chriſtianum nomen bello inſectantes. Viol.

INTROITUS.

Pſal. 67. EXurgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; & fúgiant, qui odérunt eum: à fácie ejus.

Ibid. *PSALM.* Sicut déficit fumus, defíciant; * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei. Glória. Exurgat.

COLLECTA. Orémus.

M A. OMnípotens ſempiterne Deus, in cujus manu ſunt ómnium poteſtátes, & ómnium jura regnórum: réſpice in auxílium Chriſtianórum; ut gentes, quæ in ſua feritáte confídunt, déxteræ tuæ poténtiâ comprimántur; Per Dóminum.

Léctio

Léctio lîbri Judith.

Cap. 9. IN diébus illis : Clamábat Judith ad Dôminum, dicens : Dómine Deus, réſpice caſtra Aſſyriórum nunc, ſicut tunc caſtra Ægyptiórum vidére dignátus es, quando poſt ſervos tuos armáti currébant, confidéntes in quadrígis, & in equitátu ſuo, & in multitúdine bêllatórum. Sed aſpexísti ſupĕr caſtra eórum, & ténebræ fatigavêrunt eos. Ténuit pedes eórum abyſſus, & aquæ operuêrunt eos. Sic fiant & iſti, Dómine, qui confídunt in multitúdine ſua, & in cúrribus ſuis, & in contis, & in ſcutis, & in ſagittis ſuis, & in láncĕis gloriántur ; & néſciunt quia tu ipſe es Deus noſter, qui cónteris bella ab inítio, & Dóminus nômen eſt tibi. Erige brachium tuum ſicŭt ab inítio, & allíde virtútem illórum in virtûte tua. Cadat virtus eórum in irăcúndia tua, qui promittunt ſe violáre ſancta tua, & pollúere tabernáculum nóminis tui, & dejícere gládĭŏ sŭo cornu altáris tui.

1. Mac. 4. *GRADUALE.* Nunc clamémus in cœlum ; & miſerébitur noſtrî Dóminus, & memor erit teſtaménti patrum noſtrórum, & cónteret exércitum iſtum ante fáciem noſtram ℣. Et ſcient omnes gentes, quia eſt qui rédimat & líberet Iſrael.

Quocumque tempore, Graduali additur TRACTUS Dómine, exáudi, *ut in Miſſa præcedenti.*

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 8. IN illo témpore ; Jeſus aſcendit in navículam, & dĭſcípuli ejus, & ait ad ĭllos : Transfretémus trans ſtăgnum. Et aſcendĕrunt. Et navigántibus illis, obdormívit, & deſcéndit procellă venti in ſtagnum, & complebántur, & periclitabăntur. Accedentes autem ſuſcitávérunt eum, dicéntes : Præceptor, perĭmus. At ille ſurgens increpávit ventum & tempĕſtátem aquæ ; & ceſſávit : & facta eſt tranquĭllitas. Dixit autem ĭllis : Ubi eſt fides veſtra ? Qui timentes miráti ſunt ad ínvicem dicĕntes : Quis putas hic eſt, quia & ventis & marĭ imperat, & obédiunt ei ?

Pſal. 17. *OFFERTORIUM.* Pópulum húmilem ſalvum fácies, & óculos ſuperbórum humiliábis : quóniam quis Deus præter te, Dómine ?

SECRETA.

S. R. PRopitiáre, Dómine, précibus & hóſtiis famulórum tuórum, & Chriſtiáni nóminis inimícos tuæ cómprime virtúte majeſtátis ; ut in pópulo tuo fídei integritátem tranquíllitas témporum ſemper tueátur ; Per.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Pſal. 118. *COMMUNIO.* In ſalutáre tuum defécit ánima mea, & in verbum tuum ſperávi : quando fácies de perſequéntibus me judícium ; iníqui perſecúti ſunt me : adjuva me, Dómine Deus meus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. FIdélem pópulum, quæſumus, Dómine, pretióſo córpore ac ſánguine Chriſti nutrítum, poténtiæ tuæ múniat invícta defénſio ; ut pio tibi ſemper devótus affectu, & ab inféſtis liberétur inimícis, & in tua júgiter grátia perſevéret ; Per eumdem.

TEMPORE BELLI.

Viol. *INTROITUS.*

Pſal. 24. REminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, & miſericórdiæ tuæ, quæ à ſéculo ſunt ; ne unquam dominentur nobis inimíci noſtri : líbera nos, Deus Iſrael, ex ómnibus angúſtiis noſtris. *PSALM.* Ad te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído, non erubeſcam. Glória. Reminíſcere. Ibid.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui cónteris bella, & impugnatóres in te ſperántium poténtiâ tuæ defenſiónis expugnas: auxiliáre fámulis tuis implorántibus miſericórdiam tuam; ut inimicórum noſtrórum feritáte depreſsâ, inceſsábili te gratiárum actióne laudémus; Per.

Léctio Epíſtolæ beáti Jacôbi Apóſtoli.

Cap. 4. FRatres; Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc, ex concupiſcéntiis veſtris, quæ mílitant in membris veſtris? Concupíſcitis, & non habétis: occíditis, & zelátis; & non poteſtĭs adipiſci: litigátis, & belligerátis; & non habétis, propter quod non pôſtulátis. Pétitis, ĕt non accípitis; eo quòd malè petátis; ut in concupiſcéntiis veſtris înſumátis. Adúlteri, neſcítis quia amicítia hujus mundi inimíca eſt Dei? Quicumque ergo volúerit amícus eſſĕ ſéculi hujus, inimícus Dei cônſtitúitur. An putátis quia inániter Scrĭptúra dicat: Ad invídiam concupiſcit ſpíritus qui hábitat in vobis? Majórem âutem dat grátiam. Propter quod dicit; Deus ſuperbis reſiſtit, humílĭbŭs ăutem dat grátiam.

Pſal. 76. *Graduale.* Tu es Deus qui facis mirabília ſolus: notam feciſti in géntibus virtútem tuam. ℣. Liberaſti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Iſrael & Joſeph.

Quocumque tempore, Graduali additur Tractus Dómine, exaudi, *in Miſſa Tempore Schiſmatis, ſuprà,* civ.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 24. IN illo témpore; Acceſſérunt dĭſcípuli Jeſu, ut oſténderent ei ædificatiónes tĕmpli. Ipsĕ autem reſpondens, dixit ĭllis: Vĭdétis hæc ómnia; amen dico vobis, non relinquétur hîc lapis ſuper lápidem, qui non deſtruătur. Sedente autem eo ſuper montĕm Olivéti, acceſſérunt ad eum diſcípuli ſecrétò, dicĕntes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod ſignum adventus tui, & conſummatiónis ſéculi? Et rĕſpondens Jeſus, dixit ĕis: Vidéte ne quĭs vos ſedúcat; multi enim vénient in nómine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus; & multos ſedŭcent. Auditúri enĭm eſtis prælia, & opiniónes præliŏrum. Vidéte ne turbĕmini. Oportĕt enim hæc fíeri: ſed nondum eſt fĭnis. Conſurget enim gens in gentem, ĕt regnum in regnum; & erunt peſtiléntiæ, & fames, & terræ motus per lŏca. Hæc autĕm ŏmnia, inítia ſunt dolórum.

Offertorium. Non in gládio nec in haſta ſalvat Dóminus: ipsíus enim eſt bellum, & tradet inimícos noſtros in manus noſtras. 1. Reg. 17.

Secreta.

S. R. TE, Dómine, toto corde proſtráti ſupplíciter exorámus, ut hujus oblatiónis prétio, & ſpíritum nobis pœniténtiæ, & véniam concédas delictórum; quia tunc defenſiónem tuam contra hóſtium incúrſus nobis non diffídimus adfutúram, cùm à nobis ea, quibus te offéndimus, miſericórditer expúleris; Per Dóminum.

Præfatio Communis.

Prov. 16. *Communio.* Cùm placúerint Dómino viæ hóminis, inimícos quoque ejus convértet ad pacem.

Postcommunio. Orémus.

S. R. DEus regnórum ómnium, regumque dominátor; qui nos & percutiéndo ſanas, & ignoſcéndo conſérvas: præténde nobis ſacro múnere recreátis miſericórdiam tuam; ut & bello ad remédia correctiónis, & tranquillitáte pacis ad profectum pietátis utámur; Per Dóminum.

Viol.

PRO PACE OBTINENDA.

Introitus.

Pſal. 45. DOminus virtútum nobíſcum, ſuſcéptor noſter Deus Jacob: arcum cónteret, & confrínget arma, & ſcuta combúret igni.

Ibid. *Psalm.* Deus noſter refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis. Glória. Dóminus virtútum.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut, & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquílla; Per.

Léctio libri Machâbæórum.

II. Cap. I. FRátribus, qui ſunt per Ægyptum, Judæis ſalútem dicunt fratres, qui ſunt in Jeroſólymis, Judæi, & qui in regióne Judææ, & pâcem bonam. Benefáciat vobis Deus, & memínerit teſtaménti ſui quod locútus eſt ad Abraham, & Iſaac, & Jacob, ſervórum sŭórum fidélium: & det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem corde magno, & ânimo volénti. Adapériat cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis, & fâciat pacem. Exáudiat oratiónes veſtras, & reconciliétur vobis, nec vŏs dĕſerat in témpore malo.

Iſ. 32. *Graduale.* Erit opus juſtítiæ pax, & cultus juſtítiæ ſiléntium, & ſecúritas uſque in ſempitérnum. ℣. Sedébit pópulus meus in pulcritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opulenta.

Quocumque tempore Graduali additur Tractus Dómine, exaudi, *in Miſſa Tempore Schiſmatis, ſuprà*, civ.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

Cap. 14. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Pacem relinquo vobis, pacĕm meam do vobis: non quómodo mundus dat, ego do vŏbis. Non tŭrbétur cor veſtrum, neque formĭdet. Audiſtis quia egŏ dixi vobis: Vado & vénio ad vŏs. Si diligerétis me, gauderétis útique, quiă vado ad Patrem; quia Pater major me ĕſt. Et nunc dixi vobis prĭùſquàm fiat; ut cùm factŭm fŭerit, credátis.

Ezech. 43. *Offertorium.* Fácient ſacerdótes ſuper altáre holocauſta veſtra, & quæ pro pace ófferunt: & placátus ero vobis, ait Dóminus Deus.

Secreta.

S. R. DEus, qui credentes in te pópulos nullis cóncuti ſinis terróribus: dignáre preces & hóſtias dicátæ tibi plebis ſuſcípere; ut pax tua pietáte conceſſa Chriſtianórum fines ab omni hoſte fáciat eſſe ſecúros; Per Dóminum noſtrum.

Præfatio Communis.

Iſ. 60. *Communio.* Ponam viſitatiónem tuam pacem: non audiétur ultrà iníquitas in terra tua, váſtitas & contrítio in términis tuis; & occupábit ſalus muros tuos, & portas tuas laudátio.

Postcommunio. Orémus.

S. R. DEus auctor pacis, & amátor; quem noſſe, vívere; cui ſervíre, regnáre eſt: per virtútem ſacramenti quod súmpſimus, prótege ab ómnibus impugnatiónibus súpplices tuos; ut qui in defenſióne tua confídimus, nullíus hoſtilitátis arma timeámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

Viol. PRO VITANDA MORTALITATE, Tempore Pestilentiæ vel grassantis alicujus Morbi.

INTROITUS.

Psal. 84. AVerte, Deus, iram tuam à nobis: numquid in æternum irascéris nobis, aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem? Deus, tu conversus vivificábis nos. Ibid. *PSALM.* Benedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob. Glória. Averte.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui non mortem, sed pœnitentiam desíderas peccatórum: pópulum tuum ad te revertentem propítius réspice; & iracúndiæ tuæ flagella ab eo clementer averte; Per Dóminum.

Léctio libri Parâlipómenon.

2. Cap. 6. IN diébus illis; Sâlomon ait: Dómine Deus Israel, fames si orta fúerit in terra, & pestiléntia, ærúgo, & aurúgo, & locusta, & bruchus; & hostes, vastátis regiónibus, portas obséderint civitátis, omnisque plaga & infírmitas prémserit: si quis de pópulo tuo Israel fúerit deprecátus, cognoscens plagam & infirmitátem suam, & expánderit manus suas in domo hac; tu exáudies de cœlo, de sublími scílicet habitáculo tuo; & propitiáre, & redde unicuíque secundùm vias suas; quas nosti eum habére in corde suo; (tu enim solus nosti corda filiórum hóminum) ut tímeant te, & ámbulent in viis tuis cunctis diébus, quibus vivunt super fáciem terræ, quam dedísti pátribus nostris.

Psal. 43. *GRADUALE.* Humiliásti nos, Dómine, in loco afflictiónis, & coopéruit nos umbra mortis. ℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos, & rédime nos propter nomen tuum.

Quocumque tempore Graduali additur TRACTUS Dómine, exáudi, *in Missa, Tempore Schismatis, suprà,* civ.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 4. IN illo témpore; Surgens Jesus de Synagóga introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus: & rogavérunt illum pro ea. Et stans super illam, imperávit febri; & dimísit illam. Et cóntinuò surgens ministrábat illis. Cùm autem sol occidísset, omnes qui habébant infirmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens curábat eos. Exíbant autem dæmónia à multis, clámantia & dicéntia, quia Tu es Fílius Dei. Et increpans non sinébat ea loqui, quia sciébant ipsum esse Christum. Facta autem die egréssus ibat in désertum locum; & turbæ requirébant eum, & venérunt usque ad ipsum, & detinébant illum ne discéderet ab eis. Quibus ille ait, quia & áliis civitátibus opórtet me evangelizáre regnum Dei, quia ídeò missus sum. Et erat prædicans in synagógis Galilææ.

1. Paral. 21. *OFFERTORIUM.* Ædificávit David altáre Dómino, obtulitque holocausta, & invocávit Dóminum; & exaudívit eum: præcépitque Dóminus Angelo, & convértit gládium suum in vagínam.

SECRETA.

S. R. PArce, Dómine, parce supplícibus; & nobis per hanc salútis hóstiam da propitiatiónis auxílium, qui præstas étiam per ipsa flagélla remédium: nec tua corréptio sit negligéntibus major causa pœnárum, sed fiat erudítio paterna correptis; Per Dóminum.

PRÆFATIO COMMUNIS.

COMMUNIO.

Luc. 6. *COMMUNIO.* Omnis turba quærébat Jeſum tángere ; quia virtus de illo exíbat, & ſanábat omnes.

POSTCOMMUNIO Orémus.

S. R. DA nobis, Dómine, quos divíno paſcis myſtério, piæ ſupplicatiónis effectum ; & peſtiléntiam à nobis propitiátus averte : ut mortálium corda cognóſcant, & te indignante, tália flagella prodíre, &, te miſeránte ceſſáre ; Per Dóminum.

TEMPORE FAMIS.

Viol. *INTROITUS.*

Pſal. 104. IPſe Dóminus Deus noſter, in univérſa terra judícia ejus ; vocávit Famem ſuper terram & omne firmaméntum panis contrívit.

PSALM. Confitémini Dómino & invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter gentes ópera ejus. Glória. Ipſe Dóminus.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui fámulos tuos ídeo corporáliter vérberas ut mente proficiant ; da nobis peccáta pro quibus Fame afflígimus, pœniténtiæ lácrymis ablúere, ut qui iracundiam tuam rebelles provocávimus, miſeratiónem ſúbditi & húmiles ſentiámus ; Per.

Léctio Ezechiêlis Prophétæ.

Cap. 36. HÆc dicit Dôminus Deus : Salvábo vos ex univerſis inquinamentis veſtris ; & vocábo frumentum, & multiplicábo illud, & non impónam vobis Famem, & multiplicábo fructum ligni, & genímina agri, ut non portétis ultra oppróbrium Fâmis in géntibus. Et recordabímini viárum veſtrárum peſſimárum, ſtudiórumquĕ non bonórum ; & diſplicébunt vobis iniquitátes veſtræ & ſcêlera veſtra. Non propter vos ego fáciam, ait Dóminus Deus, nŏtum ſit vobis : confundímini, & erubéſcite ſuper viĭs vĕſtris, domus Iſrael.

GRADUALE. Recordáre, Dómine, quid accíderit nobis : pellis noſtra, quaſi clíbanus, exúſta eſt à fácie tempeſtátum Famis. ℣. Dómine, adjúva nos miſértus noſtrî.

Thr. 5.

Marc. 9.

Quocumque Tempore Graduali additur

TRACTUS. Eſúrientes & ſitiéntes : ánima eórum in ipſis defécit & clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur ; & de neceſſitátibus eórum erípuit eos. Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, & mirabília ejus fíliis hóminum. Quia ſatiávit ánimam inánem, & ánimam eſuriéntem ſatiávit bonis.

Pſal. 106.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 15. IN illo témpore ; acceſſérunt ad Jeſum turbæ multæ, habéntes ſecum mutos, cœcos, claudos, débiles, ĕt álios multos : & projecérunt eos ad pedes ejus ; & curávit eos, ita ut turbæ miraréntur, vidéntes mutos loquentes, claudos ambulántes, cœcos vidéntes & magnificábant Deum Iſraĕl. Jeſus autem convocátis diſcípulis ſuis, dĭxit : Miſéreor turbæ, quia tríduò jam perſevérant mecum & non habĕnt quod mandúcent ; & dimittere eos jejúnos nolo, ne defíciant in vĭa. Et dicunt ei diſcĭpuli : Unde ergo nobis in deſértŏ panes tantos, ut ſaturémus turbam tantam ? Et ait illis Jesŭs ; Quot habétis panes ? At illi dixĕrunt : Septem & paucos piſcĭculos. Et præcépit turbæ, ut diſcumberent ſuper tĕrram. Et accípiens ſeptem panes & piſces, & grátias agens fregit & dedit dĭſcípulis ſuis, & diſcípuli dedérunt pópulo, & comedérunt omnes & ſaturáti ſunt ; & quod ſupérfuit de fragmentis tulérunt ſeptem ſportas plĕnas. Erant autem qui manducavérunt, quátuor míllia hóminum, extrà pârvulos & mulíeres.

Thr. 2. *OFFERTORIUM.* Effúnde ſicut aquam cor tuum ante conſpéctum Dómini: leva ad eum manus tuas pro ánima parvulórum tuórum; qui defecérunt in Fame in cápite ómnium compitórum.

SECRETA.

M. A. DEus, qui humáni géneris utramque ſubſtántiam, præſéntium múnerum & aliménto végetas, & rénovas Sacraménto: tríbue quæſumus, ut eórum nec corpóribus noſtris ſubsídium deſit nec mentibus; Per Dóminum noſtrum.

PRÆFATIO COMMUNIS.

2. Eſdr. 9. *COMMUNIO.* Panem de cœlo dedíſti pátribuś noſtris in Fame eórum; Deus noſter magne, fortis & terríbilis, cuſtódiens pactum & miſericórdiam, ne avertas à fácie tua omnem labórem qui invénit nos: in tribulatióne magna ſumus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SUſténtet, quæſumus, Dómine, providéntia tua temporálibus alimentis, quos cœléſtibus non dedignátur páſcere myſtériis; Per Dóminum.

Viol. AD PETENDAM PLUVIAM.

INTROITUS.

Pſal. 146. PSállite Deo noſtro, qui óperit cœlum núbibus, & parat terræ Plúviam: qui producit in móntibus fœnum, & herbam ſervitúti hóminum. *PSALM.* Laudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus: * Deo noſtro ſit jucúnda decoraque laudátio. Glória. Pſállite.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus in quo vívimus, movémur, & ſumus, Plúviam nobis tríbue congruentem; ut præſéntibus ſubsídiis ſufficienter adjúti, ſempiterna fiduciáliùs appetámus; Per Dóminum.

Léctio líbri Levítici.

Cap. 26. IN diébus illis locútus eſt Dóminus ad fílios Iſrael per Môyſen dicens: Ego Dóminus: ſi in præcéptis meis ambulavéritis, & mandáta mea cuſtodiéritis, & fécéritis ea, dabo vobis Plúvias tempóribus ſuis. Et terra gignĕt germen ſuum, & pomis arbores rêplebuntur. Apprehendet meſſium tritúrā vindæmiam, & vindæmia occupâbit ſementem. Et comedétis panem veſtrum in sāturitáte, & abſque pavóre habĭtābitis in terra veſtra.

Zach. 10. *GRADUALE.* Pétite à Dómino Plúviam & Dóminus fáciet nives, & Plúviam imbris dabit eis ſingulis herbam in agro. ℣. Multum valet deprecátio juſti aſsídua. Elías orávit; & cœlum dedit Plúviam & terra dedit fructum ſuum.

Jac. 5.

Quocumque Tempore Graduali additur

Pſal. 64. *TRACTUS.* Rivos terræ inébria, Deus, multíplica genímina ejus; in ſtilicídiis ejus lætábitur gérminans. Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ, & campi tui replebúntur ubertáte. Pinguéſcent ſpecióſa deſérti, & exultatióne colles accingentur.

Sequéntia ſanctī Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 21. IN illo témpore, videns Jeſus fici arborem unam ſecùs viam vĕnit ad eam; & nihil invénit in ea niſi fólia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus naſcátur in ſempitĕrnum. Et arefácta eſt contínuò ficŭlnea. Et vidéntes diſcípŭlī miráti ſunt, dicĕntes: Quómodò contínuò áruit? Reſpondĕns autem Jeſus, ait illis: Amĕn dico vobis: Si habuéritis fidem & non hæſitavéritis, non ſolùm de ficúlnea faciétis, ſed & ſi monti huic dixéritis, tolle & jacta te in mare, fiet. Et ómnia quæcumque petiéritis in oratióne crēdĕntes, accipiétis.

3. Reg. 8. *OFFERTORIUM.* Si clauſum fúerit cœlum & non plúerit propter peccáta pópuli tui Iſrael, & orantes converſi fúerint; exáudi eos, Dómine, & da Plúviam ſuper terram tuam, quam dedísti pópulo tuo in poſſeſſiónem.

SECRETA.

S. R. DElícta fragilitátis noſtræ, Dómine, per hæc múnera miſerátus abſólve; & qui cœlum clausísti contumácibus & ingrátis, humílibus & contrítis réſera propítius; Per.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Pſal. 103. *COMMUNIO.* Dómine Deus, magnificátus es veheménter; qui émittis fontes in convállibus, rigans montes de ſuperióribus ſuis: de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. TErram tuam, Dómine, quam vidémus noſtris iniquitátibus tabeſcentem, hoc ſacrífício Plúviis ſalutáribus írriga, ut perceptam de rore cœli & de pinguédine terræ Benedictiónem, ad laudem tuæ Majeſtátis referámus; Per.

Viol. AD OBTINENDAM NIMIÆ PLUVIÆ REMISSIONEM.

INTROITUS.

Eccli. 39. IN verbo Dómini ſtetit aqua ſicut congéries, & in ſermóne oris illíus ſicut exceptória aquárum, quóniam in præcépto ipsíus placor fit, & non eſt minorátio in ſalúte ipsíus.

Pſal. 66. *PSALM.* Deus miſereátur noſtrî & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî. Glória. In verbo.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus qui recordátus Noë & cunctórum qui cum eo erant in arca, prohibuísti Plúviam de cœlo, & reddidísti terræ fœcunditátem: coërce nóxiam frúgibus noſtris aquárum Plúviam & largum in nos benedictiónum tuárum Imbrem placátus effunde; Per.

Léctio líbri Géneſis.

Cap. 9. HÆc dixit Deus ad Noë, & ad fílios ějus cum eo: Ecce ego ſtátuam pactum meum vobiſcum, & cum ſémĭnĕ veſtro poſt vos: & ad omnem ánimam vivéntem quæ eſt vobiſcum, tam in volúcribus quàm in juméntis, & pecúdibus terræ cunctis, quæ egreſſa ſunt de arca, & univerſis bêſtiis terræ. Státuam pactum mĕum vobiſcum, & nequáquam ultrà interficiétur omnis caro aquis dilúvii, neque erit deinceps dilúvium dîſſipans terram. Dixîtque Deus: Hoc ſignum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem ánimam vivéntem quæ eſt vobiſcum in generatiónes sêmpiternas. Arcum meum ponăm in núbibus, & erit ſignum fœderis inter me & înter terram. Cùmque obdúxero núbibus cœlum, apparébit arcus meŭs in núbibus; & recordábor fœderis mei vobiſcum, & cum omni ánima vivente quæ cârnem végetat. Et non erunt ultrà aquæ dilúvii ad deléndum univêrſam carnem. Eritque arcus in núbibus, & vĭdébo illum, & recordábor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum & omnem ánimam vivéntem univérſæ carnis quæ eſt sûper terram. Dixit que Dêus ad Noë: hoc erit ſignum fœderis, quod conſtítui inter me & omnĕm cărnem ſuper terram.

GRADUALE. Multùm valet deprécátio juſti aſsídua. ℣. Elías homo erat símilis nobis, paſſíbilis, & oratióne orávit, ut non plúeret ſuper terram, & non pluit. Jac. 5.

Quocumque Tempore Graduali additur

TRACTUS. Ad me ipſum ánima mea conturbáta eſt: proptéreà memor ero tuî, Dómine. Abyſſus abyſſum ínvocat, in voce cataractárum tuárum. Omnia excelſa tua & fluctus Pſal. 41.

tui ſuper me tranſiérunt: Apud me orátio Deo vitæ meæ; dicam Deo: Suſceptor meus es.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 8. IN illo témpore; aſcendente Jeſu in navículam ſecúti ſunt eum diſcípuli ejus. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; ipſe verò dormiébat. Et acceſſérunt ad eum diſcípuli ejus, & ſuſcitavérunt eum, dicéntes: Dómine, ſalva nos, perímus. Et dicit ei Jesus: Quid tímidi eſtis, módicæ fídei? Tunc ſurgens imperávit véntis & mari, & facta eſt tranquillitas mágna. Porrò hómines miráti ſunt, dicéntes: qualis eſt hic; quia venti ét máre obédiunt ei.

Gen. 8. *OFFERTORIUM.* Obtulit Noë holocáuſta ſuper altáre; odorátuſque eſt Dóminus odórem ſuavitátis, & ait: nequáquam ultrà maledícam terræ propter hómines.

SECRETA.

M. P. RETine, Dómine, nubes, ne pluant; & sánguinis Unigéniti tui voce placátus, ſiſte iracúndiæ tuæ torrentes, & nos grátiæ ſalutáris rore perfunde; Per eumdem Dóminum.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Pſal. 31. *COMMUNIO.* Ad te, Dómine, orábit omnis ſanctus in témpore opportúno; verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, ad eum non approximábunt: Tu es refúgium meum à tribulatióne.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. QUibus jánuas cœli áperis, Dómine, ut des panem de cœlo verum, in nos ne ampliùs erúmpere fácias imbrem inundantem in furóre tuo: & ſuávi rore benedictiónum tuárum récrea, quos caſtigántium pluviárum importunitáte terruiſti; Per eumdem.

AD POSTULANDAM AERIS SERENITATEM. Viol.

Ut in Miſſâ præcedenti præter Orationes ſequentes.

COLLECTA. Orémus.

M. A. AD te nos, Dómine, clamántes exáudi, & áeris Serenitátem nobis tríbue ſupplicántibus; ut qui juſtè pro peccátis noſtris afflígimur, miſericórdiâ tuâ præveniente, cleméntiam ſentiámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

SECRETA.

M. P. OMnípotens ſempitérne Deus, cujus império elementa ómnia obédiunt, reminíſcere miſeratiónum tuárum & congruam cœli Tempériem nobis, virtúte hujus ſacrifícii, concéde propítius, quâ & ſalus nobis & alimenta præſtentur; Per Dóminum noſtrum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. OMnípotens & miſéricors Deus, qui nos & caſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas; præſta ſupplícibus tuis, per hæc ſancta myſtéria, ut optátâ áëris Serenitáte lætémur, & pietátis tuæ donis ad ſalútem noſtram ſemper utámur; Per Dóminum.

PRO REMISSIONE Peccatorum, maximè Tempore Jubilæi. Ciner.

INTROITUS.

Pſal. 50. SECundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum, Deus, dele iniquitátem meam, & à Peccáto meo munda me; quóniam iniquitátem meam ego cognóſco, & Peccátum meum contra me eſt ſemper. *PSALM.* Miſerére meî, Deus, * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam. Glória. Secundùm. Ibid.

Collecta. Orémus.

S. R. EXaudi, quæſumus, Dómine, ſúplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem; Per Dóminum.

Léctio Epíſtolæ beáti Joânnis Apóſtoli.

1. Joan. 2. CAríſſimi; Si quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem, Jĕſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiátio pro peccátis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed étiam pro totîus mundi. Et in hoc ſcimus quóniam cŏgnóvimus eum, ſi mandáta ejus ôbſervémus. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandáta ejus non cuſtódit, mendax eſt, & ĭn hŏc véritas non eſt.

Judit. 8. *Graduale.* Quia pátiens eſt Dóminus, in hoc ipſo pœniteámus, & indulgéntiam ejus fuſis lácrymis poſtulémus. ℣. Si confiteámur peccáta noſtra, 1. Joan. 1. fidélis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccáta noſtra, & emundet nos ab omni iniquitáte.

Quocumque Tempore Graduali additur Tractus Dómine, exaudi, *ſuprà in Miſſa Tempore Schiſmatis*, civ.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 18. IN illo témpore; Dixit Jeſus & ad quoſdam, qui in ſe confidébant tanquam juſti, & aſpernăbantur céteros, parábolam ĭſtam. Duo hómines aſcendérunt in templŭm ut orárent; unus Phariſæus, & alter Publicănus. Phărĭſæus ſtans hæc apud ſe orăbat: Deus, grátias ago tibi, quia non ſum ſicut céteri hóminum, raptóres, ĭnjuſti, adúlteri; velut étiam hic Publicănus. Jejúnŏ bis in ſábbato: décimas do ómnium quæ poſsĭdeo. Et Publicánus à longè ſtans nolébat nec óculos ad cœlum leváre; ſed percutiébat pectŭs ſuum, dicens: Deus, propítius eſto mihi peccatŏri. Dico vobis, deſcéndit hic juſtificátus in domŭm ſuam ab illo; quia omnis qui ſe exaltat, humiliábitur; & qui ſe hŭmĭliat exaltábitur.

Offertorium. Si ſanguis hircórum & taurórum inquinátos ſanctíficat ad emundatiónem carnis; quantò magìs ſanguis Chriſti, qui per Spíritum ſanctum ſemetipſum óbtulit immaculátum Deo, emundábit conſciéntiam noſtram ab opéribus mórtuis, ad ſerviendum Deo viventi? Hebr. 9.

Secreta.

S. R. OFferentes tibi, Dómine, hóſtiam propitiatiónis, miſericórdia tua nos pótiùs quàm ira prævéniat; & admirábili pietáte quâ nos feciſti, ignoſce peccántibus; ut ópera mánuum tuárum, Unigéniti tui ſánguine redempta, non patiáris interíre; Per eumdem.

Præfatio Communis.

Luc. 22. Matt. 26. *Communio.* Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundétur in remiſſiónem peccatórum.

Postcommunio. Orémus.

S. R. EXaudi, Dómine, per hujus virtútem ſacramenti, preces noſtras, & ne velis cum ſervis tuis adíre judícium: quia ſicut in nobis nulla juſtítia reperítur, de qua præſúmere valeámus; ita te fontem pietátis agnóſcimus, à quo & à peccátis noſtris áblui, & à neceſſitátibus liberári confídimus; Per.

PRO QUACUMQUE NECESSITATE.

Viol.

Introitus.

Pſal. 85. AD te, Dómine, ánimam meam levávi; quóniam tu ſuávis & mitis, & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te: áuribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, & intende voci deprecatiónis meæ.

Ibid. *Pſalm.* Inclína, Dómine, aurem tuam & exaudi me; * quóniam inops & pauper ſum ego. Glória. Ad te.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, cui semper plácuit humílium & mansuetórum deprecátio : exaudi nos míseros deprecántes, & de tua misericórdia præsumentes ; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Joânnis Apóstoli.

1. Joan. 5. CAríssimi ; Hæc scribo vobis, ut sciátis quóniam vitam hăbétis ætérnam, qui créditis in nómine Fîlii Dei. Et hæc est fidúcia quam hăbémus ad eum ; quia quodcumque petiérimus secundùm voluntátem ejus, âudit nos. Et scimus quia audit nos quidquĭd petiérimus, scimus quóniam habémus petitĭónes, quas postulámus ab eo.

Psal. 36. *Graduale.* Spera in Dómino, & fac bonitátem ; & pascéris in divítiis ejus. ℣. Delectáre in Dómino, & dabit tibi petitiónes cordis tui : spera in eo, & ipse fáciet.

Quocumque Tempore Graduali additur Tractus Dómine, exaudi, *suprà in Missa Tempore Schismatis*, civ.

Sequéntia sanctĭ Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 11. IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis sŭis : Habéte fidem Dĕi. Amen dico vobis, quia quicumque díxerit huic monti : Tóllere, ĕt míttere in mare ; & non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit quia quodcumque díxerit, fiat, fiet ĕi. Proptérea dico vobis, ómnia quæcumque oántes pétitis, crédite quia ăccipiétis ; & evénient vŏbis. Et cùm stábitis ad oándum, dimíttite si quid habétis ădversùs áliquem ; ut & Pater vester, qui in cœlis est, dimíttat vobis peccáta vĕstra. Quòd si vos nŏn dimiséritis : nec Pater vester qui in cœlis est, dimíttĕt vŏbis peccáta vestra.

Offertorium. Mittat tibi Dóminus auxílium de sancto, & de Sion tueátur te : memor sit omnis sacrifícii tui, & holocaustum tuum pingue fiat : ímpleat Dóminus omnes petitiónes tuas. Psal. 19.

Secreta.

HAc oblatióne placátus, da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo, & mentem quâ tibi devótus exístat, & intellectum quo justa deposcat, & propitiatiónem tuam, quâ piè desiderántibus quæ sint profutúra concédas ; Per Dóminum. S. R.

Præfatio Communis.

Communio. Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum : quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit ? Rom. 8.

Postcommunio. Orémus.

CŒlestis hujus perceptióne sacraménti, adsit, Dómine, quæsumus, propitiátio tua pópulo supplicánti ; ut quod te inspiránte fidéliter éxpetit, tuâ céleri largitáte percípiat ; Per. M. P.

AD POSTULANDAM GRATIAM BENÈ MORIENDI.

Viol.

Introitus.

ILlúmina, Dómine, óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte ; nequando dicat inimícus meus : Præválui adversùs eum. Psal. 12.

[*Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia.]

Psalm. Usquequò, Dómine, oblivísceris in finem ? * úsquequò avértis fáciem tuam à me : Glória. Illúmina. Ibid.

Collecta. Orémus.

DEus, qui nos, salutári providéntiâ, ut à mortífero sopóre excitáres, diem & horam mortis nescíre voluísti : concéde nobis ita vigiláre omni témpore oántes, ut absque peccáti mácula de hoc mundo exíre, & in sinu misericórdiæ tuæ requiéscere mereámur ; Per Dóminum. M. P.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli ad Theſſalônicenſes.

1. Theſ. 5. DE tempóribus & momentis, Fratres, non indigétis ut ſcrĭbámus vobis; ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Dómini, ſicut fur in nocte, ĭta véniet. Cùm enim díxerint păx & ſecúritas, tunc repentínus eis ſupervéniet intéritus, ſicut dolor in útero habentis, & nôn effúgient. Vos autem, fratres, nŏn eſtis in ténebris, ut vos dies illa tanquam fur cômprehendat. Omnes enim vos fílii lucis eſtis, ĕt fílii diéi: non ſumus noctis, neque tênebrárum. Igitur non dormiámŭs, ſicut & céteri, ſed vigilémus, & sôbrii ſimus. Qui enim dórmĭŭnt, nocte dórmiunt; & qui ébrii ſunt, nocte êbrii ſunt. Nos autem, qui diéi ſumus, ſóbrii ſimus, indúti lorícam fídei, & caritátis, & gálĕăm ſpem ſalútis; quóniam non póſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitiónem ſalútis per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mórtuus eſt pro nobis, ut, ſive vigilémus, ſive dormĭāmus, ſimul cum illo vivámus.

A Trinitate ad Septuageſimam

Pſal. 70. *GRADUALE.* Ne projícias me, Dómine, in témpore ſenectútis; cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me.

Num. 23. ℣. Moriátur ánima mea morte juſtórum, & fiant novíſſima mea horum ſimília.

Pſal 26. Allelúia, allelúia. ℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ. Allelúia.

Poſt Septuageſimam, (omiſſis Allelúia *&* ℣.*) Graduali additur*

Pſal. 38. *TRACTUS.* Ecce menſurábiles poſuíſti dies meos, Dómine; & ſubſtántia mea tanquam níhilum ante te. Verúmtamen univerſa vánitas omnis homo vivens. Et nunc quæ eſt expectátio mea? Nonne Dóminus?

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Pſal. 26. Allelúia, allelúia. ℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Pſal. 131. Allelúia, allelúia. ℣. Introíbimus in tabernáculum ejus: adorábimus in loco, ubi ſtetérunt pedes ejus. Allelúia.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 21. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Atténdite vobis, ne fortè gravéntur corda veſtra in crápula, & ebrietáte, & curis hujus vitæ, & ſupervéniat in vos repentínă dies illa; tanquam láqueus enim ſupervéniet in omnes, qui ſedent ſuper fáciem omnis tĕrræ. Vigiláte ítaque, omnĭ témpore oránte, ut digni habeámini fúgere iſta ómnia, quæ futúra ſunt, ĕt ſtāre ante Fílium hóminis.

Pſal. 30. *OFFERTORIUM.* Deus meus es tu, in mánibus tuis ſortes meæ: ſalvum me fac in miſericórdia tua: Dómine, non confundar, quóniam invocávi te.

[*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

SECRETA.

M. P. SIcut mortem noſtram occidiſti, Dómine, morte Unigéniti tui, ita ejuſdem incruentâ immolatióne défluat in nos abundántia vitæ tuæ, quæ nos éidem Chriſto fáciat cómmori, & peccáti ſupplícium convertat in pœniténtiæ ſacrifícium; Per eumdem.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Pſal. 22. *COMMUNIO.* Si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine. [*Tempore Paſchali*, Allelúia.]

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. ANimam nostram carne & sánguine Fílii tui nutrítam, quæsumus, Dómine, in caritáte tua confirma, ut voluntáti tuæ obédiens usque ad mortem, cum pace & fidúcia de córpore suo exíre, & ipsíus resurrectiónem ad vitam mereátur in cœlis expectáre; Per eumdem Dóminum.

Viol. PRO INFIRMO vel INFIRMA.

INTROITUS.

Psal. 102. BEnedic, ánima mea Dómino, qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; qui sanat omnes infirmitátes tuas; qui rédimit de intéritu vitam tuam. Ibid. *PSALM.* Bénedic, ánima mea, Dómino; * & ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. Glória. Bénedic.

COLLECTA. Orémus.

[*Pro pluribus, dicitur in plurali.*]

S. R. OMnípotens sempiterne Deus, salus ætérna credéntium: exaudi nos pro fámul$^{o}_{a}$ tu$^{o}_{a}$ *N.* infirm$^{o}_{a}$ pro qu$^{o}_{a}$ misericórdiæ tuæ implorámus auxílium; ut rédditâ sibi sanitáte, gratiárum tibi in Eccléſia tua réferat actiónes; Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Jacôbi Apóstoli.

Cap. 5. CAríssimi; Tristátur áliquis vêstrum? oret. Æquo ânimo est? psallat. Infirmátur quis in vobis? indúcat prěsbyteros Eccléſiæ, & orent super eum: ungentes eum óleo in nômine Dómini. Et orátio fídei salvábit infírmum, & alleviábĭt eum Dóminus; & si in peccátis sit, remittêntur ei. Confitémini ergo altérutrum pĕccáta vestra, & oráte prŏ ĭnvicem, ut salvémini.

GRADUALE. Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum; sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea. ℣. Anima mea turbáta est valde: sed tu, Dómine, usquequo? Psal. 6.

Quocumque tempore, Graduali additur

TRACTUS. Appropinquavérunt usquè ad portas mortis, & clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur: misit verbum suum, & sanávit eos, & erípuit eos de interitiónibus eórum. Psal. 106.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 7. IN illo témpore; Centuriónis cujusdam servus malè habens erăt moritúrus, qui illi erat pretiŏsus. Et cùm audísset de Jesu, misit ad eum seniórĕs Judæórum, rogans eum ut veníret, & salváret servum ĕjus. At illi cùm venissent ad Jesum, rogábănt eum sollícitè, dicentes ĕi: Quia dignus est ut hŏc illi præstes; díligit enim gentem nostram, & synagógam ipse ædificávit nŏbis. Jesus autem ibat cum ĭllis. Et cùm jam non longĕ esset à domo, misit ad eum centúrio amícos, dĭcens: Dómine, noli vexári; non enim sum dignus ut sub tectŭm meum intres; propter quod & meipsum non sum dignum arbitrátus ut venírem ad te: sed dic verbo, & sanábitur puer mĕus. Nam & ego homo sum sub potestáte constitútus, habĕns sub me mílites; & dico huic, Vade; & vadit: & álii, Veni; & venit: & servo meo, Fac hoc; & făcit. Quo audíto Jesus mĭrátus est; & conversus sequéntibus se turbis, dĭxit: Ămen dico vobis, nec in Israel tantam fidem invĕni. Et reversi, qui missĭ fúerant, domum; invenérŭnt sĕrvum, qui langúerat, sanum.

Eccli. 38. *OFFERTORIUM.* In tua infirmitáte ora Dóminum, & ipſe curábit te: ab omni delícto munda cor tuum, & impingua oblatiónem.

SECRETA.

S. R. DEus, cujus nútibus vitæ noſtræ momenta decurrunt: ſúſcipe noſtras preces & hóſtias pro fámul$^{o}_{a}$ tu$^{a}_{a}$ *N.* infirm$^{o}_{a}$ pro qu$^{a}_{a}$ miſeratiónis tuæ pétimus ſubsídium; ut de cujus perículo metúimus, de ejus ſalúte lætémur; Per Dóminum.

PRÆFATIO COMMUNIS.

Math. 8. *COMMUNIO.* Omnes malè habentes curábat Jeſus; ut adimplerétur quod dictum eſt per Iſaíam prophétam: Ipſe infirmitátes noſtras accépit, & ægrotatiónes noſtras portávit.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. DEus, infirmitátis humánæ ſinguláre præsídium, obláti ſacrifícii, ſuper infirm$^{u}_{a}$m famul$^{u}_{a}$m *N.* tu$^{a}_{a}$m, oſtende virtútem; ut ope miſericórdiæ tuæ adjut$^{us}_{a}$, Eccléſiæ tuæ ſanctæ incólumis repræſentári mereátur; Per Dóminum.

Viol. ## PRO INFIRMO vel INFIRMA IN AGONE.

INTROITUS.

Pſal. 114. CIrcumdedérunt me dolóres mortis, & perícula inferni invenérunt me; tribulatiónem & dolórem invéni, & nomen Dómini invocávi: ô Dómine, líbera ánimam
Ibid. meam. *PSALM.* Diléxi quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ. Glória. Circumdedérunt.

COLLECTA. Orémus.

M. A. REſpice propítius, Dómine, fámul$^{u}_{a}$m tu$^{a}_{a}$m *N.* infirmitáte córporis laborántem, & ánimam réfove quam creásti; ut in hora éxitûs ſui, abſque peccáti mácula, tibi Creatóri ſuo, per manus ſanctórum Angelórum repreſentári mereátur; Per Dóminum noſtrum.

Léctio Epíſtolæ beáti Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 14. FRatres; Nemo noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſîbi móritur. Sive enim vívĭmŭs, Dómino vívimus; ſive mórimur, Dômino mórimur. Sive ergo vívĭmŭs, ſive mórimur, Dômini ſumus. In hoc enim Chriſtus mórtuus eſt, ĕt reſurréxit, ut & mortuórum & vivórum dôminetur. Tu autem quid júdicas fratrem tuum? Aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtábimus ante tribûnal Chriſti. Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dóminus, quóniam mihi flectétŭr omne genu, & omnis lingua confitêbitur Deo. Itaque unuſquiſquĕ nŏſtrum pro ſe ratiónem reddet Deo.

Job. 13. *GRADUALE.* Manum tuam, Dómine, longè fac à me, & formído
Pſal. 26. tua non me térreat. ℣. Adjútor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus.

Quocumque Tempore Graduali additur

Pſal. 16. *TRACTUS.* Exaudi, Dómine, juſtítiam meam: intende deprecatiónem meam. Mirífica miſercórdias tuas, qui ſalvos facis ſperántes in te: ego in juſtítia apparébo conſpéctui tuo; ſatiábor, cùm apparúerit glória tua.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Lŭcam.

Cap. 22. IN illo témpore; Egreſſus Jeſus ibat ſecundùm conſuetúdinem in montĕm Olivárum: ſecúti ſunt autem illum & diſcĭpuli. Et cùm pervĕniſſet ad lo-

cum, dixit illis : Oráte , ne intrétis in tentatiónem. Et ipſe avúlſus eſt ab eis quantum jactus eſt lápidis ; & póſitis génibus orábat, dícens : Pater, ſi vis, transfer cálicem iſtum à me; verúmtamen non mea voluntas ſed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confórtans eum. Et factus in agónia, prolíxiùs orábat. Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſánguinis decurrentis in terram.

Matt. 26. *OFFERTORIUM.* Pater mi, ſi non poteſt hic calix transíre, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.

SECRETA.

M. A. SUſcipe, quæſumus, Dómine, hóſtiam quam tibi offérimus pro fámul$^{o}_{a}$ tu$^{o}_{a}$ *N.* in extrémo vitæ conſtitút$^{o}_{a}$; ut & te fontem pietátis agnoſcat, & per hujus ſacrifícii méritum ſalvári mereátur ; Per Dóminum.

PRÆFATIO COMMUNIS.

COMMUNIO. Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. Act. 7.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. A. SUbveni , omnípotens Deus , per hujus virtútem ſacrifícii , fámul$^{o}_{æ}$ tu$^{o}_{æ}$ *N.* in extrémis póſit$^{o}_{æ}$; ut ne contra e$^{u}_{a}$m præváleat vis adverſárii ; ſed ad vitam , te auxiliante , pervéniat ſempiternam ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum , qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus ; Per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

MISSÆ PRO DEFUNCTIS.

Quo ritu hæ Missæ sint celebrandæ, vide suprà in Rubricis generalibus, Cap. IV.

Rub. DE SPIRITU SANCTO: PRO DEFUNCTO vel DEFUNCTA.

INTROITUS.

Psal. 142. SPíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam; propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tuâ: edúces de tribulatióne ánimam meam. *PSALM.* Dómine, exaudi oratiónem meam; áuribus percipe obsecratiónem meam in veritáte tuâ: * Exaudi me in tuâ Justítiâ. Glória. Spíritus tuus bonus.

Si Missa celebretur pro defuncto Pontifice vel Presbytero, dicetur in Collecta, famuli tui *N.* Pontificis, *vel* Sacerdotis. *Si autem pro Diacono, dicetur* famuli tui *N.* Diaconi: *& sic in Secreta & Postcommunione.*

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui Spíritum sanctum pignus hæreditátis ætérnæ Fidélibus tuis dedísti; præsta, quæsumus, ut ánima fámul$\frac{i}{æ}$ tu$\frac{i}{æ}$ *N.* eodem promissionis Spíritu signáta, retributiónem hæreditátis accípiat; Per.

Léctio Epístolæ beátī Pauli Apostoli âd Romános.

Rom. 8. FRatres: Quicumque Spíritu Dei aguntur, ii sunt Fílii Dei; non enim accepístis Spíritum servitútis íterùm in timóre, sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum in quo clamámus: Abba Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei. Si autem fílii, & hærédes: hærédes quidem Dei: cohæredes autem Christi: si tamen compátimur, ut & conglorificémur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis.

GRADUALE. Córpora vestra membra sunt Christi: membra vestra templum sunt Spíritûs sancti. ℣. Qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra propter inhabitantem Spíritum in vobis.

1. Cor. 6. Rom. 8.

Quocumque Temp. Graduali additur

TRACTUS. Averte fáciem tuam, Deus, à peccátis meis; & omnes iniquitátes meas dele. Ne projícias me à fácie tuâ, & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. Redde mihi lætítiam salutáris tui; & Spíritu principáli confirma me.

Psal. 50.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Joan. 3. IN illo témpore; Dixit Jesus Nicodémo: amen, amen dico tibi: nisi quis renátus fúerit ex aquâ & Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei: Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex Spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi tibi: oportet vos nasci dénuo; Spíritus ubi vult spirat; & vocem ejus audis, sed nescis unde véniat, aut quò vadat: sic est omnis qui natus est ex Spíritu.

Rom. 8. *OFFERTORIUM.* Ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus ; qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus, quia secundùm Deum póstulat pro Sanctis.

SECRETA.

EFfunde super nos, Dómine, Spíritum grátiæ & precum, ut ánima fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* nostris oratiónibus & sacrifíciis adjúta, libertátem glóriæ filiórum tuórum obtíneat ; Per Dóminum .... in unitáte ejusdem.

PRÆFATIO DE S. SPIRITU PRO DEFUNCTIS.

Tit. 3. *COMMUNIO.* Spíritum sanctum effúdit Deus in nos abundè per Jesum Christum Salvatórem nostrum : ut justificáti grátiâ ipsíus, hærédes símus secúndùm spem vitæ ætérnæ.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

HUjus operatióne sacrifícii, quæsumus Dómine, ánima fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* à peccátis ómnibus exuátur ; ut quæ per renovatiónem sancti Spíritûs regenerâta est in spem vivam, ipso vivificánte, in vitam æternam resúrgat ; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

Alb. DE B. MARIA VIRGINE: PRO DEFUNCTO vel DEFUNCTA.

INTROITUS.

Psal. 44. COncupíscet Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus ; & adorábunt eum : vultum tuum deprecábuntur omnes dívites plebis. *PSALM.* Eructávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi. Glória. Concupíscet Rex.

Si Missa celebretur pro defuncto Pontifice vel Presbytero, dicetur in Collecta, famulo tuo *N.* Pontifice, *vel* Sacerdote. *Et sic in Secreta & Postcommunione.*

COLLECTA. Orémus.

SUbvéniat famul$^{o}_{æ}$ tu$^{æ}_{æ}$ *N.* quæsumus, Dómine, Beátæ Vírginis intercéssio ; ipsíque júdicem placábilem fáciat, quem mundo péperit Redemptórem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum ; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

Léctio Lîbri Judith.

Judit. 13. BEnedícta es tu, fília, à Dómino Deò excelso, præ ómnibus muliéribus sûper terram. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicôrum nostrórum ; quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum, pro quibus non pepercísti ánimæ tuæ, propter angústias & tribulatiónem géneris tui, sed subvenísti rŭínæ ante conspectum Dei nostri.

Esth. 5. *GRADUALE.* Invoca Dóminum, & lóquere regi pro nobis, & líbera nos de morte. ℣. Benedícta tu in muliéribus ; Luc. 1. invenísti enim grátiam apud Deum.

Quocumque Temp. Graduali additur

Psal. 11. *TRACTUS.* O Dómine ; ego servus tuus, & fílius ancillæ tuæ. Dirupísti víncula mea ; tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo. Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúsalem.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lŭcam.

Cap. 2. IN illo témpore : Erat pater Jesu & mater mirantes super his quæ dicebantur de ĭllo. Et benedixit illĭs Símeon ; & dixit ad Maríam matrem ĕjus : Ecce pósitus est hic in ruínam & in resurrectiónem multórum ĭn Israel ; & in signum cui contradicĕtur. Et tuam ipsíus ánimam pertrănsíbit gládius, ut revelentur ex multĭs cŏrdibus cogitatiónes.

1. Reg. 7. *OFFERTORIUM.* Peccávimus Dómino : ne ceſſes pro nobis clamáre ad Dóminum Deum noſtrum, ut ſalvet nos.

SECRETA.

INtervéniat pro nobis, Deus miſéricors, Beáta Virgo María, & ejus ſuffrágiis concéde, ut aſperſióne sánguinis Chriſti, ánima fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* ab ómnibus peccátis emundáta, ſalútem æternam conſequátur; Per eumdem.

PRÆFATIO DE BEATA MARIA VIRGINE PRO DEFUNCTIS.

Judit. 13. *COMMUNIO.* Per manum féminæ percuſſit hoſtem pópuli ſui Dóminus Deus noſter : confitémini illi omnes, quóniam bonus, quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

PEr hæc myſtéria, quæſumus, Dómine, repellátur hoſtis ille, quem Beáta María virgíneo partu contrívit; ut ánima fámu l$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* de poteſtáte tenebrárum erepta, transferátur in regnum Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti; Qui tecum vivit.

IN DIE OBITUS,

Niger. & in depoſitione PONTIFICIS, aut SACERDOTIS.

INTROITUS.

Pſal. 83. REſpice Deus, in fáciem Chriſti tui; quia mélior eſt dies una in átriis tuis ſuper míllia: quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus, grátiam & glóriam dabit Dóminus. *PSALM.* Quàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini. Réquiem æternam. Réſpice.

Ibid.

COLLECTÆ.

Pro PAPA. Orémus.

M. A. DEus, qui inter ſummos Sacerdótes, fámulum tuum *N.* ineffábili tuâ diſpoſitióne connumerári voluiſti : præſta, quæſumus, ut, qui unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, ſanctórum tuórum Pontíficum conſórtio perpétuo aggregétur; Per.

Pro D.D. EPISCOPO. Orémus.

M. P. DEus, qui fámulum tuum *N.* Pontíficem noſtrum ad ápicem ſacerdótii evectum, de córpore mortis hujus edúcere voluiſti, ſúſcipe propítius preces noſtras; & præſta ut ánima ejus tremendi óneris pondere liberáta, ad thronum glóriæ tuæ récipi, & tecum in eo ſedére mereátur; Per.

Pro alio EPISCOPO ſeu PRÆLATO, vel PASTORE. Orémus.

S. R. DEus, qui inter apoſtólicos ſacerdótes fámulum tuum *N.* pontificáli (*ſeu* ſacerdotáli) feciſti dignitáte vigére : præſta, ut eórum quoque perpétuo aggregétur conſórtio; Per.

Pro SACERDOTE. Orémus.

M. P. DEus, qui inter miniſtros & diſpenſatóres Myſteriórum tuórum fámulum tuum *N.* ad ſacrificandum tibi hóſtiam laudis elegiſti; te ſúpplices exorámus, ut eum à carnis vínculis abſolútum, cum iis qui benè miniſtráverint, partem recípere, & in gáudium tuum fácias introíre; Per.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Corínthios.

2. Cor. 5. FRatres; Scimus quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónĭs diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam ætêrnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperíndŭĭ cupientes : ſi tamen veſtíti, non nudi invêniámur. Nam & qui ſumus in hoc tabernáculo, ingemíſcimus graváti, eo quòd nólumus expoliári, ſed sŭperveſtíri; ut abſorbeátur, quod mortále êſt, à vita. Qui autem éfficit nos in hŏc ipſum, Deus, qui dedit nobis pîgnus Spíritus. Audentes ígitur ſem-

per, ſcientes quóniam dum ſumus in córpore, peregrĭnámur à Dómino: (per fidem enim ambulámus, & non per ſpéciem) audémus autem, & bonam voluntátem habémus magìs peregrinári à córpore, & præſentes êſſe ad Dóminum. Et ídeò contendimus, ſive abſentĕs, ſive præſentes, placêre illi. Omnes enim nos manifeſtári oportet ante trĭbúnal Chriſti, ut réferat unuſquiſque própria córporis, prout geſſit, ſive bonum, sîve malum. Scientes ergo tĭmórem Dómini, homínibus ſuădĕmus, Deo autem manifeſti ſumus.

Pſal. 59. *GRADUALE.* Non abſcondi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam: tu autem, Dómine, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me. ℣. Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die: lætífica ánimam ſervi tui, Pſal. 85. quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, & multæ miſericórdiæ.

Pſal. 42. *TRACTUS.* Emitte lucem tuam, Deus, & veritátem tuam: ipſa me deduxérunt, & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua. Quare triſtis es, ánima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad devotionem dicitur PROSA, DIES iræ, dies illa, *ut ſuprà die 2 Novembris, in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.*

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 4. IN illo témpore; Dicit diſcípulis Jesŭs: Meus cibus eſt, ut fáciam voluntátem ejus, quĭ miſit me, ut perfíciam opus ĕjus. Nonne vos dícitis, quòd adhuc quátŭŏr menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vŏbis: Leváte óculos veſtros, & vidétĕ regiónes, quia albæ ſunt jam ad mĕſſem. Et qui metit, mercédem áccipit, & congregat fructum ĭn vitam æternam; ut, & qui ſéminat, ſimul gáudeat, & qui mĕtit. In hoc enim ĕſt verbum verum; quia álius eſt qui ſéminat, & álius eſt qui mĕtit. Ego miſi vos métere quod vos nŏn laboraſtis: álii laboravérunt, & vos in labóres ĕŏrum introiſtis.

Pſal. 26. *OFFERTORIUM.* Unam pétii à Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ; ut vídeam voluptátem Dómini; & víſitem templum ejus. * Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. ℣. Scio quia per veſtram Phil. 1. oratiónem, ſecundùm expectatiónem & ſpem meam, in nullo confundar. * Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

SECRETÆ.

Pro PAPA.

M. A. SUſcipe Dómine, quæſumus, pro ánima fámuli tui *N.* ſummi Pontíficis, quas offérimus, hóſtias; ut, cui in hoc ſéculo pontificále donaſti méritum, eum in cœleſti Regno ſanctórum tuórum júbeas conjungi conſórtio; Per Dóminum.

Pro D.D. EPISCOPO.

M. P. IIſdem famulántes Myſtéris, quibus defúnctus Póntifex noſter *N.* tibi Dómine litávit, cleméntiam tuam exorámus; ut hujus virtúte ſacrifícii pervéniat ad interióra veláminis, ubi per eámdem hóſtiam introívit futurórum bonórum Póntifex Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum vivit & regnat.

Pro alio EPISCOPO ſeu PRÆLATO, vel PASTORE.

M. P. IMmenſam clementiam tuam, Dómine, ſupplíciter implorámus, ut hoc ſacrifícium, quod fámulus tuus *N.* Póntifex, (*vel* Sacerdos) dum eſſet in córpore, majeſtáti tuæ pro ſalúte fidélium óbtulit, ipſi nunc proſit ad véniam; Per Dóminum.

Pro SACERDOTE.

M. P. MEmor esto, quæsumus, Dómine, sacrifícii quod offérimus pro fámulo tuo *N.* Sacerdóte precántes; ut Christus mediátor ei subvéniat, quem médium inter te & pópulum tuum fieri voluisti; Per eumdem.

Præfatio pro Defunctis.

Psal. 15. *Communio.* Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, & locum habitatiónis glóriæ tuæ: redime me & miserére meî.

Postcommuniones.

Pro Papa. Orémus.

M. A. HUjus virtúte sacrifícii propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris: & ánimam fámuli tui *N.* summi Pontíficis, in regióne vivórum æternis fac gáudiis sociári; Per.

Pro D. D. Episcopo. Orémus.

M. P. TE sitiéntis ánimæ refrigérium, Dómine, deprecámur, ut fámulus tuus *N.* quem evangélicæ pacis minístrum nobis dedísti, dono tuæ pietátis júgiter in te requiéscat; Qui vivis & regnas cum Deo.

Pro alio Episcopo seu Prælato, vel Pastore. Orémus.

M. P. QUæsumus, omnípotens & miséricors Deus, ut fámulum tuum *N.* quem in terris pro Christo legatióne fungi tribuísti, his emundátum sacrifíciis, consedére fácias in cœléstibus cum eódem Christo Jesu Dómino nostro: Qui tecum vivit.

Pro SACERDOTE. Orémus.

M. P. SUmptis salutáribus sacramentis, implorámus cleméntiam tuam omnípotens Deus, ut fámulum tuum *N.* Sacerdótem, quem feciſti mysteriórum tuórum dispensatórem in terris, eórum fácias in cœlis apertâ veritáte nutríri; Per Dóminum.

Loco Ite, Missa est, *dicitur* Requiescant in pace. ℟. Amen.

In Die Tertio, Septimo, Trigesimo & aliis diebus post Obitum; in Anniversario primo Pontificis aut Sacerdotis, & in Missis quotidianis pro ipsis, Missa ut suprà in die Obitûs.

In Anniversariis tamen secundis ac deinceps, itemque in Missis quotidianis, post unam ex præcedentibus Orationibus, dicuntur duæ Orationes Deus véniæ: & Fidélium, *ut infrà*, cxxvj. *Epistola autem & Evangelium variantur secundùm hebdomadæ dies, in Anniversariis quidem secundis, &c. ut infrà*, cxxviij. *In Missis autem quotidianis, ut infrà*, cxxxiij.

Pro pluribus Pontificibus aut Sacerdotibus, ut suprà in die Obitus, cxxj. *præter Orationes sequentes.*

Pro pluribus PONTIFICIBUS.

Collecta. Orémus.

M. P. PRopitiáre, Dómine, fámulis tuis, quos Dóminus noster Jesus Christus in regéndis pópulis suos pósuit vicários; ut cùm apparúerit Princeps Pastórum, immarcescíbilem glóriæ corónam percípere mereántur; Per Dóminum.

Secreta.

M. P. HUjus oblatióne sacrifícii placáre, Dómine, Deus omnípotens, & concéde, ut fámulos tuos æterna glória consúmmet in cœlis, quos únctio sancta tibi consecrávit in terris; Per.

Postcommunio. Orémus.

M. P. TE Dómine, per suscépta mystéria deprecámur, ut quibus concéssa fuit sacerdótii plenitúdo, abundanter minístrétur introítus in ætérnum regnum Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi; Qui tecum vivit.

Pro pluribus SACERDOTIBUS.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui fámulis tuis onus ipſis angélicis ſpirítibus formidándum impoſúiſti; præſta quæſumus, ut qui gravi múnere fúncti ſunt in terris, uberióri miſericórdiæ tuæ benefício ſubleventur in cœlis; Per.

M. P. *Secreta.*

EXaudi nos, Dómine, pro fámulis tuis ſupplicantes, ut qui ſacrificiórum officia conſummavérunt in terris, nunc in ſancta Sion ætérnas tibi laudes perſólvant; Per.

M. P. *Postcommunio.* Orémus.

TE Dómine, pro fámulis tuis deprecámur, ut qui bonórum cœleſtium diſpenſatiónem à te recepérunt, expectatiónis ſuæ fructum in te percípiant; Per Dóminum.

Niger

IN DIE OBITUS

& in Depoſitione non Sacerdotis.

Introitus.

Exod. 33. REquiem dabo tibi, dicit Dóminus; inveniſti enim grátiam coram me, & teipſum novi ex nómine: ego oſtendam omne

Pſal. 70. bonum tibi. *Psalm.* In te, Dómine, ſperávi: non confundar in æternum: *in juſtítia tua líbera me, & éripe me. Réquiem æternam. Réquiem dabo.

Collectæ.

Pro DEFUNCTO. Orémus.

[*Si ſit Diaconus, poſt litteram* N. *additur* Diaconi; *quod in Secreta & Poſtcommunione ſervatur.*]

S. R. INclína, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuam ſúpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui *N.* quam de hoc ſéculo migráre juſſiſti, in pacis ac lucis regióne conſtítuas, & Sanctórum tuórum júbeas eſſe conſortem; Per.

Pro DEFUNCTA. Orémus.

QUæſumus, Dómine, pro tua pietáte, miſerére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & eam à contágiis mortalitátis exútam, in æternæ ſalvatiónis partem reſtítue; Per Dóminum. M. A.

Pro pluribus DEFUNCTIS *diverſi aut ejusdem ſexûs.* Orémus.

DEus, in cujus óculis non eſt ínnocens étiam laudábilis hóminum vita, ſi remótâ miſericórdiâ diſcútias eam; ne exquíras peccáta animárum quas tibi commendámus: ſed quam fiduciáliter ſperámus ac pétimus, fac eas apud te indulgéntiam invenire; Per Dóminum.

Léctio Epiſtolæ beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalónicenſes.

1. Theſſ. 4. NOlumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus, ut non contriſtémini, ſicut & céteri, qui ſpêm non habent. Si enim crédimus quòd Jeſus mórtuus eſt, et reſurrexit; ita & Deus eos, qui dormiérunt per Jeſum, addûcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini; quia nos, qui vívimus, qui reſídui ſumus in adventum Dómini, non præveniémus eos, qui dórmiérunt. Quóniam ipſe Dóminus in juſſu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei, deſcendet de cœlo; & mórtui, qui in Chriſto ſunt, reſúrgent primi. Deinde nos, qui vívimus, qui relínquimur, ſimul rapiémur cum illis in núbibus óbviam Chriſto in áera, & ſic ſemper cum Dómino érimus. Itaque conſolámini invicem in verbis iſtis.

Job. 14. *Graduale.* Expecto, Dómine, donec véniat immutátio mea: vocábis me, & ego reſpondébo tibi; óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. ℣. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti: ſed parce peccátis meis.

Pſal. 142. *Tractus.* Non intres in judícium cum ſervo tuo, Dómine, quia non

juſtificábitur

justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. Expandi manus meas ad te; ánima mea sicut terra sine aqua tibi. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, quia in te sperávi. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Dici poterit, ad devotionem, PROSA Dies iræ, *suprà*, *Die* 2. *Novembris.*

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap 11. IN illo témpore; Dixit Martha ad Jesum: Dómine, si fuisses hìc, frater meus non fúisset mórtuus: sed & nunc scio, quia quæcumque popósceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Mártha: Scio quia resurget in resurrectióne, in novíssimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurréctio & vita. Qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi: Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Mich. 7. *OFFERTORIUM.* Ego ad Dóminum aspíciam: expectábo Deum Salvatórem meum: áudiet me Deus meus: consurgam, cùm sédero in ténebris, Dóminus lux mea est: iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei: Gal. 2. *Edúcet me in lucem, vidébo justitíam ejus. ℣. Fílius Dei diléxit me, & trádidit semetipsum pro me. * Edúcet me in lucem, vidébo justítiam ejus.

SECRETÆ.

Pro DEFUNCTO.

S. R. ANnue nobis, quæsumus, Dómine, ut ánimæ fámuli tui *N.* hæc prosit oblátio; quam immolando, totíus mundi tribuisti relaxári delicta; Per Dóminum nostrum.

Pro DEFUNCTA.

M. A. HIs sacrifíciis, Dómine, sine quibus à culpa nemo liber éxtitit, ánima fámulæ tuæ *N.* à peccátis ómnibus exuátur; & per hæc piæ placatiónis offícia, perpétuam misericórdiam consequátur. Per Dóminum.

Pro pluribus DEFUNCTIS.

S. R. HAnc oblatiónem, quam tibi pro animábus famulórum tuórum, (*vel* famulárum tuárum) offérimus, quæsumus, Dómine, propítius intuére; & concéde, ut & mórtuis prosit ad véniam, quod cunctis vivéntibus præparáre dignátus es ad medélam; Per Dóminum.

PRÆFATIO DE DEFUNCTIS.

Apoc. 14. *COMMUNIO.* Beáti mórtui qui in Dómino moriuntur: ámodo, ut requiescant à labóribus suis; ópera enim illórum sequuntur illos.

POSTCOMMUNIONES.

Pro DEFUNCTO. Orémus.

S. R. PRosit, quæsumus, Dómine, ánimæ fámuli tui *N.* ineffábile quod tibi obtúlimus sacrifícium; ut ejus, in quo sperávit & crédidit, æternum cápiat, te miserante, consórtium; Per Dóminum.

Pro DEFUNCTA. Orémus.

M. A. INvéniat, quæsumus, Dómine, ánima fámulæ tuæ *N.* his purgáta sacrifíciis, lucis æternæ consórtium, quæ in hac luce pósita, misericórdiæ tuæ consecúta est sacramentum; Per Dóminum.

Pro pluribus DEFUNCTIS. Orémus.

S. R. ANimábus famulórum tuórum, (*vel* famulárum tuárum) Dómine, pro quibus hoc tibi obtúlimus sacrifícium, placátus adesto; ut si quæ eis máculæ de terrénis contágiis adhæsérunt, miseratiónis tuæ véniâ deleantur; Per Dóminum.

In Die Tertio, Septimo, & Trigesimo post mortem non Sacerdotis, dicitur Missa ut suprà in die Obitus, cxxiv. *præter Orationes sequentes.*

Collecta. Orémus.

S. R. QUæsumus, Dómine, ut ánimæ fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* cujus depositiónis diem tértium (*vel* séptimum) (*vel* trigésimum) commemorámus, sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium, & rorem ei misericórdiæ tuæ perennem infundas; Per.

Secreta.

S. R. MUnera, quæsumus, Dómine, quæ tibi pro ánima fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* offérimus, placátus intende; ut remédiis purgáta cœléstibus, in tua pietáte requiescat; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

S. R. OMnípotens sempiterne Deus, fámul$^{u}_{a}$m tu$^{u}_{a}$m *N.* cujus diem depositiónis tértium, (*vel* séptimum) (*vel* trigésimum) divíni perceptióne Mystérii celebrámus, in sinu Abrahæ, Isaac & Jacob locáre dignáre; ut cùm dies agnitiónis tuæ vénerit, inter sanctos & electos tuos e$^{u}_{a}$m resuscitári præcípias; Per.

IN ANNIVERSARIIS.

Niger

Introitus.

Is. 58. REquiem tibi dabit Dóminus semper, & implébit splendóribus ánimam tuam, & ossa tua liberábit. *Psalm.* Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Réquiem æternam. Réquiem tibi dabit.

Psal. 41.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* cujus anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum.

In primo Anniversario, dicitur tantùm Collecta precedens; in aliis, adduntur duæ sequentes.

Pro Fratribus, Sororibus, Propinquis & Benefactoribus. Orémus.

M. A. DEus véniæ largítor; & humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis Fratres, Soróres, Propinquos, & Benefactóres, qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper vírgine intercedente, cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas; Per.

Pro omnibus Defunctis.

S. R. FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor: animábus famulórum, famulárumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Epistola legitur una ex iis quæ infrà posítæ sunt pro singulis hebdomadæ diebus cxxviij.

Graduale. Quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? Et substántia mea apud te est. Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me. ℣. Amove à me plagas tuas: à fortitúdine manûs tuæ ego defeci. Psal. 38.

Tractus. Clamávi de tribulatióne mea ad Dóminum; de ventre ínferi clamávi. Projecísti me in profundum: omnes gúrgites tui & fluctus tui super me transiérunt. Verúmtamen rursùs vidébo templum sanctum tuum, & sublevábis de corruptióne vitam meam, Dómine Deus meus. Véniat ad te orátio mea ad templum sanctum tuum. Jon. 2.

Prosa, si dicitur, Dies iræ, *suprà, Die* 2. *Novembris.*

Evangelium legitur unum ex iis quæ infrà posita sunt pro singulis hebdomadæ diebus cxxviij.

Psal. 141. *Offertorium.* Clamávi ad te, Dómine, dixi: tu es spes mea, pórtio mea in terra viventium: educ de custódia ánimam meam ad confitendum nómini tuo: * Me expectant justi, donec retríbuas mihi. ℣. Desíderat ánima mea ad te Deus: quando véniam & apparébo ante fáciem Dei? * Me expectant justi donec retríbuas mihi.

Psal. 41.

Secretæ.

S. R. PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, pro ánima fámul$^{i}_{æ}$ tui$^{i}_{æ}$ *N.* in cujus ánnua die tibi offérimus sacrifícium laudis; ut eam Sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris; Per Dóminum.

Pro Fratribus, Sororibus, Propinquis & Benefactoribus.

M. A DEus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ; & animábus Fratrum, Sorórum, Propinquórum, & Benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, intercedente beátâ Dei genitríce Maríâ, cum ómnibus Sanctis, per has oblatiónes, cunctórum remissiónem tríbue peccatórum.

Pro omnibus Defunctis.

S. R. HOstias, quæsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum, famulárumque tuárum offérimus, propitiátus intende; ut quibus fídei Christiánæ méritum contulísti, dones & præmium; Per Dóminum.

Præfatio de Defunctis.

Job. 19. *Communio.* Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum; & in carne mea vidébo Deum meum: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

Postcommunio. Orémus.

S. R. PRæsta, quæsumus, Dómine, ut ánima fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* cujus anniversárium depositiónis diem commemorámus, his purgáta sacrifíciis, indulgéntiam páriter & réquiem cápiat sempiternam; Per Dóminum.

Pro Fratribus, Sororibus, Propinquis & Benefactoribus. Orémus.

M. A. PRæsta, quæsumus, omnípotens & miséricors Deus, ut ánimæ Fratrum, Sorórum, Propinquórum, & Benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem sacramenti, & intercessiónem beátæ Vírginis Maríæ & ómnium Sanctórum; à peccatis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miserante, recípiant beatitúdinem; Per Dóminum.

Pro omnibus Defunctis.

S. R. ANimábus, quæsumus, Dómine, famulórum, famulárumque tuárum, in hoc venerábili Sacrifício, orátio proficiat supplicántium; ut eas, & à peccátis ómnibus éxuas, & tuæ redemptiónis fácias esse partícipes; Qui vivis.

In eadem Missa pro pluribus dicitur

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, indulgentiárum Dómine, da animábus famul$^{o}_{a}$rum tu$^{o}_{a}$rum qu$^{o}_{a}$rum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum.

Secreta.

S. R. PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, pro animábus famul$^{o}_{a}$rum tu$^{o}_{a}$rum, in qu$^{o}_{a}$rum ánnuâ die tibi offérimus sacrifícium laudis; ut eas Sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. PRæsta, quæsumus; Dómine, ut ánimæ famulárum tuárum, quárum anniversárium depositiónis diem commemorámus, his purgátæ sacrifíciis, indulgéntiam páriter & réquiem cápiant sempiternam; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus; Per.

FERIA SECUNDA.

Léctio libri Machâbæórum.

Lib. 2. Cap. 12. IN diébus illis; Fortíssimus Judas, facta collatióne, duódecim míllia drachmas argénti misit Jerosólimam, offerri pro peccátis mortuórum sacrifícium, benè & religiósè de resurrectióne cógitans; (nisi enim eos, qui cecíderant, resurrectúros speráret, supérfluum viderétur & vanum óráre pro mórtuis:) & quia considerábat quòd hi, qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repósitam grátiam. Sancta ergo & salúbris est cogitátio pro defunctis exórare, ut à peccátis solvantur.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joánnem.

Cap. 5. IN illo témpore; Dixit Jesus Judæis: Pater díligit Fílium, & ómnia demonstrat ei, quæ ipse facit; & majóra his demonstrábit ei ópera, ut vos miremini. Sicut enim Pater súscitat mórtuos, & vivíficat; sic & Fílius, quos vult, vivíficat. Neque enim Pater júdicat quemquam, sed omne judícium dedit Fílio, ut omnes honoríficent Fílium, sicut honoríficant Pátrem. Qui non honoríficat Fílium, non honoríficat Patrem, qui misit illum. Amen, ámen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judícium non vénit, sed tránsiit à morte in vitam.

FERIA TERTIA.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 3. FRatres; Fundamentum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Chrîstus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam, uniuscujusque opus manifêstum erit. Dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit quod superædificávit, mercêdem accípiet. Si cujus opus árserit, detrimentum patiétur; ipse autem salvus erit, sic támen quasi per ignem.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Márcum.

Cap. 12. IN illo témpore; Dixit Jesus Saducæis: Nonne ídeò errátis, non sciéntes Scriptúras, neque virtútem Dei? Cùm enim à mórtuis resurréxerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli in cœlis. De mórtuis autem quòd resurgant, non legístis in libro Móysi, super rubum quómodò díxerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuórum, sed vivórum. Vos ergo multum errátis.

FERIA QUARTA.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

1. Cor. 15. FRatres; Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo órdine, primitiæ Christus; deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crédidérunt. Deinde finis: cùm tradíderit regnum Deo & Patri: cùm evacuáverit omnem principátum, & potestátem, êt virtútem.

Opórtet autĕm illum regnáre, donec ponat omnes inimicos ſub pêdibus ejus. Noviſsĭmă ăutem inimíca deſtruétur mors.

Seqúentia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 24. IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis sŭis: Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſque ĭn Occidentem; ita erit & adventus Fílii hŏminis. Ubicumquĕ fúerit corpus, illic congregabúntur & ăquilæ. Statim autem poſt tribulatiónem diérum illórum, ſol obſcurábitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtútes cœlórum cŏmmovebuntur: & tunc parébit ſignum Fílii hóminis in cœlo. Et tunc plangent omnĕs tribus terræ; & vidébunt Fílium hóminis venientem in núbibus cœli cum virtúte multa, & majeſtăte. Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna; & congregábunt electos ejus ă quátuor ventis, à ſummis cœlŏrum uſque ad términos eórum.

FERIA QUINTA.

Léctio libri Apocalypſis beáti Joânnis Apóſtoli.

Cap. 20. IN dĭébus illis; Vidi mórtuos magnos & puſillos, ſtantes in cŏnſpectu throni; & libri aperti ſunt: & álius liber apértus eſt, quî eſt vitæ. Et judicáti ſunt mórtui ex his, quæ ſcriptă erant in libris, ſecundùm ôpera ipſórum. Et dedit mare mórtuos, qui in eo erant; & mors & infernus dedérunt mórtuos ſuos, qui ĭn ipſis erant: & judicátum eſt de ſíngulis ſecundùm ôpera ipſórum. Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtâgnum ignis. Hæc eſt môrs ſecunda. Et qui non inventus eſt in librŏ vitæ ſcriptus, miſſŭs ĕſt in ſtagnum ignis.

Sequéntia ſanctĭ Evangélii ſecundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jeſus tŭrbis: Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me; ut omnis qui videt Fílium, & credit in eum, hábĕăt vitam æternam; & ego reſuſcitábo eum in noviſſimo dĭe. Murmurábant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet, Ego ſum panis vivus, qui dĕ cœlo deſcendi, & dicĕbant: Nonne hic eſt Jeſus fílius Joſeph, cujus nos nóvimus patrem, & matrem? Quómodò ergŏ dicit hic, quia de cœlo deſcendi? Reſpondĭt ergo Jeſus, & dixit ĕis: Nolíte murmŭráre in ínvicem; nemo poteſt veníre ad me, niſi Pater, qui miſit me, tráxerit eum; & ego reſuſcitábŏ ĕum in noviſſimo die.

FERIA SEXTA.

Léctio Ezechiêlis Prophétæ.

Cap. 37. IN dĭébus illis; Facta eſt ſuper me manus Dómini, & edúxit me in ſpíritu Dómini; & dimíſit me in médio campi, qui erat plênus óſſibus. Et circumduxit me per êa in gyro. Erant autem multa valdè ſupĕr fáciem campi, ſiccáque vêhementer. Et dîxit ad me: Fili hóminis, putaſne vivent oſſa iſta? Et dixi: Dómine Dêus, tu noſti. Et dîxit ad me: Vaticináre dĕ óſſibus iſtis, & dîces eis: Oſſa árida, audítĕ verbum Dómini; hæc dicit Dóminus Deus ôſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpíritum & vivétis, & dabo ſuper vos nervos, & ſuccréſcere fáciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem; & dabo vobis ſpírĭtŭm, & vivétis: & ſciétis quia êgo Dóminus. Et prophetávi ſicut præcêperat mihi. Factus eſt autem ſónitus, prophetante me; ĕt ecce commótiŏ: & acceſſérunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad junctûram ſuam. Et vidi, & ecce ſuper ea nervi, & car-

nes ascendérunt ; & extenta est in eis cutis désuper, & spíritum nôn habébant. Et dîxit ad me : Vaticináre ad spíritum : vaticinárĕ, fili hóminis ; & dîces ad spíritum : Hæc dicit Dôminus Deus : A quátuor ventis veni, spíritus, & insuffla super intĕrfectos istos, & rêviviscant. Et prophetávi sicut præcéperat mihi : & ingréssus est in ea spíritus, & vixérunt ; steteruntque super pedĕs sŭos exercitus grandis.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 16. IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis sŭis : Quid prodest hómini, si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur ? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua ? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cŭm Angelis suis ; & tunc reddet unicŭique secundùm ópera ejus.

SABBATO.

Léctio Daniêlis Prophétæ.

Cap. 12. IN illo témpore consúrget Míchael princeps magnus, qui stat pro fíliis pópuli tui : & véniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœpérunt, usque ad têmpus illud. Et in témpore illo salvábĭtŭr pópulus tuus, omnis qui invéntus fúerit scrîptus in libro. Et multi de his, qui dórmiunt in terræ púlvere, evigilábunt ; álii in vitam æternam, & álii in ŏppróbrium, ut vídeant semper.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Mărcum.

Cap. 13. IN illo témpore ; Dixit Jesus Petro, & Jacóbo, & Joanni, & Andrĕæ : Mittet Fílius hómĭnĭs Angelos suos, & congregábit electos suos à quátuor ventis, à summo terræ, usque ad summum cœli. A ficu autem díscite parábolam. Cum jam ramus ejus tener fúerit, & nată fúerint fólia, cognóscitis quia in próximo sit æstas. Sic & vos cùm vĭdéritis hæc fíeri, scitóte quòd in próximo sit in ŏstiis. Ămen dico vobis, quóniam non transíbit generátio hæc, donec ómnia ista fĭant. Cœlum ĕt terra transíbunt, verba autem mea non transĭbunt. De die autem illo vĕl hŏra nemo sit.

IN MISSIS QUOTIDIANIS PRO DEFUNCTO vel DEFUNCTA. *Niger.*

INTROITUS.

Thre. 3. INundavérunt aquæ super caput meum : invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu novíssimo : vocem meam audísti ; ne avertas aurem tuam à singultu meo, & clamóribus.

Psal. 129. *PSALM.* De profundis clamávi ad te, Dómine ; * Dómine, exaudi vocem meam. Réquiem. Inundavérunt.

COLLECTÆ.

Pro DEFUNCTO. Orémus.

[*Si sit Diaconus, post litteram* N. *additur* Diáconi : *quod in Secreta & Postcommunione servatur.*]

S. R. INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui *N.* quam de hoc século migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem ; Per Dóminum.

Pro DEFUNCTA. Orémus.

M. A. QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte, miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & eam à contágiis mortalitátis exútam, in æternæ salvatiónis partem restítue ; Per Dóminum.

In his Missis, post unam ex præcedentibus Collectis, adduntur duæ sequentes.

Pro FRATRIBUS, SORORIBUS, PROPINQUIS & BENEFACTORIBUS. Orémus.

M. A. DEus, véniæ largítor, & humánæ ſalútis amátor, quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ congregatiónis Fratres, Soróres, Propinquos & Benefactóres, qui ex hoc ſéculo tranſiérunt, beáta Maríâ ſemper vírgine intercedénte, cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis conſórtium pervenire concédas.

Pro omnibus DEFUNCTIS.

S. R. FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor: animábus famulórum famulárumque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequantur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

EPISTOLA legitur una ex iis quæ infrà poſitæ ſunt pro ſingulis hebdomadæ diebus.

Pſal. 22. *GRADUALE.* Si ámbulem in médio umbræ mortis, non timébo mala; quóniam tu mecum es, Dómine. ℣. Virga tua & báculus tuus, ipſa me conſoláta ſunt.

2. Reg. 22. *TRACTUS.* Dóminus petra mea, & robur meum, & ſalvátor meus. Funes inférni circumdedérunt me: prævenérunt me láquei mortis. In tribulatióne mea invocábo Dóminum, & ad Deum meum clamábo. Et exáudiet de templo ſuo vocem meam; & clamor meus véniet ad aures ejus.

EVANGELIUM legitur unum ex iis quæ infrà poſita ſunt pro ſingulis hebdomadæ diebus.

Eſth. 13. *OFFERTORIUM.* Dómine rex, Deus Abraham, miſerére pópuli tui: ne deſpícias partem tuam, quam redemiſti tibi, & propítius eſto ſorti & funículo tuo: * Converte luctum noſtrum in gáudium, ut vivéntes laudémus nomen tuum, Dómine. ℣. Dómine, ne repellas in finem; quare fáciem tuam avertis, oblivíſceris tribulatiónis noſtræ. * Converte luctum noſtrum in gáudium, ut vivéntes laudémus nomen tuum, Dómine. Pſal. 43.

SECRETÆ.

Pro DEFUNCTO.

S. R. ANnue nobis, quæſumus, Dómine, ut ánimæ fámuli tui *N.* hæc proſit oblátio, quam immolándo, totíus mundi tribuíſti relaxári delicta; Per eumdem.

Pro DEFUNCTA.

M. A. HIs ſacrifíciis, quæſumus, Dómine, ſine quibus à culpa nemo liber éxtitit, ánima fámulæ tuæ *N.* à peccátis ómnibus exuátur; ut, per hæc piæ placatiónis offícia perpétuam miſericórdiam conſequátur; Per Dóminum.

Pro FRATRIBUS, SORORIBUS, PROPINQUIS, & BENEFACTORIBUS.

M. A. DEus, cujus miſericórdiæ non eſt númerus: ſúſcipe propítius preces humilitátis noſtræ; & animábus Fratrum, Sorórum, Propinquórum, & Benefactórum noſtrórum, quibus tui nóminis dedíſti confeſſiónem, intercedente beátâ Dei Genitríce Maríâ cum ómnibus Sanctis, per has oblatiónes, cunctórum remiſſiónem tríbue peccatórum.

Pro omnibus DEFUNCTIS.

S. R. HOſtias, quæſumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum, famulárumque tuárum offérimus, propitiátus inténde; ut quibus fídei chriſtiánæ méritum contulíſti, dones & præmium; Per.

PRÆFATIO DE DEFUNCTIS.

Pſal. 114. *COMMUNIO.* Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, quia Dóminus benefécit tibi: placébo Dómino in regióne vivórum.

Postcommuniones.

Pro Defuncto. Orémus.

S. R. PRosit, quæsumus, Dómine, ánimæ fámuli tui *N.* ineffábile quod tibi obtúlimus sacrifícium; ut ejus, in quo sperávit & crédidit, æternum cápiat, te miserante, consórtium; Per.

Pro Defuncta. Orémus.

S. A. INvéniat, quæsumus, Dómine, ánima fámulæ tuæ *N.* his purgáta sacrifíciis lucis æternæ consórtium, quæ in hac luce pósita, misericórdiæ tuæ consecúta est sacramentum; Per.

Pro Fratribus, Sororibus, Propinquis & Benefactoribus. Orémus.

M. A. PRæsta, quæsumus, omnípotens & miséricors Deus; ut ánimæ Fratrum, Sorórum, Propinquórum, & Benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem sacramenti, & intercessiónem béatæ Vírginis Máriæ & ómnium Sanctórum, à peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miserante, recípiant beatitúdinem.

Pro omnibus Defunctis.

S. R. ANimábus, quæsumus, Dómine, famulórum famulárumque tuárum, in hoc venerábili sacrifício, orátio proficiat supplicántium; ut eas, & à peccátis ómnibus éxuas, & tuæ redemptiónis fácias esse partícipes; Qui vivis & regnas cum Deo.

Niger. IN MISSIS QUOTIDIANIS

PRO PLURIBUS DEFUNCTIS, ejusdem aut diversi Sexûs.

Introitus.

Psal. 43. DEus, humiliásti nos in loco afflictiónis, & coopéruit nos umbra mortis: Quare fáciem tuam avertis? Dómine ne repellas in finem. *Psalm.* Deus, áuribus nostris audívimus: * patres nostri annuntavérunt nobis opus quod operátus es in diébus eórum. Réquiem. Deus.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, in cujus óculis non est innocens étiam laudábilis hóminum vita, si remótâ misericórdiâ discútias eam: ne exquíras peccáta animárum quas tibi commendámus; sed quam fiduciáliter sperámus ac pétimus, fac eas apud te indulgéntiam invenire; Per Dóminum.

In his Missis, post unam ex præcedentibus Collectis, adduntur duæ Collectæ, Deus véniæ largítor, & Fidélium, *ut suprà,* cxxxj.

Epistola legitur una ex iis quæ infrà posítæ sunt pro singulis hebdomadæ diebus.

Graduale. Dómine, quousquè cibábis nos pane lacrymárum; & potum dabis nobis in lácrymis in mensúra? ℣. Deus virtútum, convértere: réspice de cœlo, & vide; ostende fáciem tuam, & salvi érimus. Psal. 79.

Tractus. Memento nostrî, Dómine; vísita nos in salutári tuo: Ad videndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítia gentis tuæ; ut laudéris cum hæreditáte tua. Salvos nos fac, Dómine Deus noster, & cóngrega nos, ut confiteámur nómini sancto tuo, & gloriémur in laude tua. Psal. 105.

Evangelium legitur unum ex iis quæ infrà posita sunt pro singulis hebdomadæ diebus.

Offertorium. Cáritas fraternitátis máneat in vobis: mementóte vinctórum, tanquam simul vincti: * Beneficentiæ & communiónis nolíte oblivíscí: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. ℣. Fácite manna, & offerte ad aram Dómini Dei nostri, & pro nobis oráte ad Dóminum Deum nostrum. * Beneficentiæ & communiónis nolíte oblivíscí: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Hebr. 13. Baruc 1.

Secreta.

S. R. HAnc oblatiónem, quam tibi pro réquie & animábus famulórum tuórum, (*vel* famulárum tuárum) offérimus, quæsumus, Dómine, propítius intuére; & concéde, ut & mórtuis prosit ad véniam, quod cunctis vivéntibus præparáre dignátus es ad medélam; Per Dóminum.

Præfatio pro Defunctis.

Is. 65. *Communio.* Tu, Dómine, Pater noster, redemptor noster, à século nomen tuum: convértere propter servos tuos, tribus hæreditátis tuæ.

Postcommunio. Orémus.

S. R. ANimábus famulórum tuórum, (*vel* famulárum tuárum,) Dómine, pro quibus hoc tibi obtúlimus sacrifícium, placátus adésto; ut si quæ eis máculæ de terrénis contágiis adhæsérunt, miseratiónis tuæ véniâ deleantur; Per Dóminum.

FERIA SECUNDA.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joânnis Apóstoli.

Cap. 14. IN diébus illis; Audívi vocem de cœlo, dicêntem mihi: Scribe: Bĕáti mórtui, qui in Dómino môriuntur. Amodò jam dicit Spíritus, ut requiescant à lăbóribus suis: ópera enim illŏrum sequuntur illos.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jesus Judæis: Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; & eum, qui venit ad me, non ějíciam foràs: quia descendi de cœlo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem ejus, qui misit mĕ. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris; ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resúscitem illud in novíssimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me; ut omnis, qui videt Fílium, & credit in eum, hábeat vitam ætérnam; & ego resuscitábŏ ĕum in novíssimo die.

FERIA TERTIA.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli âd Corínthios.

FRatres; Si Christus prædicátur quòd resŭrrexit à mórtuis, quómodò quidam dicunt in vobis, quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortŭórum non est, neque Christus rêsurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est ĕt fides vestra: invenímur autem & falsi testes Dei, quóniam testimónium díximus adversùs Deum, quòd suscitáverit Christum, quem non suscitávit, si mórtui nôn resurgunt. Nam si mórtŭi non resurgunt, neque Christus rêsurrexit. Quòd si Christus nŏn resurrexit, vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccâtis vestris. Ergo & qui dormĭérunt in Christo, pêriérunt. Si in hac vita tantùm in Christo spĕrantes sumus, miserabilióres sumus ômnibus homínibus. Nunc autem Christus resurrexit à mórtuis primĭtĭæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, & pĕr hŏminem resurréctio mortuórum. 1. Cor. 15.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 5. IN illo témpore; Dixit Jesus Judæis: Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judícium non venit, sed tránsiit à morte in vĭtam. Amen, ămen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mórtui áudient vocem Fílii Dei; & qui ăudĭerint, vivent.

FERIA QUARTA.

Léctio libri Ecclêsiástici.

Cap. 7. GRátia dati in conspectŭ omnis viventis, & mórtuo non prohîbeas grátiam. Non desis plorántibus in consŏlátione, & cum lugêntibus ámbula. Non te pígeat visitáre infirmum: ex his enim in dilectiône firmáberis. In ómnibus opĕribus tuis memoráre nŏvíssima tua, & in ætĕrnum non peccábis.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jesus Judæis: Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misĭt mĕ, tráxerit eum; & ego resuscitábo eum in novíssimo dĭe. Est scriptŭm in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dĕi. Omnis, qui audívit à Patre, & dídĭcĭt, venit ad me: non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Pătrem. Amen, ămen dico vobis: Qui credit ĭn mĕ, habet vitam æternam.

FERIA QUINTA.

Léctio Malachîæ Prophétæ.

Cap. 4. HÆc dîcit Dóminus: Dies véniet succensă quasi camínus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietátem, stípula; & inflammábit eos dies véniens, dicit Dóminus exercítuum, quæ non derelinquet eis radîcem & germen. Et oriétur vobis timéntibus nomen meum sol justítiæ, & sánitas ĭn pennis ejus: & egrediémini, & saliétis sicut vítuli dê armento. Et calcábitis ímpios, cùm fúerint cinis sub planta pedum vestrórum, in die quă ego fácio, dicit Dóminus êxercítuum. Mementóte legis Móysi servi mei, quam mandávi ei in Horeb ad omnĕm Israel, præcepta êt judícia. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequàm véniat dies Dómini magnŭs & horríbilis: & convertet cor patrum ad fílios, & cor filiórum ad patres eórum; ne fortè véniam, & percútĭăm tĕrram anathémate.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joănnem.

Cap. 6. IN illo témpore; Dixit Jesus Judæis: Amen, ămen dico vobis, Nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis, & bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vŏbis. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, habĕt vitam æternam: & ego resuscitábŏ ĕum in novíssimo die.

FERIA SEXTA.

Léctio Bâruch Prophétæ.

Cap. 3. NUnc, Dómine omnípotens, Deŭs Israel, ánima in angústiis, & spíritus ánxius clâmat ad te. Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es misércors; & misĕrere nostrî, quia peccávimus ânte te. Quia tu sedes ĭn sempiternum, & nos perîbimus in ævum? Dómine, omnípotens, Deus Israel, audi nunc oratĭŏnem mortuórum Israel.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 24. IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis sŭis: Cœlum ĕt terra transíbunt, verba autem mea non prætcrĭbunt. De die autem illa & horă nemo scit, neque Angeli cœlórum, nisi solus Păter. Sicut autem in dĭebus Noë, ita erit & advéntus Fílii hŏminis. Sicut enim erant in diébus ante dilúvium comedentes & bibentes & nubentes & núptui tradentes, usque ad eum diem, quo intrávit Noë in arcam; & non cognovérunt donec venit dilúvium, ĕt tulit omnes: ita erit & adventus Fílii hŏminis. Tunc duo erunt in agro; unus assumétur; & unŭs re-

linquetur : duæ molentes in mola ; una aſſumétur, & una relinquĕtur. Vigĭláte ergo, quia neſcítis quă hŏra Dóminus veſter ventúrus ſit.

SABBATO.

Léctio Joêlis Prophétæ.

Cap. 3. HÆc dîcit Dóminus : Conſurgant & aſcendant Gentes in vallĕm Jóſaphat ; quia ibi ſedébo, ut júdicem omnes gentes în circúitu. Míttite falces, quóniam maturâvit meſſis. Veníte, & deſcéndite ; quia plenum eſt tórcular, exúbĕrănt torculária : quia multiplicáta eſt malîtia eórum. Pópuli in valle cŏncíſiónis : quia juxta eſt dies Dómini in valle concîſiónis. Sol & luna obtenĕbráti ſunt, & ſtellæ retraxérunt ſplendôrem ſuum. Et Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúſalem dabĭt vocem ſuam : & movĕbŭntur cœli & terra.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 13. IN illo témpore ; Dixit Jeſus Petro, & Jacóbo, & Joanni, & Andrĕæ : Sol contenebrábitur, & luna non dabit ſplendórem ſuum, & ſtellæ cœli erŭnt decidentes ; & virtútes, quæ in cœlis ſunt, movebŭntur. Et tunc vidébunt Fílium hóminis venĭentem in núbibus, cum virtúte multa, & glŏria. Et tunc mittet Angelos ſuos, & congregábit electos ſuos ă quátuor ventis, à ſummŏ tĕrræ, uſque ad ſummum cœli.

MISSA PRO OMNIBUS FIDELIBUS DEFUNCTIS.

Hæc Miſſa dicitur ut in die Commemorationis omnium Defunctorum, die ſecundâ Novembris, cum unicâ Oratione, Fidélium.

IN EXEQUIIS PARVULORUM. *Alb.*

INTROITUS.

VEníte, benedícti Patris mei, percípite regnum, Allelúia, quod vobis parátum eſt ab orígine mundi. Allelúia, allelúia, allelúia. [*Poſt Septuageſimam, omittitur* Allelúia.] *PSALM.* Confitémini Dómino quóniam bonus ; * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. Glória. Veníte. Matt. 25. Pſal. 117.

Dicitur Glória in excelſis.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens & mitíſſime Deus, qui ómnibus párvulis renátis fonte baptíſmatis, dum migrant à ſéculo, ſine ullis eórum méritis, vitam íllicò largíris æternam, fac nos, quæſumus, per interceſſiónem beátæ Maríæ ſemper vírginis, & ómnium electórum tuórum, hìc purificátis tibi méntibus famulári, & in paradíſo beátis párvulis perénniter ſociári ; Per Dóminum. M. P.

Léctio Epíſtolæ beátĭ Pauli Apóſtoli âd Romános.

Cap. 11. OAltitúdo divitiárum ſapiéntiæ & ſciéntiæ Dei ! Quàm incomprehenſibília ſunt jŭdícia ejus, & inveſtigábiles viæ ejus ! Quis enim cognóvit ſenſum Dómini ? aut quis conſiliárius ejus fuit ? aut quis prior dedit illi, & retribuétur ei ? Quóniam ex ipſo, & per ipſum, & ĭn ipſo ſunt ómnia : ipſi glória ĭn ſĕcula. Amen.

A Trinitate ad Septuageſimam.

GRADUALE. Non ex opéribus juſtítiæ, quæ fécimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit Deus per lavácrum regeneratiónis. ℣. Quàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine ! nimis profundæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ. Tit. 3. Pſal. 91.

Tob. 13. Allelúia, allelúia. ℣. Lætáberis; Jerúſalem, in fíliis tuis; quóniam omnes benedicéntur & congregabuntur ad Dóminum. Allelúia.

PROSA.

M. P. FUNERI ne date planctum:
Funus hoc, funus ſanctum.
Vitam mors hæc largítur:
Cœlum hìc aperítur,
Nil damnatiónis reperítur.
NON eſt ſalus volentis;
Non eſt merces currentis:
Eſt totum grátiæ miſerentis.
Sine curſu donat;
Sine pugna corónat.
HINC rápere properávit,
Propóſito Deus qui vocávit.
Felíci quid nos optémus
Animæ? quid poſtulémus?
QUIN ipſa Chriſtum precátur,
Reis nobis ut miſereátur.
Tæſos vitæ, Chriſte, longæ
Nos párvulis junge:
Choris beátis
Nos infer gratìs. Amen.

Poſt Septuageſimam, (omiſſis Allelúia ℣. *& Proſa,) Graduali additur*

Pſal. 123. *TRACTUS.* Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de láqueo venántium. Láqueus contrítus eſt & nos liberáti ſumus. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum & terram.

Tempore Paſchali, loco Gradualis & Tractûs, dicitur

Tob. 13. Allelúia, allelúia. ℣. Lætáberis, Jerúſalem, in fíliis tuis, quóniam omnes benedicéntur & congregabúntur ad Dóminum.

Pſal. 24. Allelúia, allelúia. ℣. Laudáte púeri, Dóminum; laudáte nomen Dómini. Allelúia.

Deinde dicitur Proſa Fúneri, *ut ſuprà.*

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mărcum.

Cap. 10. IN illo témpore; Offerébănt Jeſu párvulos, ut tángeret illos. Diſcípuli autem comminabantur offerĕntibus. Quos cùm vidéret Jeſus, indignè tulit, & ait illis: Sínite párvulos veníre ad me, & ne prohibŭéritis eos; tálium enim eſt regnum Dĕi. Amen dico vobis: Quiſquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud. Et complexans eos, & impónens manus ſupĕr illos, benedicébat eos.

Dicitur Credo.

Apoc. 14. *OFFERTORIUM.* Hi empti ſunt ex homínibus, primítiæ Deo & Agno; & in ore eórum non eſt inventum mendácium: ſine mácula enim ſunt ante thronum Dei.

[*Extra Septuageſimam additur* Allel.]

SECRETA.

M. P. DEus, qui miſeréris cujus miſerĕris, oblátum tibi ſacrifícium benígnus ſúſcipe; quo & vocáti ſecundùm propóſitum infantis célerem ſine pugna victóriam celebrámus, & nobis depóſcimus contínuum in periculóſo certámine adjutórium; Per Dóminum.

Sap. 19. *COMMUNIO.* Tanquam agni exultavérunt, magnificantes te, Domine, qui liberaſti illos. (*Extra Septuageſimam additur* Allelúia.)

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui properáſti edúcere plácitam tibi ánimam felícis infantis: da peregrinántibus à te & per fidem adhuc ambulántibus; ut cœleſti quo nutrímur cibo illumináti & confortáti, mundi hujus nec mutémur malítiâ, nec fictióne decipiámur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

ORATIONES AD DIVERSA.

Quo ritu hæ Orationes ſint dicendæ, vide ſuprà in Rubricis generalibus, Cap. V.

I. ORATIONES DE DEO, DE BEATA MARIA, DE ANGELIS ET DE SANCTIS.

1. De SS. Trinitate.

Collecta. Orémus.

S. R. OMnípotens ſempitérne Deus, qui dedíſti fámulis tuis, in confeſſióne veræ fídei æternæ Trinitátis glóriam agnóſcere, & in poténtia majeſtátis adoráre Unitátem: quæſumus, ut ejuſdem fídei firmitáte, ab ómnibus ſemper muniámur adverſis; Per.

Secreta.

S. R. SAnctífica, quæſumus, Dómine, per Unigéniti tui virtútem, hujus oblatiónis hóſtiam; & cooperante Spíritu ſancto, per eam noſmetipſos tibi pérfice munus æternum; Per eumdem... in unitáte ejuſdem.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DOmine Deus, Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis patérnitas in cœlo & in terra nominátur: da nobis, ſacro múnere recreátis, virtúte corroborári per Spíritum tuum in interiórem hóminem, & ſcire ſupereminentem ſciéntiæ caritátem Chriſti; ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei; Per eumdem...; in unitáte ejuſdem.

2. De S. Spiritu.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui corda fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuiſti: da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére; Per Dóminum... in unitáte ejuſdem.

Secreta.

S. R. MUnera, quæſumus, Dómine, obláta ſanctífica, & corda noſtra ſancti Spíritûs illuſtratióne emunda; Per Dóminum.... in unitáte ejuſdem.

Postcommunio. Orémus.

S. R. MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Spíritus ſanctus divínis réparet ſacraméntis, & ſui roris íntimæ aſperſióne fœcundet; Per.... in unitáte ejuſdem.

3. De SS. Nomine Jesu.

Ut in Miſſa ejuſdem Feſto.

4. De Jesu Infante.

Ut in Miſſa votiva de eodem, lvij.

5. De SS. Sacramento.

Collecta. Orémus.

M. P. DOmine Jeſu, qui ex hoc mundo tranſitúrus ad Patrem, ſacramentum córporis & ſánguinis tui in alimentum ſimul & ſolátium Eccléſiæ tuæ tradidiſti: da nobis, ut teipſum, quem nunc abſcónditum in myſtério venerámur, revelátâ fácie in cœleſti glória mereámur contemplári; Qui vivis & regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

Secreta.

M. P. MUndet corda noſtra, Dómine, præſéntium donórum ſanctificátor Spíritus tuus; ut ad amóris Fílii tui ſacramentum, & ipſi puro amóre flagrantes accedámus; Per eumdem... in unitáte ejuſdem.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. QUæsumus, Dómine, ut hujus participatióne sacrifícii, quod in tuî commemoratiónem offerri præcepisti, nos ipsos tecum holocaustum fácias sempiternum; Qui vivis & regnas.

6. PRO REPARATIONE INJURIARUM illatarum Christo in SS. Sacramento. *Ut in Missa votiva de eodem*, lxiv.

7. DE PASSIONE seu DE CRUCE Domini, extra Tempus Paschale. *Ut in Missa votiva de eodem.* lxv.

8. De PASSIONE seu DE CRUCE Domini, Tempore Paschali.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluisti, ut inimíci à nobis expélleres potestátem: concéde nobis fámulis tuis, ut Resurrectiónis grátiam consequámur; Per eumdem.

SECRETA.

S. R. HÆc Hóstia, quæsumus, Dómine, ab ómnibus nos purget delictis, quæ in Ara Crucis immoláta, totíus mundi tulit offensam; Per eumdem.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. DOmine Deus noster, qui oblátum semel in Cruce sacrifícium quotidiánis rénovas sacramentis: præsta, ut quóties hæc sacra mystéria celebrámus, novum júgiter percipiámus tuæ redemptiónis effectum; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

9. DE SS. CORDE JESU. *Ut in Missa votiva de eodem*, lxvij.

10. DE QUINQUE PLAGIS, de S. FACIE, de S. CRUCE, de S. CORONA SPINEA, de PRETIOSO SANGUINE. *Ut in Missis, propriis diebus assignatis per quadragesimam.*

11. DE SANCTA FAMILIA CHRISTI. *Ut in Missa votiva de eodem, suprà*, lxx.

12. DE INCARNATIONE ET DE B. MARIA VIRGINE DEUM PARITURA. In Adventu.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, canem suscípere voluisti: præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem.

SECRETA.

M. P. NOstræ redemptiónis hóstiam offerentes, te, Dómine, deprecámur; ut corda nostra suæ caritátis ardóribus mundet & inflammet Spíritus sanctus, qui beátæ Maríæ víscera splendóribus suæ virtútis replévit; Per.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. IN méntibus nostris, quæsumus, Dómine, veræ fídei sacramenta confirma; ut, qui conceptum de Vírgine Deum verum & hóminem confitentes, corpus ejus & sánguinem súmpsimus, per ejus salutíferæ resurrectiónis poténtiam, ad æternam mereámur pervenire lætítiam; Per.

13. DE BEATA MARIA VIRGINE DEIPARA, A NATALI DOMINI ad ejus Præsentationem.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui salútis æternæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præstitisti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

Secreta.

M. P. BEáta témpora celebrantes, quæ per temporálem Unigéniti tui nativitátem, & partum Maríæ Vírginis consecrásti, hæc oblátio, quæsumus, Dómine, sanctíficet, atque in illo tríbuat renasci; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs.

Postcommunio. Orémus.

M. P. SAtiásti nos, Dómine, Verbi tui incarnáti córpore ac sánguine: quæsumus, ut intemerátæ matris ejus intercessióne, tanti mystérii fructum júgiter in nobis conserváre mereámur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus; Per.

---

14. De Beata Maria Virgine, a Præsentatione Domini ad Quinquagesimam.

Collecta. Orémus.

S. R. CONcéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítiâ, & æternâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum nostrum.

Secreta.

S. R. TUâ, Dómine, propitiatióne, & beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præsentem hæc oblátio nobis prosíciat prosperitátem & pacem; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Postcommunio. Orémus.

S. R. SUmptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis; da, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne, hæc tuæ obtúlimus majestáti; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

De Beata Maria Virgine, Tempore Paschali. 15.

Collecta. Orémus.

S. R. DEus, qui per resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut per ejus genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eumdem.

Secreta.

M. P. SPíritus ille tuus, Dómine, super hæc dona descendat, quem Unigénitus tuus se post glorificatiónem suam datúrum promísit, & in beátam Vírginem, Ecclesiamque cum eâ in oratióne perseverantem, abundanter effúdit; Per eumdem..... in unitáte ejusdem.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, cujus in hoc sacramento mortem annuntiámus: da nobis, per intercessiónem beatíssimæ Matris tuæ, ut cum ea sócii passiónum tuárum effecti, consolatiónis étiam ac glóriæ partícipes esse mereámur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

De Beata Maria Virgine, ab Octava Corporis Christi, ad Assumptionem ejusdem B. M. V. 16.

Collecta. Orémus.

DEus, qui in Cruce móriens, Beátam Vírginem Maríam genitrícem tuam, Matrem nobis pio favóre dedísti; concéde, ut tanti benefícii mémores, vitæ innocentiâ, sincerâque pietáte, nos dignos Maríæ fílios comprobémus; Qui vivis.

Secreta.

HIs sacrifíciis, Dómine, Beátæ Vírginis Maríæ, apud te patrocínia fiduciáliter implorámus, quæ & carne Mater Christi, & caritáte Mater nostra est; Per eumdem.

℣. *Postcommunio.* Orémus.

PEr hæc sacraménta quæ súmpsimus, concede, Deus omnípotens, ut qui beátam fílii tui genitrícem Vírginem Maríam devóto venerámur affectu, maternam ipsíus circa nos pietátem sentiámus; Per eumdem Dóminum nostrum.

17. De Beata Maria Virgine, ab Octava Assumptionis ejusdem B. M. V. ad Adventum.

Collecta. Orémus.

DEus, qui Beátam Maríam semper Vírginem, super choros Angelórum exaltátam, mundi Dóminam constituísti; concede, propítius: ut quam toto cordis affectu venerámur, ejus apud te potentíssimam intercessiónem sentiámus; Per.

Secreta.

MUnera nostra, Dómine, tibi reddat accepta Beátæ Maríæ Vírginis intercessio, quæ quantum grátiæ in terris adepta est præ céteris, tantùm, & in cœlis óbtinet glóriæ & potestátis singuláris; Per.

℣. *Postcommunio.* Orémus.

MEnsæ tuæ delíciis pasti, Dómine Jesu Christe, clementiam tuam implorámus, ut qui totum nos habére voluísti per Maríam, ipsíus patrocíniis munítos, cœléstibus donis nos ditáre non cesses; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs.

18. De B. M. V. de Rosario, de Victoria, de Lætitia, de Monte Carmelo, &c.

Ut in Missa votiva de eodem, suprà, lxix.

19. De S. Michaele.

Ut in Missa votiva de eodem, suprà, lxxij.

De S. Gabriele et S. Raphaele. 20.

Ut in eorum Festis.

De SS. Angelis. 21.

Ut in Missa S. Michaelis die 29 Septembris.

De SS. Angelis Custodibus. 22.

Ut in eorum Missa die 2 Octobris.

De Sanctis. 23.

Orationes de Sanctis, ut in eorum Festis, vel in eorum Missis votivis, suprà, lxxiv.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. 24.

In sequenti Collecta, & in Postcommunione, ad litteram N. *nominatur Patronus Ecclesiæ vel Sacelli in quo celebratur Missa: nomina autem Angelorum, S. Joannis Baptistæ & S. Joseph (si nominandi sint) præponuntur Apostolis.*

Collecta. Orémus.

ACunctis, nos, quæsumus, Dómine, mentis & córporis defende perículis; & intercedente beátâ & gloriósâ semper vírgine Dei genitríce Maríâ, cum beátis Apóstolis tuis Petro & Paulo (atque beát. *N.*) & ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus & pacem; ut destructis adversitátibus & erróribus universis, Ecclésia tua secúrâ tibi sérviat libertáte; Per eumdem. M. A.

Secreta.

OBlatiónem nostram, quæsumus, Dómine, ómnium Sanctórum tuórum commendet orátio; & quorum memóriam in sacris mystériis ágimus, eórum apud te patrocíniis adjuvémur; Per Dóminum. M. P.

Postcommunio.

M. A. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. MUndet & múniat nos, quæsumus, Dómine, divíni sacramenti munus oblátum; & intercedente beátâ vírgine Dei genitríce Maríâ, cum beátis Apóstolis tuis Petro & Paulo, (atque beát$^{o}_{a}$ *N.*) & ómnibus Sanctis, à cunctis nos reddat & perversitátibus expiátos, & adversitátibus expedítos; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

II. ORATIONES
De Ecclesia, Regno, et Civitate.

25. Pro universa Ecclesia.

Ut in Missa votiva pro eâdem, lxxxij.

26. Pro Ecclesia contra ejus Persecutores, maximè in Adventu.

COLLECTA. Orémus.

M. A. ECclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces placátus admitte, ut destructis adversitátibus & erróribus universis, secúrâ tibi sérviat libertáte; Per Dóminum.

SECRETA.

S. G. PAter misericordiárum, & Deus totíus consolatiónis, per hanc placatiónis Hóstiam, líbera nos ab omni tentatióne; ádjuva nos in omni certámine; consoláre in omni tribulatióne: da nobis ut te puro corde adorémus, & tibi totâ virtúte serviámus; Per Dóminum.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. MIlitantem in terris Eccléstam tuam, Dómine, perpétuâ defensióne conserva; & contra ómnia mundi perícula cœlesti cibo roborátam, fac in præsenti século víncere, & in futúro coronári; Per Dóminum.

Pro Pace et Unitate Ecclesiæ. 27.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, summa únitas & vera cáritas, da fidélibus tuis cor unum & ánimam unam; ut Eccléstæ tuæ corpus membrórum concórdiâ vígeat, & quæ veritátis confessióne nítitur, unitátis stabilitáte firmétur; Per.

SECRETA.

S. R. OFferentibus tibi, Dómine, hóstiam salutárem, cujus sánguine cœlum & terram pacificásti, da nobis spíritum pacis & grátiæ; ut universa família tua, & toto tibi sit corde devóta, & purâ sibi voluntáte concórdet; Per eumdem Dóminum.

S. G. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. SUmpsimus, Dómine, sacramentum bonitátis, signum unitátis, & vínculum caritátis: præsta nobis, quæsumus, sanctâ unanimitáte in domo tua vivéntibus, pacem habére quam trádimus, pacem serváre quam súmimus; Per Dóminum.

Tempore Schismatis. 28.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, ciij.

Pro omnibus Ecclesiæ Ordinibus. 29.

COLLECTA. Orémus.

M. A. OMnípotens sempiterne Deus, cujus Spíritu totum corpus Eccléstæ sanctificátur & régitur: exaudi nos pro universis Ordínibus supplicantes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur; Per Dóminum ... in unitáte ejusdem.

SECRETA.

M. P. EXaudi nos, Deus, per oblátum pro ómnibus sacrifícium deprecantes; ut diffúsâ in síngulos Ordines grátiâ tuâ, suum quisque ministérium

fidéliter adímpleat, & Eccléſia tua in ómnium óculis glorióſa ſemper appáreat ; Per Dóminum.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. DEus, qui mirábile hoc ſacramentum, multiformis grátiæ fontem eſſe voluiſti : præſta, quæſumus, ut de ejus plenitúdine in ſíngulos Eccléſiæ Ordines diverſa, quibus índigent, auxília deriventur ; Per Dóminum.

---

30. PRO PERSECUTORIBUS ECCLESIÆ.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DOmine, Deus virtútum, qui tuam Eccléſiam reddis ſemper invíctam : Perſecutórum ejus, déxteræ tuæ poténtiâ, compeſce ſuperbiam ut, confuſióne ſalutári, per tuam miſericórdiam reſipíſcant, & ad veritátis tuæ lumen óculos apériant ; Per.

SECRETA.

M. P. QUam Unigénitus tuus, Dómine pro perſecutóribus ſuis in arâ crucis hóſtiam óbtulit, eamdem tibi offérimus pro Perſequentibus Eccléſiam, quæ eſt corpus ipsíus, ut de lupis oves facti, & Paſtórem bonum ſequentes, vitam hábeant, & abundántiùs hábeant ; Per eumdem.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. SIt Eccléſiæ tuæ, Dómine, hujus ſacrifícii fructus, ſufferéntia perſecutiónum, & amor Perſecutórum ; ut in hoc cognoſcant omnes quia ejus diſcípuli ſumus, qui pro ſuis interfectóribus in cruce móriens orávit, Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter ; Qui tecum vivit.

---

31. PRO PAPA.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, ómnium fidélium paſtor & rector, fámulum tuum *N.* quem Paſtórem Eccléſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propítius réſpice : da ei, quæſumus, verbo & exemplo quibus præeſt proficere ; ut ad vitam, unà cum grege ſibi crédito, pervéniat ſempiternam ; Per Dóminum.

SECRETA.

M. A. OBlátis, quæſumus, Dómine, placáre munéribus : & fámulum tuum *N.* quem Paſtórem Eccléſiæ tuæ providíſti, aſsíduâ protectióne guberna ; Per Dóminum.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. HÆc nos, quæſumus, Dómine, divíni ſacramenti percéptio prótegat : & fámulum tuum *N.* quem Eccléſiæ tuæ præeſſe voluíſti, unà cum commiſſo ſibi grege ſalvet ſemper & múniat ; Per Dóminum.

---

32. PRO ELIGENDO PAPA.

Ut in Miſſa votiva pro eodem, ſuprà, lxxxv.

---

33. PRO ECCLESIA APPAMIENSI.

COLLECTA. Orémus.

M. P. ECcléſiam tuam, Dómine, ſub beáti Martyris Antoníni patrocínio ſupplicantem, paternâ pietáte cuſtódi ; ut cujus munita præsídiis, in verâ fide fundáta permanet, ejus précibus creſcat ſemper in grátiâ, & in cognitióne Dómini noſtri, & ſalvatóris Jeſu Chriſti ; Qui tecum.

SECRETA.

S. R. QUæſumus, Dómine, Deus noſter, ut per hæc cœleſtis vitæ commércia, declinantes láqueos falſitátum, ad veritátem tuam, conceſſa nobis divínitùs viâ & trámite, júgiter dirigámur ; Per Dóminum.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. VIgeat in hâc Eccléſiâ tuâ, Dómine, & uſque in finem perſevéret fídei intégritas, morum ſánctitas, ſincéra piétas, & munda relígio : & quam Fílii tui córpore, & verbo tuo páſcere non déſinis, eam quoque tuis non ceſſes gubernáre præsídiis ; Per eumdem Dóminum.

34. PRO D. EPISCOPO.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DA, quæsumus, Dómine, fámulo tuo *N.* quem pascendo gregi tuo præfecísti, spíritum consílii & fortitúdinis, spíritum scientiæ & pietátis; ut per dignum Pontíficis institútum crescat devótio sancta fidélium, & salus gregis gáudium sit & coróna Pastóris; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. HÆc oblátio, Dómine, pro fámulo tuo *N.* sit tibi munus acceptum; eumque ómnium virtútum munéribus, ad gregis profectum exórnet; Per.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. HUjus, Dómine, virtúte mystérii in fámulo tuo *N.* Pontífice nostro grátiæ tuæ dona multíplica ut & tibi dignè persolvat sacerdotále ministérium, & fidélis dispensatiónis æterna præmia consequátur; Per Dóminum.

---

35. PRO ELIGENDO EPISCOPO APPAMIENSI.

Ut in Missa votiva pro eodem, lxxxv.

---

36. PRO ORDINATIONE seu Instaliatione D. Episcopi.

Ut in Missa votiva pro eodem, lxxxvj.

---

37. PRO ELIGENDO PRÆLATO vel Ecclesiæ PASTORE.

Ut in Missa votiva pro iisdem, lxxxv.

---

38. PRO PRÆLATIS ET CONGREGATIONIBUS EIS COMMISSIS.

COLLECTA. Orémus.

M. A. OMnípotens sempiterne Deus, qui facis mirabília magna solus: prætende super fámulos tuos, & super congregatiónes illis commissas Spíritum grátiæ salutáris: & ut in veritáte tibi compláceant, perpétuum eis rorem tuæ benedictiónis infunde; Per Dóminum... in unitáte ejusdem.

SECRETA.

S. G. DOmine, Deus virtútum, súscipe múnera nostra propítius, & sanctífica Pastóres & præpósitos óvium tuárum; ut adversárius noster diábolus fide eórum & sanctitáte superátus, contíngere domínicum gregem ac violáre non áudeat; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. PEr hæc sacra quæ súmpsimus, da famíliæ tuæ, quæsumus, Dómine, cum suis pacem habére Rectóribus; ut quorum honóre congaudent, eórum sancta conversatióne lætentur: tuâque grátiâ tribuátur, & moderátio gubernantum & obediéntia subditórum; Per Dóminum.

---

39. PRO SEIPSO PASTORE seu ECCLESIÆ RECTORE vel SUPERIORE, maximè in Anniversario suæ Instaliationis.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, lxxxviij.

---

40. PRO SEIPSO SACERDOTE maximè in Anniversario suæ Ordinationis.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, lxxxviij.

---

41. PRO UNIVERSO CLERO.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui ad excolendum agrum tuum homínibus plantatóribus & rigatóribus ita úteris, ut des solus incrementum: da grátiam tuam adjutóribus tuis; ut profectu pietátis & bonórum óperum, seipsos salvos fáciant, & eos qui ipsos áudiunt; Per.

SECRETA.

M. P. MInistros augusti sacrifícii fac nos tibi, Deus, totos consecrári & devovéri; ut qui in partem vénimus sacerdótii Unigéniti Fílii tui, ejusdem étiam oblatiónis & sacrifícii pars esse mereámur; Per eumdem.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus.
QUos elegísti & posuísti, Dómine, ad pascendum Unigéniti tui carne & sánguine pópulum tuum, fac minístros tuos omnes eumdem cum Fílio tuo cibum habére; ut fáciant voluntátem tuam, & ímpigrè ac sincérè opus tuum perfíciant; Per.

42. PRO ORDINANDIS.

COLLECTA. Orémus.
M. P. ECcléſiæ tuæ, Deus, sanctificátor & custos, súscita in ea per Spíritum tuum, idóneos & fidéles mysteriórum Christi dispensatóres; ut eórum minístério & exemplo, christiána plebs in viam salútis, te protegente, dirigátur; Per eumdem... in unitáte ejusdem.

SECRETA.
M. P. DEus, qui ministrántibus & jejunántibus Discípulis, segregári jussísti Saulum & Bárnabam in opus ad quod assúmpseras eos; adesto nunc Ecclésiæ tuæ jejunanti & oranti: & tu, qui ómnium corda nosti, ostende quos elégeris in minístérium; Per.

POSTCOMMUNIO. Orémus.
M. P. BOne Pastor, qui ánimam tuam posuísti pro óvibus tuis, & eásdem carnis & sánguinis tui alimento vivíficas; reple eódem caritátis spíritu, quos ad gregis tui custódiam destinásti: ut libentíssimè pro salúte óvium tuárum, & impendant sua, & seipsos superimpendant; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

43. PRO ORDINANDIS, IN MISSA ORDINATIONIS.

COLLECTA. Orémus.
M. A. EXaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, & devóto tibi péctore famulántes perpétuâ defensióne custódi; ut nullis perturbatiónibus impediti, líberam servitútem tuis semper exhibeámus offíciis; Per.

SECRETA.
M. A. TUis, quæsumus, Dómine, operáre mystériis, ut hæc tibi múnera dignis méntibus offerámus; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.
M. A. QUos tuis, Dómine, réficis sacramentis, contínuis attolle benignus auxíliis; ut tuæ redemptiónis effectum, & mystériis capiámus & móribus; Per.

PRO REGE. 44.

COLLECTA. Orémus.
S. R. QUæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit, regni gubernácula virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus váleat pervenire; Qui vivis & regnas cum Deo.

SECRETA.
S. R. MUnera, Dómine, quæsumus, oblata sanctífica; ut & nobis Unigéniti tui corpus & sanguis fiant, & fámulo tuo *N.* Regi nostro ad obtinendam ánimæ corporisque salútem, & peragendum injunctum offícium, te largiénte, usquequáque profíciant; Per eumdem Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.
S. R. HÆc, Dómine, oblátio salutáris fámulum tuum *N.* Regem nostrum ab ómnibus tueátur adversis; quátenùs & ecclesiasticæ pacis obtíneat tranquillitátem, & post hujus témporis decursum ad æternam pervéniat hæreditátem; Per.

PRO REGE ET REGINA, 45.
In Die seu Anniversario eorum Conjugii.

COLLECTA. Orémus.
M. P. EXaudi nos, Dómine, ad te supplicántes pro Rege nostro *N.* & *N.* Regínâ, & imple benedictiónem

tuam

tuam in eis ; ut qui te auctóre, sancto connúbio sunt conjuncti, te largiénte prolem susćipiant & tibi & nobis felíciter regnatúram ; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. HUjus, Dómine, virtúte sacrifícii, præsta ut quos ad commúne regni bonum conjunxisti, fœcundâ prole benedícas, ut vídeant fílios filiórum suórum ad tértiam & quartam generatiónem ; Per.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. CReátor mundi, qui formas hóminis nativitátem, quique pro voluntáte matrimónio benedictiónes tuas dispensas : hujus virtúte sacrifícii, exaudi nos oántes pro Rege nostro *N.* & *N.* Regínâ ; ut te donante fílios susćipiant, tibi, unà cum illis, fidéliter servitúros ; Per.

---

46. PRO REGE ET EJUS FAMILIA.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, à quo omnis potestas ordináta est : da fámulo tuo Regi nostro *N.* & universæ Famíliæ ejus cor dócile ; ut potestátem suam majestátis tuæ fámulam facientes, regnum illud ámbiant & obtíneant, in quo non timent habére consórtes ; Per.

SECRETA.

M. P. UT prosit, Dómine, fámulo tuo *N.* Regi nostro & régiæ ejus Famíliæ sacrifícium, quod pro iis offérimus : da, ut ipsi pro peccátis suis sacrifícium humilitátis, miseratiónis & oratiónis tibi Deo suo vero semper stúdeant immoláre ; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. INvocántes & sperántes in nómine tuo, Dómine, Deus noster, fac nos in salutári Regis nostri *N.* & cunctæ famíliæ ejus lætári ; ut, dum vivífico mystério reples in bonis desidérium nostrum, tuis benedictiónibus eos prævenire dignéris ; Per Dóminum.

PRO IMPETRANDO DELPHINO. 47

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus regnórum ómnium regumque moderátor, précibus nostris propitiátus inténde : & da christianíssimo Regi nostro *N.* fílium secundùm cor tuum, ad regni Francórum perennitátem & pacem ; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. HUmilitátis nostræ múnera, quæsumus, Dómine, cœlesti pietáte prosequere : & concéde fámulo tuo Regi nostro *N.* fílium, qui paterno succédens império, Eccléśiæ protector, legum vindex, pópuli pater appellári mereátur ; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. EX altári tuo, Dómine, percipiéntes omnis sanctitátis & benedictiónis auctórem, te humíliter deprecámur, ut Regi nostro *N.* fílium concédas, sancti Regis Ludovíci justítiæ & pietátis hærédem, ejusdemque futúrum in cœlesti regno consórtem ; Per.

PRO IMPETRANDIS REGI FILIIS. 48.

COLLECTA. Orémus.

M. P. REx regum, Deus omnípotens, quo protegente, firmantur Príncipum throni, quo benedicente, longæva ipsis náscitur posteritas : beáti Ludovíci réspice famíliam ; & præsta, ut fámulus tuus Rex noster *N.* coram te ámbulans in veritáte, & in corde perfecto, benedictiónem sibi & regno in fíliis consequátur ; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. EXaudi, Dómine, preces, quas in hujus sacrifícii salutáris oblatióne, pro Rege nostro & Regínâ súpplices effúndimus ; & ipsis concéde fílios, qui, te donante, sint parentum glória, populórum juvámen, & avíti sólii firmamentum ; Per.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. OBlátis, Dómine, placátus sacrifíciis, da, quæsumus, ut Rex & Regína nostra multis diébus in sanctitáte & justítiâ tibi sérviant; & pretiósam religiónis suæ mercédem accípiant fílios, ut fídei professióne, ita móribus & pietáte vere christiános; Per Dóminum.

49. PRO REGINA VEL DELPHINA PRÆGNANTE.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui providéntiâ singulári Francórum moderáris impérium, Regínam (*vel* Delphínam) nostram *N.* prægnantem abundantióri réfove subsídio; ut régia proles, quam te donante, concépit, felíci partu édita, & in Christo partu felicióre regenerâta, sit cum incólumi matre longa Regni felícitas & tutum Eccléfiæ præsídium; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. ADesto, quæsumus, Dómine, donis quæ pro Regína (*vel* Delphína) nostra *N.* prægnante majestáti tuæ offérimus, & concéde; ut ante partum, in partu, & post partum, incólumes, régia mater, ejusque proles, ætérnas nobíscum tibi rependant gratiárum actiónes; Per Dóminum.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. MYstéria quæ súmpsimus, Dómine, super Regínam (*vel* Delphínam) nostram *N.* prægnantem conceptamque ejus prolem, amplam grátiæ tuæ benedictiónem effundant, ut ambo glóriam nóminis tui totâ virtúte prócurent; Per Dóminum.

50. PRO REGE INFIRMO.

COLLECTA. Orémus.

S. R. OMnípotens sempitérne Deus, salus ætérna credéntium: exaudi nos pro fámulo tuo *N.* Rege nostro infirmo, pro quo misericórdiæ tuæ implorámus auxílium; ut rédditâ sibi sanitáte, gratiárum tibi in Eccléfia tua réferat actiónes; Per Dóminum.

SECRETA.

S. R. DEus, cujus nútibus vitæ nostræ momenta decurrunt: súscipe preces & hóstias fámuli tui *N.* Regis nostri, infirmi, pro quo misericórdiæ tuæ implorámus auxílium; ut de cujus perículo metúimus, de ejus salúte lætémur; Per.

S. R. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. DEus, infirmitátis humánæ singuláre præsídium, oblati sacrifícii, super infirmum fámulum tuum *N.* Regem nostrum, ostende virtútem; ut ope misericórdiæ tuæ adjútus, Eccléfiæ tuæ sanctæ incólumis repræsentári mereátur; Per.

51. PRO RESTITUTA REGI SANITATE.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus cujus misericórdiæ non est númerus & bonitátis infinítus est thesaurus, piíssimæ majestáti tuæ pro redditâ fámulo tuo Regi nostro *N.* sanitáte grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; ut qui petentibus postulátam grátiam concessísti, Regem ac Pópulum Christianíssimum nunquam déserens, ad præmia futúra dispónas; Per.

SECRETA.

M. P. DEus qui das salútem Régibus, & árbiter es vitæ ac necis, hóstias, obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes offérimus tibi pro fámulo tuo Rege nostro *N.* quem ab omnipoténte & misericórde déxterâ tuâ probátum ac sanátum, diu servári sóspitem, tibique plácitum éffici supplíciter rogámus & enixè; Per.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. REx Regum Deus, qui lætári nos facis in salutári Regis nostri *N.* exorámus te súpplices, hujus virtúte sa-

crifícii, ut confirmes hoc quod operátus es, dies ſuper dies Regis adjícias, multiplicatiſque beneficiis tuis, nos & illum, ad regnum cœleſte perdúcas; Per Dóminum.

52. PRO REGE ET REGNO, In Renovatione Voti Ludovici XIII. Ut in die Octava Aſſumptionis B. M. V.

53. PRO REGNO ET CONGREGATIONE STATUUM REGNI.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui miro órdine univerſa diſpónis, & ineffabíliter gubernas; réſpice propítius in univerſos regni órdines, eiſque Spíritum tuæ grátiæ clementer infunde: ut in commúnem ſalútem ómnia diſpónant, & à tuæ veritátis trámite non recédant; Per.... in unitáte ejuſdem.

SECRETA.

M. P. DEus, qui omnes hómines vis ſalvos fíeri, ſúſcipe cum ineffábili ſalútis noſtræ Víctimâ, quas, jubente te, fácimus pro Rege noſtro *N.* & ómnibus, qui in ſublimitáte ſunt, obſecratiónes, oratiónes: poſtulatiónes, gratiárum actiónes: ut quiétam & tranquillam vitam agámus in omni pietáte & caſtitáte; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. QUem ſúmpſimus, Dómine, ſit in médio eórum, qui congregáti ſunt in nómine ejus, Unigénitus tuus Dóminus noſter: ut profectis ab ea, quæ deſurſùm eſt, ſapiéntia conſíliis, in chriſtianíſſimo regno vera fides, pietaſque firmentur, & fiat cum pace abundántia perpétua; Per eumdem.

54. PRO REGE ET EJUS EXERCITU.

Collecta Deus, in te ſperántium, *&c. ut in Miſſa votiva pro Rege, ſuprà*, xcxj.

PRO CIVITATE APPAMIENSI ET CIVIBUS. 55.

COLLECTA. Orémus.

M. P. OMnípotens ſempitérne Deus, ædificátor & cuſtos Jerúſalem civitátis ſupernæ; cuſtódi die noctúque civitátem iſtam, cum habitatóribus ejus; ut ſit in eo domicílium incolumitátis & pacis; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. CUſtódi, quæſumus, Dómine, hujus virtúte ſacrifícii, & intercedénte beátâ Vírgine Maríâ, cum ómnibus Sanctis, Civitátem iſtam, & habitatóres ejus, ac perpétuo guberna moderámine: ut & neceſſária percípiant mortális vitæ ſolátia, & proficiant ad immortalitátis effectum; Per.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. COnforta, Dómine, portas Civitátis hujus, & pone términos ejus pacem; qui eam cœleſtis ádipe frumenti ſatiáre non déſinis; Per.

III. ORATIONES PRO BONIS SPIRITUALIBUS.

AD POSTULANDAM Spiritûs ſancti gratiam. 56.

COLLECTA. Orémus.

S. R. PRæſta nobis, Dómine, quæſumus, auxílium grátiæ tuæ; ut ſine qua nihil boni póſſumus, eâdem largiénte, dignè quæ tua ſunt, & cogitáre valeámus & fácere; Per.

SECRETA.

S. R. HÆc nobis, Dómine, múnera concílient miſericórdiam tuam, quæ nos prævéniat, ut velímus; ſubſequátur, ut agámus; accendat intentiónem, quâ ad bona ópera peragenda inardeſcámus; tríbuat efficáciam, quâ hæc ad perfectum perdúcere valeámus; Per.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. REge, Dómine, quæſumus, tuórum corda fidélium, hujus participa-

tióne sanctâ mystérii, & ut bona tua, te largiénte, percípiant, ipsórum prímitùs bonas éffice voluntátes; Per.

57. AD POSTULANDAM FIDEM.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, véritas & lux sempitérna, qui fidem constituísti salútis humánæ princípium, & omnis justítiæ fundamentum; illúmina per Spíritum tuum, & confirma corda nostra: ut credentes verbo tuo, & quod crédimus confitentes, reportémus finem fídei nostræ salútem animárum; Per.... in unitáte ejusdem.

SECRETA.

S. R. AUge, quæsumus, Dómine, hujus sacræ oblatiónis prétio, fidem tuam miserátus in nobis; quia pietátis tuæ subsídia non negábis, quibus in te credendi contúleris firmitátem; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SUmentes, Dómine, ex altári tuo mystérium fídei, da nos, quæsumus, ejusdem virtúte ex fide viventes, temporália quæ videntur, despícere; & æterna, quæ non videntur, perpétuò contemplári; Per Dóminum.

58. AD POSTULANDAM SPEM.

COLLECTA. Orémus.

M. P. COnsolátor in te sperántium Deus, infúnde córdibus nostris christiánæ spei donum; quâ nihil de nobis, & ómnia de tua miseratióne expectántes, salútem nostram cum húmili fidúcia inceſſanter operémur; Per.

SECRETA.

M. P. DEus, qui sperántes in te non déseris; concéde nobis, per hæc sancta quæ tibi offérimus, ut quam verbo tuo nobis spem dedísti, hanc velut ánchoram habeámus ánimæ tutam ac firmam, quæ nos inter hujus vitæ procellas, immótos præstet, & secúros; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus spei, qui nobis promissiónum tuárum pignus in hoc sacramento præbuísti; reple nos omni gáudio & pace in credendo; ut abundántes in spe, & virtúte Spíritûs sancti, ad promissa bona viríliter properémus; Per Dóminum nostrum.... in unitáte ejusdem.

AD POSTULANDAM CARITATEM. 59.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui diligéntibus te facis cuncta prodesse; da córdibus nostris inviolábilem tuæ caritátis affectum: ut desidéria de tua inspiratióne concepta, nullâ possint tentatióne mutári; Per Dóminum.

SECRETA.

S. R. DEus, qui plenitúdinem mandatórum in tua & próximi dilectióne pósuisti: hanc nobis grátiam, Agni immaculáti oblatióne, largíre propítius; ut, quia in multis offéndimus, tua cáritas abundet in nobis, per quam peccáta mundantur; Per eumdem.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. DEus, vita fidélium, glória húmilium, beatitúdo justórum, propítius áccipe súpplicum preces: ut ánimæ, quæ promissiónes tuas sítiunt, de tui amóris abundántia in hoc sacramento, repleántur; Per.

AD COGNOSCENDAM VOLUNTATEM DEI. 60.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, cujus voluntátem nosse & amáre justítia est; mentes nostras lúmine tuæ claritátis illustra: ut vidére possímus quæ agenda sunt, & quæ recta sunt ágere valeámus; Per.

SECRETA.

M. P. NOtam fac nobis, Dómine, viam in qua ambulémus, & doce nos fácere voluntátem tuam; ad quam faciendam

dam venit, & ingrédiens mundum sese óbtulit unigénitus Fílius tuus Dóminus noster Jesus Christus; Qui tecum vivit.

M. P. NE *Postcommunio.* Orémus. NE nos sinas, Deus, conformári huic século; sed fac reformémur in novitáte sensûs nostri; ut ejus carne nutríti, cui cibus fuit fácere voluntátem tuam, semper probémus potióra, & quæ sit voluntas tua bona, & benéplacens, & perfecta; Per eumdem.

---

61. AD POSTULANDAM SAPIENTIAM.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui per coæternam tibi Sapiéntiam, hóminem, cùm non esset, condidísti; perditumque misericórditer reformásti: præsta, quæsumus, ut eâdem péctora nostra inspiránte, te totâ mente amémus, & ad te toto corde currámus; Per eumdem Dóminum.

Secreta.

M. P. DEus, qui sapiéntiam quâ indigémus, jubes nos à te postuláre, nihil hæsitantes: mitte illam de cœlis sanctis tuis; ut nobiscum sit & labóret; & hujus oblatióne sacrifícii dignam ei præpara in córdibus nostris habitatiónem; Per.

M. P. *Postcommunio.* Orémus. PEr hæc sacramenta, Dómine, máneat in nobis sapiéntia desursùm descendens; quæ nos à terrénæ & animális sapiéntiæ deceptióne tueátur; & temporálium dóceat detrimentum fácere, ut consequámur æterna; Per.

---

62. AD POSTULANDUM ORATIONIS DONUM.

Collecta. Orémus.

M. P. SUccurre, Deus omnípotens, infirmitáti nostræ: & quia de nobis, tanquam ex nobis, nec ágere quæ recta sunt, nec postuláre sufficimus; excita per Spíritum sanctum in córdibus nostris gémitus oratiónis inenarrábiles: ut tuâ nobis pietáte conferátur, & operandi voluntas, & efficácia perficiendi; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

Secreta.

S. R. PRæsta, quæsumus, Dómine, ut hâc oblatióne mundáti, sumámus & deprecandi fidúciam & grátiam quæ justa sunt, impetrandi; Per Dóminum.

S. R. *Postcommunio.* Orémus. DEus, à quo omne opus bonum inchoári crédimus & pérfici; da, per hæc sacra mystéria, supplicandi perseveránti am, quibus affectum ipsum supplicandi tribuísti; Per.

---

63. AD POSTULANDAM HUMILITATEM.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui superbis resístis, & humílibus das grátiam: concéde nobis veræ humilitátis virtútem, cujus in se formam fidélibus exhíbuit Unigénitus tuus Dóminus noster; Qui tecum vivit.

Secreta.

M. P. NE permittas nos exaltári in supérbiis séculi, Dómine Deus: sed eum offeréntes qui mitis est & húmilis corde, doce nos humílibus placidísque móribus ei consentíre; Per eumdem.

M. P. *Postcommunio.* Orémus. PErceptum, Dómine, humilitátis tuæ sacramentum, omnem à nobis supérbiæ sensum amóveat; ut non indignatiónem tuam provocémus eláti, sed grátiæ tuæ capiámus dona subjecti; Qui vivis.

---

64. AD POSTULANDAM CONTRITIONEM ET DONUM LACRYMARUM.

Collecta. Orémus.

M. A. OMnípotens & mitíssime Deus, qui sitienti pópulo fontem viventis aquæ de petra produxísti: educ de

cordis nostri durítia lácrymas compunctiónis; ut peccáta nostra plángere valeámus, remissiónemque eórum, te miserante, mereámur accípere; Per Dóminum nostrum.

Secreta.

M. A. HAnc oblatiónem, quæsumus, Dómine Deus, quam tuæ majestáti pro peccátis nostris offérimus, propítius réspice: & educ de óculis nostris lacrymárum flúmina, quibus débita peccátis nostris incéndia extínguere valeámus; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

M. A. GRátiam Spíritûs sancti, Dómine Deus córdibus nostris per hæc sacramenta clementer infúnde; quæ nos gemítibus lacrymárum effíciat máculas nostrórum dilúere peccatórum; atque optátæ nobis, te largiénte, indulgéntiæ præstet effectum; Per.... in unitáte ejusdem.

---

65. AD POSTULANDAM REMISSIONEM PECCATORUM.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, cxij.

---

66. AD IMPETRANDA BONA OPERA.

Collecta. Orémus.

S. R. DIrigat corda nostra, quæsumus, Dómine, tuæ miseratiónis operátio; ut non nostris sénsibus relinquámur, sed ad tuæ reducti semper trámitem veritátis, hæc studeámus exercére quæ præcipis; ut possímus dona percípere, quæ promittis; Per Dóminum nostrum.

Secreta.

S. R. LAudent te, Dómine, ora nostra laudet ánima, laudet & vita: & quia tui múneris est, quod sumus, da nobis, oblatiónis hujus mérito, ut tuum sit omne quod vívimus; Per Dóminum nostrum.

Postcommunio. Orémus.

S. R. SUbde tibi nostras, quæsumus, Dómine, voluntátes: ut operante hujus sacramenti virtúte, in bono stábiles, semper & fide, quæ præcipis, & actióne sectémur; Per.

AD POSTULANDAM CONTINENTIAM. 67.

Collecta. Orémus.

M. P. ADeuntes te, Dómine, & ex totis præcórdiis deprecántes exaudi; & da nobis continéntiam; quibus dedisti scire quóniam, nisi des, non póssumus esse continentes; Per.

Secreta.

M. P. COncéde nobis, Dómine, salutáris continéntiæ donum: & castificátis animábus nostris, étiam córpora nostra, quæ membra Christi sunt, & Templum Spíritûs sancti, mundæ oblatiónis hujus prétio sanctífica; Per eumdem.... in unitáte ejusdem.

Postcommunio. Orémus.

M. P. EMptos prétio magno, & Angelórum pane nutrítos, fac nos, Deus, glorificáre & portáre te júgiter in córpore nostro; & ne permittas vel nominári in nobis quidquid non decet sanctos; Per.

AD REPELLENDAS MALAS COGITATIONES. 68.

Collecta. Orémus.

M. A. DEus, qui cónspicis omni nos virtúte destítui; intériùs, exteriùsque custódi: ut & ab ómnibus adversitátibus muniámur in córpore, & à pravis cogitatiónibus mundémur in mente; Per.

Secreta.

S. R. OMnípotens & mitíssime Deus, réspice propítius oblatiónes nostras, & líbera corda nostra de malárum tentatiónibus cogitatiónum; ut Spíritûs sancti dignum fíeri habitáculum mereámur; Per Dóminum nostrum... in unitáte ejusdem.

M. P. D *POSTCOMMUNIO.* Orémus. Omine Jesu Christe, qui per sacramentum córporis tui in córdibus nostris hospitári dignáris; reple ea tuæ majestátis præséntiâ: ut quæ te indigna sunt respuentes, quæ tibi sunt plácita cogitémus semper, & agámus; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

69. AD POSTULANDAM PATIENTIAM.

COLLECTA. Orémus.

M. A DEus, qui Unigéniti tui patiéntiâ antíqui hostis contrivísti supérbiam: da fidélibus tuis in tribulatióne pósitis, & quæ ipse pértulit dignè recólere, & adversa ómnia æquanímiter toleráre; Per eumdem Dóminum.

SECRETA.

M. P. OFferéntes tibi, Dómine, múnera in memóriam Passiónis Unigéniti tui, quæsumus ut quæ pro peccátis nostris pátimur, nobis ejus méritis salutária reddantur; Qui tecum vivit.

M. P. D *POSTCOMMUNIO.* Orémus. DEus, qui nobis per hæc sacramenta fortíssimum præparas in omni tribulatióne solátium: concéde propítius, ut sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per eum abundet consolátio nostra; Qui tecum vivit.

70. AD POSTULANDAM GRATIAM BENE MORIENDI.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, cxiv.

IV. ORATIONES PRO REBUS TEMPORALIBUS.

71. TEMPORE FAMIS.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, cix.

TEMPORE PESTIS, seu MORTALITATIS. 72.

Ut in Missa votiva pro vitanda mortalitate, suprà, cviij.

CONTRA PESTEM ANIMALIUM. 73.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui labóribus hóminum, étiam de mutis animálibus, solátio subrogásti: súpplices te rogámus, ut sine quibus non álitur humána condítio, nostris fácias úsibus non perire; Per.

SECRETA.

S. R. DEus, qui humánæ fragilitáti necessária providísti misércors adminícula jumentórum; hâc oblatióne placátus, quæsumus, eádem, míseris consulendo, non súbtrahas: & quorum nostris méritis sævit intéritus, tuâ, nobis parcendo, cleméntiâ, cessáre júbeas vastitátem; Per.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. MUltíplica, Dómine, misericórdiam tuam super fámulos tuos, quos Fílii tui sacraménto páscere dignáris: ut salvis homínibus & jumentis, débitam tibi cum gratiárum actióne exhibeámus servitútem; Per eumdem.

TEMPORE BELLI. 74.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, cv.

PRO OBTENTA VICTORIA. 75.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus exercítuum, & Deus pacis, qui non secundùm armórum poténtiam, sed prout tibi placet, das victóriam; agéntium tibi grátias preces húmiles súscipe, atque vincéntium páriter ac devictórum dimitte peccáta, & ad pacem corda converte; Per Dóminum.

Secreta.

M. P. INtret in conspectu tuo, Dómine, quod tibi post cruentam victóriam incruentum offérimus pro peccátis mórtuórum, & pro nostra incolumitáte, sacrifícium : & numquam amóveas misericórdiam tuam à fámulo tuo Rege nostro *N.* cui dedisti contra inimícos poténtiam ; Per.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui nobis de visibílibus, hóstibus victóriam largíri dignátus es ; præsta, quæsumus, ut contra invisibílium hóstium incursus, hujus sacramenti perceptióne, muniámur ; Per.

76. Pro Pace.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, cvij.

77. Pro Serendis Agris.

Ut in Missa votiva pro eodem, cxxj.

78. Pro Fructibus Terræ.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, cj.

79. Post Collectos Terræ Fructus.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, cij.

80. Ad petendam Pluviam.

Ut in Missa votiva pro eodem, cx.

81. Ad obtinendam nimiæ Pluviæ remissionem.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, cxj.

82. Ad coercendam aquarum inundantiam.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui in ministério aquárum salútis tuæ nobis sacramenta sanxisti : jube terróres inundántium cessáre aquárum ; ut qui se, regenerántibus aquis, gaudent renátos, gáudeant, his castigántibus, esse correctos ; Per.

Secreta.

M. P. DEus, qui legem posuissii mari ne transíret fines suos : placáre, quæsumus munéribus nostris, & exundántium ímpetus aquárum coërce propítius ; Per.

Postcommunio. Orémus.

M. P. DEus, qui intumescentes Jordánis aquas per Arcam fœderis cohibuisti : concéde, ut quod Pátribus figúra, Christi præstitit, Véritas ipsa, nos ab aquis liberando, perfíciat, Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus ; Qui tecum vivit & regnat.

83. Ad postulandam aeris Serenitatem.

Collecta. Orémus.

M. A. AD te nos, Dómine, clamántes exaudi, & áeris serenitátem nobis tríbue supplicántibus ; ut qui justè pro peccátis nostris afflígimur, misericórdia tuâ præveniénte, cleméntiam sentiámus ; Per Dóminum.

Secreta.

M. P. OMnípotens sempitérne Deus, cujus múnere elementa ómnia recreantur : reminíscere miseratiónum tuárum ; & hujus sanctæ oblatiónis mérito, cóngruam cœli tempériem nobis concéde propítius, quâ & salus nobis & alimenta præstentur ; Per.

Postcommunio. Orémus.

M. P. OMnípotens sempitérne Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conservas : præsta supplícibus tuis, per hæc sacra mystéria, ut optátâ áëris serenitáte lætémur, & pietátis tuæ donis ad salútem nostram semper utámur ; Per Dóminum.

84. Ad repellendas Tempestates.

Collecta. Orémus.

M. A. ADomo tua, quæsumus, Dómine, spiritáles nequítiæ repellantur : & aëreárum discédat malígnitas tempestátum ; Per.

Secreta.

Secreta.

M. P. OFférimus tibi, Dómine, múnera, supplíciter deprecántes, ut sedátis terréntibus procellis, in matériam tránseat laudis comminátio potestátis; Per Dóminum.

M. P. D *Postcommunio.* Orémus. EUs, cujus potestáti universa obédiunt eleménta: divíno múnere placátus tranquillitátem remótis largíre terróribus; ut cujus iram expávimus, cleméntiam sentiámus; Per Dóminum.

85. Ad compescendos terræ motus.

Collecta. Orémus.

M. P. OMnípotens sempitérne Deus, qui réspicis terram, & facis eam trémere: parce metuéntibus, propitiáre supplícibus; ut cujus iram fundamenta terræ concutiéntem expávimus, cleméntiam, contritiónes ejus sanantem, júgiter sentiámus; Per Dóminum.

Secreta.

M. P. DEus, qui fundásti terram super stabilitátem suam: súscipe oblatiónes & preces pópuli tui; ac trementis terræ periculis pénitùs amótis, divínæ tuæ iracundiæ terróres in salútis humánæ remédia converte; Per Dóminum.

M. P. T *Postcommunio.* Orémus. Uére nos, Dómine, quæsumus, tua sancta sumentes: & terram, quam vídimus nostris iniquitátibus trementem, superno múnere firma; ut tuo protecti auxílio, núllius periculi formídine concutiámur; Per.

86. Pro quacumque necessitate, aut quacumque re postulanda.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, cxiij.

Pro quacumque Tribulatione avertenda. 87.

Collecta. Orémus.

S. G. DEus, nostrum refúgium in labóribus, virtus in infirmitátibus, adjutórium in tribulatiónibus, solámen in flétibus: parce pópulo tuo; ut dignis flagellatiónibus castigátus, in tua miseratióne respíret; Per Dóminum.

Secreta.

M. P. AUres tuæ pietátis, quæsumus, Dómine, votis nostris inclína; & oblatiónes nostras súscipe propítius; ut qui peccatórum nostrórum flagellis percútimur, miseratiónis tuæ grátiâ liberémur; Per.

M. P. T *Postcommunio.* Orémus. RIbulatiónem nostram, quæsumus, Dómine, propítius réspice: & iram tuæ indignatiónis, quam justè merémur, córporis & sánguinis Fílii tui sacrifício propitiátus averte; Per eumdem.

Pro gratiis Deo agendis. 88.

Ut in Missa votiva pro eodem, xcij.

V. ORATIONES
Pro certis personis aut vitæ statibus.

Pro se aut alio, in Anniversario suscepti Baptismi 89.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, xc.

Pro Pueris, in eorum prima Communione. 90.

Collecta. Orémus.

M. P. PArvulos tuos, quos ad mensam tuam vocáre dignáris, Dómine, contínuâ protectióne custódi; ut cœléstibus cibis enutríti crescant in virum perfectum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi Fílii tui; Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

SECRETA.

M. P. SUscipe, quæsumus, Dómine, múnera pro fíliis tuis ad cœléstem mensam, hódiè primùm, accedéntibus obláta: & sic in córdibus eórum operáre, ut seipsos tibi júgiter ófferant in hóstiam vivéntem, sanctam, & beneplacentem; Per.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. DEus, qui te cibum parvulórum in hoc mystério effeciſti: concéde fámulis tuis, ut ejusdem Sacramenti virtúte ad manducandum in cœlis cibum grándium idónei efficiántur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

---

91. PRO AMICIS vel BENEFACTORIBUS.

(*Si sequentes Orationes dicantur pro unico tantùm, utendum est singulari numero.*)

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui caritátis dona per grátiam sancti Spíritûs fidélium córdibus infudisti: da famul$^{is}_{ábus}$ tuis, pro quibus tuam deprecámur cleméntiam salútem mentis & córporis; ut te totâ virtúte díligant, & quæ tibi plácita sunt, totâ dilectióne perfíciant; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

SECRETA.

S. R. MIserére, quæsumus, Dómine, famul$^{is}_{ábus}$ tuis, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ offérimus majestáti; ut per hæc sancta, supernæ benedictiónis grátiam obtíneant, & glóriam æternæ beatitúdinis acquírant; Per.

S. R. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. PEr hæc sacrifícia, Dómine, famul$^{is}_{ábus}$ tuis, quibus dedisti in nos caritátem, concéde, quæsumus, indulgéntiam peccatórum, consolatiónem vitæ, gubernatiónemque perpétuam; quâ tibi fidéliter servientes, ad tuam júgiter misericórdiam perveníre mereántur; Per Dóminum.

PRO INIMICIS AUT PERSEQUENTIBUS. 92.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DOmine sancte, Pater omnípotens, æterne Deus, da nobis hunc caritátis affectum, ut bona pro malis réddere, tuo incitémur exemplo; & de inimicórum correctióne cupiámus, non ultióne gaudére; Per.

SECRETA.

M. P. PAcem, quantùm in nobis est, cum ómnibus homínibus habére gestientes tibi, Dómine, pro iis, qui nobis adversantur, sacrifícium offérimus: & Fílii tui mortem commemorámus, per quam, cum inimíci essémus, reconciliáti sumus tibi; Per eumdem Dóminum.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. PEr hæc pacis nostræ mystéria da nos, Deus, cum his, qui odérunt pacem, esse pacíficos: & eos, qui nobis adversantur, tibi gratos éffice, nobisque placátos; Per Dóminum.

PRO SERVANDA, vel INTER DISSIDENTES RESTITUENDA, CONCORDIA. 93.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui nos unánimes in domo tua præcipis habitáre, dissensiónum causas placátus depelle nostrárum; ut unitátem spíritus in vínculo pacis, te largiénte, servémus; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. QUibus unus est Dóminus, una fides, unum baptisma, & unum sacrifícium; inter eos, quæsumus, omnípotens Deus, mens éadem sit, & mútua cáritas; ut ómnibus una sit in te & tecum in æternum sociétas; Per eumdem.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui cáritas es, da natis ex te, & panem tuum edéntibus, álterum altérius ónera ex sincéra dilectióne portáre: ut pax tua, quæ exúperat omnem sensum, custódiat corda nostra & intelligéntias nostras in Christo Jesu Fílio tuo Dómino nostro; Qui tecum.

---

94. PRO CONVERSIONE PECCATORIS.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, miséricors & clemens, exaudi preces quas pro fratre nostro (*vel* soróre nostra) pereunte, gementes in conspectu tuo effúndimus; ut convers$^{us}_{a}$ ab erróre viæ suæ, liberétur à morte; & ubi abundat delictum, superabundet grátia; Per.

SECRETA.

M. P. NE permittas, Dómine, ánimam períre, pro qua Christus mórtuus est: & cujus mortem in hoc sacrifício commemorámus, per ejus grátiam da fá mul$^{o}_{æ}$ tu$^{o}_{æ}$ spíritum pœniténtiæ, & remissiónem peccatórum; Per eumdem Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DOmine Jesu Christe, Pastor bone, qui próprio córpore pascis oves, quas tuo sánguine redemísti: ovem tuam errantem requíre miséricors; & ad ovíle reportátam, páscuis redde dignam sempitérnis; Qui vivis & regnas.

---

95. PRO PŒNITENTIBUS.

COLLECTA. Orémus.

M. P. EXaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis: ut quos consciéntiæ reátus accúsat, indulgéntia tuæ propitiatiónis absólvat; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

SECRETA.

EFfunde, quæsumus, Dómine, M. P. super fámulos tuos spíritum grátiæ & precum: ut ad eum aspiciéntes, quem peccátis suis confixérunt, Jesum in cruce exaltátum, píè dóleant, citò sanentur, & vivant; Per eumdem.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DA, quæsumus, Dómine, fámulis M. P. tuis contínuam purgatiónis suæ observantiam pœnitendo gérere: atque ut hoc efficáciter implére váleant, grátia eos tuæ visitatiónis & prævéniat & subsequátur; Per Dóminum.

PRO TENTATIS ET TRIBULATIS. 96.

COLLECTA. Orémus.

DEus, qui nullam nisi in te spem M. P. habéntes, supra id quod possunt tentári non páteris, sed facis étiam cum tentatióne proventum: fámulos tuos cœlesti prótege benignus auxílio; ut & mandátis tuis júgiter inhæreant, & nullis à te tentatiónibus separentur; Per Dóminum.

SECRETA.

PEr hoc, quæsumus, Dómine, M. P. sacrifícium, quod tuæ offérimus majestáti, ab ómnibus cor nostrum tentatiónibus emunda; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO.

EXaudi preces famulórum tuórum, M. P. omnípotens Deus: & præsta, ut sancta hæc, quæ à te súmpsimus, incorrupta in nobis contra omnes tentatiónes, te protegente, serventur; Per Dóminum.

PRO CONGREGATIONE, vel ORDINE RELIGIOSO, MAXIME IN FESTO INSTITUTORIS. 97.

COLLECTA. Orémus.

DEus, omnis boni propósiti inspi- M. P. rátor, atque perfector, dírige fámulos tuos in viam salútis æternæ:

& qui relictis ómnibus, tibi ſe totos devovérunt; fac eos cœléſtia cogitántes, in labóre pœniténtiæ, in ſpíritu paupertátis, & cordis humilitáte tibi ſervíre; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. SAnctífica, quæſumus, Dómine, per hæc ſacra quæ tibi offérimus, fámulos tuos, quos à mundo ſegregaſti: ut fidéliter vota ſua tibi reddentes, majeſtáti tuæ ſincéro corde deſerviant; Per.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SErvos tuos, Dómine, congregátos in nómine tuo, & de uno pane participántes, da unánimes conſideráre ínvicem in provocatiónem caritátis & bonórum óperum; ut eórum ſanctâ converſatióne, Chriſti bonus odor ubíque diffundátur; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs.

---

98. PRO SACRIS DEO VIRGINIBUS.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, córdium pudicórum, habitátor & cuſtos: da Chriſtiánis Virgínibus excelléntiam virginitátis intellígere, intellectam dilígere, dilectam fidéliter conſerváre; ut ſponſo, cum accénſis lampádibus occurrentes, ad cœleſtes ejus núptias admitti mereántur; Per eumdem.

SECRETA.

M. P. AGni immaculáti ſacrifícium, quod offérimus, Dómine, det ſponſis tuis pérgere viam ſublimitátis pede humilitátis; ut ſemetipſas pénitùs abnegántes, una cum Chriſto hóſtia majeſtáti tuæ váleant ófferri; Per eumdem Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. G. VIvíficæ carnis tuæ ſacramento, tríbue, Dómine, áncillis tuis inter humánæ fragilitátis incerta, conſtantem in propóſito perſeveránti am; ut tibi débeant felícem conſummatiónem, quæ jam à te habuérunt bonam voluntátem; Qui vivis.

PRO VIDUIS. 99.

COLLECTA. Orémus.

DEus mœſtórum ſolátium, & in te ſperántium certa ſalus: exaudi nos pro Víduis ſupplíciter deprecántes; ut quæ ſolátiis deſtituuntur humánis, tuâ ſe ſéntiant protectióne defendi; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. M. P.

SECRETA.

DEus, cujus ſolíus eſt quod conjunxiſti, ſeparáre: vota noſtra pro Víduis, per hanc oblatiónem, clementer exaudi; ut à lege connúbii ſolútæ, in lege Chriſti permanére, & tibi uni amóre caſto ſemper ſtúdeant adhærére; Per eumdem Dóminum noſtrum. M. P.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

DEus, qui non déſpicis Víduam, ſed exaudítor es lacrymárum ejus: ſúſcipe propítius quas pro Víduis preces obtúlimus, tua ſancta ſumentes; & concéde, ut poſt præſentis vitæ mœrórem & luctum, æternis conſolatiónibus impleántur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs. M. P.

PRO COPULATIS CONJUGIO, MAXIME IN ANNIVERSARIO CONJUGII. 100.

COLLECTA. Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui fámulos tuos nuptiárum fœdere copulaſti: imple in eis benedictiónem tuam; ut inviolábili cari- M. P.

táte concordes, & sanctâ conversatióne tibi pláceant, & æternâ in cœlo mereántur societáte conjungi ; Per Dóminum nostrum.

SECRETA.

M. P. SAcrifícii præsentis oblátio, Deus, fámulis tuis grátiæ salutáris dona concíliet ; ut in omni pietáte domum suam régere stúdeant, & ad consequendam hæreditátem æternam, mútuo sibi sint auxílio ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

POSTCONMUNIO. Orémus.

M. P. APud eos, Dómine, sit honorábile connúbium, & thorus immaculátus, quos duos in carne una, unum spíritum esse jubes, ac per cœléstia sacramenta spe societátis æternæ sustentas ; Per.

---

101. PRO MULIERE PRÆGNANTE.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui ad multiplicandos adoptiónis fílios fœcunditátis benedictiónem connúbio largíri voluísti : exaudi preces nostras pro fámula tua *N.* & concéde, ut quod in ea spíritu vitæ animásti, Spíritu grátiæ regeneráre dignéris ; Per.... in unitáte ejusdem.

SECRETA.

M. P. SUscipe, quæsumus, Dómine, tuórum fidélium oblatiónes & vota, pro fámula tua *N.* prægnante : & præsta, ut quod in partu supplícium est véteris peccáti, fiat ei própriæ iniquitátis remédium ; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. DEus, qui ad salútem humáni géneris homo nasci, illæsâ Matris integritáte, voluísti : per hæc sacra mystéria, concéde propítius, ut fámula tuâ *N.* partu felíci prolem edat tibi fidéliter servitúram ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

POST MULIERIS PARTUM. 102.

Ut in Missa votiva pro eodem, suprà, xcvij.

PRO ITER AGENTIBUS. 103.

Ut in Missa votiva pro ipsis, suprà, xcix.

PRO NAVIGANTIBUS. 104.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, quo protegente, spes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remísit século semen nativitátis : te súpplices exorámus, ut fámulos tuos, qui exíguo ligno ánimas suas credidérunt, inter vária maris perícula tueáris, & optátis littóribus reddas incólumes ; Per.

SECRETA.

M. P. ANnue, quæsumus, Dómine, votis & hóstiis supplicántium : & Angelum tuum mitte de cœlis, qui navigántes fámulos tuos comitétur, & contra omnes adversos defendat incursus ; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. IMpera, Dómine, ventis & mari, percepti sacrifícii prétio placátus ; & navigántibus fámulis tuis fiat tranquíllitas ; Qui vivis & regnas.

PRO CAPTIVIS, AUT DETENTIS IN CARCERE. 105.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui Eccléfiæ tuæ précibus, Apóstoli Petri libertátem tribuísti : exaudi nos pro fámulis tuis deprecántes ; ut vínculis solúti, libériùs tibi váleant deservíre ; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. DEus, qui ad redimendum genus humánum formam servi accípere di-

gnátus es : da fámulis tuis in captivitáte pósitis, ut per hujus sanctificatiónem mystérii, ex servitúte corruptiónis tránseant in libertátem glóriæ filiórum Dei ; Qui vivis.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. SUmpto, Dómine, nostræ prétio libertátis, tuam pro captívis implorámus cleméntiam ; ut & à córporis vínculis solvántur, & liberáti à peccáto servi fiant justítiæ ; Per.

---

106. PRO VULNERATIS IN BELLO.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, patiéntiæ & solátii, fámulos tuos pro christianíssimo Rege nostro *N.* & pro Regno vulnerátos, lætífica consolatióne cœlesti ; & te quem pro peccátis víndicem agnovérunt, adjutórem & ab omni malo liberâtórem habére mereántur ; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. SUscipe, quæsumus, Dómine, quam tibi offérimus Hóstiam : & servos tuos afflictos pro nobis & vulnerátos, líbera Deus Israel, ex ómnibus angústiis suis & tribulatiónibus ; Per Dóminum.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. DEus, qui afflígis corpus ut salves ánimam : per susceptam propitiatiónis Hóstiam, miserére famulórum tuórum, ad te de tribulatióne clamántium ; ut sanátis vulnéribus, & de manu ómnium inimicórum liberáti, ánimæ quoquè salútem ex ipsis reportent ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

---

107. PRO INFIRMO, vel INFIRMA AD POSTULANDAM SANITATEM.

Ut in Missa votiva pro Infirmis, suprà, cxvj.

PRO INFIRMO vel INFIRMA, AD POLTULANDAM PATIENTIAM. 108.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui in tua misericórdia pércutis nos ad correptiónem nostram : fámul$^{o}_{æ}$ tu$^{æ}_{æ}$ in infirmitáte pósit$^{æ}_{æ}$ grátiæ tuæ consolatiónem propítius impertíre ; ut in afflictióne córporis, ánimæ sanitátem fídei instántiâ quærere, & patiéntiæ longanimitáte cónsequi mereátur ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

SECRETA.

M. P. DEus, qui in laudem grátiæ tuæ patiéntiam sanctórum in afflictióne manifestas : conforta, hujus sacrifícii virtúte fámul$^{u}_{a}$m tu$^{a}_{a}$m ægritúdine córporis laborántem ; & præsta ut per eam exercitát$^{us}_{a}$, abundántes justítiæ fructus percípiat, & de mœróre præsenti, tránseat ad lætítiam sempiternam ; Per Dóminum.

M. P. *POSTCOMMUNIO.* Orémus. SAnctífica, quæsumus, Dómine, cœlestis participatióne sacramenti, preces quas tibi offérimus pro fámul$^{o}_{a}$ tu$^{æ}_{a}$ infirm$^{æ}_{a}$: & sicut Fílius tuus infirmitátes nostras tulit in córpore suo ; ita fratri nostro (*vel* soróri nostræ) concéde in ejus spíritu dolóres ægritúdinis & tædia usque in finem toleráre ; Per eumdem Dóminum.

PRO INFIRMO vel INFIRMA IN AGONE. 109.

Ut in Missa votiva pro ipso, suprà, cxvij.

PRO VIVIS ET DEFUNCTIS. 110.

COLLECTA. Orémus.

M A. OMnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, ómniumque miseréris,

quos tuos fide & ópere futúros esse prænoscis : te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequántur ; Per.

Secreta.

M. P. DEus, qui Eccléſiam tuam de fíliis, quos tibi génuit, támdiu jubes esse sollícitam, donec in sinu glóriæ tuæ vivant : súscipe quod offert pro vivis atque defunctis sacrifícium ; ut ómnibus prosit quod est pro salúte ómnium institútum ; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

M. A. PUrificent nos, quæsumus, omnípotens & misércors Deus, sacramenta quæ súmpsimus : & intercedentibus ómnibus Sanctis tuis, præsta ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam : sit ablútio scélerum : sit fortitúdo fragílium : sit contra ómnia mundi perícula firmamentum : sit vivis atque mórtuis fidélibus remíssio ómnium delictórum ; Per.

VI. ORATIONES
Pro Defunctis.

Hæ Orationes dicuntur etiam quando celebratur Missa de die, in quâ occurrit commemoratio facienda de defunctis.

Si plures sint defuncti, dicuntur in plurali.

III. Pro Papa.

Collecta. Orémus.

M. A DEus, qui inter summos Sacerdótes, fámulum tuum *N.* ineffábili tuâ dispositióne connumerári voluisti : præsta, quæsumus, ut, qui unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, sanctórum tuórum Pontíficum consórtio perpétuo aggregétur ; Per.

Secreta.

M. A. SUscipe Dómine, quæsumus, pro ánima fámuli tui *N.* summi Pontíficis, quas offérimus, hóstias ; ut, cui in hoc século pontificále donasti méritum, eum in cœlesti Regno sanctórum tuórum júbeas conjungi consórtio ; Per Dóminum.

Postcommunio. Orémus.

M. A. HUjus virtúte sacrifícii propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris : & ánimam fámuli tui *N.* summi Pontíficis, in regióne vivórum æternis fac gáudiis sociári ; Per Dóminum.

Pro D.D. Episcopo. 112.

Collecta. Orémus.

M. P. DEus, qui fámulum tuum *N.* Pontíficem nostrum ad ápicem sacerdótii evectum, de córpore mortis hujus edúcere voluisti, súscipe propítius preces nostras ; & præsta ut ánima ejus tremendi óneris pondere liberáta, ad thronum glóriæ tuæ récipi, & tecum in eo sedére mereátur ; Per.

Secreta.

M. P. IIsdem famulántes Mystériis, quibus defúnctus Póntifex noster *N.* tibi, Dómine, litávit, cleméntiam tuam exorámus ; ut hujus virtúte sacrifícii pervéniat ad interióra veláminis, ubi per eámdem hóstiam introívit futurórum bonórum Póntifex Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster ; Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Postcommunio. Orémus.

M. P. TE sitiéntis ánimæ refrigérium, Dómine, deprecámur, ut fámulus tuus *N.* quem evangélicæ pacis ministrum nobis dedisti, dono tuæ pietátis júgiter in te requiéscat ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs.

113. PRO ALIO EPISCOPO SEU PRÆLATO, VEL PASTORE.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum *N.* pontificáli (*seu* sacerdotáli) feciſti dignitáte vigére : præsta, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

SECRETA.

M. P. IMmensam clementiam tuam, Dómine, supplíciter implorámus, ut hoc sacrifícium, quod fámulus tuus *N.* Póntifex, (*vel* Sacerdos) dum esset in córpore, majestáti tuæ pro salúte fidélium óbtulit, ipsi nunc prosit ad véniam ; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. QUæsumus, omnípotens & miséricors Deus, ut fámulum tuum *N.* quem in terris pro Christo legatióne fungi tribuisti, his emundátum sacrifíciis, consedére fácias in cœléstibus cum eódem Christo Jesu Dómino nostro : Qui tecum vivit.

114. PRO PLURIBUS EPISCOPIS.

COLLECTA. Orémus.

M P. PRopitiáre, Dómine, fámulis tuis, quos Dóminus noster Jesus Christus in regéndis pópulis suos póstuit vicários ; ut cùm apparúerit Princeps Pastórum, immarcescíbilem glóriæ corónam percípere mereántur ; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. HUjus oblatióne sacrifícii placáre, Dómine, Deus omnípotens, & concéde, ut fámulos tuos æterna glória consúmmet in cœlis, quos únctio sancta tibi consecrávit in terris ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

TE, Dómine, per suscépta mystéria deprecámur, ut quibus concéssa fuit sacerdótii plenitúdo, abundanter minístrétur introítus in ætérnum regnum Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi ; Qui tecum vivit & regnat in unitáte. M. P.

115. PRO UNO SACERDOTE.

COLLECTA. Orémus.

M P. DEus, qui inter Ministros & dispensatóres Mysteriórum tuórum fámulum tuum *N.* ad sacrificandum tibi hóstiam laudis elegisti ; te súpplices exorámus, ut eum à carnis vínculis absolútum, cum iis qui benè ministráverint, partem recípere, & in gáudium tuum fácias introíre ; Per Dóminum.

SECRETA.

M. P. MEmor esto, quæsumus, Dómine, sacrifícii quod offérimus, pro fámulo tuo *N.* Sacerdóte precántes ; ut Christus mediátor ei subvéniat, quem médium inter te & pópulum tuum fieri voluisti ; Per.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. SUmptis salutáribus sacramentis, implorámus cleméntiam tuam omnípotens Deus, ut fámulum tuum *N.* Sacerdótem quem feciſti mysteriórum tuórum dispensatórem in terris, eórum fácias in cœlis ápertâ veritáte nutríri ; Per.

116. PRO PLURIBUS SACERDOTIBUS.

COLLECTA. Orémus.

M. P. DEus, qui fámulis tuis, onus ipsis angélicis spirítibus formidándum imposúisti ; præsta quæsumus, ut qui gravi múnere functi sunt in terris, uberióri misericórdiæ tuæ benefício sublevéntur in cœlis ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum.

SECRETA.

M. P. EXaudi nos, Dómine, pro fámulis tuis, ſupplicántes, ut qui ſacrificiórum offícia conſummavérunt in terris, nunc in ſancta Sion æternas tibi laudes perſólvant; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. TE, Dómine, pro fámulis tuis, deprecámur, ut qui bonórum cœleſtium diſpenſatiónem à te recepérunt, expectatiónis ſuæ fructum in te percípiant; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

---

117. PRO DEFUNCTO NON SACERDOTE.

COLLECTA. Orémus.

S. R. INclína, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuam ſúpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui *N.* quam de hoc ſéculo migráre juſſiſti, in pacis ac lucis regióne conſtítuas, & Sanctórum tuórum júbeas eſſe conſortem; Per Dóminum noſtrum.

SECRETA.

S. R. ANnue nobis, quæſumus, Dómine, ut ánimæ fámuli tui *N.* hæc proſit oblátio; quam immolando, totíus mundi tribuiſti relaxári delicta; Per.

POTSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. PRoſit, quæſumus, Dómine, ánimæ fámuli tui *N.* ineffábile quod tibi obtúlimus ſacrifícium; ut ejus, in quo ſperávit & crédidit, æternum cápiat, te miſerante, conſórtium; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

---

118. PRO DEFUNCTA.

COLLECTA. Orémus.

M. A. QUæſumus, Dómine, pro tua pietáte, miſerére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & eam à contágiis mortalitátis exútam, in æternæ ſalvatiónis partem reſtítue; Per Dóminum.

SECRETA.

HIs ſacrifíciis, Dómine, ſine quibus à culpa nemo liber éxtitit, ánima fámulæ tuæ *N.* à peccátis ómnibus exuátur; & per hæc piæ placatiónis offícia, perpétuam miſericórdiam conſequátur; Per Dóminum. M. A.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

INvéniat, quæſumus, Dómine, ánima fámulæ tuæ *N.* his purgáta ſacrifíciis, lucis æternæ conſórtium, quæ in hac luce póſita, miſericórdiæ tuæ conſecúta eſt ſacramentum; Per. M. A.

PRO PLURIBUS DEFUNCTIS DIVERSI AUT EJUSDEM SEXUS. 119.

COLLECTA. Orémus.

DEus, in cujus óculis non eſt ínnocens étiam laudábilis hóminum vita, ſi remótâ miſericórdiâ diſcútias eam; ne exquíras peccáta animárum quas tibi commendámus: ſed quam fiduciáliter ſperámus ac pétimus, fac eas apud te indulgéntiam invenire; Per.

SECRETA.

HAnc oblatiónem, quam tibi pro animábus famulórum tuórum, (*vel* famulárum tuárum) offérimus, quæſumus, Dómine, propítius intuére; & concéde, ut & mórtuis proſit ad véniam, quod cunctis vivéntibus præparáre dignátus es ad medélam; Per. S. R.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

ANimábus famulórum tuórum, (*vel* famulárum tuárum) Dómine, pro quibus hoc tibi obtúlimus ſacrifícium, placátus adeſto; ut ſi quæ eis máculæ de terrénis contágiis adhæſérunt, miſeratiónis tuæ véniâ deleantur; Per. S. R.

IN DIE TERTIO, SEPTIMO, ET TRIGESIMO poſt mortem cujuſlibet SACERDOTIS, Orationes dicuntur ut ſuprà, pag. clxxxv *& ſequentibus; quod & obſervatur in ANNIVERSARIIS.*

120. IN DIE TERTIO, SEPTIMO, ET TRIGESIMO POST MORTEM DEFUNCTI vel DEFUNCTÆ.

COLLECTA. Orémus.

S. R. QUæsumus, Dómine, ut ánimæ fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* cujus depositiónis diem tértium (*vel* séptimum) (*vel* trigésimum) commemorámus, sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium, & rorem ei misericórdiæ tuæ perennem infundas; Per Dóminum nostrum.

SECRETA.

S. R. MUnera, quæsumus, Dómine, quæ tibi pro ánima fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* offérimus, placátus intende; ut remédiis purgáta cœléstibus, in tua pietáte requiescat; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. OMnípotens sempiterne Deus, fámul$^{u}_{a}$m tu$^{u}_{a}$m *N.* cujus diem depositiónis tértium, (*vel* séptimum) (*vel* trigésimum) divíni perceptióne Mystérii celebrámus, in sinu Abrahæ, Isaac & Jacob locáre dignáre; ut cùm dies agnitiónis tuæ vénerit, inter sanctos & electos tuos e$^{u}_{a}$m resuscitári præcípias; Per Dóminum nostrum.

---

121. IN ANNIVERSARIIS PRO UNO DEFUNCTO, vel UNA DEFUNCTA.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* cujus anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum.

SECRETA.

S. R. PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, pro ánima fámul$^{i}_{æ}$ tui$^{i}_{æ}$ *N.* in cujus ánnuâ die tibi offérimus sacrifícium laudis; ut eam Sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris; Per Dóminum nostrum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. PRæsta, quæsumus, Dómine, ut ánima fámul$^{i}_{æ}$ tu$^{i}_{æ}$ *N.* cujus anniversárium depositiónis diem commemorámus, his purgáta sacrifíciis, indulgéntiam páriter & réquiem cápiat sempiternam; Per Dóminum.

---

122. IN ANNIVERSARIIS PRO PLURIBUS DEFUNCTIS.

COLLECTA. Orémus.

S. R. DEus, indulgentiárum Dómine, da animábus famul$^{o}_{a}$rum tu$^{o}_{a}$rum qu$^{o}_{a}$rum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum.

SECRETA.

S. R. PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, pro animábus famul$^{o}_{a}$rum tu$^{o}_{a}$rum, in qu$^{o}_{a}$rum ánnuâ die tibi offérimus sacrifícium laudis; ut eas Sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

S. R. PRæsta, quæsumus; Dómine, ut ánimæ famul$^{o}_{a}$rum tu$^{o}_{a}$rum, qu$^{o}_{a}$rum anniversárium depositiónis diem commemorámus, his purgátæ sacrifíciis, indulgéntiam páriter & réquiem cápiant sempiternam; Per.

---

123. PRO FRATRIBUS, SORORIBUS, PROPINQUIS ET BENEFACTORIBUS.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus véniæ largítor, & humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis Fratres, Soróres, Propinquos, & Benefactóres, qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper vírgine intercedente, cum ómnibus

Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

SECRETA.

M. A. DEus, cujus misericórdiæ non est número, súscipe propítius preces humilitátis nostræ; & animábus Fratrum, Sorórum, Propinquórum, & Benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, intercedente beátâ Dei genitríce Maríâ, cum ómnibus Sanctis, per has oblatiónes, cunctórum remissiónem tríbue peccatórum; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. A. PRæsta, quæsumus, omnípotens & miséricors Deus, ut ánimæ Fratrum, Sorórum, Propinquórum, & Benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem sacramenti, & intercessiónem beátæ Vírginis Maríæ & ómnium Sanctórum; à peccatis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miserante, recípiant beatitúdinem; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs.

---

124. PRO OMNIBUS FIDELIBUS DEFUNCTIS.

COLLECTA. Orémus.

S. R. FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor: animábus famulórum, famulárumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus; Per.

SECRETA.

HOstias, quæsumus, Dómine, S. R. quas tibi pro animábus famulórum, famulárumque tuárum offérimus, propitiátus intende; ut quibus fídei Christiánæ méritum contulísti, dones & præmium; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

ANimábus, quæsumus, Dómine, S. R. famulórum, famulárumque tuárum, in hoc venerábili Sacrifício, orátio proficiat supplicántium; ut eas, & à peccátis ómnibus éxuas, & tuæ redemptiónis fácias esse partícipes; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

PRO DEFUNCTIS IN CŒMETERIO QUIESCENTIBUS. 125.

COLLECTA. Orémus.

DEus cujus miseratióne ánimæ fidélium requiescunt; fámulis & famulábus tuis, hìc & ubíque in Christo quiescentibus, da propítius véniam peccatórum: ut à cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine lætentur; Per eumdem Dóminum. S. R.

SECRETA.

PRo animábus famulórum, famularumque tuárum, quorum córpora hìc & ubíque in Christo requiescunt, hóstiam, Dómine, súscipe benignus oblátam: ut hoc sacrifício singulári vínculis horrendæ mortis exúti, vitam adipiscantur æternam; Per eumdem. S. R.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

OMnípotens sempiterne Deus, S. R. cui numquam sine spe misericórdiæ supplicátur; hujus virtúte sacramenti, propitiáre animábus famulórum, famularumque tuárum, quórum córpora hìc & ubíque requiescunt: ut qui de hac vita in tui nóminis confessióne decessérunt, Sanctórum tuórum número fácias aggregári; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

126. PRO OCCISIS IN BELLO.

COLLECTA. Orémus.

M. P. MIserátor Deus & misséricors, ad ánimas fidélium, qui pro Regno & Rege nostro, cecidérunt in bello, respícere festína: ut eis in æternâ pace sit locus & habitátio perennis in Sion; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

SECRETA.

M. P. ANimábus fidélium pro pátriâ interfectórum prosit, clementíssime Deus, quem immolámus tibi, Agnus pro cunctis occísus, vita, salus, & resurrectio nostra; Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. P. REx omnípotens Deus, per hujus sacramenti virtútem, defunctórum in prælio fidéles ánimas ab omni labe peccatórum emunda: ut in regnum cœleste citò translátæ, tibi soli in æternum vívere glorién̄tur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

127. PRIVATIM PRO PATRE vel MATRE.

Si pro Patre, vel Matre tantùm, dicitur ánimæ... ejúsque... eum *vel* eam... ánima... eíque... illo *vel* illâ... ánimæ... ejus, &c.

COLLECTA. Orémus.

M. A. DEus, qui nos Patrem & Matrem honóráre præcepísti; miserére clementer animábus Patris ac Matris meæ, eorumque peccáta dimitte; meque eos in æternæ claritátis gáudio fac vidére; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

SECRETA.

M. A. SUscipe sacrifícium, Dómine, quod tibi pro animábus Patris & Matris meæ óffero: eisque gáudium sempiternum in regióne vivórum concéde; meque cum illis felicitáti Sanctórum conjunge; Per Dóminum.

POSTCOMMUNIO. Orémus.

M. A. CŒlestis participatióne sacramenti, da mihi, Dómine, mundas tibi preces offerre; ut & animábus Patris & Matris meæ lucem váleam obtinére perpétuam, & me in eórum consórtio grátia tua corónet æterna; Per.

PROSÆ

PROSÆ PROPRIÆ

In Missis Annualibus & Solemnibus-Majoribus de Proprio Temporis, seu Sanctorum cantandæ, ubi aliæ suis locis non habentur.

Si qua Missa ex iis quæ inter Votivas habentur, celebratur ritu annuali aut solemni-majori, Prosa propria repetetur ex festo Mysterii aut Sancti seu Sanctæ, de quo Missa dicitur, aut reperietur infrà in Prosis de Communi, præter sequentes. Ceterùm aliquæ sunt Missæ votivæ quæ eo ritu numquàm celebrantur: aliæ autem nonnisi rarò, gravi de causâ, aut ob solemnitatem aliquam de licentiâ D.D. Episcopi institutam.

DE SS. NOMINE JESU. *M. P.*

Sub cantu Prosæ Annuntiationis.

IN tuo Nómine,
Jesu, convénimus;
Huc ades, Dómine,
Verbi, cui crédimus,
Memor ut ímpleas.
Salútem, párvulus
Quam spondes Nómine;
In cruce péndulus,
Hanc emis sánguine,
Ut gratìs præbeas.
O Venerabile
Nomen cœlítibus!
Nomen terríbile
Sævis dæmónibus!
Nobis amábile!
Nomen nomínibus
Cunctis excélsius;
Cui, flexis génibus,
Quidquid est áltius,
Se subdit húmile!
Hoc nos in Nómine
Quotquot credídimus;
Erepti crímine,
Ex Deo fúimus
Renáti fílii.
Per hoc concrédita
Stámus in grátia:
Per hoc, depérdita
Ad vitæ præmia
Redímus dévii.
Ad sacrum fúgite
Nomen, dæmónia;
Morbi, recédite;
Mors, in victória
Absorpta mórere.
Pater, nos díligis
Hoc tectos Nómine:
Da nobis índigis
De plenitúdine
Ejus ditéscere.
Amen.

DE JESU INFANTE. *M. P.*

Sub cantu Prosæ Annuntiationis.

DEum mortálibus
Subjectum cérnimus!
Pannis sub vílibus
Latentem cólimus
Auctórem ómnium.
Se quantò pléniùs
Pro nobis déjicit,
Tantò poténtiùs
Nostrórum állicit
Amórem córdium.
Nihil infántibus
Differt à céteris:
Plorans, vagítibus
Emittit téneris
Vocis primórdia.
Est avi nídulus,
Et pullo pásseris:
Non est quo párvulus
Corpus ab áeris
Tegat injúriâ.
Hacce paupérie
Dites efficimur;
Nostræ misériæ
Tandem erípimur
Christi misériâ.
Primis ablúimur
Jam guttis sánguinis:
In spem erígimur;
Vim implens Nóminis
Salvábit grátia.
Altum dum sáperet,
Homo cecíderat:
Numquàm exúrgeret,
Ni Deus vénerat
In terras húmilis.
Ad me demíttitur,
Mecum non córruit:
Pro culpis pátitur;
Culpas non índuit;
In hoc dissímilis.
Hic omnis cláuditur
Superbis áditus:
Solus admíttitur
Pastor extérritus,
Et magus dócilis.
Nequicquàm Párvulum
Rex quærit ímpius;
Timet infántulum;
Quàm erit sæviùs
Judex terríbilis!
Ne frustrà páveam,
Cùm judex véneris;
Fac, te nunc tímeam,
Infans, ô géneris
Nostri primítiæ.
Castum hunc páriat
Timórem cáritas;
Per quam defíciat
Tuæ cupíditas
Rebellis grátiæ.
Amen.

IN REPARATIONE

Injuriarum illatarum Christo in SS. Sacramento. *M. P.*

Sub cantu Prosæ festi Corporis Christi.

PLange, Sion, muta vocem;
Da lamentum, & atrócem
Dic furórem hóminum.
Multùm amans, multùm plora:
Erit Deo laus decóra,
Vivus horror críminum.
Non est Deo jam litáre;
Non hanc cœnam manducáre,
Quæ dat vitâ vívere.
Cædi rursùm destinátur,
Rursùm probris saturátur,
Qui nos venit quærere.
Quam nefandè nuntiátur,
Quàm indignè renovátur
Crucis impropérium!

Tradit, negat, fugit diſcípulus :
Duc, rex, miles, ſacerdos, pópulus,
Urgent Deicídium.
Amor Dei quod expreſſit,
Ad ſalútem quod conceſſit,
Tranſit in judícium.
Sanctus hìc polluitur,
Vero contradícitur,
Fert Bonus oppróbrium.
Agnus idem cœli thronum,
Et altáris ſacrat donum ;
Quàm diverſo prétio ?
Cœlo lux eſt, nox in ara :
Laus in cœlis, hìc amára
Inſtat contradíctio.
Cœlo plaudunt qui gaudentes,
Hìc acerbè condolentes,
Adſtant pacis núntii.
O vos, triſtes ululáte,
Iram in vos formidáte,
Venientem, ímpii.
Agnis agnus, hædus hædis,
Pura mundis, tetra fœdis
Dat referre prǽmia.
Ara Chriſti ſe mactantis
Fit tribúnal judicantis :
Fertur jam ſenténtia.
Sermo durus vobis ſonat,
Quem ſincéra fides tonat ?
Exit ſermo dúrior.
Ad hanc cœnam non intráre,
In æternum non guſtáre
Damnat Rex ſevérior.
Spectat intrò diſcumbentes
Veſtes inter tot fulgentes
Ecquis nudus cérnitur ?
O quod pondus catenárum !
O quis horror tenebrárum,
Queis ligátus tráditur !
Quot infirmi ſopiuntur,
Mortis ſomno quot premuntur,
Rei carnis Domini !
Heu ! quò cæci vos abítis ?
Vitam præſtat vera vitis :
Quare moriémini ?
At nos ad quem juvat ire ?
In quem juvat nos ſitíre ?
A te, Jeſu, quem, audíre,
Via, vita, véritas ?
Non jam ſtamus irridentes :
Cor ſuperbum conterentes,
Laudi planctum commiſcentes,
Mentes damus ſubditas.
Et nos ſuper cecidérunt,
Quæ te probra terigérunt :
In profanos exarſérunt
Corda te timéntium.
(*Ter repetitur ſequens ſtrophe*)
Agne mitis, expiátum
Mundi tollis qui peccátum ;
Quo te flémus conculcátum
Tolle nefas ímpium.
Os occlúde blaſphemanti,
Sana mentem nauſeanti,
Ne des ſanctum uſurpanti ;
Ne te credas non amanti ;
Fac te cuncti páveant.
Scelus adhuc dum vidémus,
Fletus præter quid nos demus ?
En nos tibi devovémus :
Fletus ipſe, quos ſpondémus,
Da, qui tibi pláceant. Amen.

DE PASSIONE,

Et aliis Myſteriis ad Paſſionem Chriſti ſpectantibus. *M. P.*

Sub cantu Proſæ feſti Corporis Chriſti.

Crucifixum adorémus :
Chriſti Crucem prædicémus,
Salvi per quam vívimus.
Portæ tremant infernáles,
Eleventur æternáles,
In hoc ſigno víncimus.
Ligno ſerpens nos perémit,
Chriſtus ligno nos redémit ;
Culpam Adæ ſúſtulit.
Lege factus maledictus
Agnus Dei benedictus
Maledictum ábſtulit.
Super Crucem conſummátur,
In figúris qui mactátur
Orbis ab orígine.
Hìc decrétum nobis contrárium,
Quo peccáti fit mors ſtipéndium,
Fuſo delet ſánguine.
Qui peccátum nullum geſſit,
Cujus lingua dolum neſcit,
Noſtra luit ſcélera.
Christus clavis fígitur ;
Mors transfixa móritur :
Sanant Dei vúlnera.
Longe quondam nos erámus,
Facti propè nunc ſperámus
In ligno vivífico.
In hoc Chriſtus exaltátus
Palàm vincit principátus
Triumpho magnífico.
Cruce rumpit orci clauſtra :
Solvens rixas, fit pax noſtra,
Cœlo nos reſtituit.
Rubet ſacro Crux liquóre :
Fervet ara, quo calóre
Dei ſanguis éffluit.
Lectus Dei morientis,
Eſt cathédra nos docentis :
Simul mori díſcite.
Ut, pro vobis qui precátur,
Vox cruóris audiátur,
Ne loquentem ſpérnite.
Crucifixus voluntáte,
Mox reſurget poteſtáte,
Suo victor fúnere.
Paſſus nobis, nobis ſurget ;
Amor tantus jam nos urget :
Huic fas uni vívere
Cruce Jeſu liberáti,
Ejus morte Deo nati,
Quare moriémini ?
Nunc in fletu ſeminétis :
Ut cum Chriſto conregnétis,
Cum eo patímini.
O Fons omnis Crux virtútis !
O æternæ ſpes ſalútis !
O diremptæ ſervitútis
Véteris ſignáculum !
Nube judex cum ſedébit,
Crux in cœlo reſplendébit ;
Hoc extrémum obſtupébit
Tellus ad ſpectáculum.
Hanc qui portant nunc libentes
Tunc vidébunt confidentes ;
Hanc horrébunt contrementes,
Quibus eſt ludíbrio.
Die tuâ ne damnémur ;
Fac nunc, Chriſte, judicémur :
Benè ſtulti gloriémur
Crucis impropério.
Tuæ Cruci nos confíge ;
Per hanc mundo nos transfíge,
Mundum nobis crucifíge ;
Hîc nos ure, nos afflíge,
Ut ſis tunc præſídio.
Vetus homo perimátur ;
Mali corpus deſtruátur :
Sanguis tuus ne perdátur ;
Homo morti ne tradátur
Emptus tanto prétio.
Amen.

DE B. MARIA VIRGINE. *M. P.*

Sub cantu Proſæ Aſſumptionis.

Ave, Virgo vírginum,
Spes ſalútis hóminum,
Mater alma grátiæ.
Ave, ſidus rútilum,
Laus & decus órdinum
Cœleſtis milítiæ.
Consolatrix ínclyta,
Opem fer, & víſita
Certantes in ácie.
Nos rege, nos íncita,
Nos fove, nos éxcita
De lacu miſériæ.
Ave, Jeſſe vírgula,
Roſa veris prímula,
Tota ſine cárie.
Peccatórum víncula
Solve prece ſédulâ
Præſentis famíliæ.
Plena Virgo grátia,
Reple cordis íntima
Cœleſti tempérie.
O lux beatíſſima,
Eſto nobis lúcida,
Fulgens ſole glóriæ ;
Qui nos jungat ſúperis,
Dans nobis in déxteris
Poſt ſpem frui ſpécie.
Tu benígna díceris :
Miſerére míſeris,
Virgo mater grátiæ.
Amen.

DE SS. ANGELIS.

Sub cantu Proſæ Annuntiationis.

VOs ad præcónium
Communis Dómini,
Natis mortálium
Nobis jungímini,
Cœleſtes Spíritus.
Deum elóquimur
In vos magníficum:
Sanctum proſéquimur,
Quod veſter cánticum
Canit exércitus.
O Dei sánctitas!
O celſa glória!
O lux! ô Trínitas!
Felix milítia,
Quæ ſtipat ſólium.
In quem proſpíciunt,
Colluſtrat lux Deus:
Quem toti sápiunt,
Eſt Deus ígneus
Vita, vis ómnium.
Statim extórribus,
Qui ſemel læſerant;
Perennis cívibus,
Qui cœlo ſtéterant,
Pax & concórdia.
Dant, & accípiunt
E donis cómitum;
Quod ſunt, hoc cúpiunt,
Ad Dei plácitum;
Nec eſt invídia.
Ex ipſis háuriunt
Dei viſcéribus,
Quam noſtris ſéntiunt
Plenam in cáſibus,
Miſericórdiam.
Flent, ſi prolábimur,
Et dant auxílium:
Cùm reſtitúimur,
Conceſſam gáudium
Agunt ob véniam.
Ad thronum récitant
Piórum gémitus;
Mox miſſi mílitant
Adversùm ſpíritus
Infenſos fidei.
E carnis cárcere
Edúcunt ánimas:
Erit, è púlvere
Cùm mortis víctimas
Jubébunt révehi.
Dux belli, Míchael,
Draconem cóntere;
Liga tu, Ráphael:
Te, Gábriel, gere
Salútis núntium.
A te victória,
Et ſalus ómnibus,
Chriſte, terréſtria
Per quem cœléſtibus
Sunt in conſórtium.
Amen.

DE S. JOSEPH. *M. P.*

Sub cantu proſæ Aſſumptionis.

HUc, Jeſu Diſcípuli,
Huc, Maríæ fámuli,
Exultántes cúrrite.
Dux fuit famíliæ;
Socium nunc glóriæ
Joſeph juſtum cérnite.
Quæ Deo jam plácuit,
Sponſam Joſeph vóluit:
At non eſt diſsídium,
Nuptam ſervat Númini,
Cuſtos datus Vírgini:
Jeſus utríque próprium.
Major hîc obtémperat:
Deo mater ímperat,
Matri Joſeph Vírgini.
Quantus hic putábitur,
Cui María súbditur,
Sui tutor Dómini?
Sanctitatis cónſcius,
Caſtitátis ſocius,
Puris ardet ígnibus.
Stat patris diléctio
Servi cum obſéquio,
Flexis quod det génibus.
Jesu, da te ſócium,
Noſtrum hîc exílium
Ne nimis diſplíceat.
Te ſine, ſuſpíria;
Te coram, ſint gáudia;
Donec frui líceat. Amen.

DE S. MARTINO.

Sub cantu proſæ Nativitatis D. N. J. C.

CAntibus lætítiæ
Templa ſonent ómnia,
En Martínus glóriæ
Intrat ſanctuária,
Ipſi plaudunt cælites.
Annis adhuc téneris
Milítiam ſéquitur;
Nomen ſed, cum júſſeris,
Chriſte, profitébitur
Tuos inter mílites.
Integris nil móribus
Belli furor nócuit:
Certis jam pignóribus,
Non fucáta nítuit
Inter arma píetas.
Pauper licet, páuperi
Piam manum pórrigit,
In grátiam míſeri
Veſtem ipſam dívidit:
O miranda cáritas!
Veste tectum lácerâ
Miles ridet ímpius:
Parte Chriſtus álterâ,
Sibi datam cónſcius,
Se micantem præbuit.
Necdum ſacro flúmine
Primis lotus ſórdibus;
Hauſto plenus númine
Quantis mox virtútibus
In dies incláruit!
Primis dignus grádibus
Fruſtrà præceps fúgitat:
Fidum hunc altáribus
Sacerdótem clámitat
Tegi virtus néſcia.
Pia fraude rápitur;
En ſublímis præſulis
In thronum evéhitur,
Novum lumen pópulis;
Tota gaudet Gállia.
Nil novis honóribus
Subripit ſuperbia,
Major immò móribus
Prodit ſe modéſtia,
Magis virtus émicat.
Totum gregi ſe vovet,
Lucem promit, ímpios
Verbo legis cómmovet,
Firmat fide dúbios,
Curas amor incitat.
Fidum miniſtério,
Non movent perícula.
Illíus império
Facta quot mirácula
Turo videns ſtúpuit!
Morbo preſſos líberat,
Aras vertit núminum,
Elementis ímperat;
Hujus ipſa mors manum
Efficácem timuit.
Sibi ſemper símilis,
Læſus non iráſcitur;
Hoſti parcit fácilis,
Donis & ulcíſcitur:
Grandis patiéntia!
Próprior jam fúneri,
Carnem ſemper dómuit:
Vile ſtramen, córpori
Benè durus, réſpuit:
Quæ par pœniténtia!
Fine ſub exílii
Cœlo figit lúmina:
Puri ſedem gáudii,
Angelórum ágmina
Ardet tandem víſere.
Nec minùs, quas déſerit,
Cara ſalus óvium:
Ad novum, ſi próderit,
Jam triumphans, prælium
Non recúſat cúrrere.
Cœli ſed hunc régia
Dudum terris invidet:
Hic vera ſacrária,
Hic mélius próvidet
Paſtóris officium.
Fac, tuis qui déditi
Congregantur láudibus,
Sacris tecum ádditi,
O Martíne, ſédibus,
Fiant ſodalítium.
Amen.

DE S. LUDOVICO.

QUOTQUOT Dei milítiæ
Franci dedérunt nómina,
Cœlo fulgens Rex Gálliæ,
Tua cantent certámina.
Tu pace princeps óptimus,
Legum firmas orácula :
Tu bello dux magnánimus,
Nulla fugis perícula.
SARACENIS frendéntibus,
Oppreſſa gemat Syria :
Trajectis ſacra flúctibus
Exardeſcis in prælia.
Vultu minax ſidéreo
In bárbaros dum írruis ;
Enſe corruſcans ígneo,
Terres, exarmas, déſtruis.
LATE crucis insígnia,
Te triumphante, rádiant :
Major palmárum cópia,
Morbi faces en æſtuant.
Armis favens regálibus
Circumvolat victória :
Succedit inundántibus
Læta malis conſtántia.
DEUM laudas in vínculis ;
Regína mens non víncitur :
Si fletus ſtillat óculis,
Totus ægris impénditur.
Qua leóne ferócior
Perdebas hoſtes déxterâ,
Hâc foves agno mítior
Tetra languentûm vúlnera.
EXERCITUS innúmeri
De Rege patrem ſéntiunt ;
Pio dum vacas óperi,
Fides & amor géſtiunt.
Pax tuo ſtat arbítrio :
Redis, fundas ſacrária :
Hinc & inde relígio
Te ſtipant & juſtítia.
O! NOVA captans prælia,
Scandis olympi ſólium,
Ludovíce : de glória
Tuum ſerves impérium.
Chriſto conjungas pópulos,
Et príncipes & mílites :
In Rege figas óculos,
Defendas regni límites.
Amen.

DE SANCTO ROCHO. *M. P.*

Sub cantu Proſæ Aſſumptionis.

TOLLIT ſecum ſtrépitu,
Et perit cum ſónitu
Impiórum glória.
Statim vita rápitur ;
Unà terrâ cónditur
Corpus & memória.
CONTRA, vivi látuit,
Et defuncti cláruit
Rochi ſanctimónia.
Dum labórat, cóntegit ;
Ut perfécit, rétegit
Opus ſuum grátia.
A DEO, vox pópuli :
Crebri vox miráculi
Deum teſtem áſſerit.
Quam menſúrant mérita,
Docet merces réddita,
Qualis Rochus víxerit.
QUOD jam metit ſpléndidus,
Seminávit pávidus
Lácrymis, ſudóribus.
Quos beátus réſpicit,
Ægris æger dídicit
Subveníre frátribus.
ET datas referímus,
Et optátas pétimus
Per te, Chriſte, grátias.
Peſte pejus vítium,
Peſtis & contágium
Procul abhinc fácias. Amen.



DE S. GENOVEFA. *M. P.*

Sub cantu Proſæ Aſſumptionis.

EN ades ad núptias
Inter Agni ſócias,
Genovéfa, vírgines.
Citò ſponſam hábuit,
Cor infantis rápuit,
Pulcher ſuper hómines.
NON nites monílibus :
Omnis è virtútibus
Eſt ab intùs glória.
Corpus ornat cáſtitas ;
Ditat mentem cáritas ;
Dos eſt ſponſi grátia.
DEO teſte látuit,
Et volente cláruit
Procul nota pópulis.
Urbs ô princeps úrbium,
Dic quod dat præſídium,
Dic quot ſtas miráculis.
SPLENDIDAM in pánibus,
Fortiórem hóſtibus
Senſimus, dum víveret.
Vigil in cinéribus,
Mœſtis nos in cáſibus
Tutrix nunquam déſeret.
HAC orante Vírgine,
Te jubente, Dómine,
Stetit plaga ſæviens.
Nunc, extinctis fébribus,
Jube, pax ſit córdibus,
Pax nunquam deficiens.
Amen.

PROSÆ COMMUNES

In Missis Annualibus & Solemnibus-majoribus de Sanctis cantandæ, ubi propriæ non habentur.

DE SS. APOSTOLIS. *M. P.*

JAm non servos nominámus;
Vos amícos prædicámus
Dei Sapiéntiæ.
Non vos Christum elegístis:
Ad quærentem accurístis,
Vi compulsi grátiæ.
Ecquos, Christe, jungis tibi!
Quos docendo mittis orbi!
Insícios, ignóbiles.
Testi vili Gentes credunt;
Immò Dei verbo cedunt,
Uni Deo dóciles.
Per hos Christus terris degit,
Sparsi verbi fructus legit;
His majóra, quæ perégit,
Dat adhuc mirácula.
Mittunt rete piscatóres,
Quo salvantur peccatóres:
Quantum, primos ad labóres,
Fert onus navícula!
Seu stant simul respondentes,
Seu dispersi docent Gentes;
Non franguntur metuentes,
Non loquuntur vária.
Deo præstat obedíre;
Nefas testes non prodíre:
Jesum propter quis subíre
Plura det oppróbria?
Quem tot curis plantavérunt,
Quem cruóre rigavérunt,
Quem è cœlo coluérunt,
Et messóres quondam erunt
Agri tui, Dómine.
Terras rursùm cùm vidébis,
Throno judex cùm sedébis;
Assessóres quos habébis,
Num patrónos prohibébis
Emptis tuo sánguine?
Hac ne die pereámus;
Fac jam cuncta relinquámus,
Tibi fortes hæreámus;
Horum patrum nil agámus
Non sat dignum filiis.
Posuére fundamentum:
Illi demus, ut augmentum,
Aurum, gemmas, & argentum;
Tu concessis, incrementum
Da perenne, grátiis.
Amen.

DE IISDEM SS. APOSTOLIS, Tempore Paschali. *M. P.*

Sub cantu Prosæ Pentecostes.

UT quid fremunt pópuli?
Ex obscúro túmuli
Fulget ingens glória.
Luce novâ pércitus
Ruit miles térritus;
Turba fugit ímpia.
At, vos ô, resurgite,
Ad sepulcrum cúrrite
Céleres Discípuli.
Jam Scriptúras cápiunt,
Et magistrum sápiunt
Qui priùs incréduli.
Ut stat Jesus médius,
Nemo jam est ánxius;
Pax redit & gáudium.
Ut loquentem áudiunt!
Ut toti conspíciunt
Absque plaga sáucium!
Ceu pater amábilis,
Nunc demulcet fácilis,
Nunc objurgans córrigit.
Vívido mox hálitu,
Implet illo Spíritu,
Qui peccantes súbigit.
Jam non testes timidi,
Sed præcónes férvidi,
Christum Deum núntiant.
Eunt quò fert ímpetus:
Quod dat loqui Spíritus,
Toti mundo prædicant.
Et nos, si surréximus,
Christo si convívimus,
Dei virtus induet.
Nil in terra quærere;
Quæ sunt sursùm, sápere,
Blandè fortis tríbuet. Amen.

DE SS. EVANGELISTIS. *M. P.*

Sub cantu Prosæ Pentecostes.

EX uno manántibus
Quátuor flumínibus
Paradísus álitur.
Veræ vitæ látices,
Quátuor sunt códices;
Unus Christus lóquitur.
Felix manus hóminis,
Quæ dictantis Núminis
Dúcitur anhélitu.
Quod inscríbit chártulis,
Cordis gerit tábulis
Scriptum Dei Spíritu.
Fulget menti spléndida,
Manu quæ non tímidâ
Exarátur, véritas.
Corde regnat dómina,
Quæ libelli páginâ
Spirat omni, cáritas.
Libro scriptum légitur;
Móribus exprímitur
Vivum Evangélium.
Quod narrando lóquitur,
Imitando séquitur
Christi magistérium.
Quod mandávit lítteris,
Consignáre vúlneris
Ardet testímonio.
Morte vox non tóllitur:
Ævis cunctis, fúngitur
Testis ministério.
Qui dedisti crédere,
Da nos dignè vívere,
Deus, Evangélio.
Da, quam offert, grátiam;
Ut, quam spondet, glóriam
Gratis des pro præmio. Amen.

DE SANCTO MARTYRE.

Sub cantu Prosæ Festi Omnium Sanctorum.

IN triumphum mors mutátur,
Quæ fuit oppróbrium:
Unde culpa plectebátur,
Via fit ad præmium.
O totius cœli luce
Dignum certè prælium!
Cogitátâ Christi cruce,
Dulce fit martyrium.
Ante mundi blandientis
Voluptátes vícerat,
Qui nunc malè sævientis
Iras fortis súperat.
Mundus pulcher ne pláceret,
Deus traxit púlcrior:
Egit, mundus ne terréret,
Deus terribílior.
Potest Martyr impugnári,
At non potest cédere:
Dei timor dat luctári,
Cáritas dat víncere.

Fortis ut mors, metum mortis
Abſtulit diléctio :
Mox & mortem, magìs fortis,
Habet pro ludíbrio.
Dum in fruſta diſſecátur
Homo qui conſpícitur,
In æternum renovátur,
Intùs qui conclúditur.
O, qui potens aſtitiſti
Stanti ſub carnífice;
Dextrâ, Sanctum quâ muniſti,
Et nos fortes éffice.
Incruenti, ſed pejóres,
Hoſtes in nos cúrſitant :
Vitæ brevis nunc amóres,
Nunc metus nos íncitant.
Ne mortálem metuámus,
Te, Deus, metúere;
Ne cadúca diligámus,
Da nos te dilígere. Amen.

DE SS. MARTYRIBUS. *M. P.*

Exultate, pópuli :
Non hìc triſtes túmuli
Exhibentur óſſium.
Stant ſub ara víctimæ,
Triumphantes ánimæ,
Mártyrum lætantium.
Horum ſacro ſánguine,
Seu fœcundo ſémine,
Crevit ſancta cívitas.
Si vox rapta gládio :
Sánguinis dilúvio
Magis clamat véritas.
Gaudium ſit plénius,
Quantò copióſius
Agmen eſt cadéntium.
Mors hæc immortálitas;
Virtus eſt, infírmitas,
Virtus nil timéntium.
Deo teſte colluctantes,
Et corónam jam tenentes,
Vacant Dei laudibus.
Gratulantur, collætantur
Mœſtos fratres conſolantur,
Orant pro torquéntibus.
Nil jam ſpirant animále,
Nil loquuntur jam mortále,
E cordis abundántiâ
Os lóquitur cœléſtia.
Nos à Chriſto quis avellet?
Caritátem qui expellet?
Quæcumque circùm cérnimus,
Te propter, Chriſte, víncimus.
At vos, ecquid hos victóres,
Hujus vitæ contemptóres,
Et cœleſtis amatóres,
Solâ voce cánitis?
Mundum ipſi contemnátis,
Ad æterna contendátis,
Et cadúca deſerátis,
Qui ſincérè cólitis.
Hostes illis gravióres;
Nobis obſtant levióres;
At infirmis fortióres,
Ni, Deus, ſubvénias.
Pugna ne ſit hæc ſiniſtra,
Arma nobis tu miniſtra,
Voce firma nos magiſtrâ,
Da victrices grátias.
Sint te propter, prælia;
In te ſit victória. Amen.

DE SS. PONTIFICIBUS.

Deus, Patris Unice,
Quem plebi Chriſtigenæ
Súfficis Antiſtitem!
Minùs fulget ſólio,
Quàm virtútum rádio,
Terris agens cœlitem.
Quanta vigilántiâ
Rexit hic ovília!
Quàm libens ſe trádidit!
Non gaudet honóribus:
Non diteſcit ópibus;
Largâ manu dividit.
Jubar caligántibus,
Cólumen labántibus,
Egénis ſubsídium.
Cunctis pater próvidus,
Sponſæ cuſtos fervídus,
Fit & patrocínium.
Oves adhuc dírige,
Et peccantes córrige,
Paſtor admirábilis.
Ne nos infrà déſeras,
Sedes qui nunc ſúperas
Ruptis intras vínculis. Amen.

DE SS. DOCTORIBUS. *M. P.*

Sub cantu Proſæ Epiphaniæ.

Cælo Sol juſtítiæ,
Pleno ceu merídie,
Totus lux eſt cívibus.
Hìc, datis Doctóribus,
Stellis ceu micántibus,
Dux eſt ambulántibus.
Mendax eloquéntia,
Vana ſapiéntia,
Tuî, Chriſte, néſcia!
Verus hic eſt ſápiens,
Cujus Chriſtus pátiens,
Omnis eſt ſciéntia.
Quod eſt nobis áltius,
Quod Dei profúndius,
Novit doctus Spíritu.
Neque celat ínvidus,
Neque tacet tímidus
Scita Dei mónitu.
Ignorantum ténebras,
Et errantum látebras
Hoſtis urget férvidus.
Lucem ignoránti bus,
Et manum errántibus
Dat amícam plácidus.
A te, Deus, óritur,
Et ad te revértitur
Omnis ſapiéntia.
Tu lux es ſciéntium,
Doctor es docéntium;
Extra quem nox ómnia.
Quod jubes, da nóſcere;
Quod doces, da fácere;
Merces noſtra nímia. Amen.

DE SS. PRESBYTERIS.

Quam labor difficilis,
Moles formidábilis
Sacri miniſtérii!
Hic dum vanis ábſtinet,
Tantum pondus ſúſtinet,
Vi cœleſtis bráchii.
Gubernator ſtrénuus,
Vaſti maris árduus
Præcavet perícula.
Benè regens pópulos,
Quot elíſit ſcópulos,
Répulit quot jácula!
Ceu columna fígitur,
Nec commiſſam pátitur
Navim ſterni flátibus.
Sédulus obſéquio,
Potens & elóquio,
Paſtum præbet óvibus.
Pectore relígio,
Lingua fovens únctio,
Manu prodit cáritas.
Hinc & inde vígilat,
Si quâ lupus cúrſitat,
Si ſtruit inſídias.
Qui ſubis cœléſtia;
Quo tendébas, átria,
Exules nos réſpice.
Tu rege præpóſitos,
Chriſte, rege ſúbditos
Ab olympi vértice. Amen.

DE SS. ABBATIBUS.

Te ſylvas habitantem,
Et in antris latitantem,
Cánimus præpóſitum.
Pompas fugis dum profánas,
Sedes Deus in arcánas
Te trahit recónditum.
Vulgi carens hìc tumultu,
Profluenti rigas fletu,
Saxa ſolitúdinis.
Fames premit, urget ſitis:
Tibi durus & immítis,
Fontem potas lúminis.
Te delectat dum paupertas,
Copióſa quàm ubertas
Se diffundit ætheris!
Te ductóre, gens pacáta,
Fratrum cohors mancipáta
Votis ardet ſúperis.
Antra florent, currunt rivi,
Et erumpunt fontes vivi
De profundis vállibus.
Hìc pro riſu ſunt lamenta,
Cinis lectus, hìc ſtramenta
Téneris pro véſtibus.

TERRENORUM abeſt cura,
In tranquillo mens ſecura,
Conquieſcit líttore.
Quales hymnos, quem concentum
Una promit vox canentum,
Modulante péctore!
LAUS extenſa, ſomnus brevis,
Gravis labor, cíbus levis,
Córpora conficiunt.
Ut columbæ tranſvolantes,
Cuncta fide deſpectantes,
Chriſto ſe reficiunt.
INTER aſtra mens oberrat,
Deum lucis & adórat,
Ceſſántibus nébulis.
Altam domum expectantes,
Ad te, Sion, ſuſpirantes,
Hábitant in cáſulis.
QUANTIS tibi manſuéta,
Tamquam Patri proles læta
Mílitat obſéquiis?
Lex alumnos una regit,
Amor ipſe cunctos cogit,
Fórtior impériis.
HABITATOR deſertórum,
Per abrupta vitiórum
Raptos, Chriſte, revoca.
Fac ſeceſſum nos amáre:
Tibi ſoli da vacáre;
Terris mentes évoca. Amen.

DE SS. MONACHIS.

Sub cantu Proſæ Annuntiationis.

CUNCTA linquéntibus,
Ut ad te véniant,
Et te ſequéntibus,
Donec pervéniant,
Quid, Chriſte, dábitur?
Quàm multo fœnore
Redduntur pérdita!
Quàm brevi témpore
In arcta ſémita
Cor latum gráditur!
SPEI ſubsídium
Quæ nondùm cérnitur;
Jam intùs gáudium
Præſens diffúnditur
Inter angúſtias.
Suffectus ómnibus,
Eſt Deus mélior:
Offert fragílibus
Leves benígnior
Secum delícias.
SCELUS in úrbibus
Et cædes cérnitur:
Procul à cívibus
Pax alma cólitur,
Et innocéntia.
Non eſt commúnio
E carnis vínculis,
Æqua conſórtio,
Quo Dei fámulis
Stat amicítia.

O VITÆ cœlicæ
Pulcram imáginem!
Hìc eſt Angélicæ
Cohortis órdinem
Et pacem cérnere.
Non mei frígidum
Et tui nomen eſt;
Non lis, non lívidum
Tam ſacro lumen eſt
Conjunctis fœdere.
VALENTES húmeri
Pondus geſtántium;
Ut ne ſit óneri,
Portat dimídium,
Qui præeſt fácilis.
Lenis impérium
Gubernat cáritas;
Ad magiſtérium
Viam humílitas
Cùm ſtravit dócilis.
IN ſolitúdine
Æſtus voléntium,
In multitúdine
Níſus curréntium
Nil dabunt áſſequi.
A tua grátia
Eſt quidquid póſſumus:
Das velle grándia;
Per te quod vólumus,
Deus, da cónſequi. Amen.

DE JUSTIS.

DEo coronábitur;
Pópulis laudábitur,
Qui legem ſerváverit.
Cœli manet glória,
Et jugis lætítia,
Quem amor ſubíerit.
ISTE Chriſto radicátus,
Et præceptis confirmátus,
Iter rectum ténuit.
Non terréna diligebat:
In æterna properábat;
Nóxiis abſtínuit.
FIT tempeſtas tránſiens
Impius progrédiens:
Juſtus at fundábitur.
Fide vivâ crédidit:
Seſe Deo reddidit:
Merces ampla ſéquitur.
SPES oblectat, amor flammat;
Laus divína corde clamat:
Fluit in ſuſpíria.
Totus orat, totus tacet;
Dumque Chriſti jugum placet,
Carnis fugat vítia.
BONUM prudens éligit:
Fortis malum ſúperat,
Témperans ſe córrigit;
Preſſos juſtus líberat.
Próximum dilígere,
Próſequi munéribus,
Numquàm famam lædere,
Scit docére móribus
O! QUI Chriſto militaſti,
Sacras leges obſervaſti,
Specta nos ab æthere.
Per te Chriſtus inflammári,
Suis juſſis delectári,
Det virtúte créſcere. Amen.

DE SANCTA VIRGINE & Martyre.

Sub cantu Proſæ Annuntiationis.

IMBELLI Vírgini,
Ut vincat fórtior,
Certámen Dómini,
Cunctis poténtior,
Dat ſapiéntia.
Quantis erróribus
Serpſit, ut cáperet;
Quantis terróribus
Egit, ut pérderet,
Mundi prudéntia?
NON eſt prudéntia
Adversùs Dóminum:
Quàm impoténtia
Arma ſunt hóminum,
Cùm Deus dímicat!
O cœli lúmine
Dignum ſpectáculum!
In caſtâ vírgine
Confúſum ſéculum
Vim Chriſti prædicat.
NON illa prælio
Inermis ſíſtitur;
Dei præsídio
Tuta congréditur
Cum mundi príncipe.
Dum molles óbjicit
Mundus blandítias;
Te, Chriſte, ſúſpicit,
Suas delícias:
Tu ſponſam ſúſcipe.
QUÆ, dulci vínculo
Chriſto conjúngitur,
Sponſi patíbulo
Amans confígitur,
Nec ſentit vúlnera.
Quid moras néctitis,
Lenti crudéliùs?
Ictus ſuſpénditis,
Ut mens funéſtiùs
Perdátur míſera.
DOCTIS aſtútiæ
Humánæ fábulis,
Dei ſciéntiæ
Innixa régulis
Fides non fállitur.
Hæc eſt victória,
Quæ vincit æmulum,
Hæc ſapiéntia,
Quâ prudens ſéculum
Stulti convíncitur.
UT tibi plácitâ,
Pars noſtra, Dómine,
Eámus ſémitâ;
Orante vírgine,
Da ſapiéntiam.

Quod transit, spérnere;
Flere quod fécimus;
Quod manet, quærere;
Hanc discat ánimus
Veram prudéntiam. Amen.

DE PLURIBUS SS. VIRG. ac Martyribus.

Sub cantu Prosæ festi Corporis Christi.

NOvo cantu jubilémus;
Deum Sanctis prædicémus
In suis mirábilem.
Ut confundat sapientes,
Mundi perdat ut potentes,
Sexum armat frágilem.
Minas inter sævientum,
Et promissa blandientum,
Integra stat cástitas.
Aqua multa nequit extínguere;
Totum flumen nequit obrúere:
Fortis ut mors, cáritas.
Ense stricto minitantes,
Nil humánum jam spirantes,
Ruunt viri férrei.
Novum bellum géritur;
Novo more víncitur:
Cedunt arma fidei.
Non frendentum vultus ferox,
Non tormenta, non mors atrox,
Corda frangunt Vírginum.
Corpus, clamant, perimátur,
Malè visus quod morátur
Impudícos hóminum.
O! qua pulcra claritáte,
Quâ refulget sanctitáte
Casta generátio!
Vivunt Christo, dum mactantur:
In æternum coronantur,
Dum cæduntur gládio.
Junctæ turmis Angelórum,
Impotentem vim ferórum
Rident nunc carnificum.
Dei throno nunc præsentes
Adstant Agno, concinentes
Nuptiále cánticum.
Venit dies nuptiárum:
Sponsis Agnus, ad aquárum
Vitæ fontes æternárum,
Dat Salvátor bíbere.
Uno spirat cor amóre:
Metu procul & dolóre,
Procul curis & labóre,
Vacat Deo vívere.
Cedit luci nox obscura;
Dies pellit spem mansúra;
Deum vident corda pura:
Sponsis patent íntima.
At eódem nos vocátos,
Christo quoque desponsátos,
Aulæ cœli destinátos,
Quid retardant ínfima!
Tu nostrórum vinculórum
Rumpe moras, ô castórum
Quies desideriórum,
Animórum lux mundórum,
Sempiterna Véritas!
Mundi minis ne frangámur,
Fluxis bonis ne trahámur,
Vana verba ne sequámur:
Igne tuo sed regámur,
Pura, Deus, Cáritas. Amen.

DE SS. VIRGINIBUS non Martyribus. *M. P.*

Sub cantu Prosæ Annuntiationis.

QUod castis grégibus
Addit virgínitas,
Suis profféctibus
Scribit fœcúnditas
Matris Eccléstæ.
Vallis Domínicæ
Hic flos illústrior;
Ecclesiásticæ
Hæc gloriósior
Pars est famíliæ.
Divisis córdibus,
Deum nunc árdeant,
Vacent nunc ártibus
Queis mundo pláceant,
Viro quæ sérviunt.
Te, toto, Dómine,
Sectantur péctore;
Ipso te vírgine,
Gerunt in córpore,
Virum quæ nésciunt.
Non, quem mors ráperet,
E natis hóminum,
Dum sponsum quæreret,
Elégit vírginum
Cor generósius.
Non cœlum súfficit,
Non ullus cœlitum;
Has solus állicit
Cum Patre Spíritum
Dans Deus Fílius.
Pares spirítibus,
Jam sunt quod érimus:
Vasis fictílibus
Tenent, quod quærimus,
Incorruptíbile.
Est labis néscia
Mens carne púrior:
Ab intùs glória
Sponsárum púlcrior,
Cor Deo dócile.
Quo manus fert Dei,
Huc sponte fléctitur:
Ad lumen fidei
Amóre tráhitur;
Spes vincit áspera.
Quàm recto lúmine
In Deum áspicit!
Quâ fortitúdine
Ex æquo déspicit
Adversa, próspera!
His nos virgínibus
Da, Christe, sócios:
Ad te lampádibus
Accensis óbvios
Da simul cúrrere.
Ne frustrà lúceat
Ad tempus cáritas;
Ut corda répleat
Intùs humílitas;
Da semper sápere. Amen.

DE SS. MULIERIBUS. *M. P.*

EXultemus,
Et laudem Excelso demus,
Cum tremóre.
Trepidémus,
Plorantes ad thronum stemus,
Cum amóre.
Nuptis, ut virgínibus,
Pars est in cœléstibus,
Pars perennis.
Quod non dat Virgínitas,
Supplet sola cáritas:
Virtus omnis.
Fundamenta sólida,
Verba Dei lúcida,
Menti puræ.
Totum Deus gáudium:
Præter hoc solátium,
Res sunt duræ.
Mundo cor non fígitur;
Ut non utens, útitur
Transeunte.
Hìc ut exul hábitans,
Nil suum hìc cógitans,
Exit sponte.
Cœlo, solis árdui;
Féminæ lux, dómui;
Artes secli fátui
Quæ nescívit.
Vana mundi glória,
Formæ fallax grátia:
O beáta filia,
Quæ spe vivit!
In mundo dégere,
Nec mundo vívere,
Deus óptime, nos dóceas.
Hìc flentes spárgere,
Et vera métere
Cœlo gáudia, tu júbeas. Amen.

DE SS. VIDUIS.

PUlcra vidúitas
Quâ pènè féminæ
Redit virgínitas,
Novo certámine
Quâ palma quæritur!
O privilégium
Sponsum seligere
Tonantis Fílium,
Nec ultrà núbere,
Dùm cœlum émitur!
Secundas fémina
Nescit hæc núptias,

Ut ſui Dómina
Signet egrégias
Virtútes ópere.
Quâ vi depériit
Mortálem cónjugem,
Amans poſt ámbiit
Cœlítuum regem :
Hunc ardet cérnere.
Post caſtos thálamos
Vacat jejúniis,
Labóres máximos
Miſcet vigíliis ;
Indulget flétibus.
Apparet mácies :
At ſe ſidéreis
Interna fácies
Adornat rádiis,
Cingit monílibus.
O vere vídua !
Bonis opéribus
Vacat aſsídua,
Et cum ludéntibus
Numquam ſe míſcuit.
Horret mendácium,
Intrat in cárceres,
Præbet hoſpítium,
Aurum in páuperes
Larga diſtríbuit.
Jam non in plúrima
Turbáta rápitur :
Placet pars óptima ;
Unum enítitur
Ad neceſsárium.
In hoc itínere
Flens miſit fémina :
Abundans ópere
Quod fortis fémina
Collégit præmium !
Christe, qui víduis
Te ſponſum éxhibes,
Qui mentes ímbuis,
Qui vana cóhibes,
Nos ſursùm éleva.
Caſtis amóribus
Fac te díligere ;
Sanctis gemítibus
Fac concupíſcere,
Cœloque ſúbleva. Amen.

DE UNO VEL PLURIBUS SANCTIS,

Qui nec in Proprio reperiuntur, nec ad aliquod Commune referri poſſunt.

Exultet laudibus
Cœleſtis Cúria :
Terra cœlítibus,
Quos ornat glória,
Applaudat cánticis.
Beatitúdinis
Qui ſe fons áperit,
Æterni lúminis
Splendórem ínſerit
Méntibus cœlicis.
Olim in lácrymis
Qui ſemen míſerant,
Lætis nunc ánimis
Quos hìc conſéverant ;
Fructus percípiunt.
Omnes in lúminis
Immerſi flúmine,
Ter ſancti Núminis
Perenni cármine
Virtútes cóncinunt.
Vestris ſuccúrrite,
O Sancti, filiis :
Ad portum dúcite,
Quos noſtis médiis
Luctári flúctibus.
Per vos expóſcimus,
Ut qui vos múnerat
Deus Altíſſimus,
In noſtris ínſerat
Amórem córdibus. Amen.

PRO GRATIARUM Actione.

Sub cantu Proſæ Aſſumptionis.

Quid Deo retríbuam ?
Quid datis reſtítuam
Pro tot beneficiis ?
Exultantes trémimus,
Nos minóres cérnimus
Tuis, Deus, grátiis.
Nec mortálem déſpicis,
Nec peccantem réjicis,
De tuo benéficus.
Ad tuum das plácitum,
Non ad noſtrum méritum,
Digna te, magníficus.
O vos, confitémini
Bonitáti Dómini,
Cœlitum milítia !
Deo benedícite ;
Modo veſtro cánite,
Terra, cœlum, ómnia.
Nostra jubilátio,
Vera ſit conféſſio,
Non potis eſt réddere.
Immò, Chriſtus hóſtia
Implet hæc altária :
Fas eſt per hunc ſólvere.
Dono, quod accípimus,
Majus eſt quod réddimus,
Hanc litantes hóſtiam.
Datam per quem ſólvimus,
Obtinére crédimus
Novam per hunc grátiam.
Da tuo de múnere
Non ſuperbè sápere,
Non torpére lánguidos.
Per tua, quæ cápimus,
Fac ad te, quem quærimus,
Pervenire férvidos.
Nullo ceſſet témpore,
Pleno quæ de péctore
Exit nunc laudátio.
Sic tibi nunc pláceat,
Ut perennis máneat,
Gratiárum áctio.
Amen.

IN NUPTIIS.

(*Nunquam dicitur in ſecundis alterutrius nuptiis ; neque ubi omittenda eſt Benedictio conjugum, dicto*, Libera nos ; *nec cùm, ex licentiâ DD. Epiſcopi celebrantur nuptiæ, temporibus prohibitis.*)

Sub cantu Proſæ Pentecoſtes.

Instar infidélium
Deum neſciéntium
Nefas ſanctos núbere.
Dæmoni ſubjáceat,
Bruta cujus áudeat
Mens Deum exclúdere.
Huc ades, & fórtibus
Hoſtem liga fúnibus
Sacræ dux Milítiæ.
Deus ipſe vénias ;
Has ades ad núptias,
Fons, ô Chriſte, grátiæ.
Magnum ô myſtérium !
O Dei conſórtium
In Chriſto cum hómine !
O ſacra commércia
Chriſti cum Eccléſia,
Vírginis cum vírgine !
Vir uxórem díligat,
Sóciam dux dírigat,
Chriſtus ut Eccléſiam.
Chriſto crux, oppróbria,
Puram ut Eccléſia
Conſéquâtur glóriam.
Chritum ut Eccléſia,
Dócilis ad ómnia,
Uxor virum tímeat.
Metum amor páriat ;
Læta mens obédiat ;
Cor apertum páteat.
Jam duo non éritis ;
Unum corpus ſtábitis :
Sit & unus ſpíritus.
Purus omni maculâ,
Caſta ſervet víncula
Thorus Deo cógnitus.
Quidquid hìc eſt cárneum,
Et è terra térreum,
Tollet mors propínquior.
Sacramenti piétas,
Spíritus ſocíetas
Mortem vincet fórtior.
Hic, ſi præſis, proſpera,
Si récedis, áſpera
Erunt, Deus, ómnia.
Quod ſacrat oblátio,
Firmet benedictio
Et manſúra grátia.
Amen.

INDICES

Eorum quæ, in hoc-ce Missali, ad faciliorem usum, speciali notâ indigent.

INDEX RUBRICARUM.

Rubricæ Generales, *Pagina* j
Ritus in Missa, sive Privata, sive Majori servandus, viij
De observandis in Ecclesiis, in quibus Missæ celebrantur de Festis illarum propriis, xxj
De defectibus circà Missam occurrentibus, xxij
Præparatio ad Missam, xxvj
Gratiarum Actio Post Missam, xxxj

INDEX BENEDICTIONUM.

BENEDICTIONES A QUIBUSCUMQUE SACERDOTIBUS FACIENDÆ.

Benedictio Aquæ, xxxiv
Benedictio Imaginum D. N. J. C. } xxxvj
Benedictio Crucis, }
Benedictio Imaginum B. Mariæ Virginis, & Sanctorum, xxxvij
Benedictio vexilli quod defertur in Processionibus, *ibid*
Benedictio ad quodcumque comestibile, *ibid*
Benedictio novorum Fructuum, } xxxviij
Benedictio Panis extrà Missam, }
Benedictio Vini, }
Benedictio Agni in Pascha, }
Benedictio Ovorum, } xxxix
Benedictio Cerei Paschalis, extrà Sabbatum-sanctum, }
Benedictio Cereorum, extrà diem Præsentationis Domini, & Purificationis B. M. V. }
Benedictio communis ubi propria non habetur, xl

BENEDICTIONES AB EPISCOPIS, *vel aliis facultatem habentibus faciendæ.*

Benedictio Sacerdotalium Indumentorum in genere, xlj
Benedictio cujuslib. Indumenti Sacerdotalis, } xlij
Benedictio Mapparum & Tobalearum, sive Linteaminum Altaris, }
Benedictio Corporalium & Pallarum, }
Benedictio Tabernaculi, seu Vasculi pro sacro-sancta Eucharistia conservanda, }
Modus Cantandi Lectiones, sive Prophetias, Epistolas & Evangelia, xliij

INDEX PROPRII DE TEMPORE SEU FESTORUM MOBILIUM.

Dominicæ Adventûs, *à pag.* 1. *usque pag.* 17
Dominicæ post Epiphaniam, *à pag.* 16, *usque ad pag.* 27
Dominica in Septuagesima, 27
—— Sexagesima, 30
—— Quinquagesima, 34
Feria quarta in Capite jejunii, 38
In Festo quinque Plagarum Christi, 50
Dominicæ Quadragesimæ, *à pag.* 54 *ad* 108
In veneratione SS. Christi faciei in Passione deformatæ, 61
—— SS. Crucis Domini, 75
—— SS. Coronæ Spineæ Domini, 88
—— Pretiosi Sanguinis Christi, 108
Dominica in Passione, 118
In Compassione Beatæ Mariæ Virginis, 116
Dominica in Palmis, 120
Feria quinta in Cœna Domini, 138
Feria sexta in Parasceve, 146
Sabbato Sancto, 158
In Die sancto Paschæ, 173
Dominica in albis depositis, 183
Dominicæ post Pascha, *à pag.* 186 *ad p.* 194
In tribuo Rogationum, 194
In Ascensione Domini, 199
In Vigilia Pentecostes, 205
In Die sancto Pentecostes, 211
In Festo SS. Trinitatis, 224
In Festo Corporis Christi, 229
In Festo Sacerdotii D. N. J. C. 236
In Festo SS. Cordis D. N. J. C. 236
Dominicæ post Pentecosten, *à pag.* 240 *usque ad pag.* 290
Ordinarium Missæ, 294
Præfationes cum Cantu, 301
Præfationes sine Cantu, 330
Canon Missæ, 345

INDEX PROPRII SANCTORUM SEU FESTORUM STABILIUM.

S. Ægidius, 1 *Septembris*, 532
S. Agatha, 5 *Februarii*, 435
S. Agnes, 21 *Januarii*, 422
S. Agricola, 27 *Novembris*, 602
S. Albinus, 1 *Martii*, 442
S. Alexander, Hieros. 18 *Martii*, 444
S. Alexander, Mart. 28 *Aprilis*, 456
S. Almachius, 2 *Septembris*, 533
S. Amandus, 24 *Novembris*, 601
S. Amantius, 13 *Novembris*, 596
S. Ambrosius, 4 *Aprilis*, 448
S. Anastasia, 25 *Decembris*, 384
S. Andochius, 24 *Septembris*, } 562
S. Andeolus, 24 *Septembris*, }
S. Andreas, 30 *Novembris*, 363
SS. Angeli Custodes, 2 *Octobris*, 569
S. Anna, 26 *Julii*, 508

Anniverſarium Dedicationis, *Dom. II. poſt Epiphaniam*, 16 & xlj
Annunt. Incarn. D. ad B. M. V. 25 *Martii*, 445
S. Anſelmus, 21 *Aprilis*, 452
S. Antoninus, 2 *Septembris*, 533
S. Antonius Abbas, 17 *Januarii*, 417
S. Appollinaris, 23 *Julii*, 506
S. Apollonia, 9 *Februarii*, 436
Aſſumptio B. M. V. 15 *Auguſti*, 520
S. Athanaſius, 2 *Maii*, 459
S. Auguſtinus, 28 *Auguſti*, 530
S. Auguſtinus Cantuar. 26 *Maii*, 470
S. Bacchus, 7 *Octobris*, 574
Baptiſmus Domini, 13 *Januarii*, 412
S. Barbara, 4 *Decembris*, 365
S. Barnabas, 11 *Junii*, 474
S. Bartholomæus, 24 *Auguſtis*, 527
S. Baſilius, 2 *Januarii*, 397
S. Batildis, 30 *Januarii*, 428
S. Baudilius, 20 *Maii*, 469
S. Benedictus Anian. 11 *Februarii*, 437
S. Benedictus, 11 *Julii*, 499
S. Bernardus, 20 *Auguſti*, 524
S. Bertrandus, 16 *Octobris*, 577
S. Blandina, 2 *Junii*, 471
S. Blaſius, 3 *Februarii*, 434
S. Bonaventura, 14 *Julii*, 502
S. Bonitus, 15 *Januarii*, 415
S. Brictius, Mart. 13 *Novembris*, 596
S. Brigida, 1 *Februarii*, 429
S. Bruno, 6 *Octobris*, 573
S. Cæcilia, 22 *Novembris*, 601
S. Cæſarius, 27 *Auguſti*, 530
S. Caius, 28 *Aprilis*, 456
S. Calliſtus, 14 *Octobris*, 577
S. Camilla, 19 *Septembris*, 558
S. Capraſius, 20 *Octabris*, 579
S. Carolus, 9 *Novembris*, 593
S. Catharina, 25 *Novembris*, 601
Cathedra S. Petri, 18 *Junuarii*, 418
S. Chriſtophorus, 25 *Julii*, 507
S. Chryſogonus, 24 *Novembris*, 601
Circumciſio Domini, 1 *Januarii*, 395
S. Clara, 12 *Auguſti*, 517
S. Claudius, 5 *Junii*, 473
S. Clemens, 23 *Novembris*, 601
S. Cletus, 26 *Aprilis*, 454
S. Clodoaldus, 7 *Septembris*, 539
S. Clotildis, 3 *Junii*, 472
S. Cœleſtinus, 19 *Maii*, 469
S. Columbanus, 21 *Novembris*, 600
Commemoratio omnium fidelium Defunctorum, 2 *Novembris*, 588
Conceptio B. M. V. 8 *Decembris*, 367
Converſio S. Pauli, 25 *Januarii*, 424
S. Cornelius, 16 *Septembris*, 555
S. Coſma, 27 *Septembris*, 563
S. Creſcens, 15 *Junii*, 477
S. Criſpinianus, 25 *Octobris*, } 580
S. Criſpinus, 25 *Octobris*, }
S. Cyprianus, 16 *Septembris*, 555
S. Cyricus, 16 *Junii*, 477
S. Cyrillus, Alexandrinus, 28 *Januarii*, 427
S. Cyrillus Hieroſolymitanus, 19 *Martii*, 444
S. Damaſus, 11 *Decembris*, 370
S. Damianus, 27 *Septembris*, 563
S. Dionyſius Areopagita, 3 *Octobris*, 571
S. Dionyſius Pariſienſis & Socii, 9 *Octobris*, 575
S. Dominicus, 4 *Auguſti*, 514
S. Eligius, 1 *Decemais*, 364
S. Elizabeth, 19 *Novembris*, 599
S. Epiphanus, 12 *Maii*, 467
Epiphania Domini, 6 *Januarii*, 401
S. Ephrem, 9 *Julii*, 498
S. Erembertus, 24 *Octobris*, 580
S. Euphemia, 16 *Septembris*, 555
S. Euſebius, 13 *Septembris*, 544
S. Eutropius, 30 *Aprilis*, 458
Exaltatio S. Crucis, 14 *Septembris*, 554
Expectatio Partûs B. M. V. 15 *Decembris*, 370
S. Exuperius, 14 *Junii*, 476
S. Fabianus, 20 *Januarii*, 420
S. Felicitas, 7 *Martii*, 443
S. Felicitas, 7 Fratrum, Mater. 10 *Julii*, 498
S. Felix, Mart. 24 *Septembris*, 562
S. Felix, Presbyter, 14 *Januarii*, 413
S. Felix Valeſius, 20 *Novembris*, 599
S. Fides, 5 *Octobris*, 573
S. Firminus, 25 *Septembris*, 563
S. Flavianus, 19 *Februarii*, 439
S. Franciſca, 9 *Martii*, 443
S. Franciſcus Aſſiſius, 4 *Octobris*, 572
S. Franciſcus de Paulâ, 2 *Aprilis*, 447
S. Franciſcus Saleſius, 29 *Januarii*, 427
S. Franciſcus Xaverius, 2 *Decembris*, 365
S. Fulgentius, 7 *Maii*, 464
S. Gaudericus, 17 *Octobris*, 577
S. Gatianus, 18 *Decembris*, 372
S. Genovefa, 3 *Januarii*, 398
S. Georgius, Mart. in Oriente, 23 *Aprilis*, 452
S. Geraldus, 13 *Octobris*, 577
S. Germanus Autiſſiodor, 31 *Julii*, 510
S. Germanus Pariſienſis, 29 *Maii*, 470
S. Germerius, 16 *Maii*, 469
S. Gervaſius, 19 *Junii*, 478
S. Gorgonius, 9 *Septembris*, 542
S. Gregorius Magnus, 3 *Septembris*, 535
S. Gregorius Nazianzenus, 9 *Maii*, 465
S. Gregorius Taumat. 17 *Novembris*, 599
S. Gregorius Turon. 17 *Novembris*, 599
S. Guillelmus, 28 *Maii*, 470
S. Henricus, 15 *Julii*, 502
S. Hieronymus, 30 *Septembris*, 566
S. Hilario, 21 *Octobris*, 579
S. Hilarius, Pictav. 14 *Januarii*, 413
S. Honoratus, Toloſ. 11 *Octobris*, 576
S. Hyacinthus, 11 *Septembris*, 543
S. Ignatius Anthioch. 1 *Februarii*, 429
S. Ignatius Loyolæ, 30 *Julii*, 509
SS. Innocentes, 28 *Decembris*, 392
Inventio S. Crucis, 3 *Maii*, 460
S. Irenæus & Socii, 28 *Junii*, 485
S. Iſidorus, 6 *Aprilis*, 449
S. Jacobus Alphæi, 1. *Mai*, 458
S. Jacobus Zebedæi, 25 *Julii*, 507
S. Joachim, 26 *Julii*, 508
S. Joanna Franciſca, 23 *Auguſti*, 527
B. Joanna Valeſia, 4 *Februarii*, 434
S. Joannes Apoſt. & Evang. 27 *Decembris*, 391
—— Ante Portam Latinam, 6 *Maii*, 463

S. Joannes Chryſoſtomus, 18 *Septembris*, 557
S. Joannes de Deo, 8 *Martii*, 443
S. Joannes de Matha, 8 *Februarii*, 436
S. Joannes Franciſcus Regis, 24 *Maii*, 470
S. Joannes Martyr, 26 *Junii*, 485
S. Joannes Nepomucenus, 17 *Mai*, 469
S. Joannes, Socius S. Antonini, 2 *Septemb.* 533
S. Joannis Baptiſtæ, Nativitas, 24 *Junii*, 483
—— Decollatio, 1 *Julii*, 491
S. Joſeph, 20 *Aprilis*, 451
S. Judas, 28 *Octobris*, 581
S. Julianus Cenoman. 27 *Januarii*, 426
S. Julianus Mart. 28 *Auguſti*, 530
S. Julitta, 16 *Junii*, 477
S. Juſtinus, Apolog. 13 *Aprilis*, 450
S. Lambertus, Trajectenſis, 17 *Septembris*, 556
S. Laurentius, 10 *Auguſti*, 516
S. Lazarus, 4 *Septembris*, 536
S. Leodegarius, 2 *Octobris*, 569
S. Leo Magnus, 30 *Octobris*, 582
S. Linus, 26 *Novembris*, 602
S. Lucas, 18 *Octobris*, 577
S. Lucia, 13 *Decembris*, 370
S. Ludovicus, Epiſc. 19 *Auguſti*, 523
S. Ludovicus, Rex, 25 *Auguſti*, 528
S. Lupus Trecenſis, 29 *Julii*, 509
SS. Machabæi, 1 *Auguſti*, 511
S. Mamertus, 11 *Maii*, 466
S. Marcellinus, 2 *Junii*, 471
S. Marcus, 25 *Aprilis*, 452
S. Margarita, 20 *Julii*, 505
S. Maria Ægyptia, 29 *Aprilis*, 457
S. Maria, 4 *Septembris*, 536
S. Maria Jacobi, } 15 *Mai*, 468
S. Maria Salomes, }
S. Maria Magdalena, 22 *Julii*, 505
S. Martha, 4 *Septembris*, 536
S. Martialis, 3 *Julii*, 494
S. Martinus, Papa, 10 *Novembris*, 595
S. Martinus Turonenſis, 11 *Novembris*, 595
—— Ordinatio & Tranſlatio, 4 *Julii*, 494
SS. Martyres qui obiêre Alexandriæ, &c. 28 *Februarii*, 441
SS. Martyres qui pro Libris Sacris interierunt, 27 *Januarii*, 426
SS. Martyres pro Solemnitate Paſchali occiſi, 22 *Aprilis*, 452
S. Matthæus, 21 *Septembris*, 558
S. Matthias, 24 *Februarii*, 440
S. Mauricius & Socii, 22 *Septembris*, 560
S. Maurus, 15 *Januarii*, 415
S. Maximinus, 12 *Septembris*, 544
S. Medardus, 8 *Junii*, 474
S. Michael, 29 *Septembris*, 564
S. Monica, 4 *Maii*, 462
S. Natalena, 12 *Novembris*, 596
Natalis Domini, 25 *Decembris*, 375
Nativitas B. M. V. 8 *Septembris*, 540
S. Nicolaus Myr. 6 *Decembris*, 365
S. Nicolaus Tolent. 10 *Septembris*, 543
SS. Nomen Jeſu, 15 *Januarii*, 415
S. Nomen Mariæ, 15 *Septembris*, 554
S. Norbertus, 6 *Junii*, 473
S. Odo, 9 *Julii*, 498
Omnes Sancti, 1 *Novembris*, 585
Omnes SS. Pontifices, S. Petri Succeſſores, 6 *Julii*, 495
S. Oneſimus, 16 *Februarii*, 438
S. Pachomius, 14 *Maii*, 467
S. Papulus, 15 *Novembris*, 598
S. Patritius, 17 *Martii*, 444
S. Paula, 26 *Januarii*, 426
S. Paulinus Nolanus, 22 *Junii*, 479
S. Paulinus, Trevir. 31 *Auguſti*, 532
S. Paulus Apoſtolus, 29 *Junii*, 488
—— Commemoratio, 30 *Junii*, 490
S. Paulus Eremit. 16 *Januarii*, 416
S. Paulus, Martyr. 26 *Juuii*, 485
S. Paulus Narbonenſis, 12 *Decembris*, 370
S. Perpetua, 7 *Martii*, 443
S. Petrus Apoſtolus, 29 *Junii*, 488
—— Ad vincula, 1 *Auguſti*, 511
S. Petrus Alexand. 26 *Novembris*, 602
S. Petrus Chryſologus, 3 *Decembris*, 365
S. Petrus Martyr, 2 *Junii*, 471
S. Petrus Nolaſcus, 31 *Januarii*, 429
S. Philippus, 1 *Maii*, 458
S. Polycarpus, 27 *Aprilis*, 454
S. Pothinus, 2 *Junii*, 471
S. Præjectus, 25 *Januarii*, 424
Præſentatio B. M. V. 21 *Novembris*, 600
Præſentatio Domini, 2 *Februarii*, 431
S. Privatus, 21 *Auguſti*, 525
S. Proſper, 8 *Julii*, 497
S. Protaſius, 19 *Junii*, 478
S. Protus, 11 *Septembris*, 543
Purificatio B. M. V. 2. *Februarii*, 431
SS. Quadraginta Martyres, 10 *Martii*, 443
S. Quintinus, 29 *Octobris*, 582
S. Radegundis Regina, 13 *Auguſti*, 518
S. Raymundus, 21 *Juuii*, 478
Reliquiarum Veneratio, 8 *Novembris*, 592
S. Remigius, 1 *Octobris*, 568
S. Rochus, 16 *Auguſti*, 522
S. Romanus, 9 *Auguſti*, 516
S. Romualdus, 19 *Junii*, 478
Roſarium B. M. V. *Dom. I. Octobris*, 567
S. Saturninus, 29 *Novembris*, 363
S. Scholaſtica, 10 *Februarii*, 436
S. Sebaſtianus, 20 *Januarii*, 420
SS. Septem Fratres, 10 *Julii*, 498
S. Sergius, 7 *Octobris*, 574
S. Silas, 13 *Julii*, 500
S. Silvius, 31 *Maii*, 471
S. Simeon, Hieroſol. 18 *Februarii*, 438
S. Simeon Stylita, 4 *Januarii*, 399
S. Simon, 28 *Octobris*, 581
S. Speratus, 17 *Julii*, 502
S. Stephanus Papa, 2 *Auguſti*, 513
S. Stephanus Protomar. 26 *Decembris*, 389
—— Revelatio & Inventio Corporis, 3 *Auguſti*, 513
S. Stremonius, 14 *Novembris*, 596
S. Sulpitius, 19 *Januarii*, 423
S. Sylveſter, 25 *Junii*, 485
S. Symphorianus, 22 *Auguſti*, 555
S. Thecla, 23 *Septembris*, 561
S. Theodorus, 9 *Novembris*. 593
S. Thereſia, 15 *Octobris*, 577
S. Thomas Apoſtolus, 21 *Decembris*, 372

S. Thomas

S. Thomas Aquinas, 18 *Julii*, 503
S. Thomas Cantuar. 7 *Julii*, 496
S. Thyrsus, 24 *Septembris*, 562
S. Timotheus, 24 *Januarii*, 423
S. Titus, 24 *Januarii*, 424
Transfiguratio Domini, 6 *Augusti*, 515
S. Trophimus, 3 *Octobris*, 570
S. Urbanus, 25 *Maii*, 470
S. Ursinus, 14 *Novembris*, 596
S. Ursula & Sociæ, 21 *Octobris*, 519
S. Valeria, 10 *Decembris*, 369
S. Vedastus, 6 *Februarii*, 435
S. Victor, 21 *Julii*, 505
S. Vincentius Diac. & Mart. 22 *Januarii*, 423
S. Vincentius à Paulo, 19 *Julii*, 504
S. Vincentius Ferrerius 5, *Aprilis*, 449
S. Vitalis, 27 *Novembris*, 602
Visitatio B. M. V. 2 *Julii*, 493
S. Volusianus, 19 *Januarii*, 419
Voti Ludovici XIII. Commem. 22 *Augusti*, 535
S. Xistus, 7 *Augusti*, 516
S. Yvo, 19 *Maii*, 469

Index Missarum de Communi Sanctorum.

Commune Martyris Pontificis, *extrà Tempus Paschale*, j & ij
Commune Martyris Presbyteri, *extrà Tempus Paschale*, iij
Commune Martyris non Pontificis, *extrà Tempus Paschale*, iv & vj
Commune Martyris, etiam Pontificis aut Presbyt. *Tempore Paschali*, vij
Commune plurium Martyrum, *extrà Tempus Paschale*, ix & x
Commune plurium Martyrum, *Temp. Pasc.* xj
Commune Summi Pontificis Martyris, xiij
Commune Summi Pontificis non Martyris, xiv
Commune Fundatorum Ecclesiarum, xv
Commune Pontificis, xvij & xviij
Commune plurium Pontificum, xx
Commune Doctoris, xxj & xxij
Commune Presbyteri, xxiij & xxv
Commune Abbatis, xxvj
Commune Monachi vel Cœnobitæ, xxviij
Commune Anachoretæ vel Solitarii, xxix
Commune Justi, xxx
Commune Virginis Martyris, xxxij & xxxiij
Commune Virginis non Martyris, xxxiv
Commune plurium Virginum etiam Mart. xxxvj
Commune Mulieris Sanctæ, xxxvij
Commune sanctæ Viduæ, xxxix
In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, xlj
Ipso die Dedicationis alicujus Ecclesiæ, xlv

Index Missarum de beata Maria Virgine in Sabbato.

In Adventu, xlvij
A Circumcisione Domini ad ejus Præsentationem, xlviij
A Præsentatione Domini ad Quinquagesimam, xlix
Tempore Paschali, l
Ab Octava Corporis Christi, ad Assumptionem B. M. V. lj
Ab Octava Assumptionis B. M. V. ad Adventum, lij

Index Missarum Votivarum.

I. De Deo.

De SS. Trinitate, liv
De S. Spiritu, lv
De SS. Nomine Jesu, lvj
De Jesu Infante, lvij
De SS. Sacramento, lviij & lxiij
Pro reparatione injuriarum illatarum Christo in SS. Sacramento, lxiv
De Passione seu de Cruce Domini, lxv
De quinque Plagis Christi, lxvij
De SS. Corde D. N. S. C. *ibid*

II. De B. Maria, de Angelis, et de Sanctis.

De B. Maria, lxviij & lxix
De Sancta Familia Christi, lxx
De S. Michaele, lxxj
De S. Gabriele, lxxij
De S. Raphaele, lxxiv
De SS. Angelis, lxxiij *bis*
De SS. Angelis Custodibus, lxxiv
De S. Joanne-Baptista, lxxv
De S. Joseph, *ibid*
De SS. Joachim & Anna, B. M. V. parentibus, *ibid*
De sanctis Apostolis, *extrà Tempus Paschale, & Tempore Paschali*, lxxvj
De SS. Petro & Paulo, *extrà Tempus Paschale, & Tempore Paschali*, lxxvij & lxxviij
De SS. Apostolorum Discipulis, ac de Ecclesiar. particularium Apostolis, lxxviij
De S. Antonino Appamiarum Patrono, *ibid*
De S. Genovefa, Virgine, *ibid*
De S. Sebastiano, Martyre, *ibid*
De S. Rocho, Justo, *ibid*
De Omnibus Sanctis, lxxix
De uno vel pluribus Sanctis, qui nec in Proprio reperiuntur, nec ad aliquod Commune revocari facilè possunt, *ibid*
In Translatione Reliquiarum alicujus Sancti vel Sanctæ, lxxxj

III. Pro Ecclesia et Regno.

Pro Ecclesia, lxxxij
In celebratione Synodi & Calendarum, lxxxiij
Pro Eligendo Papa, seu Prælato, lxxxv
In Die, & in Anniversario Ordinationis, seu Installationis D. Episcopi, lxxxvj
Pro seipso Sacerdote, maximè in Anniversario suæ Ordinationis, lxxxviij
Pro se aut alio in renovatione promissionum Baptismi, maximè in Anniversario ejusdem, xcx
Pro Rege, xcxj

IV. Pro certis Bonis Temporalibus.

Pro Gratiis Deo agendis, xcxij
In Nuptiis, xciv
Post Mulieris Partum pro Gratiarum actione, xcvij
Pro iter agentibus, xcix
Pro Serendis Agris, c
Pro Fructibus terræ, cj
Post collectos terræ Fructus, cij

V. Pro Calamitatibus avertendis.

Tempore Schismatis, ciij
Ad postulandum Dei auxilium contrà Infideles Christianum nomen bello infectantes, civ
Tempore Belli, cv
Pro Pace obtinenda, cvij
Pro vitanda Mortalitate, cviij
Tempore Famis, cix
Ad petendam Pluviam, cx
Ad obtinendam nimiæ Pluviæ remissionem, cxj
Ad postulandam Aeris serenitatem, cxij
Pro remissione Peccatorum, maximè Tempore Jubilæi, cxij
Pro Quacumque necessitate, cxiij
Ad Postulandam gratiam benè moriendi, cxiv
Pro infirmo vel infirma, cxvj
Pro infirmo vel infirma in agone, cxvij

VI. Missæ pro Defunctis.

De Spiritu Sancto, cxix
De B. Maria Virgine, cxx
In die obitûs, & in Depositione Pontificis, aut Sacerdotis, cxxj
In Die tertio, septimo, &c. & in Anniversariis Pont. aut Sacerd. cxxiij
Pro pluribus Pontificibus, *ibid*
Pro pluribus Sacerdotibus, cxxiv
In die obitûs, & in Deposit. non Sacerdotis, cxxiv
In Anniversariis, cxxvj
In Missis Quotidianis pro Defuncto, cxxx
In Missis Quotidianis pro pluribus Defunct. cxxxij
In Exequiis Parvulorum, cxxxv

INDEX ORATIONUM AD DIVERSA.

No. *Orationes.* *Pagina.*

Prima Classis.

De Deo, de Beata Maria, de Angelis & de Sanctis.

1 De Sanctissima Trinitate,
2 De S. Spiritu,
3 De Sanctissimo Nomine Jesu, } cxxxvij
4 De Jesu Infante,
5 De Sanctissimo Sacramento,
6 Pro Reparatione injuriarum illatarum Christo in SS. Sacramento, cxxxviij
7 8 De Passione, seu de cruce Domini, { *Extra Tempus Paschale* / *Tempore Paschali* } cxxxviij
9 De Sacratissimo Corde Jesu, *ibid*
10 De Quinque Plagis Christi, de S. Facie, de S. Cruce, de S. Corona Spinea, de Pretioso Sanguine, cxxxviij
11 De Sancta Familia Christi, cxxxviij
12 De Incarnatione Verbi, & de B. M. Virgine Deum paritura, (*in Adventu*) cxxxviij
13 De B. Maria Virgine Deipara (*à Natali Domini ad ejus Præsentationem*) *ibid*
14 De B. M. V. à Præsentatione Domini ad Quinquagesimam, cxxxix
15 De B. V. M. Virgine, (*Tempore Pasch.*) *ibid*
16 De Beata Maria Virgine, ab Octava Corporis Christi, ad Assumptionem, *ibid*
17 De B. M. V. ab Oct. Assump. ad Adventum, cxl
18 De Beata Maria Virgine de Rosario, &c. *ibid*
19 De S. Michaele,
20 De S. Gabriele,
De S. Raphaele, } cxl
21 De SS. Angelis,
22 De Sanctis Angelis Custodibus,
23 De Sanctis, (*ut in eorum Festis, vel in eorum Missis Votivis,*) } cxl
24 Ad poscenda suffragia Sanctor.

Secunda Classis

De Ecclesia & Regno.

25 Pro Universa Ecclesia,
26 Pro Ecclesia contra ejus persecutores, (*maximè in Adventu*)
27 Pro pace & unitate Ecclesiæ, } cxlj
28 Tempore Schismatis,
29 Pro omnibus Ecclesiæ Ordinibus,
30 Pro persecutoribus Ecclesiæ,
31 Pro Papa,
32 Pro Papa eligendo, } cxlij
33 Pro Ecclesia Appamiensi,
34 Pro D. Episcopo,
35 Pro eligendo D. Episcopo,
36 Pro Ordinatione *seu* Installatione D. Episcopi,
37 Pro eligendo Prælato *vel* Eccl. Pastore,
38 Pro Prælatis & Congregationibus eis commissis, } cxliij
39 Pro seipso Pastore, *seu* Ecclesiæ Rectore, (*maximè In Anniversario suæ Installationis*)
40 Pro seipso Sacerdote (*maximè In Anniversario suæ Ordinationis*)
41 Pro universo Clero,
42 Pro Ordinandis,
43 Pro Ordinandis, (*in Missa Ordinationis,*) } cxliv
44 Pro Rege,
45 Pro Rege & Reginâ,
46 Pro Rege & ejus Familia,
47 Pro impetrando Delphino, } cxlv
48 Pro impetrandis Regi filiis,
49 Pro Regina, *vel* Delphina, prægnante,
50 Pro Rege infirmo, } cxlvj
51 Pro restituta Regi Sanitate,

No.	ORATIONES.	Pagina.
52	Pro Rege & Regno (*in Renovatione Voti Ludovici XIII.*)	cxlvij
53	Pro Regno & Congregatione Statuum Regni,	
54	Pro Rege & ejus Exercitu.	
55	Pro Civitate Forojulienſi & Civibus.	
	TERTIA CLASSIS.	
	Pro Bonis Spiritualibus.	
56	Ad poſtulandam Spiritûs Sancti Gratiam,	cxlvij
57	Ad poſtulandam Fidem,	cxlviij
58	Ad poſtulandam Spem,	
59	Ad poſtulandam Caritatem,	
60	Ad cognoſcendam voluntatem Dei,	
61	Ad poſtulandam Sapientiam,	cxlix
62	Ad poſtulandum Orationis donum,	
63	Ad poſtulandam Humilitatem,	
64	Ad poſtulandam Contritionem & donum lacrymarum,	
65	Ad poſtulandam Remiſſionem peccatorum,	cl
66	Ad impetranda bona Opera,	
67	Ad poſtulandam Continentiam,	
68	Ad repellendas malas cogitationes,	
69	Ad poſtulandam Patientiam,	clj
70	Ad poſtulandam gratiam benè moriendi,	
	QUARTA CLASSIS	
	Pro rebus Temporalibus.	
71	Tempore Famis,	clj
72	Tempore Peſtis, *ſeu* Mortalitatis,	
73	Contra Peſtem Animalium,	
74	Tempore Belli,	
75	Pro obtenta Victoria,	
76	Pro Pace,	clij
77	Pro Serendis Agris,	
78	Pro Fructibus Terræ,	
79	Poſt collectos Terræ Fructus,	
80	Ad petendam Pluviam,	
81	Ad obtinendam nimiæ Pluviæ remiſſionem,	
82	Ad coercendam aquarum inundantiam,	
83	Ad poſtulandam aëris ſerenitatem,	
84	Ad repellendas Tempeſtates,	
85	Ad compeſcendos Terræ motus,	cliij
86	Pro quacumque neceſſitate, aut quacumque re poſtulandâ,	
87	Pro quacumque tribulatione avertenda,	
88	Pro gratiis Deo agendis,	
	QUINTA CLASSIS	
	Pro certis Perſonis aut vitæ ſtatibus.	
89	Pro ſe aut alio, in Anniverſario ſuſcepti Baptiſmi,	cliij
90	Pro Pueris, in eorum prima Communione,	
91	Pro Amicis *vel* Benefactoribus,	cliv
92	Pro Inimicis *aut* Perſequentibus,	
93	Pro ſervanda, *vel* inter diſſidentes reſtituenda, Concordiâ,	
94	Pro converſione Peccatoris,	clv
95	Pro Pœnitentibus,	
96	Pro tentatis & tribulatis,	
97	Pro Congregatione, *vel* Ordine religioſo (*maximè in Feſto Inſtitutoris,*)	

No.	ORATIONES.	Pagina.
98	Pro ſacris Deo Virginibus,	clvj
99	Pro Viduis,	
100	Pro Copulatis conjugio, (*maximè in Anniverſario Conjugii.*)	
101	Pro Muliere Prægnante,	clvij
102	Poſt Mulieris Partum,	
103	Pro iter agentibus,	
104	Pro Navigantibus,	
105	Pro Captivis *aut* detentis in carcere,	
106	Pro Vulneratis in bello,	clviij
107	Pro Infirmo, *vel* Infirmâ, ad poſtulandam Sanitatem,	
108	Pro Infirmo, *vel* Infirmâ, ad poſtulandam Patientiam,	
109	Pro Infirmo, *vel* Infirmâ, in Agone,	
110	Pro Vivis & Defunctis,	
	SEXTA ET ULTIMA CLASSIS	
	Pro Defunctis.	
111	Pro Papa,	clix
112	Pro DD. Epiſcopo,	
113	Pro alio Epiſcopo, *ſeu* Prælato, *vel* Paſtore,	clx
114	Pro pluribus Epiſcopis,	
115	Pro uno Sacerdote.	
116	Pro pluribus Sacerdotibus,	
117	Pro Defuncto non Sacerdote,	clxj
118	Pro Defunctâ,	
119	Pro pluribus Defunctis,	
120	In Die Tertio, Septimo & Trigeſimo, poſt mortem Defuncti, *vel* Defunctæ,	clxij
121	In Anniverſariis pro uno Defuncto, *vel* una Defuncta,	
122	In Anniverſariis pro pluribus Defunctis,	
123	Pro Fratribus, Sororibus, Propinquis & Benefactoribus,	
124	Pro omnibus Fidelibus Defunctis,	clxiij
125	Pro Defunctis in Cœmeterio quieſcentibus,	
126	Pro occiſis in Bello,	clxiv
127	Privatim pro Patre *vel* Matre defunctis,	

INDEX PROSARUM PROPRIARUM.

De SS. Nomine Jeſu,	clxv	
De Jeſu Infante,		
De Reparatione injuriarum illatarum Chriſto in SS. Sacramento,		
De Paſſione, & aliis Myſteriis ad Paſſionem Chriſti ſpectantibus,	clxvj	
De B. Maria Virgine,	clxvij	
De SS. Angelis,		
De S. Joſeph,		
De S. Martino,	clxviij	
De S. Ludovico,		
De S. Rocho,		
De S. Genovefa,		

INDEX PROSARUM COMMUNIUM.

De SS. Apoſtolis (*extrà Tempus Paſchale & Tempore Paſch.*) } clxix
De SS. Evangeliſtis, }
De S. Martyre, }
De SS. Martyribus, } clxx
De SS. Pontificibus, }
De SS. Doctoribus, }
De SS. Presbyteris, }
De SS. Abbatibus, }
De SS. Monachis, } clxxj
De Juſtis, }
De Sa. Virgine & Martyre, }
De pluribus SS. Virginibus ac Martyribus, } clxxij
De SS. Virginibus non Martyribus, }
De SS. Mulieribus, }
De SS. Viduis, }
De uno *vel* pluribus Sanctis, qui nec in Proprio reperiuntur, nec ad aliquod Commune referri poſſunt, } clxxiij
Pro Gratiarum Actione, }
In Nuptiis, }

MONITUM.

Litteræ majuſculæ, è regione complurium Collectarum & aliarum Orationum in capite appoſitæ, deſignant Sacramentorum Libros, ſive Miſſalia, è quibus excerptæ ſunt.

S. R. Sacramentaria Romana, quæ præcipuè tria ſunt; Sanctorum videlicet Leonis Magni, Gelaſii & Gregorii Magni.

S. G. Sacramentaria Gallicana, ſeu Miſſalia veteris Eccleſiæ Gallicanæ.

M. A. Miſſale Ambroſianum, ſive Mediolanenſis Eccleſiæ.

M. P. Miſſalia Pariſienſia edita ann. 1474, 1487, 1497, 1539, 1585, 1685, 1738 & 1777.

FINIS.

